THEOLOGIA EXANTIQUATA IUXTA ORTHODOXAM BEATISSIMI...

Federico Nicola Gavardi





SCHOLA ÆGIDIANA

THEOLOGIA EXANTIQUATA

IVXTA ORTHODOXAM
BEATISSIMI ECCLESIÆ MAGISTRI

AUGUSTINI DOCTRINAM

A FVNDATISSIMO DOCTORE

B. ÆGIDIO COLUMNA

Ord. Erem. eiuſdem S.P; S.R.E. Card; Aquitaniæ Primate, & Archiepiſcopo Bituricenſi expoſitam.

Additis Quæſtionibus nóſtro tempore exortis, & Recentiorum ordine congruentiùs diſpoſito.

AVCTORE

F. FRIDERICO NICOLAO GAVARDI
MEDIOLANENSI
Eiuſdem Ordinis Sac. Theol. Doctore, & in Archigymnaſio Almæ Vrbis Sacræ Scripturæ Interprete.


LIBER III. SENTENTIARVM.

TOMVS V.



Hic Liber est Conuentus Jesù Mariæ de Vrbe FF. Eremit. Discalc. Ord.is S. Augustini Congregationis Italiæ et Germaniæ





ROMÆ,
In Officina Typographica Io: Franciſci Buagni MDCXCII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Beatiſsimo Patri
INNOCENTIO XII.
PONTIFICI MAXIMO.



ENEFICIVM præſtantius Orbi Catholico conferre non potuit Prouidentia indeficiens, quàm Tibi decreuiſſe hiſce temporibus iura Cœleſtis, ac Terreſtris Imperij, Beatiſsime, & Clementiſsime Pater. Regnum *Pſal. 144.*
omnium ſęculorum adipiſcens, imò adeptus à Regno, vt rebus iam extremis conſuleres, ex Dignitate aſſecutus es MAXIMI nomen, quod iam tenebas ex moribus; quippequi magis eſſe, quàm vocari ſtudueras. Non ſolis Electorum ſuffragijs, ſed omnium votis optatus, quod præſtiterunt illi iure eligendi, neceſsitate obtinendi iſti impetrarunt. Ad laborum, curarumque conſortium aſſumpto nulla Tibi acceſsit, niſi aliena fęlicitas.

Com-

Communibus Magnatum, populorumque plausibus aspiceris, quia omnes recipis nulli respiciens. Cunctis ad Te æquè facilis aditus; veniat quisque, cùm velit, aut possit, admittitur, hæretque, quandiu finem facit sermoni sua cuique necessitas. Nihil humanum præter pietatem prætefers; ceterùm superlatus hominibus di-
Hebr. 7. gnum Te præbes Christi Vicarium, qui sine Patre, sine Matre, & sine genealogia illum Tibi coniunctissimum putas, quem optimum noueris; hunc proximiorem, quem Virtutibus ornatiorem inueneris. Non respicis Paterno, & Materno Sanguini, quanuis inter Principes antiquitate clarissimo, & claritate antiquissimo. Quod alijs felicior nedum imitandum exemplo, sed iure iurando seruandum relinquis. Ingens, & par tui vnius Nominis gloria est perfecisse, quod plures Præcessores optarunt; nec non quòd omnes Successores efficiant, quod Tu solus statuisti efficiendum; viua etenim semper omnibus lex continuò præstabis in illis, quod illi Te decernente exequentur. Sic hæreditas Christi testamento legata pauperibus nunquam distracta seruabitur. Æqua inopum, ac diuitum sors: Adjicitur, quod illis deest; non adimitur, quod istis superest; vt nemo Tuæ Beneficentiæ sit expers. Relegatur è Foris iniquitas; non enim præualet litigantium amplitudo, sed æquitas. Leges, quæ lites protrahunt; corripiuntur; quæ corripiunt, protrahuntur. Tribunalium minuitur numerus; ne multitudo judicia confundat, distrahatue litigia. Statim efficitur, quidquid fieri oportere, infectumque redditur, quod non expedire censetur. Per Temetipsum, quod jubes, exequeris; ne executione fraudetur imperium,

Deo,

Deo, cuius vices administras in Terris, conformis, qui potestate exequente operatur, quæ voluntate imperante decreuerit. Nulla vnquam negotiorum mole distenderis, sed nouo labore laborem vincis, & reparas ita, vt nihil amplius à Te quispiam possit exigere, quod iustè debeas, aut valeas efficere. Singulari diuitiarum contemptu, & generositate non impari ingentes vna die refudisti pecunias, quarum titulo concedebantur politica Æris publici munia: Reddidisti, vt Magistratus etiam Ciuiles nullo alio pretio deinceps comparentur, quàm meritis. Mare à vectigalibus liberum terris excipere, terrasq; interjectis aquarum spatijs dissitas Centumcellis amico portu conjungere, vt rebus omnibus, quas etiam non genuit, hæc tellus exuberet; salubres aquas è longinquo illuc deducere, Magnificentiam ostendit, qualem sicuti nulla ætas retroacta commemorat; ita quælibet subsecutura mirabitur. Hæc in Te omnium ora, omnium oculos tenent defixos, ac ad Tuarum Virtutum Spectaculum iam totus Mundus consedit res gestas deprædicans, & gerendas expectans. Optimè noueras Vniuersi Ecclesiastici Regiminis pondus in eo librari, vt sic regantur Diuina, ne lædantur humana, in quibus tantùm Diuina seruantur; summa ideo his prouides cura, vt illa promoueas seruatis vtrisque. Opus igitur hoc, Beatissime PATER, Optime, Maxime, in quo Diuina, & humana in vnitatem personæ Verbi conjuncta exhibentur, nonnisi Sanctitati Tuæ consecrari debebat; plura etenim continet Fidei mysteria potestate, quam geris, reserata; & alia hactenus clausa, vt aperiantur Tibi soli offerenda, qui HABES CLAVEM SCIENTIÆ *Luc.* 11.

Ad

Ad supremum Fidei magistrum, quæ de eius Cathedra edocti sumus, referimus; vt Sacra Doctrina, qua Deus muniuit Ecclesiam ad Fidei, fideliumq; tutelam, Tua, quæ infallibilis est, auctoritate firmetur; sine qua omnia ambiguitatis nutant in fluctibus; & in qua solùm, tanquam IN PETRA STABILI à Domino collocata, indeficientia redduntur. Nec me, ne Tuæ Beatitudini sisterem hos meos qualescunq; labores, potuit deterrere (monet S. P. AVGVSTINVS) suprema Dignitas, vel reddere cunctantem Maiestas; CVM SIT TVA HVMANITAS GRATIOR, QVAM ILLA SVSPECTIOR. Imò si Apostolus inquit: OPORTET EPISCOPVM AMPLECTI EVM, QVI SECVNDVM DOCTRINAM EST, FIDELEM SERMONEM, VT POTENS SIT EXHORTARI IN DOCTRINA SANA, ET EOS, QVI CONTRADICVNT, ARGVERE; quantò magis supremo omnium Episcoporum Episcopo Ecclesiarum omnium sollicitudinem habenti erit accepta hæc doctrina Theologica; quæ SERMO FIDELIS inscribitur, quia ex fidei Diuinæ sermocinatur articulis, vt obvoluta infidelium sophismata Catholicæ veritatis luce detecta potestatis Apostolicæ gladio, quem gestas, obtruncanda proponat? Faxit Deus, qui in his rerum angustijs Orbi regendo Te dedit, Orbi quoque conseruando Te seruet; nulla enim adversa Ecclesiæ Regno regnante INNOCENTIO nocebunt.

Ep. 57. ad Dardanū.

1. ad Tim. 1.


S. V.

Ad Pedes

Fr. Fridericus Nicolaus Gauardi Augustinianus.

CENSVRA

Admodum Reuer. Patris Fr. Caroli Riccij Augustiniani Sac. Theol. Magistri, & Angelicæ Bibliothecæ Præfecti.

VSSV Paternitatis Tuæ Reuerendissimæ tota mentis attentione, & summa animi delectatione euolui librum in tertium Sententiarum *Auctore R. A. Patre Magistro Fr. Friderico Nicolao Gauardi Mediolanensi Sacræ Theologiæ Doctore, & in Archigymnasio huius Almæ Vrbis Sacræ Scripturæ Interprete*. Encomiastis, non censoris officium cogor obire; nihil enim corrigendum, sed laudandum, quidquid scriptum, inueni. Nihil Sacræ Fidei, aut sanctis moribus dissonum, sed omnia in omnibus Diuinarum Scripturarum, Sacrorum Conciliorum auctoritati, ac Sanctorum Patrum, præsertim S. Patris Augustini Sacrosanctæ Ecclesiæ luminis doctrinæ, consona reperij, tanta subtilitate, profunditate, & claritate explicata; vt nullus Auctor ex nuperis, qui absconditum Incarnationis mysterium explicandum hucusque suscepit, enucleatiùs præstiterit, diligentiùs exquisierit, feliciùs inuenerit, luculentiùs enodauerit, robustiùs defenderit, & clariùs protulerit. Opus sanè suo dignum Auctore, alijsque eiusdem operibus haud absimile; & quanuis tam breui temporis spatio elucubratum, vt miram mentis in concipiendo fęlicitatem, paremque in producendo fęcunditatem ostendat; annosa tamen maturitate, & grauitate sententiarum ita solidatum, vt æuo potiùs, quàm tempore elaboratum videatur. Expectationi literarij Orbis, à quo Auctor sollicitatur continuò, vt Cursum Theologicum compleat, ac publici iuris efficiat, quo omnes fruantur, tanta breuitate respondet, vt dubium esset, an citiùs enascatur desiderium, quàm satietur; nisi satietas ipsa nouum desiderium ingigneret. Dignissimum itaque iudico, vt Typis detur, ne lateat sub modio, quod tantùm publicæ conferre valet vtilitati. Si videbitur &c.

Dat. in nostro Conuentu S. P. N. Augustini de Vrbe tertio Idus Iunij 1692.

Ita censeo ego Mag. Fr. Carolus Riccius Augustinianus &c.

CENSVRA

Admodum Reuerendi Patris Fr. Alphonsi Dominguez Procuratoris Prouinciæ Castellæ, Sac. Theologiæ Magistri.



IBENTI animo præceptum executurus Paternitatis Tuæ Reuerendissimæ, librum in tertium Sententiarum Fundatissimi Doctoris B. Ægidij Columnij Romani ad reuisendum manibus excepi, aperui, & cum mihi titulus occurrisset: *Authore Admodum Reu. Patre Magistro Fr. Friderico Nicolao Gauardi Mediolanense* statim censoris munere animum exuendum duxi, si fortè ex commissione illud induere potueram, memor illius, quod Cassiodorus simili in casu dixit lib. 5. epist. 24. *Opus non est subdere examini, quem vix possumus sub admiratione prædicare: tantique Viri non examinanda, sed veneranda sententia est*. Legi tamen, vt mecum ipse gratularer, quod tàm perutile opus inuenerim, iàm diù à me concupiscenti animo desideratum, quo fundamentalis eruditio Augustinianis in Scholis in dies magis, ac magis in cordibus radicetur. Legi etiam, vt approbarem, & hoc ideò eius sanam, eruditam, profundamque doctrinam reperij, quæ quidem latere solet, quos censoris tantummodò animo exudatas aliorum elucubrationes perlegunt. Legi denique, vt tanti Magistri meditarer sententiam, & cum eam vix possim sub admiratione concludere, quomodo potero digna prædicatione eleuare? Ægidiana est Theologia. Prædicaui satis, nàm sub tali caractere nihil non sanæ fidei consonum, nil non bonis moribus conforme inuenire potui: Vnde non solùm dignum, sed meritissimum, vt Typis mandetur, iudico, *saluò meliori &c.*

Datum in hoc Conuentu S. P. N. Augustini de Vrbe die 14. Mensis Iulij 1692.

Ita censeo ego Mag. Fr. Alphonsus Dominguez Augustinianus &c.

Magister Frater Fulgentius Traualloni à Monte Elparo Georginas totius Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Patris Nostri AVGVSTINI Prior Generalis.



CVM Tomus Quintus Theologiæ Scholasticæ iuxta doctrinam Beatissimi Patris Nostri AUGUSTINI, & fundatissimi Doctoris Ægidij *à Reu. Patre Magistro Friderico Nicolao Gauardi Mediolanensi in Archigymnasio Almæ Vrbis Sacræ Scripturæ Interprete.* elucubratus per Viros à Nobis ad id deputatos recognitus, probatus, publicaque luce dignus habitus sit, præsentium tenore, nostrique muneris auctoritate facultatem, quantùm ad nos spectat, ipsum imprimendi concedimus, & inpertimur. Datum in Conuentu nostro S. P. Augustini de Vrbe die 28. Iunij 1692.

Frater Fulgentius Traualloni Prior Generalis &c.

Nostri mun. aff. Sigillo 

Mag. Fr. Nicolaus Seranus Secretarius Ordinis.

Reg. lib. 8.

Imprimatur

Si videbitur Reuerendissimo Patri Sacri Palatij Apostolici Magister.

Horatius Fortunatus Episc. Neritonen. Vicesgerens.



EX commissione Reuerendissimi Patris Fratris Thomæ Mariæ Ferrari Sacri Palatij Apostolici Magistri attenta mente perlustraui Opus de Incarnatione Verbi Diuini fęliciter elaboratum *ab Admodum Reuerendo Patre Magistro Nicolao Friderico Gauardi Sacri Ordinis Augustiniani*; Et in ipso nihil reperi, aut dissonum Orthodoxæ Fidei Principijs, aut non consonum Romanæ Ecclesiæ Oraculis. Quin immò omnia ea, quæ in eodem exponuntur, satis altè fundantur; & singulari perspicuitate elucescunt. Nec mirum; Auctor enim, dum scribit, semper innititur Basi non erranti immobilis COLUMNÆ fundamentis, scilicet Fundamentalis Doctoris; & quæ scribit, illustrat radijs nunquam occiduis maioris Ecclesiastici Cœli Luminaris, Doctrinis, nempe Sancti PATRIS AUGUSTINI. Nec potest vnquam vel in obscurioribus Theologiæ semitis Ille à Veritate aberrare, cui continuò, si non ignea, saltìm Purpurea COLUMNA præit, & Quem lumen dirigit semper ardens, & indeficiens. Prodeat ergo Opus istud in Orbem Litterarium, nedùm, vt ab ipso lucem hauriat, sed vt vel ipsi lucem augeat: nec solùm, vt Auctor inter sapientes magis illustretur, sed vt magis vel sapientes illustret.

Ita sentio. Ex nostro Collegio S. Thomæ Aquinatis apud Sanctos Vincentium, & Anastasium de Vrbe die prima Septembris 1692.

Antonius Franciscus Saluthij Clericorum Regularium Minorum Sacræ Theologiæ Lector.

Imprimatur.

Fr. Thomas Maria Ferrari Ordinis Prædicatorum Sacri Palatij Apostolici Magister.

INDEX

INDEX QVÆSTIONVM ET ARTICVLORVM.



QVÆST. I.

De poſſibilitate Incarnationis.

QVÆST. II.

De conuenientia, & neceſſitate Incarnationis.

QVÆST.

QVÆST. III.

De motiuo Incarnationis.

QVÆST. IV.

De causis physicis, & existentia Incarnationis.

QVÆST. V.

De assumptione naturæ humanæ ad Personam Diuinam.

QVÆST.

QVÆST. VI.

De prædestinatione, & filiatione Christi.

QVÆST. VII.

De Sanctitate Christi.

QVÆST. VIII.

De merito, & satisfactione Christi.

QVÆST. IX.

De Scientia Christi.

QVÆST. X.

De impeccabilitate, & libertate; præcepto, & obedientia, ac potentia Christi.

QVÆST. XI.

De Sacerdotio, Oratione, & Regno Christi.

QVÆST. XII.

De adoratione Christi.

DE

DE SACRATISSIMO INCARNATIONIS MYSTERIO.



TSI omnia Diuinitatis mysteria humanis abscondantur obtutibus, qui naturæ fines non exeunt; nullum tamen sacramentum secretius,& scrutatu magis difficile, quàm sacrosancta Diuini Verbi Incarnatio. Arcana *Prophetarum* oracula, *& Scripturarum textus* mysteriosa sensuum multiplicitate complicitos S. P. *Augustinus splendidissimum Ecclesiæ lumen 7. Conf. c.19.* mox, vt fidei fuit gratia illustratus, se nouisse fatetur: At quid sacramenti recondcret: *Verbum caro factum est*: nec suspicari potuisse testatur. Mysteria purè Diuina, quamuis supra mentem creaturæ cuiuslibet infinitè eleuata obducantur rationi; attamen reuelata semel arduitatem excutiunt; cùm quidquid excelsi, quidquid maximi dignè de Deo dici potest, manifesto cogamur ratiocinio concedere, totum etenim Deum excelsum, & maximum esse naturaliter nouimus: At sacratissimum Incarnationis Dominicæ ænigma,quamuis reuelatum, difficultatum carduis circunseptum, humanæ menti prorsus imperuium rationi vndequaque intercluditur. Siquidem ecqua mens valeret conijcere Maiestatem Diuinam potestate suprema, quam abdicare non potest, dominantem in omnia seruientem assumendo naturam se ad ima sine sui deiectione deijcere? Sub vna, eademque Filij persona duplicem naturam sine mixtione, aut confusione coniungere; & hominem, qui in ordine intelligentium infimus est, ad Diuinæ attollere dignitatem personæ, quæ secundùm naturam hominis exinanita, quamuis maxima, minor effecta est; vt homo secundùm Dei naturam, licèt minimus, euaderet maximus? Aeternam Dei Sapientiam de substantia Patris mente producente ante omnia sæcula exortam, quæ vnà cum Patre coæuum sibi Spiritum spirat, de substantia Matris humanam participando naturam post multa tempora eodem Spiritu operante produci? Vitam mori nesciam, quia ei viuere substantia est, naturam mortalem assumere, vt eam redderet moriendo immortalem? Lucem, quæ semper manet sine occasu, quia nunquam cepit ex ortu, mortalitatem occasui subiectam suscipere, vt ferris *Iudæorum* occisam post trium dierum, noctiumque volumina ad orientem æternitatis nunquam occisuram transferret? Potuisse Verbum Diuinum non amittendo, quod erat, se humiliando hominem fieri, vt recuperaret, quod amiserat homo, qui inter ipsa nascentis mundi primordia voluit superbiendo Deus esse per naturam, nec potuit? Vicem peccatorum similem carni peccati carnem induere, vt se se offerendo recumpensaret iniuriam, pœnam ferendo extingueret debitum; & frater factus ex carne peccatores, quos, vt Deus, non odisse non poterat, vt frater, fraterno amaret affectu? Concipi ex carne virtute Spiritus,non carnis opere,vt hominis spiritum per carnis concupiscētiam corruptum reficeret?Verbum in mente Patris existens mente Virginis concipi; & partum mentis in mente manentem in vterum Virginicum transire; ibique sine verbis esse, nec Verbum esse desinere, quo semper loquitur Pater, & sine quo omnis eloquentia obmutescit? Verbum, per quod facta sunt tempora, fieri in tempore, vt homini æternitatem acquireret; Antiquum dierum oriri in nouissimis Mundi diebus, vt hominem inueteratum peccatis renouaret ad gratiam; pascentem omnia pascendum nasci, vt hominem bonis satiaret æternis? Naturæ iura dissolui, & Legem impleri; gratiæ expendi mysteria, & debitum rependi iustitiæ; gloriæ depauperari diuitias, & gloriam magis ditescere; quis hæc, & alia innumera huiusmodi humano posset comprehendere eloquio? *Quid horum* (inquit *S. P. Aug. serm.7. de Temp.*) *Quid horum non nouum; quid horum non mirabile; quid horum, si non fidem sequamur, inquisitio poterit humana complecti*? Et *Esaias c. 53. Generationem eius quis enarrabit*; quod de vtraque natiuitate intelligendum docet idem *S. P. Aug. serm.8.* Mysterium, inquit *Iob. 36. vincens scientiam nostram*. Nihil *in sanctis Scripturis* frequentiùs, apertiùsque hoc mysterio describitur, ac *Prophetarum testimonijs* luculentiùs repetitur; ne ob nimiam illius profunditatem crederetur minùs credibile. Et quod admirabilius est; alia fidei mysteria, quò à nobis sunt remotiora, eò minùs sunt nobis obscura; hoc verò quò est nobis propinquius, quia in nostra est perfectum natura, eò est à nostra cognitione remotius. Sed quorsum hoc? Nisi quia sine fide huius mysterij salutem nemo assequi potest; sicut nanque ignorata via terminum consequi impossibile est; & ignoto medio finis obtineri non potest; ita sine fide,qua solummodò agnosci potest Saluator, qui est via, & ostium, per quod ad salutem intramus; nec non Mediator, quo tendimus in eum, in quo salus nostra consistit, nemo valet salutem acquirere; & quia tantùm minoratur fides, quantùm rei accrescit notitia; vt maius sit fidei meritum,minus humana ratio præbere debuit huius mysterij experimentum. Sic magis creditur, dum minùs videtur; abiecta nanque naturali ratione, quæ falsitati subijcitur, per fidem, cui nequit falsum subesse, indubitanter tenetur.

QVÆST. I.

De possibilitate Incarnationis.



ECTE incipit *Fund. Doct. Aegid.* expositionem *tertij libri sententiarum*, in quo agitur *de Incarnationis Mysterio*, ab illius possibilitate; primum enim, quod de vnaquaque re, quæ sit extra Deum in tempore, potest inquiri, est possibilitas, cùm quælibet res à Deo facta priùs fuerit sub esse possibili, quàm sub esse existentiæ; aliter si nunquam fuisset sub esse possibili, vel impossibilis esset, quia nunquam fuisset possibilis; vel æterna, quia semper existens fuisset. Quoniam tamen cognoscere quid nominis præcedit inquirere quid rei, nomen enim ad manifestandam rem impositum est; ideo primò explicandum est, quid *Incarnationis* nomine significetur; quo plurium hæreticorum euertentur errores.

ART. I.

Quid Incarnationis nomine significetur?

1 INcarnatio, si nominis ethimologia inquiratur, idem est, *ac carnis assumptio*. Dicta est etiam *ab aliquibus PP. Græcis*, vt videre est *apud D. Hil. in proh. psalm.*, *Incorporatio*; quia corpus humanum, & humana caro idem prorsus significant. Cur autem potiùs dicta sit *incarnatio*, quàm *inanimatio*, vel *inhumanatio*, vt eam vocat *D. Dam. lib. 1. de fide c. 13*; cùm certum sit secundùm fidem Verbum Diuinũ assumpsisse nedum carnem, sed etiam animam, & hominem; vt docet S.P. *Aug. serm. 8. de Verbis Domini* inquiens: *Suscepit animam, suscepit corpus, suscepit plenum hominem. Coaptat sibi, vnum facit Dominus cum seruo personam*. Respondit S.P. *Aug. serm. 144. de temp.* aptiùs dici *Incarnationem*; quia Io. 1. habetur: *Verbum caro factum est*; non autem: *Verbum anima, aut homo factum est*; cùm enim Verbum homo factus sit, vt moreretur, & sua morte homini mortuo per peccatum redderet vitam; mors autem tantùm per carnem, quæ sola mortalis est, non per animam, quæ est immortalis, queat haberi, ideò rectiùs *incarnatio* appellatur: *Nisi ille* (inquit S.P.) *venisset, vt moreretur; vnde nos viueremus? Vnde nos habemus vitam, inde ille habuit mortem. Ipsum Euangelium attende: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Quære ibi mortem? Vbi? Vnde? Quomodò? Erat Verbum, Verbum apud Deum, Deus Verbum. Si inuenis ibi carnem, & sanguinem, inuenis mortem &c. Accepit ille mortem de nostro, vt daret nobis vitam de suo. Quomodo ille mortem de nostro? Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Præterea Verbum factum est homo, vt satisfaceret pro hominis peccato. Quomodò autem homo peccauit? Quia *tentauit* (inquit S.P. *Aug. serm. 5; & 26. de temp.*) *appetere ambitione damnabili Domini sui Diuinitatem*. Quomodò Verbum satisfecit? Quia humilitate assumendo hominis naturam *hominis inferiora suscepit*. Inferius autem, quod est in homine, est caro, quæ spiritu est ignobilior, ac vilior. Ad ostendendam igitur Saluatoris humilitatem, quæ ad infima semper se deijcit, & quæ maximè in hoc mysterio resplenduit, debuit *Incarnationis* vocabulo euulgari. Nec per hoc excluditur anima, quia assumpta est caro viua, vt in ea Deus moreretur, & non nisi viuens mori potest; caro autem non viuit, nisi per animam; vnde nomine *Incarnationis* rectè totius hominis assumptio significatur. *Quid* (inquit *S.P. serm. 15. de temp.*) *Quid caro, nisi homo? Non enim sine anima in Christo hominis caro; vnde ait: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Si ergo Verbum Deus, & Deus caro: quid est aliud: Verbum factum est caro: nisi quia Deus erat, & factus est homo?* Nomine igitur carnis, inquit S.P. *Aug. lib. 83. qq. q. 80*; per figuram Synecdoche, qua à parte totum significatur, totus homo indicatur.

2 Addunt *aliqui*, inter quos Gonet, *incarnationem* vocari ad euertendam *Manichæorum* sententiam asserentium Verbum assumpsisse carnem, non veram, sed phantasticam, vt *infra* videbimus. Sed hæc ratio videtur inefficax; sicut enim ad explodendam sententiam *Arrianorum*, *& Appolinaristarum* putantium Verbum assumpsisse carnem sine anima, non fuit necesse ipsam appellare *inanimationis* vocabulo; ita quamuis hæc appellatio *Manichæos* euertat; attamen non fuit necesse hoc mysterium sic appellare ad ipsos excutiendos ob allatam rationem. Et hæc quantùm ad materialem huius vocis significationem.

3 Si verò quidditas rei significata per nomen spectetur, habetur expresè *in Symbol. D. Athan. Est ergo fides recta, vt credamus, & confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, & homo est.* Deinde: *Qui licèt Deus sit, & homo; non duo tamen, sed vnus est Christus. Vnus autem non conuersione Diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Vnus omnino, non confusione substantiæ, sed vnitate personæ*. Consonat S. P. *Aug. serm. 58. de Verbis Domini* docens: *Licèt vnam personam in Christo credamus; duas tamen substantias, idèst naturas fatemur; Diuinitatis scilicet, & humanitatis; assumptricis, & assumptæ; creatricis, & creatæ. Quæ tamen substantiæ non sunt confusæ, sed vnitæ; atque*

in

in vna, eademque persona inseparabiles, & in sua semper proprietate manentes. Quapropter vnicuique substantiæ propria vtique aptanda sunt; idest infirmitates humanitati, quæ creata est; signa verò, vel mirabilia Diuinitati, quæ creauit. In tantùm enim hæ duæ naturæ sibimet vnitæ sunt, atque coniunctæ, vt idem Christus Deus, & homo aliquando res aut agat, aut loquatur humanas, aliquando Diuinas. Hoc nomen itaque *Incarnatio* formaliter significat vnionem naturæ humanæ cum natura Diuina in vna, & eadem Christi persona, cui ratione Diuinæ naturæ conuenit impassibilitas, immortalitas, æternitas, & cætera Diuinæ naturæ attributa; ratione autem naturæ humanæ conuenit passibilitas, mortalitas, temporaneitas, & alia, quæ humanitati formaliter, ac propriè conueniunt.

4 Hac doctrina, quæ est fidei dogma, euertuntur omnes errores *Gentilium, & hæreticorum,* qui turpiter circa hoc mysterium desipuerunt.

5 *Gentiles*, vt videbimus *in seq. art;* incarnationem negarunt; videntes enim homines quotidie nasci ex complexu maris, & fœminę, putarunt impossibile esse, quòd Christus natus erit ex matre Virgine sine patre. Sed euertuntur; sicut enim (inquit *S. P. Aug. serm. 16. de temp.*) *Adam* primus homo factus fuit ex terra virgine sine patre, & sine matre; & sicut *Eua* facta est ex osse Viri sine semine, & sine matre; ita potuit formari Christi corpus ex sanguine Virginis Matris sine semine, & sine patre nasci ex Matre Spiritus sancti operante virtute; quapropter Virgini *Luc. 2.* interroganti: *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Rectè respondit Angelus: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Spiritus Sanctus superueniet in te; & virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ex quo deducitur argumentum, quo probatur non repugnare naturam humanam vniri Diuinæ in vnitate personæ, vt *in seq.* ostendemus.

6 *Carpocratiani apud S. P. Aug. de hæresibus* c. 7. dixerunt Christum Dominum esse hominem tantùm, & de patre, & matre procreatum; accepisse tamen animam, quæ sciret, & nunciaret superna. Idem senserunt *Cerinthiani, & Merinthiani apud eundem S. P. hær. 8. & Hebionæi hær. 10. & Samosateni, ac Photiniani hær. 44. & 45.* qui negarunt quiditatem incarnationis nomine significatam.

Euertuntur autem nedum *Symboli* verbis supra allatis, sed etiam *ex Matth. 16;* ex quo sic arguit S. P. *Aug. serm. 33. de Verbis Apost. Quomodò confiteri potest in carne venisse Iesum Christum, qui negat ipsum Christum? Quis enim Christus? Beatum Petrum interrogemus. Modò cùm Euangelium legeretur, audistis, cùm quæsisset Dominus ipse Iesus Christus, quem illum dicerent homines esse Filium hominis? Responderunt Discipuli opiniones alienas, & dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij Hieremiam, aut vnum ex Prophetis. Qui hæc confitebantur, vel confitentur, Iesum Christum plusquam hominem non nouerunt. Si autem Iesum Christum plusquam hominem non nouerunt, Iesum Christum vtique non norunt. Si enim tantummodò homo est, nihil ampliùs; non est ipse Iesus Christus. Vos ergo, inquit, quem me esse dicitis? Respondit* Petrus, *vnus pro omnibus, quia vnitas in omnibus: Tu es Christus Filius Dei viui. Ecce habes confessionem veram, confessionem plenam. Iungere enim debes vtrunque, quod de se Christus, & quod de Christo* Petrus. *Quid de se Christus? Quem me dicunt homines esse Filium hominis? Quid de Christo Petrus? Tu es Christus Filius Dei viui. Vtrumque coniunge, & venit Christus in carne.* Et mox. *Si Filium Dei negat Christum, nescit Christum; alium pro alio dicit, non ipsum dicit. Quid est enim Filius Dei?* & statim. *Ecce Filius Dei: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Io. 1.* Et deinde: *Si factum dicis, Filium negas; Filium enim quærimus natura, non gratia; Filium vnicum, vnigenitum, non adoptatum. Talem Filium quærimus, tam verum Filium quærimus, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo. Philipp. 2; non rapina, quia natura &c. Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Sic se exinaniuit formam serui accipiens, non formam Dei amittens. Forma serui accessit, non forma Dei discessit. Hoc est confiteri Christum in carne venisse.* Ex quibus sic. 1. Qui confitetur Christum esse purum hominem, non Deum, sequitur sententiam *Iudæorum* negantium Christi incarnationem; non autem sententiam *Petri,* qui confessus est esse Filium Dei natura, non gratia; sed isti hæretici confitentur Christum esse purum hominem, non Deum; ergo similes *Iudæis* negant Christi incarnationem. 2. Verbum Dei est Deus; vt dicitur *Io. 1. Et Deus erat Verbum;* sed Christus est Verbum Dei; dicitur enim *Io. 1. Verbum caro factum est;* ergo est Deus. 3. Christus in forma Dei est æqualis Deo; & formam serui accipiens est minor; sed purus homo nequit esse æqualis Deo secundùm formam, idest naturam Dei, quia illam purus homo non habet; ergo Christus non est purus homo, sed homo, & Deus. Præterea 1. *Io. 5.* de Christo dicitur: *Hic est verus Deus, & vita æterna; & Rom. 9. Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Item *Io. 10. Ego, & Pater vnum sumus;* sed hoc nequit verificari secundùm naturam humanam, quæ est alia à natura Diuina, & per consequens à Patre; ergo verificatur secundùm naturam Diuinam. Item *Io. 8.* dixit Christus: *Antequam Abraham fieret, ego sum;* sed hoc nequit dici secundùm naturam humanam, quæ non fuit existens, antequam existeret *Abraham,* vt constat; ergo verificatur secundùm naturam Diuinam, quam necesse est ipsum habere. Tandem *Io. 20. Thomas* dixit Christo: *Dominus meus, &*

Deus meus; cui respondit: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati, qui non viderunt, & crediderunt*. Quibus verbis arguitur hos hæreticos, qui Christum verum Deum non confitentur, veram fidem non habere. Demum *in Conc. Nic. Deus de Deo &c.*

8 *Arriani, & Apollinaristæ* dixerunt Filium non esse Patri æqualem, sed similem. *Eunomiani* verò, vt refert *S.P. Aug. vbis.*, dixerunt esse Patre minorem; vt habet *idem S. P. ibid; & de hæres. hær. 69; & alij* circa Christi Diuinitatem alios inuexerunt errores.

9 Sed reijciuntur ijsdem ferè *Scripturis*, & rationibus; nam Christus habet eandem naturam, quam habet Pater; est enim vnus Deus cum illo, vt *ex allatis textibus* claret; ergo est ei æqualis, & similis; nulla enim maior reperitur æqualitas, aut similitudo, quàm illa, quæ ex identitate desumitur. Illud autem: *Pater maior me est; in susceptione humanæ naturæ positus dixit*; inquit *S.P.Aug. or. cont. Iudæos &c.* Sicut enim *Psal.8.* cùm dicitur *minoratus paulominùs ab Angelis*; nullus auderet exponere secundùm naturam Diuinam, quam nemo diceret Angelorum natura inferiorem; ita cùm dicit: *Pater maior me est*; naturam hominis, secundùm quam minor est, non Dei naturam, secundùm quam est æqualis Patri, commemorat.

10 *Manichæi* contra humanitatem errarunt; asserentes enim substantiam corpoream esse effectum Diaboli, ne dicerent Verbum assumpsisse creaturam Diabolicam, quam non potuisset ascendens in Cœlum inuehere, dixerunt non sumpsisse veram carnem, sed phantasticam, seu simulatam speciem carnis ludificandis sensibus præbuisse, ac in ea natiuitatem, & mortem mentitum fuisse; vt refert *S. P. Aug. de hær. hær.46.* His parum dissimiles fuere *Cerdoniani*, qui voluerunt Christum non fuisse natum ex fœmina, nec habuisse carnem, nec verè mortuum, aut passum fuisse, sed simulasse passionem; vt testatur *idem hær.21. Valentiniani* dixerunt Christum attulisse à profundo corpus spiritale, vel cæleste, nihilque assumpsisse de Virgine Maria, sed per illam, ceu per rimam, aut fistulam sine vlla de illa assumpta carne transijsse. *Ibid. hær.11.* Hos secuti sunt *Bardesanitæ*; vt refertur *ibid. hær.35. Appellitæ* putarunt duxisse carnem ex Mundi elementis, quam Mundo reliquit, cùm in Cœlum ascendit. *Ibid. hær.23. Origeniani*, qui *& Adamantij* dicti sunt, voluerunt Christum esse creaturam. *Ibid. hær.43. Proclianitæ* dixerunt in carne non venisse. *Ibid. hær.60.*

11 Conuincuntur autem *ijsdem textibus*; nam sicuti qui non fatentur Christum verum Deum; ita & qui inficiantur esse verum hominem, mysterium incarnationis non credunt; *Scripturæ* nanque eodem modo loquuntur de Christo, vt Deus est; ac vt filius hominis est; ergo sicuti incarnationem non credit, qui Deum esse negat, ita eam non credit, qui esse filium hominis negat. At negans veram carnem sumpsisse ex Maria Virgine negat ipsum esse verum filium hominis, quia filius non est, nisi qui carnem trahit ex illo, cuius filius dicitur; ergo negans Christum veram carnem traxisse ex Virgine Maria negat Incarnationis Mysterium. Tum quia negans Christum secundùm naturam Diuinam esse Patri consubstãtialem negat esse Filium Dei natura; quia negat esse de substantia Patris in identitate naturæ; ergo negans esse Matri consubstantialem secundùm naturam humanam negat esse filium Matris, quia negat esse de substantia Matris, cùm dicat ab extra illam sumpsisse. Tum quia *Apost. ad Galat.4.* ait de Christo: *Factus ex muliere*; illa autem particula *ex* designat causam materialem, ex qua sumitur substantia materialis ipsius effectus; vt cùm dicitur statua fieri ex ligno, sensus est, quòd lignum præbet materiam, ex qua fit statua; ergo si *secundùm Apostolum* Verbum factum est homo ex muliere, seu ex B. Virgine, quæ nomine secundùm *Hebræam* linguam communiter significante omnes fœminas, non negante Virgineum decus, appellatur, vt explicat *S.P.Aug. serm.16. de temp.*; sensus est Verbum non aliunde, sed ex ipsa sumpsisse carnem, quæ est pars materialis ipsius hominis. Tum quia *Luc. 10.* habetur; *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habent, sicut me videtis habere*; phantasma autem carnem, & ossa non habet, sed solam corporis apparentiam; quo confunditur *Manichæus*. Tum quia *Rom. 1. Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem*. Super quod *S.P. Aug. vbis. Ecce Filius Dei, quod vtique semper erat, factus est ex semine Dauid secundùm carnem*. Si autem Christi caro non esset facta ex sanguine B. Virginis, sed aliunde, iam non esset ex semine *Dauid*, ex quo factus est sanguis B. Virginis, quæ *à Dauid* per generationem descendit. *Vid. S.P. Aug. in lib. cont. Manichæos*, vbi fusè hanc materiam pertractat.

12 Nec officit id, quod dicit *Apost. 1. Cor. 15. Primus homo* (idest *Adam*) *de terra terrenus*; *Secundus homo* (idest Christus) *de Cœlo cælestis*. Resp. enim *Apostolum* loqui de Christo secundùm Diuinitatem, secundùm quam descendit de Cœlo; non secundùm naturam humanam, quam *secundùm Scripturas* assumpsit in terra; habetur enim *in Symb. Nicano. Descendit de Cœlis; & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus.* Quibus clarè monstratur carnem sumpsisse, postquam è Cœlis descendit in terras. Tum quia si factus est homo ex muliere, ex qua carnem desumpsit, quæ mulier erat in terra, apertè sequitur naturam humanam non de Cœlo asportasse, sed in terris, vbi erat Virgo Mater, sumpsisse.

13 *Arriani* nedum contra Diuinitatem, sed & con-

& contra humanitatem blasphemantes dixerunt Verbum assumpsisse carnem sine anima, ipsum enim Verbum pro anima dicunt Christo fuisse. *S.P.Aug.hær.49. Apollinaristæ* idem dixerunt, sed *testimonijs Euangelicis* victi, mentem, qua rationalis est anima, non fuisse in anima Christi, sed pro hac ipsum Verbum in ea fuisse dixerunt. *Idem hær.55.*

14 Confutantur *Io. 10. Ego pono animam meam, vt iterum sumam eam*; Verbum autem non posse se ipsum deponere, & assumere manifestum est; non enim Verbum fuit in potestate carnis, vt deponeretur, sed caro fuit sub potestate Verbi, vt assumeretur. *Matth.26. Tristis est anima mea vsque ad mortem; & Io.12. Nunc anima mea turbata est*; sed tristari, & turbari repugnant Verbo, vt Verbum est, quia Verbum est Deus, cui repugnat passionibus concuti; ergo repugnat Verbum esse animam Christi. Nec figuratè hæc esse accipienda dici potest; constat enim Christum natum fuisse de B.Virgine, contristatum, exhilaratum, miratum, esurijsse, manducasse, dormijsse, flagellatum, crucifixum, atque interfectum; quæ omnia sine anima fieri non possunt. Præterea Verbum assumpsit carnem viuam, vt *supra* diximus; assumpsit enim hominem; vnde dicitur *in Symb. D. Athan. Perfectus Deus, perfectus homo*; non est autem caro viua, nisi per animam; nec nisi per animam perfectus est homo; quapropter subditur: *Ex anima rationali, & humana carne consistens*; ergo Verbum assumpsit carnem, & animam, adeoq; non est ipsa anima, aliter ineptè diceretur animam assumpsisse; quia nulla res dici potest se ipsā assumere. *Luc.2. Iesus proficiebat sapientia*. Verbum autem, cùm sit ipsa infinita Patris sapientia, non potest sapientiam acquirendo proficere, non enim acquiritur, nisi quod antea non habebatur; & dicere Verbum non habere se ipsum, ac se ipsum acquirere summa dementia est. Nec dici potest, quòd caro sapientiam acquireret; constat enim sapientiam esse qualitatem, quæ animæ inest; non corpori, quod animæ intelligentis est organum. Præterea dolor, qui summus fuit in Christo, nequit causari in corpore, nisi ex forti immutatione intentionali ipsius animæ; vt ostendimus *to.4. de pecc. q.3. art.5. §.3. à n.22*; sed Verbum est incapax mutationis; ergo nequit esse anima corporis. Tum quia nomine carnis (vt arguit *S.P.Aug.lib.83.qq.q.80.*, qui fusissimè refellit hanc hæresim) sæpe in *Scripturis* significatur etiam anima, quæ tacetur; vt *Luc.3. Videbit omnis caro salutare Dei; & Ps.64. Ad te omnis caro veniet; & Io.17. Dedit potestatem omnis carnis*; constat autem *hic* nomine *carnis* significari etiam animam, caro enim sine anima nec videt, nec venit, nec subditur potestati. Deindem anima est forma informans ipsum corpus; sed Verbum nequit esse forma informans, quia nequit esse pars; ergo idem. Si autem Verbum assumpsit carnem, & animam, sequitur, quòd assumpserit quoque mentem humanam, quæ animæ rationalis est inseparabilis passio; & secundùm quam solùm potuit admittere tristitiam, & dolorem per immutationem intentionalem apprehendendo læsionem factam in corpore. Præterea in Christo fuit voluntas humana, quæ animæ rationalis est passio, vt statutum est *contra Monothelitas*; dicitur enim *Luc.22. Non mea, sed tua voluntas fiat; & Io.6. Non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me, Patris*: constat autem nomine voluntatis suæ non significari voluntatem Diuinam, quia hæc eadem est, ac voluntas Patris, sicuti eadem est essentia; & sic redderet sensum ineptum; idêst *non mea, sed mea voluntas fiat*; ideo loquitur de voluntate humana, quæ est passio animæ rationalis; ergo eadem ratione admittenda est in anima Christi mens, seu intellectus humanus; qui essentialiter colligatur cum voluntate. Ex quibus confutata manet hæresis *Monothelitarum*, qui licèt duas naturas in Christo concederent, vnicam tamen voluntatem in ipso admittebant; eadem enim motiua vtranque potentiam rationalem distinctam ab intellectu, & voluntate Diuina cogunt concedere.

15 *Apollinaristæ* insuper dixerunt, quòd *Verbum caro factum est*, non per assumptionem humanitatis ad naturam Diuinam, sed per conuersionem naturæ Diuinę in naturam humanam eo modo, quo *Io.2.* aqua versa est in vinum; & quemadmodum virga *Moysis* in serpentem, & lignum in ignem conuertitur.

16 Hanc amentiam improbant *Scripturæ* allatæ *n.7*; quæ asserunt Verbum incarnatum esse Deum; lignum enim conuersum in ignem non est ampliùs lignum, sed ignis; aliter non esset conuersum, sed immutatum maneret; ergo Verbum post incarnationem manens Deus non est cōuersum in hominem, sed omnino immutatum sibi hominem iunxit. Tum quia illud solùm conuertitur in aliud, quod mutatur in illud; conuersio nanque est mutatio vnius in aliud; sed Deus est omnino immutabilis, quia est suum esse actuale purissimum; ergo in hominem conuerti repugnat. Deinde damnatur hæc hæresis *in Symb. D.Athan., & D.P.Aug. loc. sup. cit. n.3.*

17 *Nestoriani* sicut duas naturas, ita duas personas humanam, & Diuinam admiserunt in Christo; vnam à Patre ante sæcula genitam, alteram ex Virgine in tempore natam; & has duas personas non quidem vnitate personali, sed summo affectu inter se cohærere; & in Filio Virginis repræsentari Filium Dei, ac Filium Dei in Filio Virginis operari; adeoque Filium Virginis tantùm nuncupatiuè, & per denominationem extrinsecam Deum appellari, non tamen re vera Deum esse; sed quia Deum repræsentaret, & Deus in illo per affectum, & operationem tanquam in suo templo habitaret.

18 Hanc

18 Hanc insaniam damnauit *Concil. Ephesinum; Chalced; & V. Syn; VI; & VII; & Conc. Lat*; & improbatur ex illis *Scripturæ* locis, in quibus dicitur, quòd vnus est Christus; vt *Rom.* 5. *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum; multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes in vita regnabũt per vnum Iesum Christum. Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi; ita & per vnius obeditionem iusti constituẽtur multi.* Sicut ergo peccatum, quod est actio moraliter mala, ab vna persona, quæ est primus *Adam*, quia *actiones sunt suppositorum*, in omnes pertransijt; ita iustitia, quæ habetur ab actione Christi satisfactoria, ab vna persona, quæ est secundus *Adam*, abundauit in omnes; *& 1. ad Corrin.* 8. *Vnus Dominus Iesus Christus, per quẽ omnia* Et quo arguitur. Iesus Christus, qui secundùm naturam humanam natus est; & per quem secundùm naturam Diuinam creati sumus, *ex Apost.* est vnus; sed secundùm naturam humanam est homo, & secundùm naturam Diuinam est Deus; ergo Christus secundùm naturam humanam, & Diuinam est vnus, non quidem vnitate naturæ, vt constat ex dictis; sed vnitate personæ; *& 1. ad Tim.* 2. *Vnus & mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus*. Ex quo sic. De ratione medij est vnire extrema; sed Christus est medium inter Deum, & homines; ergo Christus vniuit Deum, & hominem; sed hæc vnio non est facta in natura, quæ duplex, non vna, remansit; ergo in persona. *Sic Symb. Nic. Et in vnum Dominum Iesum Christum &c.* Præterea *Ephes.* 2. *& 1. Pet.* 2. *Christus vocatur lapis angularis*; sed de ratione anguli est connectere duo extrema in vno angulo; ergo Christus connexuit duas naturas in eadem persona. Præterea *Matth.* 17. vox Patris intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite*. Ex quo sic. In singulari vocat Christum, quatenus Deus est, quia quatenus Filius, est Deus; & quatenus homo est, quia vocat hunc, qui transfiguratus erat, & vt homo, tantùm transfiguratus est; sed singularitas appellat vnam, eandemque personam; ergo Christus est vna tantùm persona. Et *Io.* 1. *Verbum caro factum est*. Ex eo, quòd vna persona vniatur affectiuè alteri, non dici effectiuè fieri illa; sed Verbum Diuinum vniendo sibi naturam humanam factum est homo effectiuè; ergo non vniuit sibi personam. Item *Symb. D. Athan; & S. P. Aug. vbi sup. n.* 3. Tandem prob. *Scripturis allatis n.* 7; in quibus Christus dicitur verus Deus; illa autem quæ prædicantur ad inuicem, debent realiter vniri in supposito; ex eo namq; quòd duæ formæ sint in diuersis suppositis, non possunt ad inuicem prædicari, vt patet.

19 *Eutychiani* dixerunt Christum esse vnam personã ex duabus, non in duabus naturis; quia quanuis ante vnionem essent duæ, attamen per vnionem ambæ in vnam coiuerunt naturam.

20 At damnati sunt *in Concil. Calced*; quod *in Symb. fidei* habet: *Confitemur in nouissimis diebus Filium Dei vnigenitum in duabus naturis inconfusè, immutabiliter &c; & in Symb. D. Athan; ac S. P. Aug. vbi s. n.* 3. Improbantur autem *ex illo Io.* 1. *Verbum caro factum est*. Si duæ naturæ coalescerent in vnam naturam, iam Verbum non esset factum caro humana, idèst homo, sed factum esset illa tertia natura composita ex duabus naturis, quia factum esset illa natura, quæ manet cum Verbo, non autem illæ naturæ, quæ non manent; implicat enim rem fieri id, quod non est, quia fieri importat ipsum esse; sed cons. est blasphemum; ergo & ant. Præterea Verbum incarnatum manet Deus, & homo; ergo manent natura Diuina, & humana, à quibus formaliter Deus, & homo denominatur. *Vid. n.* 7; *&* 16.

21 *Monothelitæ* dixerunt in Christo fuisse vnam personam, & duas naturas, sed vnam tantùm voluntatem, & vnam operationem.

22 Sed damnati sunt *in VI. Syn. Gen*; & euincuntur *Luc.* 22. *Non mea, sed tua voluntas fiat; ex Io.* 6. *Vid. n.* 14. *&* 3.

23 *Alij* tandem dixerunt Diuinitatem in Christo doluisse, cùm eius caro figeretur in cruce; vt *ex Philastro* refert *S. P. Aug. hær.* 73.

24 Sed refelluntur ex dictis; nam Deitas est simpliciter impassibilis, & immortalis, vt diximus *n.* 3. *ex S. P. Aug*; ergo doloris, qui est passio, est simpliciter incapax. Tum quia est summè beata; ergo nequit dolere, quod beatitudini repugnat. Tandem, vt arguit *S. P. Aug. vbi s*; in Christo cogimur à Fide duas naturas omnino inconfusas, & in sua proprietate manentes concedere; ergo *vnicuique sua propria aptanda sunt; idèst infirmitates* (inter quas est dolor) *humanitati, quæ creata est; & mirabilia Diuinitati, quæ creauit*; sic enim verum Deum, & hominem Christum; & incarnationis quiditatem fideliter confitebimur.

ART. II.

An possibilis sit Incarnatio?

1 VIx ceperant Apostoli Christum *Gentibus* euangelizare, quòd *Philosophi* humana tumentes philosophia incarnationis mysterium externè reuelatum naturali ratione inuestigare conati sunt; at renuentes fidei mentem subijcere superbè scire quærendo, quod humiliter credendo tantùm addiscitur, dixerunt impossibilẽ esse vnionem naturæ humanæ cum natura Diuina in vna, eademq; persona; ac proprerea tanquam stultos, & insipientes despexerunt Apostolos; eòque magis, quia *scientia, quæ inflat*, elati à vilibus, abiectisque piscatoribus edoceri indignabantur. Hinc *Paulus* 1. *Cor.* 1. scribens

ribens *Corinthum*, vbi tunc maximè philosoia vigebat, conquerebatur Christum fuisse *dæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitm*. Sed quoniam *quæ stulta sunt Mundi, elet Deus, vt confundat sapientes* iuxta illud *Abd.1. rdam sapientiam sapientium, & prudentiam pruntium reprobabo*; stultescere Mundanam saentiam, quæ Christum veram Dei sapientiam fellere ausa est; & Christi doctrinam rectè sare, si ratio ducatur à fide; facile est ratione onstrare. Hæc igitur quæstio orta est ex quæone de existentia incarnationis; vt enim *phisphi* ostenderent Christum non esse Deum minem, arguebant ex eo, quòd impossibilem ionem hominis, & Dei in eadem persona putabant. E contra tamen existentia huius sterij ex possibilitatis ostensione magis derata apparebit.

2 Nemo impudentiùs hanc veritatem nega, quàm *Porphyrius Siculus Philosophus Platoni, Plotini auditor, Origenis, & Amelij condiscipulus*; i à Religione Christiana, quam semel professfuerat, ad gentilismum reuersus, vt refert *Aug. lib.10. de Ciu. cap.* 28. contra eandem psit quindecim libros, quibus triginta apoloicos opposuerunt *Methodius, Eusebius, & Apolris*; *S.P. Aug. vbisß & cap.29; & de quinq; hab; & or. cont. Iudæos, Paganos, & Hæreticos; lib.1. de cõsensu Euang; S.Tho. cont. Gent; & alij.*

3 Vnica concl. Incarnatio est possibilis. Est ei dogma; Angelus enim *Luc.1*; postquam erat: *Ecce concipies, & paries Filium, & vocanomen eius Iesum. Hic erit magnus, & Filius ssimi vocabitur*; Virgini sciscitanti: *Quomodò istud*? Respondit: *Non erit impossibile apud m omne verbum. Non impossibile* autem sonat n, ac *possibile*; duæ nanque negationes affirionem efficiunt. Deducitur etiam ex prino fidei, quæ docet Verbum fuisse incarna; ergo incarnatio est possibilis; ab actu enim potentiam, quæ ordinatur ad actum, valet iela. Hoc omnes Catholici tenentur fateri, *contra Gentiles, aut Hebræos*, qui testimonia i testamenti inficiantur, ex hoc sic est arndum *cum Fund. Doct. Aeg. hic dist.1. par.1. art.1. §. In contrarium*. Quod non est Deo ossibile, est simpliciter possibile; sed incaro non est Deo impossibilis; ergo est simplir possibilis. Ma. patet; nam negatio vnius tradictorij non habetur, nisi per aliud conictorium; ideo negatio impossibilis non etur, nisi per possibile; sicut negatio possis non habetur, nisi per impossibile. Prob. mi. d tantùm est Deo impossibile, quod impornanifestam, ac insolubilem repugnantiam ninorum; Diuinæ etenim omnipotentiæ, quia ita est, tantùm denegandum est, quod imat manifestam repugnantiam simpliciter lubilem: nam Diuina omnipotentia plus st efficere, quàm nos possimus cognoscere; ideo quod possumus cognoscere non habere repugnantiam manifestam à nobis insolubilem, illud censendum est simpliciter possibile omnipotentiæ Diuinæ; sed incarnatio non importat manifestam repugnantiam à nobis insolubilem; illud nanq; importat manifestam repugnantiam insolubilem à nobis, quod negatur à plerisque sapientibus, quia illud nequeunt dissoluere; incarnatio autem conceditur à plerisq; sapientibus omnium nationum; nam Prophetæ inter *Iudæos* Sapiẽtes profectò fuere; & ipse *Plato* Magister *Philosophorum*, cum quibus disputamus, plurimi ęstimauit sapientiam eorum, à quibus multa didicisse fertur, cùm in *Aegyptum* perrexit; Prophetæ autem clarè prædixerunt incarnationem futuram. Præterea *Dionysius Atheniensis* vnus *ex Areopagitis* Iudicibus; *Lucas Antiochenus*, *Barnabas Cyprius*, & ceteri, de quibus *in Actis Apostolorum* fit mentio, fuerunt procul dubio sapientes, & *Gentiles* erant, cùm illis prædicatus est Iesus, & tamen consenserunt, non negauerunt Incarnationem. Similiter vt arguit *S.P. de quinq; hær; & or. cont. Iudæos, Paganos &c. Sybillæ, & alij vates gentiles*, de quibus diximus *to.1. q.5. proem. art.9. §.2*; prædixerunt incarnationem futuram, adeoque possibilem; & per consequens illam non negauerunt, & tamen *inter Gentiles* sapientiam possedisse pro certo habitum fuit; ideo incarnatio repugnantiam manifestam insolubilem non importat; ergo incarnatio non est Deo impossibilis.

4 Prob. 2. ad hominem *à S.P. Aug. lib.10. de Ciuit. Dei cap.29. contra Aduersarios ex illo Symb. D. Athan. Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo; ita Deus, & homo vnus est Christus*. Quam rationem vnicè sequitur, & expendit *Fund. Doct. Aeg. vbis. in corp.* Inquit igitur *S.P. Aug. Quid, inquam, vobis incredibile dicitur, cùm Deus dicitur, assumpsisse humanam animam, & corpus? Vos certè tantum tribuitis animæ intellectuali, quæ anima vtique humana est; vt eam consubstantialem paternæ illi menti, quem Dei Filium confitemini, fieri posse dicatis? Quid ergo incredibile est, si aliqua vna intellectualis anima modo quodam ineffabili, & singulari pro multorum salute suscepta est? Corpus verò animæ cohærere, vt homo totus, & plenus sit, natura nostra ipsa teste, cognoscimus. Quod nisi vsitatissimum esset; hoc profectò esset incredibilius; facilius quippe in fidem recipiendum est, etsi humanum Diuino, etsi mutabile incommutabili; tamen spiritum spiritui, aut vt verbis vtar, quæ in vsu habetis, incorporeum incorporeo, quàm corpus incorporeo cohærere*. Ex quibus sic. 1. *Philosophi gentiles* admittunt possibilem esse consubstantialitatem animæ rationalis cum Verbo, quod est Filius Dei; ergo multò magis coguntur admittere assumptionem animæ rationalis, & corporis humani, quod naturaliter vnitur animæ ad identitatem personæ. Ant; licèt falsum, est eorum doctrina. Prob. conf. Maiorem vnionem importat consubstantialitas, quæ

quæ dicit identitatem naturarũ; quàm assumptio naturæ humanæ, quæ importat solam vnionem naturæ cum distinctione reali à natura Diuina; ergo si illa ab ipsis, vt possibilis, admittitur; multò magis huius possibilitatem debent concedere. 2. Ideo incarnatio non est possibilis, quia humanitas Diuinitati nequit hipostaticè vniri; sed cons. est falsum; ergo & ant. Ma. est ratio *Aduersariorum*. Prob. mi. Quæ habent maiorem conuenientiam, magis possunt vniri, quàm illa, quæ inter se minùs conueniunt; nam conuenientia in vnitate fundatur; vt constat *ex Logica*; & ideo vbi est maior conuenientia, ibi maior est vnitas; sed anima rationalis, & Diuinitas magis conueniunt inter se, quàm corpus, & anima; quia anima rationalis, & Diuinitas conueniunt in ratione spiritus, seu entis incorporei, in qua tamen non conuenit corpus, quod contra illam adæquatè diuiditur; & tamen clarum est animam, & corpus vniri ad constituendam vnam personam; quod nisi in omni homine eueniret, minùs credibile videretur, quàm personam Diuinam posse assumere animam rationalem, quæ spiritualis est; & quia cùm anima rationali vnitur naturaliter corpus, ideo assumere etiam corpus, & sic totam, & plenam naturam humanam assumere ad consortium naturæ Diuinæ in vnitate personæ; ergo humanitas Diuinitati potest hipostaticè vniri.

5 Dices 1. Quamuis anima, & corpus non conueniant in ratione spiritus; attamen conueniunt in ratione creaturæ; Diuinitas autem, & anima rationalis, licèt conueniant in ratione spiritus, disconueniunt tamen in ratione increati, & creati; hæc autem disconuenientia est maior, quia inter Deũ, & creaturam est infinita distantia; quàm illa, quæ; quia est inter terminos finitos, finita est; ergo allata ratio non probat.

Resp. differentiam, quæ est inter Deum, & creaturam, esse analogicam; differentiam verò, quæ est inter corpus, & animam, esse prorsus æquiuocam; de ratione autem differentiæ analogicæ est, quòd importet partim vnitatem, & partim diuersitatem, cùm analoga sint, *quæ important rationem partim eandem, partim diuersam*; identitas autem est vnitas, vt claret; de ratione verò differentiæ æquiuocæ est, quòd importet omnimodam diuersitatem; quia æquiuoca definiuntur, *quæ important rationem omnino diuersam*. Constat autem, quòd diuersitas omnimoda est disconuenientia maior, quàm diuersitas aliquam vnitatem includens; quamuis hęc sit illa distantior; & ideo extrema, & si distantiora, posse tamen vniri, quia habent rationem, in qua vniantur; extrema verò, quæ nullam habent rationem, in qua vniantur, etsi minùs distantia, difficiliùs apparere, quomodò queant vniri. Profectò certum est substantiam, & accidens magis distare inter se, quàm differentiæ athomæ ipsius substantiæ v. g. canis, & equus; & tamen hoc non obstante manifestum est substantiam, & accidens coniungi in vnitatem subiecti, quia, vtpotè analoga, habent vnitatem, secundùm quam connectuntur; canem verò, & equum non posse cõfluere in vnitatem suppositi, quia sunt æquiuoca omnino diuersa. Ergo eadem ratione videri posset impossibilis vnio animæ cum corpore, nisi experientia continua mouisset mentem ad excogitandam rationem; quòd scilicet ad hoc, vt duo vniantur, sufficit, quòd vnum habeat rationem actus, alterum potentiæ passiuæ; vt ait *Fund. Doct. Aegid.*, quæ ratio, quia etiam in incarnatione concurrit; humanitas enim passiuè se habet, Diuinitas verò actiuè terminatiuè, vt *inf.*; & vltra hoc interuenit analogica vnitas; ideo incarnatio videretur credibilior, quàm vnio animæ, & corporis, nisi continua experientia constaret. Optimè igitur allata ratio concludit.

6 Dices 2. Humanitas non concurrit ad constituendam Christi personam; sicut caro ad constituendam personam hominis; ergo hæc similitudo ruit.

Resp. *Fund. Doct. Aeg. hìc art. 2. §. sic etiam*; quòd si similitudo multas non ferret secum dissimilitudines, esset identitas, non similitudo. Hæc igitur similitudo consistit in hoc, quòd sicut caro vnitur animæ in vna, & eadem persona hominis; ita natura humana vnitur naturæ Diuinæ in vna, & eadem persona Christi. Sed cum hac similitudine stant plures dissimilitudines. 1. Natura humana ita vnitur Verbo Diuino, vt tota ratio personalitatis sumatur ex parte Verbi Diuini, non ex parte humanitatis; at caro, & anima in puro homine ita vniuntur, vt ratio personalitatis sumatur ex parte vtriusque, quapropter anima separata non est persona, vt fusè probat *Fund. Doct. art. 2. cont. Hugonem*, & colligitur *ex S. P. Aug. lib. 19. de Ciuit. Dei c. 3*; vbi docet *hominem neque animam solam, non solum corpus, sed animam simul, & corpus esse*; homo autem dicit personam, vt *inf.* 2. Anima ita vnitur carni, vt habeat appetitum naturalem ad illam; in Verbo tamen nullus datur appetitus naturalis ad naturam humanam; sed talis vnio est ex mera dignatione ipsius Verbi. 3. Caro ita vnitur animæ, vt priùs inceperit esse suppositum, quia priùs fuit embrio, quàm homo; at natura humana in primo instanti, quo B. Virgo consensum præbuit dicendo: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum*; statim fuit ibi Verbum, & natura humana fuit homo, & Deus. 4. Personalitas, quæ resultat ex anima, & carne, fit in tempore; at personalitas Christi fuit ab æterno. 5. In morte hominis anima desinit esse vnita carni; at persona Verbi in morte Christi non fuit separata à carne, & anima Christi, sed sola anima fuit à carne diuisa. 6. Anima non operatur vnionem sui ad carnem; at Verbum operatum est vnionem sui ad naturam huma-

umanam. 7. Anima,& caro se ad inuicem sub-
entant, quia sunt sibi ab inuicem causæ; at
erbum sustentat naturam humanam, non è
ontra. 8. In anima, & carne est *communem spe-
cm accipere*, vt loquitur *D. Dam*; quia ex ani-
a, & carne conflatur vna natura communis,
ilicet humanitas; in Verbo autem, & homine
on est communem speciem accipere, quia non
nfunduntur naturæ. Sed cum his, alijsque
fferentijs, quæ possunt afferri, stat similitudo
ignata, qua rectè probatur incarnationis pos-
ilitas.

7 Prob. 3. *ab eod. S. P. Aug. vbis.* Ideo *per
uersarios* incarnatio non est possibilis, quia
iristus ex cōmixtione seminum generari non
tuit; hominem autem sic generari necesse est;
l hoc non obstat; quia primus homo non po-
t ex semine generari, aliter non fuisset pri-
s homo,& tamen fuit verus homo; sic dicen-
n de prima fœmina; ergo licèt Christus non
uerit ex comixtione seminum gigni; atta-
n non sequitur, quòd non potuerit esse ve-
homo.

8 Prob. 4. Causa vniuersalis perfectè con-
ns causam particularem potest per se ipsam
stare omnes effectus causæ particularis dem-
imperfectionibus, quæ competunt causæ
ticulari; sed persona Verbi Diuini est causa
uersalis perfectè continens omnem persona-
tem creatam; & personalitas humana potest
positare naturam humanam; ergo persona
bi potest per se ipsam suppositare naturam
nanam, demptis tamen imperfectionibus,
competunt supposito creato. Ma. patet;
a causa vniuersalis perfectè continens cau-
particularem, perfectè continet esse causæ
icularis, & virtutem sequentem ad illud
, per quam potest illud esse communicare;
potest præstare id, quod præstat causa par-
laris. Prob. mi. Persona Verbi Diuini est
oliciter infinita; ergo est omnis personalitas;
iitum enim in vno genere debet adæquatè
tinere omnem perfectionem illius generis,
er infinitum non esset, quia posset ei super-
i perfectio illa, quæ ei deficeret; quod tol-
t rationem infiniti, quia tolleret eius defi-
onem; ergo personalitas Verbi Diuini per-
è continet etiam quanlibet personalitatem
ianam, & ideo potest naturam humanam
oositare demptis imperfectionibus, quæ ra-
e limitationis personalitati humanæ con-
iunt. Sed incarnatio importat suppositatio-
naturæ humanæ factam à persona Diuina;
persona Diuina potest incarnari; & ideo
ibilis est incarnatio.

Dices 1. Ex eo, quòd Deus sit omnis for-
non sequitur, quòd possit præstare effectus
nales sine forma, vt facere album sine albe-
; ergo ex eo, quòd sit omnis persona, non
iitur, quòd possit præstare omnes effectus
formales omnium personalitatum. Tum quia
effectus personalitatis est reddere naturam sub-
sistentem; sed esse subsistens est effectus forma-
lis subsistentiæ, quam importat personalitas;
sicut esse album est effectus formalis albedinis;
ergo sicuti Deus, ex eo, quòd contineat emi-
nenter albedinem, nequit per se ipsum sine al-
bedine formali creata, quæ est causa formalis
esse albi, facere album; ita quanuis contineat
eminenter omnem personalitatem creatam, quę
importat formaliter subsistentiam, nequit per
suam personalitatem reddere naturam creatam
formaliter subsistentem sine subsistentia creata,
quæ est causa formalis esse subsistentis.

Resp. Deum non posse supplere causam
formalem, vt fusè diximus *to. 1. de simpl. Dei
art. 4. nu. 12; & art. 5. à nu. 2; & de Inuisib. q. 2.
art. 2. à nu. 4; & to. 3. de Beat. q. 2. art. 1. nu. 4;
& sæpissimè alibi.* Quia nimirum forma spectat
ad essentiam rei,& quia Deus nequit facere rem
sine se ipsa, ideo nequit facere ipsam sine sua
forma. At suppositalitas importat solam subsi-
stentiam singularem; cùm autem subsistentia ad-
ueniat creaturæ tantùm extrinsecè, & omnino
accidentaliter; quia sine ipsa adhuc intelligitur
essentia creaturæ, quanuis sine ipsa non possit
substentari in rerum natura; ideo sine subsisten-
tia creata potest salua essentia creaturæ substen-
tare creaturam per suam subsistentiam increa-
tam actiuè tantùm illam substentantē. Et quan-
uis creatura possit substentari in esse per subsi-
stentiam creatam intrinsecè in ipsa receptam,
vt euenit in omni pura creatura; & tunc subsi-
stentia habeat rationem causæ formalis respectu
ipsius esse subsistentis; attamen hoc non est de
ratione essentiali ipsius causæ substentatiuæ, sed
tantùm accidentaliter ei conuenit, & secundùm
potentiam Dei ordinariam; nam certum est
Deum substentare in esse omnem creaturam,
imò & ipsam subsistentiam creaturæ; & tamen
non est forma informans creaturam; sic parietes
substentant tectum; & tamen tectum non est
forma informans parietem; ergo quanuis Deus
non possit supplere causam formalem, quia for-
ma, vt patet, spectat ad essentiam creaturæ, cùm
sit quod quid erat esse rei; & Deus nequit per suā
essentiam facere creaturam sine essentia creatu-
ræ, quia ipsam faceret sine se ipsa; attamen po-
test per suam subsistentiam increatam supplere
subsistentiam creaturæ, & ipsam facere subsi-
stentem; quia subsistentia creata est extra essen-
tiam creaturæ, & illi accidentaliter aduenit; ac
propterea potest sine illa subsistere de potentia
Dei absoluta. Neg. ergo conf. propter dispari-
tatem allatam. Ad aliud dist. ma. Effectus for-
malis personalitatis est reddere naturam subsi-
stentem per subsistentiam informantem, vel me-
rè actiuè terminantem, conc; tantùm informan-
tem, neg; & eodem modo distinguitur mi.

10 Responsio autem, quam dat *Gonet*, quòd

scilicet quanuis Deus nō possit supplere causam formalem physicam, quæ est pars; attamen potest supplere causam formalem metaphysicam, quæ habet rationem totius, & causam formalem intelligibilem, quæ est species, omittenda est; quia licèt forma intelligibilis possit à Deo suppleri, quia ipsa potiùs est supplementum obiecti, ponitur enim ad supplendam absentiam obiecti, quapropter dicitur *Vicaria obiecti*, quia gerit vices obiecti; & ideo à fortiori possit ipsum obiectum *præstare*, quod præstat eius supplementum; attamen formam metaphysicam Deus nequit supplere; quia humanitas est forma metaphysica, & est forma totius, & tamen nequit Deus facere hominem sine humanitate, quia ipsum faceret sine sua essentia. Tum quia forma metaphysica, quæ dicitur forma totius, coalescit ex partibus physicis; vt humanitas ex materia, & forma; sed Deus nequit supplere partes physicas, quia nequit supplere formam, & multò minùs materiam; ergo neque formam metaphysicam. Tandem falsum est subsistentiam esse formam totius; ex ipsa namque, & natura fit totum, quod vocatur suppositum, si sit in natura irrationali; vel persona, si sit in natura intellectuali eo prorsus modo, quo ex materia, & forma fit totum, quod dicitur compositum physicum; vt diximus *to. 3. de Ang. q. 1. art. 3.* nec dissentiunt *Thomistæ*.

11 Instat *Gonet.* Subsistentia habet veram rationem formæ metaphysicæ. 1. Quia suppositum dependet à subsistentia, tanquam ab actu se communicante; actus autem, & forma metaphysica idem sunt. 2. Subsistentia facit naturam formaliter subsistere; ergo est causa formalis subsistendi. 3. Omne constitutiuum est causa formalis metaphysica; sed subsistentia est constitutiua suppositi. 4. Natura in supposito habet rationem causæ materialis actuabilis, & complebilis per subsistentiam; ergo subsistentia habet rationem causæ formalis actuantis, & complentis. 5. Omnis dependentia essentialis, qualis est rei constitutæ à suo constitutiuo, infert causalitatem intrinsecam, quæ non est, nisi formalis; sed suppositum essentialiter dependet à subsistentia; ergo idem.

Resp. hæc omnia probare subsistentiam habere rationem causæ partialis in ipso supposito; quod componitur ex duabus partibus, quarum vna habet rationem potentiæ passiuæ, alterà rationem actus recepti; sicut enim ex potentia physica, & actu physico fit compositum constans ex partibus; ita non est ratio, quare ex potentia metaphysica, & actu metaphysico non fiat suppositum constans ex partibus; non enim sola potentia, vel solus actus dicit totum suppositum, sed solam partem suppositi, vt patet. Insuper subsistentia, cùm distinguatur realiter à natura, nequit importare ipsam naturam; & ideo non dicit totum compositum ex natura, & subsistētia. Ergo iste rationes euincunt non posse Deum supplere subsistentiam, quia subsistentia est causa partialis suppositi.

12 Ad arg. autem dist. assumpt. Subsistentia creata habet veram rationem formæ essentialiter, neg; forma enim constituit essentiam, à qua subsistentia differt realiter. Habet modum formæ, quia habet rationem actus terminantis, & intrinsecè recepti in ipsa essentia; à qua receptione potest absolui, quia illi accidentaliter competit, quatenus scilicet est actus finitus, qui separatim à sua essentia nequit existere, conc. Hinc habet *Fund. Doct. Aeg.*, quòd sicut materia aliquando trahitur ad modum formæ, vt cùm ei competit agere; & forma aliquando ad modum materiæ, vt cùm ei conuenit recipere; ita dicendum de subsistentia, quæ aliquando habet modum formæ, quanuis essentialiter forma non sit. At verò quia subsistentia Diuina, est realiter identificata cum essentia Diuina, ideo habet rationem actus purè terminantis absque eo, quòd recipiatur in essentia creata, à qua etiam separata subsistit. Ad 1. prob. dist. assumpt. Suppositum dependet à subsistentia recepta, tanquam ab actu se intrinsecè communicante, conc; à subsistentia purè terminante, neg. Sic actus receptus, & forma metaphysica partialis idem sunt quoad modum, conc; actus purè terminans, neg. Ad 2. dist. ant. Facit subsistere per subsistentiam receptam intrinsecè, vel merè irreceptè terminantem, conc; tantùm receptam, neg. Ad 3. dist. mi. Subsistentia creata est constitutiua suppositi creati, conc; suppositi increati, neg. Quia autem natura creata realiter distinguitur à suppositalitate, ideo potest assumi à subsistentia iam personalizata, quę simul cum natura assumpta non constituit suppositum creatum, sed facit naturam creatam suppositari per suppositum increatum; & ideo non est necesse, quòd sit recepta in natura, quia non debet simul cum illa constituere suppositum; sed sufficit, quod illam purè irreceptibiliter terminet, sicut illam purè irreceptibiliter terminat suppositum. Ad 4. dist. ant. Complebilis per subsistentiam receptam, vel irreceptam, conc; receptam tantùm, neg. Ad 5. dist. mi. Suppositum creatum, conc; increatum, neg.

13 Dices 2. Quanuis personalitas Verbi sit infinita; attamen adæquatè terminat naturam Diuinam, quæ pariter est infinita; ergo nequit terminare naturam humanam, quia adæquatè terminans nequit ampliùs terminare, secus adæquatè non terminaret.

Resp. dist. ant. Terminat naturam Diuinam in linea generationis passiuæ ad intra, conc; productionis ad extra, neg; vnde sicuti essentia Diuina, quanuis adæquatè ad intra terminata per filiationem in linea generationis passiuæ, adhuc est communicabilis ad extra, & infinitè terminabilis per creaturas; ita personalitas Verbi,

'erbi, quanuis adæquatè terminet naturam)iuinam ad intra in linea generationis ita, vt equeat terminari per alium Filium; attamen oteſt ad extra terminare naturam humanam, & lam eleuare ad filiationem Dei naturalem aſ- ımendo in vnitatem perſonæ.

14 Obijc. 1. Eſt impoſſibile Deum mutari; :go incarnatio eſt impoſſibilis. Ant. patet. Prob. onſ. Mutari eſt aliter ſe habere intrinſecè, uàm antea ſe habebat; ſed per incarnationem 'erbum aliter ſe haberet intrinſecè, quàm an- a ſe habebat; quia fieret intrinſecè homo, qui 'iùs non erat; ergo per incarnationem Deus utaretur intrinſecè; ſed hoc eſt impoſſibile; go & impoſſibilis eſt incarnatio, per quam fie- t talis mutatio. 2. Impoſſibile eſt, quòd Ver- ım Diuinum componat cum natura humana; ompoſitio enim eſſentialiter dicit imperfectio- :m, quæ Deo repugnat; ſed incarnatio dicit mpoſitionem Verbi Diuini cum natura hu- ana, ex quam compoſitione reſultat Chriſtus; go idem. 3. Omne vnibile dicit motum, quo agente ſuperiori vnitur; ſed motus repugnat eo, quia ei repugnat mutatio; ergo ei repu- ıat vnio cum aliena natura; atqui incarnatio cit vnionem Dei cum natura humana; ergo em.

Reſp. *ad 1. cum Fund. Doct. Aeg. hic ad 1.* :g. conſ. Ad prob. neg. mi; & ad prob. inſert. ſt. Verbum fieret intrinſecè homo per huma- tatem intrinſecè receptam in Verbo, neg; fie- t intrinſecè homo per humanitatem intrinſecè rminatam ſine receptione, conc; mutatio au- m dicit receptionem alicuius, quod antea nõ ıbebat. Ad 2. fusè dictum eſt *to. 1. vbiſ. art. 6.* iſt. igitur ma. Incarnatio dicit compoſitionem parte vtriuſque extremi, neg; ex parte ſolius ituræ humanæ, quæ paſſiuè componitur cum erbo; non ex parte Verbi, quod tantùm irre- ptibiliter terminat talem compoſitionẽ, conc. *id. loc. cit.* Ad 3. reſp. *Fund. Doct. vbiſ.* eodem odo diſt. ma. Omne vnibile dicit motum in roque extremo, neg; in vno tantùm, conc. cuti dato vno pariete albo adhoc, vt alter pa- es fiat vnus cum illo in ratione coloris, ſuffi- t, quòd ille alter dealbetur, & mutetur per al- :dinem in ipſo productam, & hoc ſine muta- one facta in primo pariete iam albo, qui ac- ıirit ſolam relationem ſimilitudinis, quæ non ıbet mutare ſubiectum. Ita Verbum terminã-) naturam humanam non acquirit per talem aionem niſi relationem rationis, quæ ipſum 'erbum nequit mutare.

15 Obijc. 2. Illud, quod alteri vnitur, ac- ıirit perfectionem illius, cui vnitur; ſed Ver- ım nullam poteſt acquirere perfectionẽ, cùm t infinitè perfectum; ergo nequit alteri vniri. Inter ea, quæ vniuntur, debet dari aliqua pro- ortio, aliter nunquam poſſet fieri vnio; ideo rma nequit recipi, niſi in materia, quæ eſt illi proportionata; ſed inter perſonam Diuinam & hominem nulla eſt proportio, quia infinitè diſtant inter ſe; ergo idem.

Reſp. ad 1. *Fund. Doct. hic ad 2.* diſt. ma. Si illud, quod vnitur, vniatur, vt communicet ſuam perfectionem, neg; ſi, vt perficiatur, conc. Ad 2. reſp. *ibid. ad 3.* diſt. ma. Debet dari aliqua proportio commenſurationis, neg; & in hoc ſenſu conc. mi; proportio ordinis, conc; & in hoc ſenſu neg. mi; nam quanuis primum mouẽs ſit infinitum, omnia tamen mota, & mouentia ordinantur ad illud, vt ab illo immutentur, quod nequit fieri, niſi per contactum eſſentialem, & ideo per vnionem, vt diximus *to. 3. de Beat. q. 2. art. 2. §. 1.*

16 Obijc. 3. Maior eſt diſtantia inter per- ſonam diuinam, & naturam creatam, quàm in- ter duo contraria; ſed vnio contrariorum eſt im- poſſibilis; ergo & vnio perſonæ Diuinæ cum natura creata. 2. Implicat, quòd anima ratio- nalis fiat corpus; ergo implicat, quòd Verbum fiat caro; nam in tantùm implicat, quòd anima fiat corpus, in quantùm implicat ſpiritum fieri corpus, naturæ enim ſunt impermixtæ. Sed Ver- bum eſt ſpiritualiſſimum; ergo à fortiori impli- cat fieri carnem, quæ eſt corpus.

Reſp. *Fund. Doct. ad 4.* diſt. ma. Vnio con- trariorum per identitatem eſt impoſſibilis, conc; per diſtinctionem, neg. Igitur ſicut implicat albedinem fieri nigredinem, non tamen idem ſubiectum ſecundùm vnam partem eſſe album, & nigrum ſecundùm aliam; ita implicat Verbũ Diuinum fieri hominem per identitatem, non tamen ſecundùm naturam Diuinam ſibi identi- ficatam eſſe Deum, & ſecundùm naturam hu- manam aſſumptã cum diuerſitate à natura Di- uina eſſe hominem. Ad 2. dicitur eodem mo- do, quòd ſicut implicat, quòd anima fiat cor- pus per identitatem, non tamen quòd vniatur corpori in eadem perſona; ita à pari.

17 Obijc. 4. Quanuis ſuppoſitum hominis contineat perfectiones ſuppoſitorum brutorum, viuentium, & inanimatorum; attamen homo nequit aſſumere formam irrationalem in con- ſortium animæ rationalis; ergo à pari. 2. Si Verbum incarnaretur; vel vnio fieret imme- diatè ad perſonalitatem propriam Verbo; & hoc non; quia incarnatio, cùm ſit opus ad ex- tra, debet eſſe communis toti Trinitati; ſic au- tem conueniret ſoli Verbo; vel vnio fieret im- mediatè ad naturam Diuinam; & ſic tota Tri- nitas eſſet incarnata, & ideo falſum eſſet vnio- nem factam eſſe in perſona Verbi; ergo nullo modo. 3. Implicat dari opus Dei perfectiſſi- mum, quo Deus non poſſit producere perfe- ctius, aliter exhauriretur omnipotentia Dei, quæ non exhauritur, niſi per effectum infinitũ, cùm ſit infinita; ſed incarnatio eſt opus perfe- ctiſſimum; ergo implicat.

Reſp. ad 1. neg. ant. quoad 1. part; nam cauſę

vniuersales, vel causę perfectiores creatæ nō nisi imperfectè, idèst secundùm rationes vniuersales, non secundùm particulares, continent causas inferiores; suppositum autem constituitur per rationes particulares, quæ cùm non contineantur in causa perfectiori creata, ideo suppositum inferius non continetur in supposito perfectiori, sed in illo continetur sola natura, quæ est in suppositis inferioribus. Ad 2. dicitur vnionem fieri immediatè in persona, & mediante persona ad naturam. Ad improb. dicitur, quòd incarnatio sumpta efficienter est opus Trinitatis, & à tota Trinitate; terminatiuè verò non est opus, sed est terminatio operis, & sic est ad solam personam Filij. Ad 3. dist. mi. Incarnatio est opus, prout importat naturam humanam, conc; & sic humanitate datur, & dari potest natura perfectior; prout includit naturam Diuinam, neg; sic enim non est opus, sed operatrix, qua cùm nihil excogitari queat perfectius, ideo opus creatum inuoluens naturam Diuinam ratione illius est perfectissimum.

ART. III.

An potuisset incarnari Pater, aut Spiritus Sanctus?

1 QVæritur de persona Patris, aut Spiritus Sancti disiunctiuè; an scilicet solus Pater potuerit incarnari, sicut solus Filius de facto incarnatus est; & idem de Spiritu Sācto. An autem duę tantùm personæ potuerint incarnari non incarnata tertia, tractabitur *in seq. art.*

2 Ratio dubitandi est; quia si incarnatus esset Pater, aut Spiritus Sanctus fuissent in Trinitate plures Filij; scilicet Verbum, & persona incarnata, quæ esset Filius Dei; hoc autem videtur absurdum. 2. Quia illi tantùm personæ conuenit incarnari, cui conuenit visibiliter mitti; nam incarnatio est missio; Patri autem non conuenit mitti; vt docet *S.P. Aug. lib. 2. de Trin. c. 12*; quia missio est *processio Diuinæ personæ ad extra dicens ordinem ad processionem ad intra*; vt diximus *to. 2. de Trin. q. 10. art. 1*; ideo Patri videtur non posse competere incarnatio.

3 Propter has rationes (inquit *Fund. Doct. Aeg. hìc dist. 1. q. 1. p. 1. art. 4.*) *S. Anselmus lib. de Incarnat. Verbi cap. 4.* docuit Patrem non potuisse incarnari. Quamuis *idem Fund. Doct.* asserat ipsum loqui secundùm potentiam ordinariam, secundùm quam Deus ab æterno ordinauit Filium solùm fore incarnandum; cùm enim Deus sit simpliciter immutabilis, ideo secundùm hanc ordinationem non potest agere, vt Pater incarnetur; non autem loqui secundùm potentiam absolutam, secundùm quam poterat ab æterno aliter ordinare; & sic quòd Pater, non Filius carnem in tempore assumeret.

4 Sententia tamen communis, quam docet *Mag. sent. hìc, Fund. Doct. Aeg. vbis., & alij*, est affirmatiua.

5 *S. P. Aug. lib. 5. de Trin. c. 15; & 16.* docet, quòd omnia ea, quæ conueniunt Deo in tempore, non important in Deo, nisi relationem rationis fundantem denominationem extrinsecam. De ratione autem relationis rationis est nullam importare mutationem, & per consequens imperfectionem ex parte subiecti, quod afficit; sufficit enim, quòd mutatio sit ex parte alterius extremi, quod realiter refertur; v. g. nummus ex eo, quòd incipiat esse pretium alicuius rei, vel pignus, non acquirit nisi relationem rationis ad rem vendibilem, vel commodatam, cuius sit pignus; nulla tamen fit intrinseca mutatio, aut perfectio, vel imperfectio in ipso metallo. Ita ex eo, quòd Deus incipiat in tempore esse Dominus creaturæ, tota mutatio est ex parte creaturæ acquirentis esse, quod non habebat; Deus autem, qui incipit esse Dominus, cùm incipit esse creatura illi seruiens, nihil acquirit intrinsecè, sed extrinsecè tantùm ei aduenit relatio, qua respicit seruam creaturam. Incarnatio igitur, quæ incepit in tempore, quia natura humana in tempore assumpta est à Verbo, præter ipsam naturam humanam assumptam solam relationem rationis, nullam verò mutationem, aut imperfectionem ex parte Dei importat; ex parte autem naturæ humanæ mutationem realem, & perfectionem fundantem relationem realem ad Deum importat.

6 Et quidem duplex relatio rationis ex parte Dei in incarnatione consurgit; nam vt docet idem *S.P. Aug. in Enchir. c. 38. Sed cùm illam creaturam, quam Virgo concepit, & peperit, quamuis ad solam personam Filij pertinentem tota Trinitas fecerit, neque enim separabilia sunt opera Trinitatis &c*; & cui consonat *Fund. Doct. Aeg. vbis*; si incarnatio consideretur effectiuè, omnes tres personæ Duinæ ad illam concurrunt; & sit consurgit relatio Creatoris; si verò consideretur terminatiuè, sola persona Verbi ad illam concurrit, & sic resultat relatio terminantis, vel assumentis humanam naturam. Dat exemplum *Fund. Doct. hìc art. 3. §. Secundùm autem*: Sicut tres puellæ vestientes vnam ex se ipsis ita, vt duæ vestiant tertiam, & ista quoque simul cum alijs duabus se vestiat; tunc tres vtique sunt actiuè vestientes, sed vna tantùm remanet terminatiuè vestita. Ita tres personæ Diuinæ efficienter operatæ sunt incarnationem producendo naturam humanam; sola tamen persona Verbi remansit terminatiuè induta habitu humanæ naturæ; & hoc est, quod ait *Apost. ad Philipp. 2. Formam serui accipiens, & habitu inuentus, vt homo*. Difficultas ergo procedit de incarnatione terminatiuè accepta; sic enim incarnatio *communiter* sumitur.

7 Vnica concl. Non implicat Patrem, aut Spiritum Sanctum disiunctiuè incarnari.

Prob. 1.

Prob. 1. *à Fund. Doct.* Ea tantùm sunt de-
:ganda Diuinæ Omnipotentiæ, quæ ponunt
ıperfectionem intrinsecam in Deo, vt peccato-
: ; vel quæ important aliquam repugnantiam ;
d Patrem, aut Spiritum Sanctũ disiunctiuè in-
ırnari nullam dicit imperfectionẽ intrinsecam
eo, quia incarnatio nihil importat intrinse-
ım Deo subiectiuè in illo receptum, vt di-
um est; nec inuoluit repugnantiam; quia ad-
it tantùm aliquod vnitum Deo realiter distin-
um, nempe naturam humanam; repugnantia
item debet esse de eodem secundùm idem; er-
) Patrem, aut Spiritum Sanctum posse disiun-
iuè incarnari non est denegandum Diuinę om-
potentiæ.

8 Conf. 1. Non repugnat Verbum Diui-
ım incarnari; ergo neq; Patrem, aut Spiritum
ınctum; nam in tantùm non repugnat Verbum
carnari, in quantùm incarnatio importat tan-
m aliquod irreceptum adueniens Verbo in
mpore; sed eodem modo se haberet respectu
ıtris, & Spiritus Sancti; ergo eodem modo
)n repugnat respectu Patris, & Spiritus Sancti.

9 Conf. 2. Incarnatio ei potest competere,
ıi conuenit omnipotentia, quæ est principium
fectiuum illius; & cui conuenit personalitas
finita, quæ, quia infinita est, potest termina-
quancunque naturam; sed omnipotentia, &
:rsonalitas infinita conueniunt etiam Patri, &
)iritui Sancto; ergo eis competere potest in-
rnatio.

10 Prob. 2. euertendo rationes oppositas.
tantùm Pater, aut Spiritus S. videntur non
)sse incarnari; in quantùm eis non potest com-
:tere esse Filium Dei natura, non adoptione,
:c mitti; sicuti competit Verbo; si enim Patri,
ıt Spiritui Sancto competeret esse Filium Dei
ıtura, iam in Diuinis essent duo Filij natura; &
: si Patri competeret mitti, competeret etiam
) alio ad intra procedere; quia missio proces-
)nem ad intra importat; sed neutrum obstat;
)n primum; quia incarnatio in tantùm de facto
nportat filiationem Dei naturalem; in quan-
ım incarnata est persona Filij, qui est Filius
)ei per naturam; ideo ratione filiationis æter-
æ Christus etiam, vt homo, est Filius Dei na-
ıralis; at si Pater incarnaretur, non haberet fi-
ationem Dei æternam, sed paternitatem; ideo
tiam, vt homo, esset Pater noster naturalis ra-
one paternitatis æternę; non tamen esset Fi-
us Dei naturalis, quia filiationem æternam
on haberet; esset tamen Filius Virginis in tem-
ore, sicuti licèt Verbum de facto nos regene-
auerit, non tamen est Pater Dei naturalis, quia
aternitatem æternam non habet; ita à pari. Nec
:ecundum; quia licèt Spiritus Sanctus de facto
imul cum Patre, & Filio incarnationẽ operetur,
ıon tamen dicitur mittere Filiũ, quia Filius non
rocedit à Spiritu Sancto; ergo quanuis Filius,
: Spiritus Sanctus simul cum Patre efficienter
operarentur incarnationem Patris; attamen in-
carnatio Patris non esset missio, quia Pater ad
intra non procederet ex ipsis.

11 Ex his patet responsio ad rationes dubi-
tandi. Ad 1. quòd si Pater, aut Spiritus S. in-
carnaretur, non essent plures Filij in Trinitate,
quia non essent Filij Dei natura, non enim ha-
berent filiationem æternam, per quam consti-
tuitur Filius Dei natura; quanuis esset Filius
Virginis, & eo modo competeret eis filiatio, si-
cut de facto competit Verbo nos regenerasse;
nam *regenerauit nos in spem viuam*; vt dici-
tur 1. *Pet.* 1. Ad 2. dicitur, quòd licèt incarna-
tioni de facto conueniat esse missionem, hoc ta-
men ei non competeret, si Pater, aut Spiritus
Sanctus incarnaretur; vnde missio conuenit de-
terminatè incarnationi Filij, non tamen incarna-
tioni, *vt sic*.

12 Obijc. 1. Nasci innascibilem repugnat;
sed si Pater posset incarnari, posset nasci inna-
scibilis; quia Pater, qui est innascibilis, nascere-
tur in tempore; ergo Pater nequit incarnari.

Resp. dist. ma. Nasci innascibilem secun-
dùm eam naturam, secundùm quam est inna-
scibilis, repugnat, conc; secundùm aliam na-
turam, secundùm quam non est innascibilis, sed
nascibilis, neg. Pater ergo est innascibilis se-
cundùm naturam Diuinam, secundùm quam ei
nasci repugnat; & nascibilis secundùm natura m
humanam, secundùm quam eum nasci non im-
plicat. Aliæ obiectiones soluuntur ex dictis fa-
ciliter, & ideo omittuntur.

ART. IV.

An Verbum potuisset assumere plures naturas humanas?

1 PRæsens *articulus* proponitur potiùs ad
maiorem pręcedentium explicationem,
quàm eo, quia sit dissidium aliquod *inter Theo-
logos*; semel enim ostenso, quòd Verbum po-
tuerit vnam naturam humanam, statim clarescit
posse quoque plures assumere; quia in tantùm
potuit vnam assumere, in quantùm eius supposi-
talitas, cùm sit infinita in ratione terminandi
naturam, potest terminare etiam humanam na-
turam ad extra; cùmque per vnam naturam
particularem, quæ finita est, non adæquetur
vis infinita terminatiua naturæ, quę est in sup-
posito Verbi; ideo si potest vnam, potest & plu-
res, imò infinitas assumere; & quod dicitur de
persona Verbi, dici debet de qualibet alia per-
sona Diuina, quam posse pariter incarnari di-
ximus *in sup. art.*

2 Vnica concl. Potuit Verbum simul assu-
mere plures naturas humanas. *Ita Fund. Doct.
Aeg. hìc dist. 1. par. 1. q. 1. art. 6; & Quodl. 6. q. 3.
& omnes alij communiter.*

Prob.

Prob. 1. *ex S. P. Aug. ferm.* 11. *de temp.* docente: *S omnipotentis, ò homo, tali in negotio esse perspicis voluntatem, de opere cur retractas? Omnia enim, sicut legitur psal.* 134; *Dominus, quæ voluit, fecit in Cęlo, & in terra, & ferm.* 21. *ibid. Nec eo modo genuit Pater vnicum Verbum, quo fecit cuncta per Verbum*; quia genuit Verbum sibi æquale, creaturas verò Verbo inęquales. Ex hoc sic arguit *Fund. Doct.* Omnipotentia, quia est infinita, non adęquatur per productionem vnius naturę creatę, sed potest plures creaturas in *infinitum* producere; atqui potentia terminatiua naturę humanę est infinita; ergo non adęquatur per terminationem vnius numero naturę, sed potest terminare plures naturas in infinitum. Ma. patet, & probata est *to.* 1. *de infinit. Dei*; nam quęlibet creatura est finita; implicat autem infinitum à finito adęquari, & exhauriri. Mi. etiam constat; quia Deus æquè est *Alpha, & Omega*; idèst principium, & finis; ergo si, vt principium creaturarum, est simpliciter infinitus, etiam, vt terminus earum, erit infinitus; tum quia terminus debet correspondere principio; & ideo si Deus in ratione principij est infinitus, talis pariter erit in ratione termini. Tum quia ratio terminans est suppositalitas Verbi, vt *inf.* patebit; sed hęc est infinita, quia est terminus generationis infinitę, & constituit personam infinitam, aliter persona Verbi infinita non esset; quia tale est constitutum, quale constitutiuum; ergo potentia terminatiua naturę humanę est infinita. *Vid. Quodlib.* 2. *vbi sup*; alias rationes, quas afferemus *inf.* §. 2.

3 Prob. 2. Non minoris virtutis est Deus in ordine entitatiuo, quam in ordine intelligibili; esse enim entitatiuum, & intelligibile ipsius Dei formaliter adęquantur; imò vnum aliud constituit; sed in ordine intelligibili Deus potest assumere, & terminare plures intellectus; quia de facto illos terminat in ratione obiecti intelligibilis illos Deificando per visionem beatam; ergo & in esse entitatiuo potuisset assumere plures naturas humanas illas Deificando per vnionem hipostaticam.

4 Dices. Si hoc aliquid probaret, conuinceret etiam, quòd sicut de facto assumpsit omnes animas beatorum ad visionem beatam; ita assumpsisset omnes naturas humanas ad vnionem hipostaticam, quod est contra fidem.

Resp. neg. paritatem; quanuis enim ex eo, quòd Deus voluerit aliquod in vno ordine, valeat arguere, quòd possit illud velle in alio ordine, si eodem modo concurrat, vt in casu, in quo tantùm terminatiuè concurrit; non tamen ex eo, quòd voluerit illud in vno ordine, sequitur, quòd voluerit illud etiam in alio, quoties non est eadem ratio, & motiuum volendi; nam de facto voluit incarnationem, vt homines perditionis filios per peccatum effectos repararet in adoptionem filiorum Dei, quod præstitit vnam tantùm in indiuiduo assumendo naturam, quam assumendo ad filiationem Dei naturalem meruit alijs hominibus filiationem adoptiuam. At assumendo vnam tantùm creaturam ad visionem beatam n nob illam etiam alias non assumptas beauit; ideo has omnes necesse fuit assumere; ergo non est eadem ratio.

5 Obijc. 1. Natura non multiplicatur, nisi ad multiplicationem suppositorum; quia si concipiatur abstracta ab omnibus suppositis, non est, nisi vna; sed Verbum Diuinum est vnum tantùm suppositum; ergo nequit assumere, nisi vnam naturam.

Resp. *Fund. Doct. ibid. ad* 1. dist. ma. Natura, quæ constituit suppositum, conc; nam multiplicato constitutiuo multiplicatur constitutũ; natura, quæ non constituit suppositum, vt est natura humana in Christo, quæ non constituit, sed supponit constitutam personam Verbi, neg; hæc enim natura habet indiuidualitatem ex se, & ideo est vna ex se ipsa, adeoque se ipsa est distincta ab alia natura. Potest etiam distingui mi. Verbum est vnum tantùm suppositum formaliter, conc; æquiualenter, neg.

6 Obijc. 2. Si Verbum posset assumere plures naturas indiuiduas, posset vnũ indiuiduum prædicari de alio; sed cons. est falsum; definitur enim indiuiduum, *quod de vno solo prædicatur*; ergo & ant. est falsum. Ma. constat; non enim *hic* loquimur de naturis genericè, sed indiuidualiter sumptis; constat nanque Verbum assumpsisse in vno homine naturam viuentis, corporis, & animalis, quæ sunt naturæ genericę; in vna tamen natura humana indiuidua.

Resp. *Fund. Doct. ad* 2. dist. ma. Vnum indiuiduum posset prædicari de alio ratione sui, & in abstracto, neg, concretè, ratione scilicet vnius, & eiusdem suppositi, à quo sustentaretur, conc; in tãtùm enim vnum indiuiduum nequit de alio concretè prædicari, in quantùm non est simul cum illo in eodem supposito; at si esset simul, vt in casu, prædicaretur; vt albedo, & nigredo nequeunt ad inuicem prædicari abstractè; at si reperiantur in eodem subiecto secundùm partes diuersas, concretè prædicantur.

7 Obijc. 3. Si Verbum posset assumere plures humanitates, posset dici plures homines, cons. est falsum; ergo & ant.

Resp. hoc esse discutiendum *in seq.* §. Quanuis autem concederetur non posse dici plures homines propter vnitatem suppositi, attamen deberet dici habere plures naturas humanas; sicut vnus homo dicitur habere duplicem scientiam, quanuis nequeat dici duplex sciens. *Vid. seq.* §; in quibus cetera, quæ circa hanc materiam dici possunt, explicabuntur; & magis probabitur nostra sententia.

§. I.

§. I.

An Verbum assumens duas naturas humanas esset duo homines?

8 VIdetur *aliquibus* superflua hæc difficultas, quia est de re, quæ non est, ed esse tantummodò potuit; quia tamen conducit ad maiorem explicationem mysterij, quod ctu est; declarat enim modum, quo supposita-ur natura humana Christi Domini, ideo non st omittenda, tanquam omnino inutilis. Dissilent autem *DD.* nedũ, qui diuersam, sed etiam qui eandem Scholam sequuntur.

9 Prima sententia vult in data hipothesi fore vnum hominem. *Ita Marsi. hic q. 2. art. 3. dub. 3; Caiet. hic art. 7; Sua. disp. 13. sect. 3; Lug. disp. 13. sect. 3; Mastr. in 3. disp. 1. q. 3; & in Log. disp. 2. q. 6. art. 2;* vbi refert *Aretin; Fabr; & alios Scotistas; Io. S. Tho. q. 3. disp. 6. art. 3. n. 21; Godoy, Gonet hic disp. 8. art. 5; & ex nostris Gibb. hic disp. . dub. vlt;* vbi citat *nostrum Bernardin; & ferè communiter omnes Recentiores Thomistæ cum D. Tho. hic art. 7. ad 2.*

10 Nostra tamen docet fore duos homines. *Ita Fund. Doct. hic dist. 1. p. 1. q. 1. art. 6. dub. 1. Lat; & communiter nostra Schola.* Refertur *Scot. in 3. dist. 1. qu. 3; & distin. 12. qu. 1. §. Iuxta quæstionem,* quamuis *Mastr.* conetur illum trahere ad . sententiam. *Barg; Bassol; & ferè omnes antiqui Scotistæ,* vt testatur *idem Mastr. in Log. vbi s; Dur. in 3. dist. 1; Altisiodor. lib. 4. sum. tract. 1. c. 1; Vasq. 1. p. q. 155. c. 5; Gaspar Hurtad. hic disp. 3. diffic. 7; Mart. Perez disp. 10. sect. 1; apud quos alij.*

11 Tota hæc controuersia deuoluitur ad illam, in qua quæritur; an hoc concretum *homo* essentialiter inuoluat suppositum; sic enim duo homines necessariò essent duo supposita, quæ cùm in Christo esse non possint, videtur non posse duos homines dici. *Auctores* 1. sent. putant nomen concretum substantiuum non multiplicari, nisi multiplicetur suppositum, quod importat in recto; & cùm eis instatur, quòd ex hoc sequeretur tres personas Diuinas esse tres Deos; quia Deitas reperitur in tribus personis Diuinis, respondent vltra multiplicationem suppositorum requiri multiplicationem formarum, ideo non tenere sequelam.

12 Sed hoc in primis est contra illos, qui asserunt, quòd si tres personæ assumerent vnam naturam humanam, forent tres homines; vt *Caiet; & Med.* teste *Gonet;* tunc enim multiplicaretur concretum absque multiplicatione naturæ. 2. Contra alios quamuis verum sit (inquit *Fund. Doct. hic ad 1.*) ad multiplicationem concreti substantialis requiri multiplicationem suppositorum, quando natura formaliter intrinsecè constituit suppositum, vt euenit in suppositis creatis; quia si sunt duo constituentia realiter distincta, debent esse duo constituta realiter quoque distincta; attamen quando natura non constituit suppositum, sed merè terminatiuè assumitur ab illo, vt in incarnatione, non videtur quomodò ad multiplicationem concreti substantialis, quod importat natura creata, requiratur multiplicatio sup positorum, & non sufficiat multiplicatio naturarum. Sic autem hæc propositio *Fund. Doctoris* explicatur.

13 Cùm multiplicatio importet distinctionem vnitatum, à qua desumitur multitudo; & prædicatio dicat vnitatem, quæ opponitur distinctioni; cùmq; de oppositis opposite loquendum sit, habent enim rationes oppositas; ideo quæ diximus *to. 1. de Attr. in com. q. 3. art. 2.* de prædicatione nominis concreti, de eiusdem multiplicatione è conuerso est discurrendum. Sicuti igitur in tantùm prædicatur nomen concretũ de aliquo subiecto, in quantùm est vnum cum illo; ita in tantùm multiplicatur, in quantùm non est vnum, sed distinctum ab illo. In tantùm autem est vnum, & non multiplicatur, in quantùm vel est idem realiter cum illo, vt rationale, & homo; vel licèt distinguatur secundùm formam, attamen recipit vnitatem indiuidualem, seu numeralem ab illo; vt est concretum accidentale, quod importat formam distinctam realiter à substantia, recipit tamen vnitatem indiuidualem ab illa: Sic etiam est concretum substantiale, quod dicitur de supposito creato; homo enim v.g; qui recipit vnitatem numericam à supposito creato, est vnum cum illo, nec potest multiplicari, nisi ad multiplicationem illius. Vnde suppositum creatum nedum ob sui limitationem, sed etiam ob identitatem vnitatis numericæ nequit terminare plures naturas substantiales creatas numericè distinctas; illæ enim distinguerentur numero per eandem vnitatem numericam, quod implicat in terminis. At verò cùm natura non recipit vnitatem numericam à supposito, sed illam habet à se ipsa, tunc concretum, quod format illa natura, potest multiplicari, si ponatur simul cum alio concreto formato per aliam naturam numericè distinctam, etiamsi sit idem suppositum terminãs vtranque naturam; tunc enim sunt duæ vnitates numerales distinctæ realiter, quæ simul sumptæ multitudinem pariunt, vt constat.

14 Cùm itaque in incarnatione natura humana non recipiat vnitatem numericam à supposito Diuino, illam enim habet à materia, vt nobiscum sentiunt *Thomistæ*, vel à se, vt putant *Scotistæ*; ideo si Diuinum suppositum duas naturas humanas assumeret, illæ duæ naturæ haberent duas vnitates numericas, quæ simul positæ cum suis naturis efficerent duo numericè distincta, & numericè multiplicata. Vt autem omnis amphibologia locutionis tollatur, & soluantur *Aduersariorum* rationes.

15 Not; quòd in quolibet composito, aut toto plura concreta reperiuntur, quæ licèt per ordinem

ordinem ad compositum, aut totum simpliciter habeant rationem partium; attamen si per se considerentur, habent rationem totius secundùm quid; sic dicitur *tota manus alba, tota facies alba &c.* Idem dicendum de essentia hominis, quæ prout distincta ab existentia, est quoddam totum concretum, constat enim ex anima, & corpore, & ideo importat formam in subiecto, in quo consistit ratio termini concreti; quanuis essentia per ordinem ad suppositum sit pars, quia simul cum existentia cõstituit suppositum; sicut materia simul cum forma constituit compositum physicum; vt diximus *to.3.de Ang.q.1. art.3; & to.1. de subst. Dei q.2.art.3.* §.1. Ob hanc rationem cùm terminus numeralis significans multitudinem per se, & solitariè profertur, non debet absolutè concedi; potest enim æquiuocare vel de toto, vel de partibus componentibus ipsum totum; at quando profertur simul cum totis, quæ appellat, & super quæ cadit, tunc absolutè est concedendus, quia tunc nulla æquiuocatio potest oriri.

16 Idcirco (inquit *Fund. Doct. hic ad 2.*) hæc propositio: *Christus est duo*; non debet absolutè concedi; quia *duo* non determinat, siue determinatè non cadit supra res, quæ sunt duę; & ideo quia potest cadere supra suppositum, quod importat hoc nomen *Christus*; & faceret sensum falsum, scilicet esse duo supposita in Christo, ideo est neganda; quanuis si cadat supra duas naturas, quæ sunt in Christo, sit vera. At si Verbum assumpsisset duas naturas humanas, dicendo: *Christus est duo homines*; tunc terminus *duo* caderet determinatè supra duas naturas humanas, quæ re vera essent in Christo, non autem supra suppositum Diuinum; atque adeo deberet absolutè concedi. Re sic explicata.

17 Vnica concl. Si Verbũ assumpsisset duas naturas humanas, esset duo homines secundùm naturam, non secundùm suppositum.

Prob.1. Sicut se habet vna natura humana per ordinem ad vnum hominem; ita duæ naturæ per ordinem ad duos homines; sed Verbum assumens vnam naturam humanam est vnus homo; ergo assumens duas naturas humanas est duo homines. Ma. patet; quia sicut vna natura humana indiuidualiter constituit vnum hominem; ita duæ naturæ humanæ indiuidualiter sumptæ cõstituunt duos homines; manifestum enim est numerum binarium componi ex duabus vnitatibus simul sumptis. Prob. mi. Sola natura humana indiuidualiter sumpta est ratio formalis constituens vnum hominem; natura enim, & essentia idem est, vt diximus *tom.1. de subst. Dei q.2. art.6.* §.1.*n.1*; essentiam autem constituere ipsam rem est per se notum, quia essentia, & res idem sunt formalissimè; sic pariter indiuidualitatem constituere vnum numero compertum est; sed Verbum assumpsit naturam humanam indiuiduam, quia assumpsit animam, & materiam signatam accidentibus proprijs, quæ causant indiuiduationem, vt dicitur *in Log*; ergo Verbum assumens naturam humanam est vnus homo ratione vnius naturæ humanæ.

18 Conf.1. Id, quod importat in recto, & primariò hæc vox *homo*, est factum, atque adeo ex nihilo; habetur enim *in Symb. Nic. Et homo factus est*; idèst Verbum factum est secundùm naturam humanam; vt communiter explicant *SS. PP; & DD.*; sed repugnat supposito Diuino esse factum; ergo hæc vox *homo* non importat in recto, & primariò suppositum Diuinum; & ideo si Verbum assumeret duas humanitates, esset duo homines.

19 Conf.2. Christus, prout homo, est minor Patre; habetur enim *Io.10. Pater maior me est*; quod de Christo, prout est homo, explicat *S. P. Aug. or. contra Iudæos &c; & sæpe alibi*; sed implicat suppositum Diuinum esse minus Patre; ergo *homo* non significat primariò, & in recto suppositum Diuinum; atque adeo potest multiplicari non multiplicato supposito Diuino; multiplicatio enim, ait *Fund. Doct*; sicut specificatio, habetur ab eo, quod primariò significatur.

20 Conf.3. Verbum Diuinum assumpsit totum, & plenum hominem, vt docet *S. P. Aug. lib.10.de Ciu.cap.29*; idèst assumpsit totum illud, quod significat primariò hæc vox *homo*; quia assumpsit animam, & carnem, vt explicat *idem S.P. sæpissimè*; sed suppositum Diuinum nequit esse assumptum; quia suppositum Diuinum est assumens, & repugnat assumens esse assumptum; ergo hæc vox *homo* non significat primariò suppositum Diuinum, sed tantùm dicit respectum ad illud, tanquam ad terminum.

21 Conf.4. Christus, prout homo, natus est in tempore filius Virginis; & prout suppositum Diuinum, natus est ex Patre sine Matre ante omnia tempora, vt docet fides; ergo prout homo, non significat primariò suppositum Diuinum; nam sicuti quia prout homo, primariò significat carnem, & animam, ideo secundùm animam, & carnem natus est in tempore; ita si prout homo, significaret primariò suppositum Diuinum, secũdùm suppositum Diuinum etiam natus esset in tempore, quod est contra fidem.

22 Præterea illud, quod importatur primariò, & in recto, quanuis in confuso, non distinguitur realiter; illud verò, quod distinguitur realiter, importatur solùm secundariò, & connotatiuè; nam cęna quæ importat primariò, & in recto comestionem, non distinguitur realiter à comestione; & tempus vespertinum, quod importatur secundariò, & in obliquo, distinguitur realiter à cæna. Sic ens, quod primariò, & in confuso importat homo, non distinguitur realiter ab homine; sed suppositum Verbi Diuini distinguitur realiter ab homine, vt docet fides; ergo homo non importat primariò, & in recto, quanuis in confuso, suppositum Diuinum, vt ait

Lug;

ig; & ideo potest multiplicari homo absq; eo, uòd multiplicetur suppositum Diuinum.

23 Aliud est ergo dicere, quòd Christus, out est quid complexum ex supposito Verbi, ex natura humana, importet vtrunque essentialiter, & primariò; & aliud, quòd homo, qui ocul dubio est tantùm pars huius complexi, *mo Deus*, qui est Christus, importet primariò, in recto suppositum Verbi. Sicut aliud est dire, quòd compositum physicum importet essentialiter materiam, & formam, ex quibus essentialiter fit; & aliud, quòd materia importet rmam primariò, & in recto. Primum est vem, secundum falsum; in quo hallucinantur *duersarij*.

24 Prob. 2. Suppositalitas secundùm suum nceptum essentialem importat subsistentiam communicabilem, per quam natura redditur communicabilis alteri supposito; sed homo ncretè sumptus non inuoluit subsistentiam in o conceptu essentiali; quia subsistentia conuet tantùm accidentaliter homini; nam homo ssibilis, & futurus non est subsistens; & in hoc stinguitur creatura à Deo, quòd Deus, cùm sit is summè necessarium, inuoluit in suo conceu essentiali subsistentiam; creatura verò, quia t ens contingens; illam tantùm accidentaliter lmittit; ergo homo sumptus concretè secunım quid non inuoluit in suo conceptu essenıli suppositalitatem. Ergo potest intelligi hoo absque eo, quòd sit suppositum; atque adeo ultiplicari absque eo, quòd multiplicetur supsitum.

25 Tandem quamuis duæ lineæ terminenr ab eodem puncto, attamen non sunt vna lia, sed duæ; quia linea constituitur formaliter ratione lineæ per extensionem, non per punım, qui est inextensus; ergo si duæ naturæ huınæ terminarentur ab eodem supposito, essent o homines, non vnus; quia homo constituitur sua essentia per animalitatem rationalem forıliter, & per duplicem animalitatem rationan multiplicatur; non per suppositum Diuim, quod non est formaliter animal rationale, l est purus terminus terminãs naturam ratiolem, & ideo illud importat tantùm secũdariò.

26 Objic. 1. *Lug. vbis. num.* 20. Concreta ıstantiua important solum suppositum in re, naturam verò in obliquo; ergo multiplica- natura non multiplicatur concretũ. Prob. ant. ec duo concreta, scilicet *persona*, & *suppositum* portant in recto ipsum suppositum; ergo & iqua concreta; aliter hæc non possent prædii de supposito; nam omnis vera prædicatio uirit identitatem inter rectum subiecti, & rem prædicati; propter quod non sunt veræ prædicationes. *Personalitas terminans hanc manitatem est hæc humanitas*: *Verbum est hunitas*, quia rectum prædicati non est rectum iecti; ex quibus etiam deducitur hanc vocẽ

Mag. Frideric. Nic. Gauardi Tom. 5.

homo non significare in recto personam, & naturam, aliter posset dici: *Verbum est personalitas, & natura humana*; quod constat esse falsum; ergo *homo* dicit in recto solum suppositum.

27 Si ei instetur: Si concretum significaret in recto solum suppositum, sequeretur, quòd ad solam multiplicationem suppositorum multiplicaretur concretum; sed cons. & falsum; nam *Deus* prædicatur de tribus personis Diuinis realiter distinctis, & tamen non sunt tres Dij; ergo hoc est falsum.

Resp. *nu.* 23. prædicatum: *homo Deus*; significare explicitè naturam, & valde implicitè, ac confusè suppositum; personam verò significare explicitè hoc suppositum, & valde implicitè, ac confusè naturam; ergo etiam variato supposito non variatur Deitas, & humanitas, cùm sufficiat manere aliquod suppositum indeterminatè, scilicet hoc, vel illud adhoc, vt maneat hæc natura.

28 Sed contra hoc eufugium. 1. Tunc significatur persona confusè, quando subiectum est terminus communis aliquo signo particulari affectus, vt tradunt *Logiculi*; v. g. cùm dicitur: *Aliquis homo disputat*; *aliquis homo est rationalis*; at quando subiectum est terminus singularis, tunc significatur explicitè, designatur enim hęc, non illa persona; aliter cùm dicitur; *Verbum est homo*; posset hoc intelligi vel de Patre, vel de Filio, vel de Spiritu Sancto, si non significaretur explicitè, determinatè, & signanter persona Filij; ergo cùm dicitur: *Pater est Deus*; significatur explicitè prima persona, de qua Deitas prædicatur. 2. Significare implicitè, & in recto repugnat in terminis; nam significari implicitè est significari mediante alio, in quo implicatur, & continetur, vt cùm dicitur: *Homo est sensitiuus*; significatur implicitè animal, quód continetur in homine, & est principium sentiendi; at significari in recto est significari per se ipsum; quia *rectum est index sui, & obliqui*; vt habet *Phil*; ideo si est index sui, indicatur per se ipsum, & sic per se ipsum, non per aliud significatur; tum quia quod significatur in recto, significatur immediatè, & primariò; quod autem significatur implicitè, significatur, quatenus complicatur in alio, & ideo mediatè, ac secundariò; significari autem per se ipsum, & per se ipsum non significari contradicit in terminis, vt constat; ergo implicat, quòd hoc concretum *homo* significet simul in recto, & implicitè suppositum.

29 Resp. ergo ad arg. *cum Fund. Doct.* neg. ant. Ad prob. neg. cons. & disparitas est; quia hæc nomina *persona*, & *suppositum* imposita sunt ad significandum ipsum suppositum; at verò nomen *homo* impositum est ad significandam naturam; ideo hoc primariò naturam significat, & secundariò ipsum suppositum; illa verò significant primariò suppositum, & secundariò naturam, quæ est in illo supposito; & prob. ex 4. *Met*; vbi

vbi dicitur, quòd non est differentia dicere; quòd *homo est in sanitate*; *& quòd homo est sanus*; sanitas autem significat formam, vt constat, quia est abstracta à subiecto; ergo & sanus primariò significat formam, & secundariò subiectum; propter quod *Com.* reprehendit *Auicennam* putantem concretum priùs significare substantiam, & postea accidens. Ad prob. infert. dicitur, quòd ad verificandam prædicationem sufficit, quod prædicatum vniatur cum subiecto; ideo non valet: *Verbum est humanitas, aut natura humana*; quia terminus abstractus significat formam separatam, non vnitam subiecto. Sed *homo*, qui est terminus concretus, significat naturam humanam vnitam supposito; ideo valet: *Verbum est homo*. Si autem requireretur, quòd rectum prædicati esset rectum subiecti, semper significatio esset inepta, & nugatoria; nam hæc propositio: *paries est albus*; significaret: *paries in recto est paries*; quod est ridiculum paralogizare, non veraciter prædicare. Tum quia prædicare est *dicere vnum de alio*; ergo est significatum vnius applicare significato alterius; si autem prædicatum significaret in recto idem, quod significat subiectum; tunc idem significatum in recto diceretur de se ipso, quod est ineptum; & solùm significatum obliquum diceretur de alio significato; & sic omnis prædicatio esset obliqua, & nulla recta, quod nullus diceret.

30 Obijc. 2. *Gonet cum Godoy ex D. Tho.* Quanuis Pater vna proprietate, idèst paternitate, sit principium Filij; & alia proprietate, scilicet spiratione actiua, sit principium Spiritus Sancti, attamen non est duo principia, quia duplicaretur suppositum, quod importat implicitè ratio principij; ergo à pari si Verbum assumeret duas naturas humanas, non diceretur duo homines, sed vnus homo propter vnitatem suppositi terminantis vtranque naturã. 2. In Christo reperiuntur duæ naturæ substantiales, nempe Diuina, & humana; & tamen quia eadem personalitas terminat vtranque naturam, Christus non dicitur duæ substantiæ, sed vna substantia; ergo à pari. 3. Ad multiplicationem concreti substantialis non sufficit multiplicatio formarũ, sed vlteriùs requiritur multiplicatio suppositorum; sed hoc nomen *homo* est concretum; ergo idem. Prob. ma; quæ communiter traditur *in summulis*. Pater Diuinus quanuis habeat virtutem generatiuam Filij, & virtutem spiratiuam Spiritus Sancti; attamen non est duplex, sed vnũ principium, quia est vnum suppositum. 4. Pater, & Filius in creatis sunt nomina substantiua; & tamen quanuis pater per plures paternitates respiceret plures filios; non tamen esset plures patres; sic de filio, qui per plures filiationes respicit patrem, & matrem. 5. Christus secundùm filiationem æternam respicit Patrem; & secundùm filiationem temporalem respicit matrẽ; & tamen non est duo filij, quia est vnum suppositum. 6. Artifex, & Dominus sunt nomina substantiua; & tamen habens plures artes, plures scientias, & plures seruos, non dicitur plures artifices, plures scientes, & plures Domini, sed vnus artifex, vnus sciens, & vnus Dominus; ergo à pari.

Resp. ad 1. paternitatem, & spirationem actiuam non distingui realiter, & ideo non constituere duo principia realiter; sed distingui tantùm virtualiter, & ideo constituere vnum principium æquiualens duplici principio. At duæ naturæ humanæ distinguuntur realiter, & ideo constituunt duos homines realiter distinctos. Ad 2. resp. ex dictis *nu.9.*, quòd cùm nomen *substantia* sit commune naturæ, & supposito, natura enim substantia est, & suppositum substantia est; ideo quanuis in Christo sint duæ naturæ substantiales, attamen nequit dici duæ substantiæ, quia nomen *substantia* potest æquiuocare de natura, & supposito. Potest tamen dici determinando nomen *substantiæ*; scilicet *Christus est duæ substantiæ, nempe natura humana, & Diuina*. Ad 3. neg. ma. Ad prob. iam dictum est. Ad 4. dicitur, quòd pater, & filius in creatis sunt concreta accidentalia; paternitas enim, & filiatio accidunt homini, vt patet; & secundùm esse *in* dicunt actionem, vel potentiam generatiuam, quæ sunt accidentia; accidentia autem habent vnitatem indiuidualem à supposito; & ideo si est vnum suppositum, est vnum tantùm concretum, vt diximus *nu. 6.*, quod nequit verificari de homine, quòd est concretum substantiale habens vnitatem numeralem ex se ipso. Sic dicitur ad 5; & 6; nam filiatio temporalis accidit naturæ humanę Christi Domini; sicut homini puro accidit esse artificem, scientem, Dominum &c. Vel ad 3. arg. potest distingui ma. Ad multiplicationem concreti substantialis, quod est totum simpliciter, requiritur multiplicatio formarum, & suppositorum, conc; sic enim illud concretum coalescit ex supposito, & natura. Quod est totum secundùm quid, vt est homo coalescens ex anima tantùm, & corpore, & præscindens à suppositalitate, neg. Sic etiam dicitur, quòd pater, filius, artifex, sciens, Dominus &c. important formaliter suppositum, cuius est generare, generari, artem facere, scire, dominari &c. At homo pręcisè sumptus non importat in recto suppositalitatem, vt dictum est.

31 Obijc. 3. Si posset dici duo homines, posset etiam dici duo Christi; sed Christus est suppositum Diuinum; ergo posset dici duo supposita Diuina.

Resp. *Fund. Doct.* neg. ma; quia Christus dicit in recto complexum ex Verbo Diuino, & natura humana; homo verò dicit solam naturam humanam in recto, & primariò; ideo non est paritas.

32 Obijc. 4. Si Verbum posset dici duo homines.

mines, posset dici duo humanata; sed hoc est falsum; quia tunc essent duo supposita habentia humanam naturam; ergo idem. Prob. ma. Humanatum dicitur ab humanitate; ergo si esset duo homines, quia habent duas humanitates, posset dici duo humanata. 2. Natura humana respectu Verbi se habet, vt indumentum; sic enim loquitur *Apost: Et habitu inuentus, vt homo;* *& S. P. Aug.* frequentissimè ait Verbum induisse carnem humanam; sed ex eo, quòd aliquis induat duas vestes non dicitur duo vestiti, sed vnus vestitus duabus vestibus; ergo idem.

Resp. *Fund. Doct*; quòd esse humanatum, & esse indutum non dicitur de Christo, secundùm quod homo; sed secundùm quod Verbum, quia Verbum dicitur humanatum, indutum humanitate; non autem dicitur homo humanatus, homo indutus humanitate, sic enim se ipso esset indutus. Itaque nequit dici duo humanata, aut duo induta, quia sic essent duo Verba; attamen potest dici duo homines propter duplicem naturam assumptam. Ad 1. igitur neg. ma. Ad prob. dist. ant. Humanatum dicitur ab humanitate, & dicitur de Verbo, vt Verbum est, conc; vt homo est, neg. At esse duo homines dicitur de Verbo, vt homo est, non vt Verbum est; & sic ad 2.

33 Obijc. 5. Ideo nequit absolutè, & simpliciter dici: *Verbum assumpsit hominem*; quia homo secundùm proprietatem vocabuli importat humanum suppositum; vt docet *Fund. Doct. ist. 6. p. 2. q. 1. art. 2*; sed tantùm dici potest cum restrictione, scilicet prout *homo* stat tantùm pro natura, non pro supposito; & in hoc sensu *Concilia, & SS. PP.* dicunt Verbum assumpsisse hominem, idèst naturam humanam; ergo eadem ratione si assumpsisset duas naturas humanas, non posset absolutè, & simpliciter dici, quòd esset duo homines, sed tantùm cùm restrictione, scilicet quòd haberet duas humanitates; quia cum hæc vox *homo* secundùm proprietatem vocabuli importet suppositum, si esset duo homines, esset quoque duo supposita; vnde videtur *Fund. Doct.* sibi contradicere.

Resp; quòd si arg. concluderet, conuinceret etiam, quòd secundùm proprietatem vocabuli non posset dici: *Verbum est homo*; quia homo importat suppositum humanum, quod non est in Christo. Itaque sicuti non obstante, quòd non possit simpliciter dici: *Verbum assumpsit hominem*; dicitur tamen; *Christus est homo*; propter humanitatem sine suppositalitate humana sumptam; ita quamuis non posset absolutè concedi: *Verbum assumpsit duos homines*; absolutè tamen diceretur: *Christus est duo homines*; propter duplicem humanitatem præcisa suppositalitate creata. Ratio petitur ex differentia, quæ est inter verbum adiectiuum *assumere*; & verbũ substantiuum *esse*; nam verbum adiectiuum, vt diximus *to. 1. de Attr. q. 2. art. 9. nu. 6*; importans actionem respicit prædicatum tanquam passiuè productum secundùm omnia ea, quæ adequatè illi conueniunt; & cùm homini conueniat suppositalitas, quam secundariò importat; ideo *assumere hominem* ex vi vocabuli importat nedũ naturam humanam, sed etiam ipsum suppositum passiuè produci; quod est falsum in incarnatione. At verò verbum substantiuum *est* importat solam subsistentiam prædicati in subiecto, siue illud subiectum sit suppositum propriũ, siue alienum gerens vicem suppositi proprij; & si subiectum talis prædicati est suppositum alienum, tunc ex vi suæ significationis facit sensum tale prædicatum subsistere per subsistentiam suppositi alieni. Vnde quia *Christus* importat suppositum Diuinum; dicendo: *Christus est homo* ex vi ipsius vocabuli significatur naturam humanam subsistere per subsistentiam Diuinam, quod est absolutè verum, & ideo absolutè concedendum.

34 Ex quo magis prob. nostra sententia; nam licèt *homo* præcisè sumptus significet primariò naturam humanam, & secundariò humanum suppositum; attamen coniunctus cum subiecto habẽte propriam personalitatem, cum qua est incompossibilis personalitas humana, absolutè significat naturam humanam primariò, & illam personalitatem, quæ competit illi subiecto, non verò illam, quæ competit ipsi homini secundùm exigentiam suæ naturæ, quia secundùm istam repugnat vniri tali subiecto iam habenti suam personalitatem; & ideo absolutè conceditur: *Christus est homo*; ergo cum diceretur: *Christum est duo homines*; significarentur expresè duæ humanitates, & vna personalitas Christi, per quam subsisterent, non verò personalitas humana, quæ est incompossibilis cum humanitate Christi; & ideo nedum absolutè dici posset: *Christus est vnum suppositum habens duas humanitates*; sed etiam: *Christus est duo homines*; quia idem explicitè significaretur; sicut nedum absolutè dicitur: *Christus est vnum suppositum Diuinum habens humanitatem*; sed etiam: *Christus est homo*.

§. II.

An suppositum creatum possit terminare alienam naturam?

35 DIximus suppositum creatum non posse alienam terminare naturam, etiam de potentia Dei absoluta; quia tamen hoc controuertitur *inter Theologos*, ideo in præsenti est declarandum.

36 Non quærimus de naturis genericè diuersis ad inuicem subordinatis; certum enim est (inquit *Fund. Doct. inf.*) has assumi ab eodem supposito; quia anima, & corpus differunt genere, & tamen assumuntur in eodem supposito.

Istæ autem ordinantur ad inuicem, quia ita vniuntur, vt ex illis constituatur vna natura hominis; & vt loquitur *D. Dam*; secundùm illas accipiatur species communis, idèst tertia natura ex illis resultans, quæ substentatur ab vna suppositalitate humana. Nec dubium est de naturis genere diuersis, ex quibus non resultat vna natura communis, sed vna tantùm constituit suppositum, vt natura substantialis; aliæ verò non constituunt, sed illud constitutum supponunt, & ab illo substentantur, vt sunt accidentia; manifestum namque est plura accidentia specie, & genere diuersa simul cum natura substantiali esse in eodem supposito creato. Quęritur ergo de naturis substantialibus diuersis non subordinatis constituentibus suppositum; & quæritur etiam de potentia Dei absoluta, fatentur enim omnes naturaliter hoc fieri non posse.

37 Prima sententia affirmat. Ita *Nominales, Gran*; *Becc*; *Mol*; *Almain*; *Raynaud*; *ex nostris Tapia 3. p. 4. art. 1; & alij recentes. Val.* autem, quamuis asserat de facto id non posse conuenire supposito creato, ait tamē posse à Deo produci suppositum tantæ perfectionis, vt valeat terminare alienam naturam. Refertur etiam *Scot*; quem sequuntur *Bassol*; *Aret*; *Fab*; *Gauat*; *& alij Scotistę. At Mastr. hìc disp. 1. q. 3. art.* 4. ait problematicè *Scotum* sentire eò, quia decisio huius difficultatis pendet ex illa quęstione; an personalitas creata consistat in positiuo, vel negatiuo; & quia *Scoto* visum est vtrunque probabile; & aliunde asserendo personalitatem creatam consistere in negatiuo nequit simul sustineri suppositum creatum posse terminare alienam naturam; quia nulla negatio potest esse ratio formalis terminandi relationem realem, qualis est vnio hipostatica; positiuum autem potest illam terminare, ideo vtranque sententiam defendit. Probabile hoc putant *Hurt. disp. 11. sec. 8*; *Arriag. disp. 4. Met. sect. 3. subsect. 2*; *Ouied. contr. 6. Met. punct. 5. num. 8.*

38 Nostra tamen docet omnino repugnare, quòd suppositum creatum terminet alienam naturam. *Ita Fund. Doct. Quodl. 6. q. 3; & hìc dist. 6. par. 2. q. 1. art. 1. ad 3; & art. 2. §. Aduertendum*; *Gibb. hìc disp. 7. dub. 3; & omnes alij communiter. Ita etiam D. Thom. cum Thomistis*, inter quos nouissimè *Godoy*, *Gonet hìc disput. 8. art. 6. Sequuntur Vasq*; *Suar*; *Lug*; *& alij quamplures*.

39 Vnica concl. Nullum suppositum creatum etiam per potentiam absolutam potest alienam terminare naturam.

39 Prob. 1. *ex S. P. Aug. illis in locis*, vbi assumptionem naturæ humanæ factam à persona Verbi vocat *mirabilem, & singularem*; vt *lib. 10. de Ciu. Dei cap. 29*; & vbi illam vocat *opus solius omnipotentiæ*; vt *serm. 7. de tempore*, quod habent etiam *alij SS. PP.* Ex quo sic arguitur. Quod est singulare, ac proprium solius Dei, & solius effectus omnipotentiæ, nequit conuenire etiam de potentia absoluta supposito creato; aliter non esset propriū singulariter Deo conueniens; quod enim pluribus conuenit, non est proprium vni, sed pluribus commune; & sic omnipotentia non esset soli Deo propria, & creaturis etiam de potentia absoluta incommunicabilis, vt diximus *tom. 1. de omnipot. Dei art. 6*; sed assumere alienam naturam in vnitatem suppositi est proprium singulariter ipsius Dei; & est effectus solius omnipotentiæ Diuinæ; vt docent *SS. PP*; qui non vocant incarnationem opus admirabile proprium solius omnipotentiæ Diuinæ præcisè, quatenus incarnatio est effectiuè à tota Trinitate, sed quatenus est assumptio naturæ humanæ ad vnitatem suppositi Diuini; ergo assumere alienam naturam in vnitatem suppositi nec de potentia Dei absoluta potest conuenire supposito creato. Atqui assumere alienam naturam in vnitatem suppositi est idem formaliter, ac suppositum terminare alienam naturam; ergo suppositum creatum nec etiam de potentia absoluta potest terminare alienam naturam.

40 Prob. 2. *à Fund. Doct.* Quod habet esse essentialiter limitatum ad vnam naturam, nequit etiam diuinitus alienam terminare naturam; aliter illud esse non esset essentialiter limitatum ad vnam, quia extendi posset ad plures; ideo enim animalitas non est essentialiter limitata ad solam naturam rationalem, quia extenditur etiam ad irrationalem; sed quodlibet suppositum creatum est essentialiter limitatum ad vnam numero naturam; ergo nullum suppositum creatum potest alienam terminare naturam. Ma. patet; quia *essentiæ rerum sunt immutabiles, sicuti numeri*, qui nec per potentiam absolutam possunt variari. Prob. mi. Indiuiduum est essentialiter limitatum ad vnum, definitur enim, *quod de vno solo prædicatur*; & quæ competunt rei secundùm definitionem, ei competunt secundùm essentiam, quia definitio explicat essentiam rei; sed suppositum creatum importat essentialiter indiuiduum, quia importat subsistentiam indiuiduam incommunicabilem, vt diximus *tom. 1. de subst. Dei q. 2. art. 6. à n. 19*; ergo suppositum creatum est essentialiter limitatum ad vnam numero naturam.

41 Conf. *ex eodem*. Illud solùm, quod gerit vices alieni suppositi, potest terminare alienam naturam propriam alieni suppositi; sed nullum suppositum creatum potest gerere vices alieni suppositi; ergo nullum suppositum creatum potest terminare alienam naturam. Ma. patet, quia terminare alienam naturam est munus proprium alieni suppositi, quod respicit illam naturam; & ideo terminans alienam naturam gerit vices suppositi proprij illius naturæ, quia exercet munus illius suppositi. Prob. mi. Nulla res potest gerere munus alterius rei, nisi illam contineat virtualiter, vel eminenter; *operari*

rari enim sequitur ad esse; & ideo nulla res potest habere operationem propriam alterius rei, nisi contineat esse illius vel virtualiter, vel eminenter; sed nullum suppositum creatum potest continere virtualiter, vel eminenter aliud suppositum; quia suppositum importat rationes indiuiduales ipsius rei; continentia autem rei secundùm rationes indiuiduales repugnat creaturæ; nam creatura essentialiter importat potentialitatem passiuam; sicut essentia Dei importat summam, & purissimam actualitatem; ideo essentiæ creaturæ non conuenit, nisi continentia secundùm gradus vniuersales, qui dicunt potentialitatem; essentiæ verò Dei continentia etiam secundùm gradus indiuiduales, qui important actualitatem; quapropter solus Deus dicitur continere perfectissimo modo, seu eminenter, quia continet res secundùm gradus vniuersales, & particulares; vt diximus *tom.* 1. *Eminen. ar.* 2. §. 1. *n.* 5; ergo nullum suppositum creatum potest gerere vices alterius suppositi.

42 Explic. ampliùs. Ratio indiuidualis essentialiter importat negationem alterius indiuidui; dicit enim vnitatem numericam, quæ negatio cuiuslibet alterius; sed implicat negationem rei simul contineri, & coniungi cum ea re, cuius est negatio; aliter duo contradictoria simul continerentur, & iungerentur; ergo implicat vnam rationem indiuidualem contineri in alia.

43 Vrgetur. In tantùm suppositum Diuinum continet esse omnis suppositi creati sine negationibus consequentibus ad esse illorum, quantùm est simpliciter infinitum, & illimitatum; ergo in tantùm suppositũ creatum nequit continere alia supposita creata, in quantùm est simpliciter finitum, & limitatum; nam sicut illimitatio est ratio identificationis, & affirmationis cuiuslibet rei; ita limitatio est ratio distinctionis, & negationis cuiuslibet alterius rei; ideo quia quodlibet suppositũ creatum est limitatum, ideo est distinctum à quolibet alio supposito, & per consequens importat formaliter negationem cuiuslibet alterius suppositi essentialiter importatam à distinctione, quam ob limitationem habet à quolibet alio supposito.

44 Prob. 3. *ab eod.* Sicut se habet compositum physicum respectu materiæ, & formæ, ex quibus construitur; ita se habet suppositum concretè sumptum respectu naturæ, & suppositalitatis; sed repugnat per quancunque potentiam vnum, & idem compositum coalescens ex hac materia, & hac forma construi ex alia materia, & forma; quia alia materia essentialiter affert secum aliam vnitatem numeralem, per quam distinguitur realiter; ergo implicat suppositum creatum coalescens ex hac numero natura, & suppositalitate componi ex alia natura, & personalitate. Ma. patet; nam sicut forma realiter distinguitur à materia, quam actuat, & terminat, & cum qua format compositum; ita suppositalitas differt realiter à natura creata, aliter Verbum Diuinum non potuisset assumere naturam sine suppositalitate, vt docet fides; & deinde suppositalitas actuat naturam, & terminat, & simul cum illa efformat totum, quod suppositum concretè vocatur. Mi. etiam constat; quia compositum physicum in nostra sententia nihil aliud est, quàm partes vnitæ; ergo repugnat, quòd sit idem compositum, & non sint eædem partes vnitæ. Tum quia etiam in aliena sententia ad variationem partium componentium variatur essentialiter totum, quod à partibus specificatur; ergo implicat, quòd sit idem compositum, & diuersæ sint partes.

45 Prob. 4. *ab eod.* Quando plures naturæ fluunt ab aliquo supposito, debent esse per se ordinatæ; quia numerus essentialiter ordinatur per se ad vnitatem; sed implicat duas naturas solo numero differentes esse per se ordinatas, quia vna alteri non subordinatur; & ideo inter illas non datur ordo per se, sed per accidens; ergo implicat idem suppositum terminare duas naturas. Naturam autem creatam fluere à supposito creato nihil aliud est, quàm ad positionem actualem subsistentiæ indiuidualis, quam dicit suppositalitas, poni naturam, quæ habet necessariam connexionem cum illa. Quapropter natura humana non dicitur fluere à supposito Diuino, sed creari, quia non habet necessariam connexionem cum illo. Hæc ratio probat tantùm de naturis solo numero diuersis (inquit *Fund. Doct.*) de ijs autem, quæ differunt specie, sic prob. Quando plures naturæ specie, vel genere differentes fluunt ab vno supposito, tunc ita per se ordinantur, vt vna fluat mediante alia; vt à suppositalitate *Petri* fluit rationalitas; à rationalitate animalitas &c; valet enim naturalis sequela; sed quæ ita fluunt, ita coniunguntur, vt faciant vnam naturam adæquatam constituentem vnum suppositum; vt patet de rationalitate, animalitate &c. Vel sic vniuntur in eodem supposito, vt nõ constituant vnam naturam; & tunc solùm prima constituit suppositum, & aliæ illi accidunt, vt patet de naturis accidentalibus; ergo nequeunt plures naturæ specie, vel genere distinctæ realiter adæquatè constituentes suppositum esse in vno, & eodem supposito creato.

46 Tandem prob. *ab eod.* Implicat, quòd vna tantùm vnitas constituat numerum, qui essentialiter componitur ex pluribus vnitatibus, non ex vna; sed vnum suppositum habet vnam tantùm vnitatem numericam, à qua indiuiduatur natura; vt diximus *to.* 1. *vbis*; ergo implicat vnum, & idem suppositum indiuiduare plures naturas distinctas.

47 Ratio autem *Mastrij* asserentis posse quidem suppositum Diuinum terminare plures naturas, quia suppositalitas Diuina consistit in posi-

positiuo, quod potest esse fundamentum relationis realis ad vnionem hipostaticam; at verò suppositalitatem creatam, cùm consistat in negatiuo, non posse terminare plures naturas, quia negatiuum nequit esse fundamentum relationis realis ad vnionem hipostaticam; hæc ratio, inquam faciliter eluitur; nam in hac sententia suppositalitas creata consistit in negatiuo, & tamen de facto fundat relationem *realem* ad propriam naturam, quam *terminat*; ergo & eadem ratione posset fundare relationem realem ad naturam alienam.

48 Obijc. 1. Ex eo, quòd anima rationalis contineat animam sensitiuam, & vegetatiuam, non arguitur, quòd sit simpliciter infinita, sed tantùm quòd sit superioris ordinis; ergo ex eo, quòd vnum suppositũ creatum contineat aliud, non arguitur, quòd continens sit infinitum, sed tantùm quòd sit ordinis superioris. 2. Non implicat creaturam per potentiam obedientialem eleuari ad præstandum effectum, quem viribus naturalibus nequit præstare; ergo licèt vnum suppositum creatum non possit alienam terminare naturam, attamen per absolutam Dei potentiam, quæ respicit potentiam obedientialem creaturæ, poterit illam terminare; nam non minùs est limitatus ignis ad calefaciendum per calorem, qui ei naturaliter inest, & est potentia ipsi naturalis, quàm hoc suppositum ad terminandam hanc naturam; & tamen ignis per potentiam obedientialem potest infrigidare, vt contigit pueris *fornacis Babylonicæ*, qui experti sunt ignem, *quasi ventum roris flantem*, vt dicitur *Dan.* 3; infrigidare autem est proprium munus venti, vel aquę; ideo multò magis terminare alienam naturam poterit supposito creato conuenire per potentiam obedientialem, qua subditur Dei nutibus ad agendum, quidquid ei placuerit.

Resp. ad 1. neg. cons; & disparitas *sup.* allata est; nam anima rationalis continet animas inferiores tantùm secundùm gradus vniuersales, qui sunt potentiales, quia essentialiter important contrahibilitatem, & per consequens limitabilitatem, nam omne contrahens limitat contrahibile; at vnum suppositum contineret aliud secundùm rationes particulares, quibus tantummodò limitatur creatura, ideo esset infinitum. Ad 2. dist. ant. Ad præstandum effectum in genere causæ formalis, quæ causat per intrinsecam exhibitionem sui, neg; in genere causæ efficientis, conc. Sicut ergo nequit Deus facere, quòd anima canis informet corpus humanum, & constituat hominem, & sic præstet effectum formalem, quem præstat anima rationalis in genere causæ formalis intrinsecè se exhibentis, & determinantis materiam ad constituendum hominem; ita nequit efficere, vt vnum suppositum creatum, quod causat in genere causæ formalis exhibendo subsistentiam indiuidualem, per quam contrahitur, & determinatur natura ad tale esse indiuiduale v.g. hominis, contrahat, & determinet naturam ad esse indiuiduale canis. Calefacere autem, & infrigidare sunt effectus causæ efficientis, vt constat; quia sunt actiones transeuntes in externam materiã; ideo Deus potest illas efficere sine suis causis; & etiam potest eleuare creaturam ad illas eliciendas tantùm instrumentaliter extrinsecè. Vel dist. idem ant. Ad præstandum effectum, cuius habet negationem, ipsum cum negatione iungendo, neg; Deus enim nequit simul iungere contradictoria. Cuius non habet negationem, conc. Vnum autem suppositum creatum, quia est limitatum, importat essentialiter negationem alterius, vt dictum est.

49 Inst. 1. cont. 1. resp. Suppositum Diuinũ, prout virtualiter distinctum à natura Diuina, non est formaliter infinitum; & tamen potest terminare alienam naturam; ergo nulla responsio. Prob. ant. Si suppositum Diuinum, prout distinctum virtualiter à natura Diuina, esset infinitum, sequeretur, quòd aliqua infinitas conueniret Patri, quæ non conueniret Filio, scilicet infinitas paternitatis, & è contra; & sic personę Diuinæ non essent simpliciter infinitæ, quia non essent infinitæ in omni linea, quod est absurdum. 2. Terminatio alienæ naturæ non est effectus infinitus; ergo non requiritur ad illam causa formalis infinita. 3. Ad substentandum accidẽs alieni ordinis non requiritur subiectum infinitum; nam anima, quæ est finita, substentat gratiam, & cetera dona, quæ sunt ordinis supernaturalis, qui est alter ordo ab ordine naturali, in quo est anima; ergo à pari.

Resp ad 1. neg. ant. Ad prob. neg. seq; essentia enim, & relatio, quanuis inter se distinguantur virtualiter, attamen per vnam, & eandem infinitatem sunt infinitæ; sicut per vnam intelligibilitatem formalem sunt intelligibiles, quanuis res intellectæ, prout res, non prout intellectæ, distinguantur virtualiter; ita essentia Diuina, & relatio, quanuis in esse rei distinguãtur virtualiter, attamen sunt infinitæ per vnam infinitatem formalem. Vel resp. eodem modo, quo diximus *to. 2. de Trinit. q. 5. art. 6;* scilicet infinitatem paternitatis non esse in Filio formaliter per modum proprietatis constituentis, esse tamen in Filio per circuminsessionem; quapropter dixit Filius *Io. 14. Ego in Patre, & Pater in me est. Vid. ibid.* Ad 2. neg. cons; quanuis enim terminus creationis sit finitus, & gratia pariter sit limitata; attamen rectè arguitur, quòd sit à causa simpliciter infinita; vt de creatione diximus *to. 3. q. 2. de creat. art. 3;* & de gratia *to. 4. de grat. q. 3. art. 3.* Non arguitur autem infinitas causæ ex pura finitate effectus ita, quòd ad producendam effectum finitum requiratur causa infinita; sed ex illimitatione esse ipsius causæ, & ex cæteris motiuis, quæ attulimus *sup; & loc.*

& loc. cit. Ad 3. neg. conf; nam pura substentatio in esse non producit in genere causæ efficientis, aut formalis ipsum effectum; ideo non debet esse effectus præcontinere, sed sufficit, quòd illum recipiat in se productum efficienter à Deo; non enim gratia, & alia dona supernaturalia educuntur de potentia obedientiali animæ, sed extrinsecè à Deo producuntur, & inducuntur in animam; vt diximus *tom. 3. de creat. q. 2. art. 1*; ideo anima nullo modo continet esse illorum in se ipsa; sicut deberet vnum suppositum continere aliud ad hoc, vt præstet effectum alterius.

50 Inst. 2. cont. resp. ad 2. Si suppositalitas creata haberet rationem causæ formalis determinantis intrinsecè, informantis, indiuiduantis naturam, & simul cum natura constituentis vnum totum, sequeretur, quòd Verbum Diuinum non posset gerere vices suppositi creati; non enim potest gerere vicem formæ informantis &c; ergo ruit responsio.

Resp. suppositalitatem creatam habere plura munera, vt determinantis, substentantis naturam merè efficienter; & præter ista habere pariter munera causæ formalis intrinsecè informantis, indiuiduantis, & constituentis suppositum concretum. Hęc autem munera non ęquè conueniunt suppositalitati; nam prima duo ipsi conueniunt præcisè, quatenus suppositalitas est; quia suppositalitas, vt suppositalitas est, essentialiter habet terminare, & substentare naturam. Cetera verò munera habet, quatenus creata est; nam quod est in creatura, vel est actus potentiæ, vel potentia recipiens actū, quia potentia, & actus adęquatè diuidunt ens; vnde cum suppositalitas non sit potentia, potentia enim est determinabilis per actum; remanet, quòd sit actus determinās potentiam; quoniam autem quilibet actus creatus determinans potentiam intrinsecè recipitur in illa, eamque informat; non enim est per se subsistens independenter à potentia; ideo suppositalitas, quatenus actus creatus determinans naturam, necessariò habet rationem causę formalis modo, quo dictum est. Verbum igitur Diuinum quia est suppositum per se subsistens, increatum, atque adeo independens à natura creata; ideo habet tantùm simpliciter terminare, ac substentare, non autem informare, indiuiduare &c. Dist. igitur seq. Sequeretur, quòd Verbum Diuinum non posset gerere vices supooſiti creati, quatenus præcisè suppositum est, neg; quatenus creatum est, conc. Vnde supplet demptis imperfectiobus, quæ soli creaturæ conueniunt.

51 Obijc. 2. Terminare alienam naturam non requirit continentiam eminentialem alieni suppositi; ergo ruit alia ratio. Prob. ant. In quantùm ad terminandam alienam naturam requireretur eminentialis continentia, in quantum suppositum terminans gereret vices proprij suppositi pręstando eundem effectum, quod præstaret proprium suppositum; sed hoc est falsum; nam ex personalitate aliena, & natura non resultat idem suppositum, quod resultaret ex natura, & propria personalitate; ex personalitate enim Verbi Diuini, & natura humana resultat persona increata, non creata; ex personalitate verò creata resultaret persona creata, non increata; persona autem increata diuersa est à persona creata, vt constat: ergo terminare alienam naturam non requirit continentiam eminentialem alieni suppositi.

Resp. neg. ant. Ad prob. dist. ma. In quantùm suppositum terminans gereret vices suppositi proprij pręstando eundem effectum, qui est ponere naturam sub esse actuali, eamque in esse substentare, & conseruare, quamuis altiori modo, quia causa altior altiori modo operatur, conc; pręstando eundem effectum, qui est constituere simul cum natura personam, neg; nam suppositalitas, vt *sup.* dictum est, habet plura munera, quæ non pręstat suppositum alienum, quia aliqua dicunt imperfectionem, quę est propria supposito proprio, & ideo conuenire nequit alieno.

52 Obijc. 3. Sol eminenter continet causas inferiores, quia gerit vices earum producendo earum effectus; & tamen est quid finitum; ergo ruit alia doctrina.

Resp. neg. ant; & ad prob. insert. dicitur, quòd producit effectus causarum inferiorum, quia illas continet tantùm virtualiter secundùm rationes vniuersales, non particulares, vt *sup.* dictum est.

53 Obijc. 4. *Bassol. ex Scot.* Maior est proportio inter suppositum creatum, & naturam creatam, quàm inter naturam creatam, & suppositum Diuinum; prima enim duo ambo creata sunt; ex vltimis verò vnum est creatum, aliud increatum; tum quia illa sunt ambo absoluta; suppositum verò Diuinum est relatiuum; sed suppositum Diuinum potest terminare naturam creatam; ergo multò magis suppositum creatum potest terminare naturam alienam quidem, sed creatam.

Resp. dist. ma. Maior est proportio ordinis, seu subordinationis in agendo inter suppositum creatum, & alienam naturam creatam, quàm inter suppositum Diuinum, & naturam creatam, neg; quælibet enim creatura magis subordinatur Deo agenti, qui est vniuersalissimum omnium principium, quàm cuilibet alteri creaturæ; & ideo potest natura humana vtique terminari à supposito Diuino, non ab alieno supposito creato, quia subditur quidem actioni ipsius Dei, non verò alterius suppositi creati, cuius terminationi non subordinatur, vt ostensum est. Maior est proportio generica, entitatiua, & ęqualitatis, conc. neg. tamen conf; quia ad hoc, vt natura terminetur ab aliquo

quo suppòsito, debet illius causalitati subordinari; nam Sol entitatiuè magis proportionatur stellis, quàm plantis; & tamen potest producere plantas, non stellas; quia istæ non subordinantur, sicut illæ, Solis actioni.

54 Obijc. 5. *ex eod.* Vt suppositum possit terminare dependentiam naturæ, non requiritur, quòd sit simpliciter independens, sed sufficit, quòd sit independens independentia opposita dependentiæ *ipsius* naturæ, idèst quòd non dependeat *ab* alio, tanquam à substentante, *sic enim* dependet natura; sed quodlibet suppositum creatum habet hanc independentiam, vt patet; ergo potest terminare alienam naturam. Prob. ma. Quanuis quantitas in Sacramento altaris dependeat à subiecto, attamen potest terminare qualitates; ergo à pari. 2. Incommunicabile simpliciter potest terminare quodlibet communicabile; sed quodlibet suppositum creatum est incommunicabile,& natura communicabilis; ergo poterit terminare quancunque naturam.

Resp. ad 1.dist.ma. Suppositum ita debere esse independens,vt ab illo essentialiter dependeat natura dependentia subordinationis, vt dictum est, conc; ita, vt ab illo non dependeat natura, vt se habet respectu alieni suppositi, neg. Ad prob. dicitur qualitates subordinari quantitati, tanquam subiecto proximo; natura verò non subordinatur alieno supposito. Ad 2. dist. ma. eodem modo. Incommunicabile potest terminare communicabile sibi subordinatum, conc; non subordinatum, neg.

55 Obijc.6. *ex eod.* Non repugnat ex parte naturæ, quia hæc est separabilis à propria suppositalitate, & suppositabilis ab alieno supposito; aliter non posset suppositari à Verbo Diuino. Neque ex parte suppositi creati, quia hæc terminatio non extrahit suppositum creatum extra sphæram creaturæ; ergo nullo modo repugnat.

Resp. neg. ant; natura enim est suppositabilis ab alieno supposito gerente vices proprij suppositi, quod vt dictum est, potest præstare solum suppositum Diuinum. Item hæc terminatio importat continentiam eminentialem, & infinitatem, quæ extrahunt suppositum à sphęra creaturæ, vt satis diximus *sup.*

A R T. V.

An Verbum potuisset assumere quanlibet aliam creaturam substantialem?

1 QVæritur, an quælibet natura substantialis creata spiritualis, aut corporalis, animata, vel inanimata potuerit à Verbo, vel ab alia persona Diuina assumi in vnitatem suppositi Diuini, sicuti assumpta fuit humana natura; siue ex eodem motiuo, quod de facto Deus habuit, liberandi hominis, siue ex alio nobis occulto, illi tamen possibili, & liberè eligibili?

2 Prima sententia putat naturam Angelicam assumi non posse eo, quia in substantijs separatis, ac simplicibus non compositis ex materia, & forma suppositum non distinguitur à natura; cùmque persona Diuina non possit suppositum creatum assumere, vt *inf.* consequenter asserit non posse Angelicam naturam in vnitatem Diuini suppositi assumi. Tribuitur *Alberto Magno in 3. dist. 2. art. 2.*

3 Secunda vult naturam purè corpoream siue inanimatam, siue animatam non esse assumibilem. Referuntur *Alen; D. Bon; Henr; Pic. Mirand. in Apologia in defensione 4. proposit; Hurt. disp. 43. sect. 2; Pasqualig. disp. 78. sect. 9; apud quos alij.*

4 Nostra tandem docet simpliciter, & absolutè loquendo quanlibet naturam substantialem creatam potuisse assumi à persona Diuina in vnitatem suppositi; quanuis supposito motiuo, quod Deus habuit de facto, liberandi hominem congruum fuerit solam natutam humanam assumi. *Ita Fund. Doct. hìc dist. 2. p. 1. ar. 4; Argent. ibid. dist. 2. p. 1. ar. 1; & 2; Gibb. hìc disp. 8. dub. 1; & communiter omnes alij.*

D. P. Aug. serm. 58. de Verbis Domini, & Fund. Doct. Aeg. hìc, & dist. 1. p. 1. art. 1. ad 2; & dist. 12. p. 2. q. 3. art. 1. §. Secunda via docent, quòd licèt agere, & pati conueniat supposito, vt *quod*, attamen hoc ei non competit, nisi ratione naturæ; cuius propria est illa actio, & passio; natura enim est ratio formalis agendi,& patiendi, cùm definiatur *principium operandi.* Hinc ex hoc, quòd duæ naturæ vniantur in eodem supposito Verbi Diuini, habetur communicatio idiomatum vtriusque naturæ, quia vtraque natura communicat cum eodem supposito; Diuina quidem per identitatem, humana verò per assumptionem, quæ est cum distinctione reali ab eodem supposito. Propter quod idem suppositum Verbi Diuini est homo, & Deus; & de eo prædicantur omnia, quæ dicuntur de homine, vt quòd sit factum ex muliere, passum, crucifixum, &c; quæ ei conueniunt ratione humanæ naturæ, & quæ dicuntur de Deo; vt quòd sit omnipotens, creator &c; quæ ei competunt ratione naturæ Diuinæ.

6 Ex hoc sequitur, quòd licèt imperfectiones creaturæ prædicentur de Deo, nulla tamen imperfectio in Deum inducitur, quia tantùm dicuntur secundùm naturam assumptam; & ideo cùm dicitur; *Deus est passus*; facit sensum, quòd *Deus passus est secundùm naturam humanam*, secundùm quam ei tantùm conuenit pati; & qua præcisa omnino impassibilis est; nam secundùm naturam Diuinam simpliciter ei pati repugnat.

7 Vt

7 Vt autem omnis æquiuocatio tollatur, dicimus, quòd aliud est comparare naturam humanam ad suppositum Verbi Diuini incomplexè sumptum, scilicet prout contradistinguitur ab humana natura; & aliud est ipsam comparare ad Christum, qui est quid complexum ex supposito Verbi Diuini, & ex natura humana. Si primo modo comparetur; suppositum Diuinum dicitur simpliciter impassibile; si verò secundo modo, dicitur passibile &c. Neque ad hoc, vt suppositum Christi complexè sumptum pati dicatur, requiritur, quòd vtrunque, scilicet Verbum, & natura humana, sit passibile, sed sufficit, quòd sola natura humana sit ratio patiendi. Sicut homo dicitur intrinsecè corruptibilis, & intrinsecè corrumpi, quia intrinsecè complectitur materiam, quæ est radix corruptionis, quanuis anima rationalis, ex qua etiam componitur, sit ab intrinseco incorruptibilis. Quemadmodum ergo homo concretè sumptus dicitur corruptibilis; & tamen ex hoc non sequitur, quòd anima rationalis, quam intrinsecè importat homo, sit corruptibilis, vel corrumpatur ad corruptionem totius, quod est homo; ita Christus concretè sumptus dicitur passibilis, & passus fuisse; quia naturam humanam, quæ est capax passionis, complectitur; quanuis suppositum Diuinum incomplexè sumptum nec sit passibile, nec patiatur; & eo magis, quia suppositum Diuinum non informat intrinsecè naturam humanam, sicut anima materiam.

8 Colligitur itaque ex his nullam imperfectionem refundi in ipsum Deum ex assumptione cuiuslibet naturæ creatæ quantuncunque imperfectæ, & inferioris; neque ex eo, quòd plures propositiones sonantes vilitatem, abiectionem, & indignitatem prædicarentur de complexo ex supposito Diuino, & ex illa natura, refunderentur in Deum secundùm se, sed tantùm prout terminantem talem naturam; etiansi refunderentur intrinsecè in illud complexum, vt in principium *quod*, non tamen imperfectionem in Deum inueherent.

9 Vnica concl. Suppositum Diuinum absolutè loquendo potuit assumere quancunque naturam substantialem creabilem; supposito tamen motiuo liberandi hominis congruentiùs assumpsit naturam humanam.

Prob. 1. *ex Apost. Hebr. 2. Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*; quibus verbis *iuxta SS. PP.* doctrinam Dei erga hominem dilectio maximè commendatur; nam peccantibus Angelis, & homine, dignatus est Angelis in eorum perditione relictis hominem assumẽdo naturam humanam redimere. Quod arg; vt constat, non concluderet, nisi natura Angelica assumibilis esset.

10 Resp. *Gonet* hoc ad summum probare naturam Angelicam assumibilem esse ad Diuinam existentiam, non autem ad subsistentiam; quod sufficeret ad ostendendam Dei erga hominem dilectionem.

Sed cont. 1. *Apost.* comparat assumptionem naturæ humanæ cum assumptione naturę Angelicæ; & ait non assumpsisse naturam Angelicam, nec factum fuisse Angelum; assumpsisse tamen humanam, & hominem factum fuisse; sed non potuit fieri homo, nisi assumendo naturam humanam ad Diuinam subsistentiam in vnitatem suppositi Diuini; ergo neque potuit assumere naturam Angelicam, & fieri Angelum, nisi eam assumendo ad Diuinam subsistentiam in vnitatem suppositi Diuini. Non esset autem comparatio, quæ debet esse eiusdem formæ, sed disparatio, quæ est respectu diuersarum formarum; si intelligi posset de assumptione naturæ Angelicæ ad Diuinam existentiam, & naturæ humanæ ad Diuinam subsistentiam. 2. Natura Angelica non est assumibilis, vt suppositata; ergo per ipsam assumptionem suppositaretur; & ideo assumeretur nedum ad existentiam, sed etiam ad subsistentiam Diuinam, aliter daretur à parte rei natura vltimò non terminata, & ideo infinita, quod repugnat; suppositalitas enim est vltimus terminus naturæ.

11 Prob. 2. *ex S. P. Aug. lib. de Vera Relig. c. 16.* docente; *Nam id poterat, & in aliquo æthereo corpore ad nostrorum aspectuum tolerantiam temperato, sed etiam hominibus in vero homine apparuit; ipsa enim natura suscipienda erat, quæ liberanda.* Arguitur autem *à Fund.* ex ratione formali ipsius assumptionis sic. Cui minùs competit esse per se, & in se, magis conuenit assumi à Diuino supposito; sed naturæ irrationali minùs competit esse in se, & per se; ergo magis ei competit assumi à Diuino supposito. Prob. ma. Cui magis conuenit esse in alio, & per aliud, tanquam per terminum vltimò terminantem, & substentantem, magis conuenit assumi à Diuino supposito; hoc enim importat assumi; sed cui minùs conuenit esse in se, & per se, magis conuenit esse in alio, & per aliud, tanquam per terminum vltimò terminantem, & substentantem; esse nanque in se, & per se; & esse in alio, & per aliud, tanquam per terminum vltimò terminantem, & substentantem, opponuntur; sunt enim membra diuidentia esse, *vt sic*; & cui minùs conuenit de vno opposito, magis conuenit de alio opposito; quando opposita adæquatè diuidunt rem; vt quia albedo, & nigredo adæquatè diuidunt colorem, *vt sic* (colores enim medij non sunt, nisi colores extremi magis, & minùs participati) ideo quod habet minus de albedine, habet magis de nigredine; albedo enim non minoratur, nisi per nigredinem, & è contra; ergo cui minùs conuenit esse in se, & per se, magis conuenit assumi à Diuino supposito. Prob. mi. Cui minùs conuenit per se agere, minùs conuenit per se esse; sicut enim agere sequitur ad esse; ita per se agere ad per se; sed naturæ irrationali

tionali

tionali minùs competit per se agere, quàm naturæ rationali; quia per se agere importat agere cum dominio suarum actionum, quod competit tantùm naturæ rationali, non autem irrationali, cui non competit libertas, quæ est formaliter dominium actionum; quapropter irrationalia dicuntur potiùs agi, quàm agere; ergo naturæ irrationali minùs competit esse in se, & per se.

12 Prob. 3. *ab eod.* ex parte Dei assumentis. Gerens vicem omnis *suppositi* potest assumere quancunque *naturam*; sed suppositum Diuinum potest *gerere vicem* omnis suppositi; ergo potest assumere quancunque naturam. Ma. constat; quia munus suppositi est vltimò terminare naturam, & gerere vicem alterius est gerere munus illius; ergo gerens vicem omnis suppositi potest assumere quancunque naturam. Mi. etiam claret; quia suppositum Diuinum est omne suppositum, cùm sit simpliciter infinitum; sicut enim ens simpliciter infinitum est omne esse; ita à pari.

Conf. Ideo Verbum Diuinum assumpsit de facto naturam humanam; quia gerit vicem suppositi humani; & ideo gerit hanc vicem, quia continet eminenter suppositum humanum; & ideo *continet eminenter* suppositum humanum, quia est simpliciter infinitum in ratione suppositi; sed ex eo, quòd sit infinitum in ratione suppositi, debet eminenter continere omne suppositum; quia infinitum omnia continet, & nihil excludit; ergo potest assumere quancunque naturam.

13 Prob. 4. *ab eod.* ex parte naturæ assumptę. Sola potentia obedientialis reddit creaturam assumibilem in vnitatem suppositi Diuini; sed in qualibet natura creata est potentia obedientialis; ergo quælibet natura creata est assumibilis in vnitatem suppositi Diuini. Prob. ma. Creatura assumi non potest in vnitatem suppositi Diuini per potentiam actiuam existentem in creatura; quia hæc assumptio est opus omnipotentiæ, quæ repugnat creaturæ, quæ propterea nequit efficere incarnationem; neq; per potentiam passiuam naturalem; quia *secundùm Com. nulla est potentia passiua naturalis in creatura, cui non respondeat potentia actiua naturalis*; & ideo sicuti repugnat creaturæ potentia naturalis actiua effectiua incarnationis; ita ei repugnat potentia naturalis passiua; sed præter potentiam actiuam, & passiuam naturalem nulla alia potentia, nisi obedientialis, datur in creatura; ergo sola potentia obedientialis reddit creaturam assumibilem in vnitatem Diuini suppositi. Prob. mi. Omnis creatura est essentialiter serua, & subiecta imperio Dei, quia habet esse à Deo; & ad nutum Dei potest illud recipere, & amittere; ergo in omni creatura est essentialiter potentia obedientialis respectu Dei.

14 Prob. 5. *ab eod.* Corpus mortuum est natura irrationalis, & inanimis; est enim priuatum anima rationali, à qua solùm denominatur rationale, & animatum; irrationale autem, & inanime dicit quid priuatum rationalitate, & anima; sed suppositum Verbi in triduo assumpsit corpus mortuum; illis enim tribus diebus Verbum mansit vnitum corpori iacenti in sepulcro, & animæ descendenti ad inferos; quia *quod semel assumpsit, nunquam dimisit*; idèst animam, & corpus, quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit; ergo potest assumere naturam irrationalem, & inanimem.

15 Dices. In tantùm Verbum retinuit corpus sibi hipostaticè vnitum; in quantùm corpus dicebat respectum ad animam rationalem; ergo non est par ratio de natura simpliciter irrationali, quæ nullum talem dicit respectum.

Resp. *Fund. Doct.* hoc solum probare congruitatem; congruum enim fuit solùm assumere naturam rationalem; at non probare, quòd de potentia absoluta non possit assumere naturam irrationalem; quia illud corpus, quanuis diceret respectum ad animam rationalem; attamen de facto erat natura irrationalis, & inanimis secundùm suam quiditatem; & eiusdem rationis cum corporibus mortuis aliorum hominum, quæ procul dubio sunt naturæ irrationales non viuentes; ergo sicuti potuit illud secundùm substantiam retinere sibi vnitum; ita potuit alias naturas irrationales sibi secundùm substantiam vnire, quanuis non dicerent relationem ad animam.

16 Tandem prob. In tantùm Verbum Diuinum potuit assumere naturam humanam; in quantùm suppositalitas humana est realiter distincta, & separabilis ab illa; sed quælibet natura creata realiter distinguitur à sua suppositalitate; quia nulla creatura est suum esse, & ideo nec suum subsistere, quod non distinguitur ab esse; ergo quælibet natura creata est assumibilis à supposito Diuini Verbi.

17 Congruum autem fuisse supposito motiuo liberandi hominis solam naturam humanam assumi prob. Sola natura sananda erat assumenda; sed sola natura humana erat sananda; ergo sola erat assumenda. Ma. patet ex verbis Christi Domini *Matth. 9. Non est opus valentibus Medicus; & Luc. 5. Non egent, qui sani sunt, Medico; & in Symb. Nic. Propter nostram salutem descendit de Cœlis.* Ex quibus sic. Medicina naturæ fuit assumptio naturæ; sed soli naturæ sanandæ conferenda erat medicina; ergo sola natura sananda esset assumenda. Prob. mi. Sola natura hominis erat in statu ęgritudinis; natura enim Angelorum malorũ statim post peccatum fuit in statu perpetuæ mortis, quia fuit in termino, malo enim immobiliter adhæsit; natura verò eorum, qui remanserunt in bono, in quo conditi fuerunt, statim adepta est vitam æternam; denique natura irrationalis incapax est vitæ æternæ, quæ in actibus intellectus, & vo-

luntatis

luntatis consistit. At natura humana est capax salutis æternæ, quia est intellectualis, & post peccatum, quod est infirmitas animæ, malo inflexibiliter non adhæsit, sed per gratiam vnionis medicanda remansit; ergo sola natura humana erat sananda.

18 Imò etiam non supposito motiuo liberandi hominis adhuc congruum fuit, quòd sola natura assumeretur humana; conueniens enim erat, quòd vtraque creatura, scilicet corporalis, & spiritualis vniretur suo Creatori; sola autem natura humana complectitur naturam corporeã, & spiritualem, quia constat ex anima, & corpore; angelica autem excludit corpoream; irrationalis verò excludit spiritualem; ergo conueniens fuit solam naturam humanam assumi. *Sed de hoc in q. seq. art. 2.*

19 Obijc. 1. Ea, quæ Deum dedecent, Deo repugnant; implicat enim poni in Deo aliquam indecentiã, sicut implicat poni in Deo aliquam malitiam; nam quemadmodum malitia opponitur eius summæ bonitati, & ideo ei repugnat; ita indecentia opponitur eius summæ sapientiæ, & prudentiæ; sed Deum fieri naturam irrationalem Deum dedecet, quia dedecet denominari equum &c; ergo repugnat assumere naturam irrationalem. 2. Ea, quæ Deo incongruunt, Deo repugnant; omnis enim incongruentia, quia est defectus, Deo repugnat; sed assumere naturam irrationalem Deo incongruit ex concessis; ergo idem.

Resp. dist. ma. Quæ Deum dedecent simpliciter secundùm omnem ordinem, quẽ posset eius summa prouidentia, & sapientia statuere, conc; secundùm quid, idèst secundùm aliquem ordinem tantùm, neg; nam possunt decere secundùm alium ordinem nobis ignotum; & neg. mi; sicut enim non dedecet Deum denominari passum, mortuum, quia istæ denominationes ei non conueniunt, nisi ratione naturæ humanæ, quam tantùm irreceptibiliter terminat, & ideo nullum defectum important intrinsecum Deo; ita à fortiori denominaretur equus &c; quia esse equum &c. dicit aliquod positiuum, non purum defectum, sicut dicit passio, mors &c. Ideo Deus potest dici eminenter equus, non mors &c; quia equus dicit aliquam perfectionem, quæ continetur in Deo; mors purum defectum, qui in Deo non est. Ad 2. dist. eodem modo ma. Quæ Deo incongruunt simpliciter, conc; & neg. mi; secundùm quid, neg; & conc. mi.

20 Inst. Quia malitia repugnat Dei bonitati, ideo secundùm nullum ordinem potest poni in Deo; ergo à pari.

Resp. neg. cons; nam vt diximus *to. 4. de fide q. 1. art. 3. §. 1. n. 21*; malitia importat actionem, quę tribuitur ipsi supposito elicitiuè; hę autem denominationes important solam terminationem. *Vid. vbi s.*

21 Obijc. 2. Natura creata per vnionem hipostaticam fit filia Dei naturalis, vt docet *S. P. Aug. lib. 8. de Trin. c. 9*; fit sancta, videns, & amans Deum, eleuatur ad ordinem supernaturalem, & Diuinum, sed hæc omnia repugnant creaturæ irrationali, quæ horum est essentialiter incapax; ergo idem. 2. Minus est Deum videre, & amare, quàm illi hipostaticè vniri; sed primum naturæ irrationali repugnat simpliciter; ergo & secundum.

Resp. dist. ma. Natura, quæ ex capax, conc; quæ non esset capax, neg; vt patet de corpore mortuo Christi Domini in triduo, quod non erat filius, de cuius ratione est vita; neque sanctum, de cuius ratione est participare naturam intellectualem Dei; neque videns, & amãs, quia istæ sunt operationes viuentis; neque eleuatum ad ordinem Diuinum, qui est intellectualis; ita à pari. Præterea dicitur effectum formalem primarium vnionis hipostaticæ esse terminare naturam; adductos verò esse effectus secundarios, quia scilicet talis natura est ad illos ordinata; primarius autem potest præstari sine secundario, vt patet. Ad 2. neg. cons; nam ideo repugnat naturæ irrationali videre Deum, quia videre est actio propria naturæ intellectualis, & ideo nequit conuenire naturæ irrationali, cui nequit competere intellectualitas; at terminari hipostaticè est passio conueniens omni naturæ; ideo potest competere naturæ etiam irrationali. Sicuti non valet ex eo, quòd intelligere sit maius, quàm sentire; ideo Angelis, quibus nequit competere sentire, non possit conuenire intelligere; ita à pari. Valet ergo modus arguendi, quando id, quod est maius, & minus, sunt in eodem ordine, vel vnum includit essentialiter aliud; non autem quando sunt disparata, vt in casu.

22 Obijc. 3. Cui repugnat effectus formalis alicuius formæ, repugnat vniri ipsa forma; sed naturæ irrationali repugnat effectus formalis personalitatis Diuinę; quia effectus formalis personalitatis est constituere personam, quę essentialiter importat naturam intellectualem, vt patet ex eius definitione; ergo idem.

Resp. in casu personam Diuinam terminaturam, vt habet rationem suppositi, quod habet prçcisè constituere naturam subsistentem; non personę, quę habet constituere naturam intellectualem, *vt quod*. Vnde dist. mi. Personalitatis Diuinę, vt personalitas est, conc; vt suppositalitas, neg. Neque audiendi sunt *quidam Scotistæ*, qui negant rationem suppositalitatis esse formaliter in Deo; nam suppositalitas prçcisè importat subsistentiam incommunicabilem, quam constat esse formaliter in Diuinis personis; cętera verò dicit tantùm materialiter.

23 Obijc. 4. In substantijs simplicibus, quę non componuntur ex materia, & forma, suppositalitas non distinguitur à natura; vt docet *D. Tho. 1. p. q. 3. ar. 3*; sed natura Angelica est huiusmodi

iusmodi; ergo non potest assumi; implicat enim assumi suppositum.

Resp. neg. ma; nulla enim creatura est suum esse, & suum subsistere. *D. Tho.* ait tantùm se ipsis constituere suppositum ita, vt tot sint supposita, quot substantiæ; non autem ait in illis non distingui naturam à suppositalitate.

A R T. VI.

An suppositum Diuinum potuerit assumere substantiam incompletam?

1 NOmine *substantiæ incompletæ* hic tãtùm significatur pars substantialis compositi physici diuisim sumpta, scilicet materia sine forma; & forma separata à materia. Quanuis enim natura metaphysicè considerata sit substantia incompleta, constituit enim simul cum subsistentia suppositum, quod est totum metaphysicum; attamen si physicè accipiatur, habet rationem totius, componitur enim ex partibus physicis, quæ sunt materia, & forma. Cùm igitur de natura, vt est pars metaphysica, hucusque actum sit, sequitur agendum de partibus physicis constituentibus naturam ad hoc, vt plena huius rei notitia habeatur. Quoniam tamen forma physica alia est rationalis, alia purè materialis, ideo de vtraque est discurrendum.

2 Prima sententia vult materiam primam, & formas materiales separatim assumi posse à supposito Diuino. *Ita Scot; Maior; Fabr. in 3. dist. 2. q. 1; Suar, hic disp. 14. sect. 2; & 3: Tanner. disp. 1. q. 4. dub. 2. Ban. 1. p. q. 66. art. 1. dub. 2. apud nostrum Gibb hic disp. 8. dub. 1. n. 19;* qui illos sequitur, asserentes materiam, & formas materiales habere proprias existentias, & subsistentias.

3 Secunda vult formas materiales, non autem materiam separatim posse assumi. *Ita Med; Aluar; Cipull; & alij Thomistæ*, quos sequitur *Gonet hic disp. 9. art. 2. §. 2. Dico tertiò.*

4 Nostra docet solam animam rationalem separatam à materia esse assumibilem; non verò materiam sine forma, aut formas materiales sine materia. *Ita Fund. Doct. in 2. dist. 1. p. 1. q. 2. art. 4. §. Aduertendum; & in Hexam. p. 1. c. 7;* vbi refert *D. Tho. 1. p. q. 66. art. 2.* Hanc sententiam sequuntur *omnes nostri* vno excepto *Gibb; & ex alijs Cabr; Naz; & plures Thomistæ*, qui tenent materiam, & formas materiales non habere proprias existentias. *Ita etiam Vasq. 1. p. disp. 125. c. 4.*

5 Vnica concl. Sola anima rationalis à corpore separata assumi potest in vnitatem Diuini suppositi; non autem materia sine forma, nec forma materialis sine materia.

Prob. 1. pars concl. *ex Act. 2. Quem Deus suscitauit à mortuis solutis inferni doloribus, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Super quod *S. P. Aug. lib. 12. de Gen. ad lit. c. 29.* ait: *Quomodò enim aliter accipiendum sit &c; non video, nisi vt quorundam dolores apud inferos eum soluisse accipiamus ea potestate, qua Dominus est, cui omne genuflectitur cælestium, terrestrium, & infernorum, per quam potestatem etiam illis doloribus, quos soluit, non potuit teneri.* Ex quo sic. Anima Christi in triduo erat à corpore separata, & hipostaticè vnita supposito Verbi Diuini; ergo anima rationalis separata à materia potuit assumi in vnitatem Diuini suppositi. Ant. prob. *ex textu*. Christus Dominus descendens ad inferos secundùm animam separatam à corpore soluit inferni dolores ea potestate, qua Dominus est; sed non est Dominus, nisi quatenus Deus, & non est Deus, nisi quatenus Diuino supposito vnitus; ergo anima Christi Domini in triduo erat hipostaticè vnita Diuino supposito. Tum quia Christus essentialiter importat suppositum Diuinum, & naturam humanam; sed dicitur Christus descendisse ad inferos secundùm animam tantùm, à qua formaliter sumitur ratio naturæ humanæ, quia forma dat materiæ esse specificum; ergo anima Christi in triduo fuit vnita Diuino supposito. Tandem *quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit;* quod *SS. PP; & DD.* explicant de partibus essentialibus, quæ constituunt hominem; sed istæ sunt anima, & corpus; ergo Verbum in triduo mansit coniunctum animæ, & corpori; propter quod tunc anima, & corpus optimè dicebantur Christus, quia corpus, & anima tunc vniebantur supposito Christi.

6 Prob. 2. *ex S. P. Aug. lib. 10. de Ciuit. Dei c. 29. Quid ergo incredibile est, si aliqua vna intellectualis anima modo quodam ineffabili, & singulari pro multorum salute suscepta est? Corpus verò animæ cohærere, vt homo totus, & plenus sit.* Ex quo sic. Illud, quod est ratio assumendi aliud in vnitatem suppositi, est multò magis assumibile, quàm illud, quod assumitur per aliud; nam *propter quod vnumquodque tale, & illud magis;* cùm res magis dicatur de eo, quod est per se, quàm de eo, quod est per aliud; sed anima rationalis est ratio assumendi corpus humanum in vnitatem suppositi Diuini; quia Verbum assumpsit corpus assumendo animam; cùm corpus sit propter animam, non è contra; tum quia anima est ratio, per quam corpus subsistit, cùm ad ipsam sequatur existentia, & subsistentia; ipsa enim per se ipsam est capax existentiæ, & subsistentiæ, quia de se actus specificus est; existentia autem est terminus rei specificæ, quia est terminus naturæ, quæ speciem importat; materia verò non nisi per formam fit actuata, cùm à forma habeat specificationem; sed quod est ratio, per quam aliud subsistat, est ratio, per quam assumatur in vnitatem suppositi, quia natura creata in supposito tantùm habet subsistere; ideo anima rationalis est ratio assumendi corpus huma-

humanum; ergo multò magis ipsa est assumibilis in vnitatem Diuini suppositi.

7 Dices. Si anima esset ratio assumendi corpus, sequeretur, quòd corpus in triduo non mansisset assumptum à Verbo; quia ablata ratione formali tollitur effectus; sed conf. est falsum; ergo & ant.

Resp. *Fund. Doct. hìc dist.2.p.2.art.1.* dist. ma. Si anima esset ratio essentialis, necessaria simpliciter, & secundùm quancunque potentiam, & secundùm actum, conc; si esset ratio tantùm de congruo, secundùm quid, secundùm potentiam ordinariam, & secundùm aptitudinem tantùm, neg; nam sicut quia pulchritudo est ratio tantùm de congruo, vt mulier assumatur in matrimonium Regis; ideo si pulchritudo tollatur à muliere iam nupta, non dissoluitur matrimonium. Ita quia secundùm potentiam ordinariam, & aptitudinaliter substantia est ratio, ob quam existunt accidentia; ideo secundùm potentiam absolutam possunt existere etiam separata à substantia, vt in Sacramento altaris. Ita à pari. Anima ergo est tantùm ratio de congruo, aptitudinalis, & secundùm legem potentiæ ordinariæ, ob quam Deus assumpserit corpus, & ideo etiam facta separatione corpus manet assumptum.

8 Prob.3. Illud, quod secundùm se præcisè est capax subsistentiæ, potest assumi in vnitatem Diuini suppositi; effectus enim suppositi est reddere naturam in se ipso subsistentem; atque adeo illud, quod est capax acquirere subsistentiam secundùm se ipsum præcisè, potest assumi à supposito Diuino; sed anima rationalis est huiusmodi; separata nanque à materia subsistit, quod non foret, si subsistentiæ secundùm se capax non esset; implicat enim aliquod secundùm se subsistere, & secundùm se subsistentiæ capax non esse; ergo anima rationalis separata à materia assumi potest à Diuino supposito.

9 Prob.2. pars concl. Implicat rem, quæ non est constituta in aliqua specie, constitui in aliquo supposito; sed materia secundùm se præcisè non est constituta in aliqua specie; ergo implicat constitui in aliquo supposito; atqui assumi à supposito Diuino est constitui in supposito Diuino; quia constitui in supposito est terminari à supposito, & reddi subsistens in illo; quod significat idem, ac assumi à supposito; ergo implicat materiam præcisè assumi à Diuino supposito. Prob. ma. Sicut se habet species ad genus; ita suppositum ad speciem, quemadmodum enim species determinat genus; ita suppositum determinat speciem; sed implicat rem esse in aliqua specie, & non in genere illius speciei; quia superiora, vt est genus, essentialiter imbibuntur in inferioribus, vt est species; ergo implicat rem subsistere in aliquo supposito, & non esse in aliqua specie. Prob. mi. Materia constituitur in specie solùm per formam, quæ dat rei esse specificum, vt constat; ergo secundùm se præcisè non est in aliqua specie.

10 Præterea cui repugnat existere, repugnat etiam subsistere; sed materiæ sine forma repugnat existere; ergo ei repugnat etiam subsistere; & ideo repugnat assumi à supposito, quia assumi à supposito est subsistere in illo, seu per subsistentiam illius. Ma. constat; quia subsistere importat esse in se, & per se; & existere dicit esse; & ideo cui repugnat esse, repugnat etiam esse in se, & per se; sicut enim cui repugnat animalitas, repugnat etiam rationalitas, quæ est species illius, quia cui repugnat genus, repugnat species, non è contra; ita cui repugnat esse, quod est genus ad esse in se, & in alio, repugnat etiam esse in se, & in alio. Mi. supp. *ex 1. Phys.* quia existentia definitur *actus, per quem cōstituitur res extra suas causas*; materia autem sine forma non est res, quia *non est aliquid, non color, non figura &c*; vt docet *S. P. Aug. lib.12. Conf. c.3*; aliquid autem, & res conuertuntur, vt dicitur *in Summulis. Vid. to.3. in Hexam. art.5. n.8. 9. & 10. Sed de hoc ad Phys.*

11 Prob. 3. pars concl. *ex Fund. Doct. in Hexam. vbi s.* Forma materialis est simpliciter inseparabilis à materia; ergo nequit assumi separata à materia, implicat enim, quòd simpliciter inseparabile sit separatum. Prob. ant. Separatio à materia essentialiter importat spiritualitatem; dupliciter enim potest forma esse separata à materia. 1. Ita, vt materiæ coniungi non queat, tanquam pars simul cum materia constituens compositum; & sic sunt Angeli, qui nec sunt materiales, nec habent materiam partem sui. 2. Ita, vt actu vniatur materiæ, sed tamen possit etiam separata subsistere; & sic est anima rationalis, quæ pariter est spiritualis; quapropter nomine formæ separatæ à materia *communiter ab antiquis, & etiam nuperis Philosophis* forma spiritualis significatur; ergo forma materialis est simpliciter inseparabilis à materia.

12 Conf. Nulla res potest separari ab alia, nisi per exclusionem illius; quandiu enim illam includit, ab illa non separatur, sed illi vnitur; inclusio nanque importat vnionem, vt constat; sed sola res spiritualis excludit materiam; spituale enim est membrum diuidens rem a materiali; quia res diuiditur in materialem, & spiritualem; ergo sola res spiritualis potest separari à materia. Atqui implicat dicere formam materialem esse spiritualem; hæc enim opponuntur; ergo implicat dicere formam materialem posse separari.

13 Prob.2. *ex D.Thom; & Fund. Doct. vbi sup.* Omne intellectuale est immateriale; sed omnis forma separata à materia est intellectualis; ergo omnis forma separata à materia est immaterialis. Atqui implicat dicere formam materialem esse immaterialem; immateriale enim habet

habet adiunctam negationem materialis; sicut irrationale rationalis; ergo implicat dicere formam materialem esse separatam à materia. Ma. probata est *to. 1. de subst. Dei q. 2. artic. 7. §. 1.* immaterialitas enim est radix intellectualitatis; & vna probatur per aliam in diuerso genere, causæ, vt *ibid.* fusè monstrauimus. Prob. mi. *ex D. Tho.* docente, quòd si vera esset positio *Auerrois* asserentis Cęlum esse formam separatam à materia, sequeretur, quòd Cęlum esset intelligens; intellectio enim fit per abstractionem à materia; abstractio autem, & separatio idem significant; ergo omnis forma separata à materia est intellectiua. 2. Quamuis quæstio sit, an actu intelligibile sit intellectiuum, vt docet *Beatiss. P. lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 10*; attamen nulli dubium est, quòd actu per se intelligibile pertinet ad genus entis intellectualis, est enim obiectum intellectus; & genus intellectuale integratur ex potentia intellectiua, actu intellectionis, & obiecto intelligibili; quapropter intelligibile, & intellectuale sub eadem significatione accipiuntur; vt inquit *S. P. Aug. ibid*; sed omnis forma separata à materia est per se actu intelligibilis; quia sicut materia impedit intellectionem; ita priuatio illius infert intellectionem; separatio autem priuationem importat; ergo omnis forma separata à materia est intellectualis. Tandem inductione monstratur. Quia Deus est separatus ab omni materia, & potentialitate passiua, cùm sit actus purissimus, ideo est infinitè intellectualis. Quia Angeli sunt formæ per se existentes separatæ ab omni materia physica includentes tamen potentialitatem passiuam, quæ dici potest materia metaphysica; habent enim *suum hyleachim*, vt loquitur *S. P. Aug*; ideo sunt intellectuales simpliciter, sed non infinitæ. Quia anima rationalis est separabilis à materia, cùm possit separata subsistere; ideo est intellectualis, quamuis quandiu est materiæ coniuncta, ab illa, tanquam ab organo, in intelligendo dependeat; ergo à sufficienti enumeratione innotescit omnem formam separatam à materia ad ordinem intellectualem spectare. *Vide to. 1. vbi sup.*

14 Demum sicut se habet forma spiritualis respectu spiritus, à quo forma denominatur spiritualis; ita forma materialis respectu materiæ, à qua dicitur materialis; sed implicat formam spiritualem separari à spiritu; si enim spiritus non esset, necessariò esset corpus; quia spiritus, & corpus adæquatè diuidunt ens; ergo implicat formam materialem separari à materia, aliter materialis non esset, sed spiritualis; quia spirituale adæquatè diuiditur à materiali.

15 Dices. Ideo formam spiritualem non posse separari à spiritu, quia forma spiritualis, & spiritus idem sunt; at forma materialis realiter differt à materia ideo ab illa est separabilis.

Sed contra. Suppositalitas intellectualis, quæ habet modum formæ spiritualis, quia contrahit, & determinat naturam spiritualem, realiter distinguitur ab ipsa natura, & tamen nequit ab ipsa separata consistere; quamuis enim natura possit à sua suppositalitate separari, non tamen è contra; aliter illa suppositalitas esse suppositalitas nihili; quia nihil supposítaret; ergo à pari quamuis materia sit separabilis à forma materiali, quia realiter ab illa secernitur; attamen forma materialis nequit separari à materia, secus non esset forma materialis, quia materiam excluderet.

16 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. Anima rationalis separata nequit habere rationem personæ; ergo nequit assumi à persona Diuina; aliter personaretur id, quod non est personabile, quia nequit esse persona. Ant. prob. *à Fund. Doct. hìc dist. 1. par. 1. q. 1. art. 2. cont. Hug.* sustinentem solam animam rationalem habere rationem personæ; quia anima est *rationalis naturæ indiuidua substantia*; & ideo est persona, quæ sic definitur. Quamuis enim anima, vt est separata, sit quoddam totum per se subsistens; attamen non est totum simpliciter, & per omnem modum; respicit enim corpus, ad quod naturalem habet inclinationem; ergo non est persona, aut suppositum, quod essentialiter importat diuisionem ab alio, non vnionem cum alio. *Vid. to. 1. de subst. Dei q. 2. art. 4. §. 2. n. 22.*

Resp. dist. cons. A persona Diuina, prout est terminus adæquatus totius naturæ, conc; prout est subsistens, neg; subsistentia enim non habet, sicut persona, totum adæquare; nam per eandem subsistentiam, per quam existit totus homo, existit solùm anima illius hominis a corpore separata. At persona cùm sit *per se vnum*, & vnum sit indiuisum; ideo nequit diuisim plures partes eiusdem totius significare, sed omnes simul significat; quapropter adæquatè solùm accipitur.

17 Obijc. 2. cont. 2. part. concl. 1. Ideo materia nequit existere sine forma per existentiam creatam; quia existentia creata est effectus formalis formæ, & effectus formalis nequit haberi sine causa formali; sed existentia Diuina non est effectus formæ creatæ; ergo per illam materia poterit existere. 2. Suppositum Diuinum potest terminare naturam creatam, quia est omne suppositum, cùm sit infinitum, vt dictum est; & ideo potest gerere munus cuiuscunque suppositi creati; sed essentia Diuina est omnis essentia, cùm sit infinita; ergo poterit gerere munus cuiuslibet formæ, & sic illam supplendo in aliqua materia poterit illam materiam assumere ad existendum. 3. Saltem sequeretur, quòd materia vnita cum forma posset assumi non assumpta ipsa forma. 4. Materia habet suam existentiam, & subsistentiam partialem; quia producitur diuersa actione ab ea, qua producitur forma; tum quia subsistentia formæ nequit

quit reddere subsistentem materiam, aut è contra; modus enim vnius rei nequit aliam rem modificare; ergo idem.

Resp. ad 1. existentiam dici effectum formalem formæ, quia formam supponit, & ad illam sequitur; supponit enim materiam esse in aliqua determinata specie, vt dictum est; non autem dici effectum, quia forma illam constituat, sicut albedo constituit album. Retorq. igitur arg. Ideo materia nequit existere sine forma, quia existentia sequitur ad formam, & eam supponit; sed existentia Diuina non supponit formam in materia; ergo materia nequit per illam existere. Ad 2. iam dictum est *art. 2. num. 9*; nam quanuis essentia Diuina sit omnis essentia; attamen nequit per se ipsam supplere essentiam creaturæ; quia cùm essentia creaturæ sit idem formalissimè, ac creatura, Deus faceret rem sine se ipsa, quia faceret sine sua essentia; at suppositum est extra essentiam creaturæ, cùm ab illa realiter differat, ideo sine supposito creato potest suppositare per suum Diuinum suppositum essentiam creaturæ salua remanente essentia creaturæ. Ad 3. neg. seq; nam vel illa forma esset suppositata, vel non? Si primum; ergo simul cum illa esset etiam suppositata materia; quia suppositum est terminus adæquans totam naturam, vt dictum est; & sic illa materia non posset assumi à Diuino supposito, quod nequit assumere naturam suppositatam, quia nequit suppositum sumere; vt videbimus *in seq. art.* Si secundum; ergo illa forma non existeret; aliter esset suppositata, quia ex essentia, & existentia constituitur suppositum. Ad 4. neg. ant. Ad 1. prob. neg; quòd sit diuersa actio, qua producitur materia, & forma; quia per eandem actionem, qua producitur totum, quod solùm propriè producitur, producuntur materia, & forma, quæ sunt ipsum totum. Ad 2. dicitur, quòd subsistentia est modus existentiæ, quæ realiter distinguitur à forma, & materia; vt diximus *tom. 1. de subst. Dei q. 2. art. 4. §. 1*; & sicuti per eandem existentiam, ita per eandem subsistentiam, qua existit, & subsistit totum, existunt, & subsistunt materia, & forma, quæ simul sumpta non sunt aliud, quàm ipsum totum.

18 Obijc. 3. cont. 3. part. concl. Non minùs dependent à subiecto materiali accidentia materialia, quàm formæ materiales à materia; sed accidentia materialia possunt diuinitus separari à subiecto, & recipere modum existendi similem illi, quem habebant, quando erant coniuncta subiecto; vt patet de quantitate *in Sacramento Altaris*; ergo idem dicendum de formis materialibus, quæ propterea possunt assumi ad existendum per Diuinum suppositum, quod potest supplere etiam illum modum existendi, cùm eius existentia sit infinita. 2. Accidentia panis in Sacramento, quanuis separata, sunt materialia; ergo formæ materiales, quanuis separatæ, essent materiales, non spirituales; denominantur enim materiales, non per materiam, à qua distinguuntur, sed per materialitatem, quam intrinsecè habent, & à qua nequeunt spoliari; & sic ruunt allatæ rationes.

Resp. ad 1. neg. ma; nam accidentia essentialiter dicunt solam dependentiam inhærentiæ aptitudinalis; at formæ materiales dicunt receptionem, & immersionem actualem in materia, vt probatum est; aliter si dicerent receptionem tantùm aptitudinalem essentialiter, & accidentaliter actualem, sicut dicunt accidentia, eodem modo dependerent à materia, quo dependet anima rationalis, quæ ita actualiter recipitur in materia, vt aptitudinaliter possit existere extra illam; & ideo haberent eandem abstractionem à materia; ac propterea eandem spiritualitatem, quæ sumitur secundùm abstractionem à materia. Ad 2. dicitur, quòd accidentia denominantur materialia per ordinem, quem dicunt ad materiam, cui apta sunt inhærere; at formæ dicuntur materiales intrinsecè propter entitatem materialem, quam habent intrinsecè; & quam non haberent, si essent separatæ à materia, quæ sola habet, & participat formis entitatem materialem.

19 Quæres, quid dicendum sit de partibus integralibus?

Gonet vbi sup. §. 3. putat partes integrales, vt manus, pes &c; præcisas à toto posse assumi, quia existunt per existentiam diuersam ab existentia totius; partes verò coniunctas toti non posse assumi, quin assumatur ipsum totum; quia existunt per existentiam totius.

20 Certum est omnes partes simul non posse assumi quin assumatur totum; quia omnes partes simul idem sunt, ac ipsum totum; vnde si omnes partes assumerentur, & non assumeretur totum; idem assumeretur, & non assumeretur. Quantùm verò ad aliquas tantùm, videtur nullam importari implicantiam ex *sup.* allatis; nam vna forma potest desinere informare aliquam partem coniunctam corpori, in quo est; vt videtur in arbore, in cuius trunco existit ramus siccus; tunc in illo ramo videtur esse alia forma, ad quam sequitur alia existentia; ex quo apparet nullam esse implicantiam, quòd illa pars assumatur. Cùm autem dicitur, quòd partes coniunctæ existunt per existentiam totius, quod etiam docet *Fund. Doct*; verum est; si illæ partes informentur vna, & eadem forma, ad quam sequitur vna existentia; falsum autem, si partes informentur diuersis formis. Præterea nulla videtur repugnantia, ob quam Deus non possit impedire, ne existentia extendatur ad omnes partes, sicut non est repugnantia, quòd vna forma impediatur à Deo, ne informet omnes partes corporis; ergo illæ partes non existentes per existentiam creatam possunt assumi.

21 Dices. Implicat naturam aliquam termina-

mina-

minatam subsistentia creata terminari per subsistentiam Diuinam, vt *inf* videbimus; ergo implicat partes coniunctas terminari per subsistentiam Diuinam; terminarentur enim per subsistentiam creatam simul, & Diuinam; quia pars existens in toto non potest non subsistere per substitentiam totius; subsistentia autem totius esset creata, vt supponitur.

Resp. neg. cons. Ad probat. infert. dicitur partes coniunctas terminatas per subsistentiam Diuinam non fore terminatas simul per subsistentiam creatam, vt dictum est; impediretur enim subsistentia creata, ne illas terminaret. Partes autem coniunctæ in toto existũt per existentiam totius, nisi impediatur, conc; si impediatur, neg. Vel si informentur ab eadem forma, & existentia, conc; si à diuersa, neg. Sed quidquid sit de hoc, parui enim momenti est.

ART. VII.

An Verbum potuerit assumere naturam humanam habentem propriam personalitatem?

1 Certum est (inquit *Fund. Doct. hic dist. 6. par. 2. q. 1. art. 1. resol. dub. 1. lat. §. Sed istud*) Diuinum suppositum non posse assumere suppositum creatum; cùm enim suppositum importet aliquod per se existens vltimò terminatum; & assumpti sit ad hoc, vt illud, quod assumitur, fiat existens, & terminatum; & per consequens est ad id, quod non est vltimò terminatum; ideo implicat assumi suppositum; quia implicat aliquod esse, & non esse vltimò terminatum. Tum quia suppositum est incommunicabile alteri, aliter non esset vltimò terminatum, quia posset terminari ab eo, cui communicaretur; illud autem, quod assumitur ab aliquo, communicatur assumenti; quapropter natura dicitur communicari supposito, à quo assumitur, & terminatur. Quæritur ergo tantùm de natura; an sicuti separata à suppositalitate creata sibi propria potuit assumi à supposito Verbi Diuini; ita coniuncta cum suppositalitate potuerit assumi ita tamen, vt non assumeretur ipsa suppositalitas.

2 Prima sententia affirmatiuè respondet. *Ita Mart. Perez hic disp. 9. sect. 9; Hurt. in Met. disp. 11. sect. 7; & hic disp. 44. n. 1; Bernal disp. 24. sect. 2;* apud quos *Baccon; & alij*. Non impossibilem hanc sententiam putat *Sua. hic disp. 14. sect. 1.* asserens contrariam non posse ratione conuincenter suaderi.

3 Secunda sentẽtia docet repugnare etiam diuinitus. *Ita Fund. Doct. vbis; & sæpissimè alibi. Franc. à Christo in 3. dist. 5. q. 2; Gibb. hic disp. 8. dub. 2; & omnes nostri communiter*. Idem docet *S. Tho. in 3. distin. 5. qu. 3. art. 3; & omnes Thomistæ, ac alij Theologi* teste *Gonet hic disp. 9. art. 4.*

4 Assumere naturam habentem propriam personalitatem (inquit *noster Franc. à Christo*) stat dupliciter. 1. destructiuè ita, vt in instanti assumptionis destruatur ipsa personalitas, & assumatur sola natura. 2. retentiuè ita, vt assumatur natura retinens suam personalitatem non assumendo tamen ipsam personalitatem. In primo sensu hoc non est denegandum omnipotentiæ Dei; sicuti enim de facto Verbum Diuinum assumpsit naturam præuentiuè destruendo illius personalitatem, idèst impediendo, ne personalitas creata terminaret naturam; ita subsecutiuè, idèst postquam natura terminata est à propropria personalitate, potuit personalitatem destruere, & assumere ipsam naturam; illa enim potentia, quæ potest impedire causam creatam, ne agat, potest etiam destruere effectum illius, postquam egit, omnipotens nanque est; & nulla aliunde assignari impossibilitas potest. Difficultas itaque solùm in secundo sensu procedit.

5 Vnica concl. Non potest suppositum Diuinum assumere naturam creatam retinentem propriam personalitatem creatam etiam non assumpta ipsa personalitate creata.

Prob. 1. *ex S. P. Aug. lib. 13. de Trin. c. 17.* docente: *Sic Deo coniungi potuit humana natura, vt ex duabus substantijs fieret vna persona; at per hoc iam ex tribus, scilicet Deo, anima, & carne.* Sic *PP. Conc. Ephes; & Calced; & V. Syn. contra Nestorium* asserunt in Christo esse vnam tantùm personam, quia natura humana, & Diuina non possunt vniri, nisi in vnitate personæ; arguitur sic. Natura Diuina, & humana etiam spectata absoluta Dei potentia non possunt vniri in ratione naturæ, ergo etiam spectata Dei potentia non possunt vniri, nisi in ratione personæ. Prob. ant. Implicat, quòd ex natura Diuina, & humana fiat vna tertia natura; sicut fit ex anima, & carne, ex quibus coalescit humanitas, quæ est forma totius; sic enim natura Diuina, & humana confunderentur in vnum, quod repugnat; ergo natura Diuina, & humana etiam spectata Dei potentia non possunt vniri in ratione naturæ. Prob. cons. In quolibet toto substantiali non datur, nisi ratio naturæ, & personæ, ex quibus essentialiter constituitur suppositum intellectuale; ergo optimè infertur ex eo, quòd non possit haberi vnitas substantialis in ratione naturæ, quòd debeat essentialiter haberi in ratione personæ. Atqui si assumeretur natura creata retinens suam propriam personalitatem, ibi non esset vnitas in ratione personæ; essent enim ibi duæ personæ, scilicet creata, & increata; numerus autem binarius, importat multitudinem, quæ opponitur vnitati; ergo implicat assumi naturam creatam retinentem propriam personalitatem. Hoc arg. sumitur *ex S. P. Aug. de Verb. Dom. serm. 58;* vbi loquens de vnione duarum naturarum in Christo ait: *Quæ tamen substantiæ non sunt confusæ, sed vnitæ, atque in vna, eademque*

quę persona inseparabiles, & in sua semper proprietate manentes.

6 Sequitur S. P. *Aug. ibid. In tantùm enim hæ duæ naturæ sibimet vnita sunt, atque coniunctæ, vt idem Christus Deus, & homo aliquando res aut agat, aut loquatur humanas, aliquando Diuinas.* Ex quo sic. Natura Diuina, & humana ita vniuntur in Christo, vt sit vnum, & idem, quod dicitur Deus, & quod dicitur homo; aliter non esset vnio naturæ humanæ, à qua dicitur homo, & Diuinæ, à qua dicitur Deus; sed in casu non esset vnum, & idem, quod diceretur Deus, & homo; quia suppositum humanum retentum à natura humana esset homo, & non Deus, non enim esset assumptum à personalitate Diuina; ergo casus est impossibilis. 2. In tantùm natura humana, & Diuina vniuntur; in quantùm actiones propriæ naturæ humanæ essentialiter debent dignificari à persona Diuina, quæ est principium *quod* elicitiuum illarum; essentialiter enim petunt esse infiniti valoris, vt sint satisfactoriæ, vt *inf*; sed in casu essentialiter non deberent dignificari à persona Diuina; quia possent elici à persona creata etiam terminante naturam humanam; quod enim potest esse à duobus, non est essentialiter tantùm ab vno; ergo idem. Tum quia actiones Christi debent essentialiter esse theandricæ, idest *Dei hominis*; sed non sunt tales, nisi quia vnum, & idem suppositum Diuinum est principium *quod* elicitiuum actionum humanarum, & Diuinarum; ergo in Christo essentialiter est vnum tantùm suppositum Diuinum; & ideo nec per potentiam Dei potest in ipso esse suppositum creatum, quod tolleret theandriam actionum.

7 Prob. 2. Quotiescunque duo vniuntur ad inuicem, tunc nequit vnum assumi alio non assumpto; assumptio enim est vnio; *& quę vniuntur vni tertio, vniuntur inter se*; sed suppositum humanum in casu esset vnitum naturæ humanæ, cui etiam esset vnitum suppositum Diuinum; ergo in casu non posset assumi natura humana, quin assumeretur suppositum humanum. Atqui suppositum humanum nequit assumi, vt consentiunt *Aduersarij*; ergo neque natura humana vnita supposito humano; atque adeo contraria sententia contradicit in terminis.

8 Prob. 3. Quod est formaliter simpliciter incommunicabile, implicat formaliter communicari; aliter simul esset simpliciter, idèst secundùm omnem rationem, incommunicabile; & secundùm aliquam rationem communicabile, quod est contradictorium; sed natura creata suppositata est formaliter simpliciter incommunicabilis; quia de ratione suppositationis est reddere naturam simpliciter incommunicabilem; ergo natura creata suppositata nequit communicari supposito Diuino; atque adeo ab illo nequit assumi, quia assumi est illi communicari. Ma. constat. Prob. mi. Ita se habet suppositalitas respectu naturæ specificæ; sicut differentia specifica respectu naturæ genericæ; sicut enim hæc contrahit, & determinat genus ad hanc speciem ità, vt illam reddat simpliciter incommunicabilem alteri speciei; ita illa contrahit, & determinat naturam ad hoc suppositum, & reddit simpliciter incommunicabilem alteri supposito; sed implicat per quancunque potentiam, vt natura animalis v.g. contracta, & determinata per rationalitatem contrahatur simul, & determinetur ab irrationalitate; quamuis animal præcisè sumptũ possit ab vtraque disiunctiuè contrahi, & determinari; ergo implicat naturam humanam contractam, & determinatam à supposito humano contrahi simul, & determinari à supposito Diuino; quamuis præcisa tali contractione, & determinatione possit ab vtroque disiunctiuè contrahi, & determinari; atque adeo est simpliciter incommunicabilis.

9 Conf; & simul euertitur instantia, quæ fieri potest. Natura Diuina, quamuis infinita, suppositata per paternitatem nequit suppositari per aliam paternitatem eo, quia est adæquatè suppositata in ratione Patris; potest autem suppositari in ratione Filij per filiationem, quia propter suam fœcunditatem purissimam potest identicè Filio communicari; sed natura creata propter suam finitatem nequit à pluribus suppositis suppositari; in tantùm enim natura Diuina potest à pluribus personis suppositari; in quantùm eadem est pluribus personis identicè communicabilis in diuersa linea; natura autem creata nequit pluribus communicari, quia finita est, & limitatur tantùm ad vnam suppositationem in vno genere, scilicet in genere substantię physicę; non enim potest suppositari in linea intellectiui, & volitiui, sicut suppositatur natura Diuina; quia in talibus lineis non est producibilis, cùm producatur in esse physico substantiali; esse autem intellectiuum, & volitiuum est accidentale in creatura; ideo nequit esse terminus formalis productionis creaturæ; sicuti quia in Diuinis est substantiale, ideo est terminus formalis Diuinarum productionum; ergo natura creata suppositata ob suam finitatem nequit assumi à supposito Diuino.

10 Vrgetur magis. In tantùm essentia Diuina suppositata per paternitatem potest suppositari per filiationem; in quantùm filiatio est diuersæ rationis à paternitate, ideo nanque nequit suppositari per aliam paternitatem, quia alia paternitas esset eiusdem rationis, & sic secundùm illam rationem non esset adæquatè suppositata; sed talis natura creata adæquatè suppositatur per suppositalitatem creatam; aliter posset naturaliter suppositari ab alia suppositalitate creata; & suppositaretur secundùm eandem rationem à supposito Diuino; suppositum enim Diuinum suppositat, in quantùm gerit vices suppo-

suppositi humani; gerens autem vices alterius agit secundùm eandem rationem, secundùm quam agit alterum; hinc filiatio in Diuinis non dicitur gerere vicem paternitatis; quia suppositat essentiam secundùm rationem diuersam ab ea, secundùm quàm suppositat paternitas; ergo natura creata retinens propriam suppositalitatem nequit suppositari à Diuino supposito.

11 Ampliùs. In tantùm natura Diuina suppositata per paternitatem est suppositabilis per filiationem, & spirationem actiuam; in quantùm est communicabilis per identitatem purissimam tribus personis Diuinis; aliter non vna, & eadem, sed diuersa suppositaretur; at nullus diceret naturam creatam esse communicabilem pluribus suppositis per identitatem purissimam; talis enim communicatio prouenit à summa, & infinita actualitate, quæ creaturæ repugnat; ergo nullus dicere potest naturam creatam habentem suam suppositalitatem posse assumi à suppositalitate Diuina.

12 Prob. 3. *à nostro Franc. à Christo*. Implicat aliquod esse simul independens, & dependens; subsistens, & non subsistens; sed in casu natura creata esset simul independens, & dependens; subsistens, & non subsistens; quia omne suppositatum est independens à quocunque alio supposito tanquam à sustentante; sic enim definitur suppositum; & per consequens etiam à supposito Diuino, quod procul dubio est aliud à supposito creato; & quod ab alio est suppositabile est dependens ab illo, tanquam à sustentante; atque adeo si natura creata suppositata à supposito creato esset suppositabilis à supposito Diuino, esset dependens à supposito Diuino, tanquam à sustentante. Idem dicendum omnino de subsistentia, & non subsistentia; natura enim creata suppositata est subsistens in se, & per se; & quatenus suppositabilis à supposito Diuino, non est subsistens, sed in potentia ad subsistendum in illo; ergo implicat naturam creatam suppositatam posse assumi à Diuino supposito.

13 Præterea si suppositalitas creata non impediret vnionem hipostaticam Verbi Diuini cum natura creata, Verbum Diuinum illam de facto assumpsisset; quia debuit assumere naturam creatam cum omni sua perfectione naturaliter ei debita; sed cons. est contra fidem; ergo & ant.

14 Insuper effectus formalis proprius subsistentiæ creatæ est reddere naturam existentem in se, & per se, idest in sua, & per suam personalitatem; & non in alio, & per aliud; *subsistere* nanque, vt docet *S. P. Aug. lib. 7. de Trin. cap. 4*; secundùm nominis ethimologiam *ad se dicitur*; quod opponitur *dici in alio*; sed suppositum Diuinum est aliud à supposito creato, est enim proprium naturæ Diuinæ, quæ est alia à natura creata; ergo implicat naturam creatam subsistentem per propriam personalitatem assumi à Diuino supposito; aliter simul verificaretur esse in alio, & non esse in alio; quod compertum est repugnare.

15 Tandem probari solet ex eo, quòd vnus, & idem effectus nequeat esse à pluribus causis totalibus in eodem genere causalitatis; sed natura humana adæquatè completur, & terminatur à propria personalitate; secus si inadæquatè terminaretur, posset naturaliter terminari ab aliena personalitate, natura enim rei naturalis complementum præstare potest; vt constat in omnibus effectibus, quos vsque ad complementum perducit; ergo nequit terminari à suppositalitate Diuina; quæ licèt diuersi ordinis, attamen quia suppositaret, quatenus gereret vices suppositi creati, & sub eadem ratione formali agendi; ideo non posset eundem effectum præstare; in tantùm enim duæ causæ diuersi ordinis possunt concurrere ad causandum eundem effectum; in quantùm agunt sub diuersa ratione formali agendi; non autem quando agunt sub eadem ratione formali; vt dicitur *in 2. Phys.*

16 Obijc. 1. *D. Dam. lib. Cur ad imaginem Dei sumus*; habet; quòd Verbum assumpsit naturam humanam sine hypostasi, vt peccabilitas vitaretur; in tantùm enim Christus est impeccabilis; in quantùm *actiones sunt suppositorum*; supposito autem Diuino repugnat peccare; at si assumpsisset suppositum humanum, ei non repugnasset peccare; & ideo illud non assumpsit, ne peccabilitatem assumeret; ergo ex hoc infertur potuisse assumi naturam suppositatam; aliter dixisset, quòd non assumpsit, quia impossibilis est talis assumptio; non autem quia peccare potuisset.

Resp. *aliquos* dubitare versionem huius rei non esse legitimam, quia *ibid.* videtur adstruere duplicem voluntatem vnam hypostasis, aliam naturæ, vt testatur *Gonet*; cęterùm quidquid fit de hoc. Neg. cons; infertur enim potiùs oppositum. Si nanque assumpsisset naturam cum suppositalitate creata, peccare potuisset; sed impossibile est Christum peccare in natura assumpta; quia impossibile est Filium Dei desinere esse Dei Filium, & per peccatum fieri filium Diaboli; ergo impossibile est Verbum assumere suppositalitatem creatam. Ex vno itaque impossibili arguitur aliud.

17 Obijc. 2. Vt personalitas Diuina impediat personalitatem creatam, debet esse priùs in humanitate, quàm in illa sit personalitas creata; sicut enim causa producens debet præcedere effectum; ita causa impediens; sed in eodem instanti personalitas Diuina fuit in humanitate, in quo debuit esse personalitas creata; ergo non potuit illam de facto impedire. 2. Forma actuans potentiam naturalem non est incompossibilis cum forma actuante potentiam obedientialem,

tialem, quia sunt diuersi ordinis; vt patet de prudentia infusa,& acquisita; ergo suppositalitas Diuina,quæ respicit potentiam obedientialē naturæ humanæ, non est incōpossibilis cū personalitate creata,quæ respicit potentiam naturalem.

Resp. ad 1.dist. ma. Debet esse priùs prioritate originis, & causalitatis, quæ stat cum simultate temporis, conc; prioritate temporis, neg. Ad 2. dist. ant. Non est incompossibilis, si respiciant eundem effectum formalem totaliter, neg; quapropter non datur prudentia supernaturalis infusa, & acquisita respectu eiusdem effectus formalis; vt diximus *to.4. de Virt. q.3. art.* 8. Si respiciant diuersum effectum formalem sub diuersa ratione formali, vel eundem, sed partialiter, conc.

18 Obijc. 3. Natura Diuina terminata personalitate Patris adhuc terminatur personalitate Filij, & Spiritus Sancti, ergo à pari.

Resp. hoc fuisse solutum. Neg. igitur cons; quia natura Diuina ob sui infinitatem purissimam, & actualissimam constituitur in suppositis Diuinis per relationes Diuinas, quæ cum sint tres diuersæ rationis realiter distinctæ, habent constituere tria supposita. At natura creata ob sui finitatem habet vnicum tantùm modum, quo constituitur in supposito. *Vid. sup.*

19 Obijc. 4. Eadem natura creata suppositata à persona Verbi potest suppositari à persona Patris, & Spiritus Sancti; ergo retenta propria personalitate potest suppositari etiam à supposito Diuino.

Resp. *Gonet* neg. cons; nam per propriam suppositalitatem constituitur in se, & non in alio; per alienam verò constituitur in alio; implicat autem constitui non in alio,& in alio; non tamen implicat habere plures modos, quibus constituitur in alio.

20 Sed contra. Sicuti per propriam personalitatem constituitur in se, & non in alio à se; ita per personalitatem alienam constituitur in illo alio,non tamen in altero diuerso ab illo alio; v. g. ita constituitur in Filio, non tamen in Patre; nam in tantùm per propriam personalitatem constituitur in se, non in alio, quia ipsa personalitas propria habet adiunctam negationem personalitatis alienæ; sed etiam talis personalitas aliena habet adiunctam negationem cuiuslibet alterius personalitatis; ergo ita constituitur in hoc alio, vt non possit constitui in diuerso ab hoc alio. 2. In tantùm natura constituta per propriam personalitatem nequit constitui per alienam, in quantùm per propriam personalitatem adæquatè terminatur; sed etiam per personalitatem Filij adæquatè terminatur; ergo non potest simul constitui per personalitatem Patris. *Vid. in seq. art.* alias rationes.

21 Resp. itaque *cum Fund. Doct.* dist. ant. Quatenus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus conueniunt in vnica subsistentia absoluta, conc; quatenus differunt subsistentijs, aut modificationibus eiusdem subsistentiæ, neg; vt *inf.* declarabimus.

22 Quæres; an natura humana in vno loco terminata propria personalitate, in alio loco possit à Deo assumi?

Respondent affirmatiuè *Sua*; *noster Gibb*; *& alij*; quia sicut non repugnat humanitatem Christi in Cælo esse extensam per ordinem ad locum, & in Eucharistia carere tali extensione; imò sicuti non repugnat corpus Christi in Cælo esse animatum, & in Eucharistia inanimatum; vt docent *Sua*; *Gran*; *& alij*; ita non repugnat Christi humanitatem in vno loco esse terminatam propria subsistentia; & in alio ea carere; atque adeo assumi à supposito; siquidem eadē natura, prout subest diuerso tempori,& loco, est quasi virtualiter duplex subiectum.

23 Sed *Fund. Doct. hic dist. 2. p. 1. q. 1. art. 1. §. Nona etiam* docet; quòd si aliquis consecrasset in triduo mortis Christi, confecisset verum corpus Christi, sed sine anima eo, quòd in tantùm anima Christi est sub speciebus panis post verba consecrationis; in quantùm coniungitur corpori Christi; & ex vi verborum incipit esse corpus Christi, per concomitantiam verò anima, & cetera, quæ vniuntur corpori Christi; vt docent *Theologi communiter*. Falsum est ergo, quòd possit esse animatum in vno loco, & inanimatum in alio. Quanuis ergo pro diuerso tempore idem corpus potuerit esse viuum, & mortuum;non tamen pro eodē tēpore in diuerso loco; quia in tantùm potest esse pro diuerso tempore; in quantùm duo contradictoria successiuè pro diuerso tempore possunt verificari, & solùm repugnat simul esse vera; quia simul coniungeretur esse, & non esse in eodem subiecto. At quanuis in diuerso loco, si tamen pro eodem tempore duo contradictoria prædicarentur de eodem subiecto, duo contradictoria possent esse simul vera; quod repugnare docent *Logiculi*.

24 Resp. itaque negatiuè; quia implicat de eodem simul verificari contradictoria, scilicet esse subsistens simul, & non subsistens. Nec diuersitas loci, qui est aliquod extrinsecum, sufficit ad diuersificandum subiectum; constat enim fore eandem naturam omnino in diuerso loco; & ideo de eadem omnino natura verificaretur, quòd simul esset subsistens, & non subsistens propria personalitate. Ad id de extensione dicitur, quòd extensio per ordinem ad locum est effectus secundarius quantitatis, qui potest à Deo impediri, quia competit quantitati, prout comparatur ad locum formaliter; ideo variato loco, qui est terminus formalis specificatiuus talis extensionis, potest variari talis extensio absque eo, quòd varietur subiectum talis extensionis. At esse determinatiuum, & distinctiuum naturæ est effectus formalis primarius personalitatis,

litatis, qui manente personalitate in eadem natura nequit à Deo impediri in vno loco, & non in alio. Sicuti enim quia extensio partium in ordine ad se *in nostra Sententia* est effectus primarius quantitatis; ideo nequit Deus facere, quòd quantitas corporis Christi sit extensa in ordine ad se in vno loco, & non in alio; aliter vbi non daretur hæc extensio, ibi nō esset quantitas; & esset, vt supponitur; quod est contradictorium. Ita à pari quanuis Deus possit absolutè impedire personalitatem creatam, ne terminet propriam naturam; attamen manente personalitate in tali natura, est impossibile, quòd non præstet suum effectum formalem primarium, vbicunque ponatur talis natura; quæ non respicit locum, nisi materialiter, quatenus scilicet talis natura sibi vendicat aliquem locum ad hoc, vt sit intra hoc Vniuersum. Neque quis diceret quòd natura existens sub personalitate creata, & increata sit vna, & eadem; quia effectus personalitatis est distinguere naturam numero; nihil enim est magis notum, quàm naturam distingui numero per diuersas personalitates; cùm nulla alia sit ratio distinguens naturam v. g. *Petri* à natura *Pauli*, quàm personalitas *Petri*, *& Pauli*; vt est per se notum; & declarabitur *inf. art. 9.*

ART. VIII.

An persona Diuina potuerit assumere naturam accidentalem sine substantiali?

1 EX eo, quòd fides doceat accidentia *in Sacramento Altaris* existere sine proprio subiecto, quod est substantia panis, & vini, quæ vi Diuinæ potentiæ desinit esse manentibus accidentibus; motiuum sumpsere *Theologi* inquirendi, an Deus possit assumere accidentia immediatè sine propria substantia? Nam quòd Verbum in incarnatione mediante natura humana assumpserit etiam accidentia ei propria, certum est, & indubium. Accidentia autem assumi à supposito Diuino potest intelligi. 1. ita, vt assumantur in vnitatem suppositi, seu subsistentiæ personalis, & suppositentur, sicut suppositatur natura humana; & in hoc sensu *omnes* conueniunt, *teste nostro Gibb*; assumi non posse; quia nihil potest assumi in vnitatem Diuini suppositi, nisi sit capax constituendi suppositum proprium creatum vnitum cum propria suppositalitate creata; dicitur enim naturam humanā assumptam fuisse in vnitatem Diuini suppositi; quia secundùm se ordinatur ad constituendum vnum suppositum creatum simul cum sua suppositalitate creata; cùm autem repugnet suppositū Diuinum constitui per naturam creatam, ideo cùm natura humana vnita fuit Diuino supposito, dicitur assumpta in vnitatem Diuini suppositi, non ipsum constituendo, sed ab ipso suppositanda. Sed accidentia sunt essentialiter incapacia constituendi suppositum creatum; quia suppositum est substantia, imò prima substantia, quæ repugnat constitui per accidens, quod ad illam essentialiter sequitur, cùm ei dicatur accidere; ergo accidentia nequeunt in hoc sensu assumi in vnitatem Diuini suppositi. 2. Ita, vt solùm per ipsum Diuinum suppositum subsistant, aut existant, & sint vnum in ratione subsistentiæ, aut existentiæ, non in ratione suppositi; existentiæ nanque, & subsistentiæ videntur esse capacia *ex Sacramento Altaris*, in quo existunt in se, & per se, quod est formaliter subsistere sine subiecto ea substentante. In hoc sensu quæstio procedit.

2 Prima sententia vult accidentia posse assumi ad subsistendum subsistentia Diuina. *Ita Mars; Almain; Val; Cabr; Med; Naz. apud nostrū Gibb. Mastr.* autem hìc disp. 1. q. 7. art. 2. ait posse assumi ad subsistendum subsistentia Diuina, non prout habet rationem suppositantis, & subsistentis, prout subsistentia excludit rationē existendi in alio tum actualiter, tum aptitudinaliter; hoc enim conuenit tantùm substantiæ, prout ab accidente distinguitur; sed prout habet rationem substentantis, & subsistentis in alio, tanquam in termino; hoc enim communiter conuenit accidenti, & substantiæ imperfectæ. *Ita ibid. à nu.* 250. *vsque ad* 253. Refert autem pro hac sententia *Scot. in 3. dist. 1. q. 1. ar. 1; & dist. 22. q. 1. in fine, & Quodl. 19. §. Secundò potest.* Item refert *Vulp. disp. 6. q. 1; Bellut. disp. 4. q. 4; Aretin. in 3. dist. 2. q. 1. art. 8; Auers. q. 4. sect. 1; Amic. disp. 15. sect. 2; Lug. disp. 12. sect. 3. nu. 13; & alios.*

3 Secunda vult posse assumi ad existendum per existentiam Diuinam, non autem ad subsistendum. Ita *Aluar; Cipull; Cabr; Io. à S. Tho; & Gonet hìc disp. 9. art. 3; & alij Thomistæ recentes.*

4 Nostra tandem docet accidens posse quidem à Deo substentari sine subiecto, non tamen posse assumi in vnitatem suppositi, subsistentiæ vel existentiæ Diuinæ. Deducitur *ex Fund. Doct. inf; Gibb. hìc disp. 8. dub. 2. n. 24; Ita etiam Mair; Bassol; Rad; Sua; Vasq; disp. 30. c. 5; Lorc; Gran; & alij.*

5 Docet *Fund. Doct. Aeg. Quodl. 2. q. 2.* existentiam. & subsistentiam non distingui realiter, sed solùm secundùm diuersas rationes diuersarum habitudinum. Existere nanque, *vt sic*, prout est commune substantiæ, & accidenti, & est *actus, per quem res ponitur à parte rei extra suas causas*, diuiditur in existentiam in se, & per se, quæ competit substantiæ; & hæc est subsistentia, quæ formaliter non importat, nisi existentiam in se, & per se, vt diximus *ex S. P. Aug. in sup. art. n.* 14; & in existentiam in alio, & hæc competit accidenti, cuius proprium est esse in alio.

Sicut

Sicut autem exiſtere in ſe, & per ſe nihil aliud eſt, quàm exiſtere per exiſtentiam ſibi propriam; quapropter natura ſubſtantialis, licèt exiſtat in ſuppoſito, attamen dicitur exiſtere in ſe, & per ſe, quia exiſtit per ſuam exiſtentiam; ita exiſtere in alio nihil aliud eſt, quàm exiſtere per exiſtentiam alterius; aliter ſi exiſteret per exiſtentiam propriam diſtinctam ab exiſtentia alterius, exiſteret per ſe, idèſt per ſuam exiſtentiam, non in alio, ſeu per exiſtentiã alterius. Nec ex hoc, quòd accidens vniatur ſubſtantiæ, colligeretur, quòd exiſteret in alio, ſi exiſteret per exiſtentiam propriam; ſed non eſſet maior ratio, cur potiùs accidens, quàm ſubſtantia exiſteret in alio; vtrunque enim haberet in ſe exiſtentiam propriam, & exiſteret in ſe; per quod negaretur exiſtere in alio. Hac doctrina euertitur ratio *Genet* putantis accidentia habere exiſtentiam propriam diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ.

6 Sed quomodò accidentia in Sacramento Altaris poſſint exiſtere ſine ſubiecto, ſi eis nequit conuenire exiſtere in ſe, & per ſe?

Dicunt *aliqui* exiſtere per exiſtentiam Diuinam, per quam Deus gerendo vices exiſtentię creatæ illa ſuſtentat. Sed hoc eſt aſſerere Deum de facto aſſumere accidentia in vnitatem Diuinæ exiſtentiæ toties, quoties conſecratur aliqua hoſtia; & ſicuti quia per vnicam perſonalitatem Verbi, qua terminatur natura Diuina, & humana, dicitur Verbum eſſe incarnatum; ita quia per vnicam exiſtentiam Diuinam exiſteret natura Diuina, & accidentia, diceretur Deus *inaccidentatus*, quod nullus diceret.

7 Dicunt *alij*, vt *Scot. apud Maſtr. vbi ſ. n. 254. Gibb; & alij*; non habere modum per ſe eſſendi poſitiuum, ſed purè negatiuum, quatenus non ſunt in alio, & non dependent actu à ſubiecto.

Sed hoc etiam rem non explicat, & ludit verbis. 1. Quia omnis negatio ſuper affirmationẽ ei oppoſitam fundatur; affirmatio autem oppoſita negationi eſſendi in alio eſt eſſe in ſe, & per ſe; ergo vbi non datur eſſe in ſe, & per ſe, ibi nequit dari negatio eſſendi in alio. Hinc quia rationale, & irrationale adæquatè diuidunt animal; ideo negatio irrationalis fundatur ſolùm ſuper rationale; & negatio rationalis ſuper irrationale; valet enim: *Rationale non eſt irrationale*; & è contra; ſed eſſe in ſe, & in alio adæquatè diuidunt eſſe; ergo negatio vnius ſolùm ſuper aliud fundatur; & ideo negatio eſſendi in alio ſupponit eſſe in ſe, ſuper quod ſolùm fundatur. 2. Negatio eſſendi in alio, & negatio eſſendi poſitiuè in ſe infert negationem exiſtentiæ ſimpliciter; quia exiſtentia adæquatè diuiditur in eſſe in ſe, & in alio; ſicut negatio rationalis, & irrationalis infert negationem animalis; *à membris enim diuidentibus ſimul ſumptis valet negatiuè ad totum*; ergo dicere, quòd accidentia exiſterent per negationem eſſendi in alio, & non haberent modum poſitiuum exiſtendi in ſe, eſt dicere, quòd ſimpliciter non exiſtunt.

8 *Fund. Doct. propoſit. 37; & 38. de Sacram. Altaris* ait, quòd ſubiectum duplicem cauſalitatem exercet erga accidentia in genere cauſæ efficientis. 1. Cauſando in ipſis modum exiſtentiæ. 2. Ipſa conſeruando in eſſe. Exemplum primi ſit ſigillum impreſſum in cera, quod imprimit in ipſa figuram propriam ipſius ſigilli; quæ figura intrinſecè recipitur in ipſa cera, & remanet etiam remoto ſigillo. Exemplum ſecundi eſt ſigillum impreſſum in aqua, vel in alio corpore fluido, in quo imprimit figuram, & illam conſeruat, dum vnitum ei manet; at ablato ſigillo ſtatim deſinit figura, quia ſigillum eſt id, quo ſolummodò poteſt conſeruari. Sic ſubiectum ſubſtantiale vnitum accidentibus communicat eis modum, quo exiſtunt; & illa conſeruat in eſſe, dum ei manent vnita. At ſi deſtruatur ſubſtantia, ſtatim naturaliter loquendo deſinunt eſſe etiam ipſa accidentia.

9 Cùm igitur quidquid Deus facit cum cauſis ſecundis in genere cauſæ efficientis, poſſit ſe ſolo efficere, vt *omnes* fatentur; ideo poteſt accidentibus effectiuè communicare modum exiſtentiæ, & illa in eſſe ſeruare ſine ſubiecto creato, quod eſt cauſa efficiens ſecunda. Vel poteſt etiam deſtruere ſubſtantiam, & illius accidentia ſeruare cum modo exiſtendi, quem à ſubſtantia receperunt; vt contingit in accidentibus Euchariſticis; non enim illa de nouo producit, ſed conſeruat cum modo exiſtendi, quem habebant, cùm erant coniuncta ſubſtantiæ. Sed cum hoc diſcrimine, quia quando erant coniuncta, dicebantur exiſtere in alio, nempe in ſubſtantia; quando verò ſunt ſeparata, dicuntur exiſtere non in alio, quod deſtructum eſt, ſed in ſe; & ſic dicuntur habere modum ſubſtantiæ, qui eſt exiſtere in ſe, & per ſe. Nec ex hoc ſequitur accidentia euadere ſubſtantiam; ſicut ex hoc, quòd cera recipiat modum ſigilli, non euadit ſigillum; & ſicut ex eo, quòd natura humana in incarnatione acquirat modum accidentis, exiſtit enim per exiſtentiam Verbi Diuini, vt *inf.* euadit accidens, ſed manet ſubſtantia. Ita à pari. Hoc, quanuis ſpectet ad materiam *de Euchariſtia*, *hìc* duximus explicandum, quia cardo eſt, cui innituntur *Aduerſariorum* motiua; non enim Deus *in Sacramento Altaris* ſeruat accidentia in eſſe illa aſſumendo in vnitatem ſuæ exiſtentiæ; ſed ſimpliciter conſeruando modum exiſtendi, quem habebant, quando erant coniuncta ſubſtantiæ, & deſtruendo ipſam exiſtentiam ſubſtantialem, & ſubſtantiam, à qua ſeruabantur; & in hoc conſiſtit miraculum.

Sed dato etiam (inquit *Fund. Doct. hìc diſt. 2. p. 1. q. 1. art. 4. §. Prima via*) quòd Deus ſit eis intimè vnitus per ſuam exiſtentiam, non tamen per hoc ſequitur, quod dici debeant aſſumpta. Nam Deus eſt intimè vnitus omnibus rebus illas ſubſti-

fubftinendo in effe per fuam exiftentiam infinitam, imò magis interior intimo noftro; vt docet *S. P. lib.3. Conf. c. 6. Tu eras interior intimo meo*; & tamen non dicitur Deus affumpfiffe omnes creaturas, fed folam humanam naturam. Accidens ergo affumi à Deo non eft exiftere per exiftentiam Dei feruantem illud in effe, fed aliquid ampliùs requiritur.

11 Itaque ficut affumptio naturæ fubftantialis dicit formaliter fufceptionem eiufdem naturæ in vnitatem Diuini fuppofiti gerentis vicem fuppofiti creati, vt loquuntur *SS.PP. & DD*; adeoque impedientis fuppofitum creatum, ne terminet talem naturam; & per confequens, ne actiones, & paffiones propriæ illius naturæ tribuantur fuppofito creato, tanquam principio *quod*, fed Diuino; *actiones enim funt fuppofitorũ*; & natura eft ratio agendi, & patiendi; vt docent *Philofophi*; ita affumptio naturę accidentalis fine fubftantiali eft fufceptio eiufdem naturæ in vnitatem fubiecti Diuini gerentis vicem fubiecti creati, atque adeo impedientis fubiectum creatum, ne terminet, & fubftentet naturam accidentalem; & per confequens impedientis, ne actiones, paffiones, & officia talis naturæ accidentalis attribuantur fubftantiæ creatæ, fed Diuinæ, quæ per talem fufceptionem efficitur principium *quod* operans mediante tali accidente; & per confequens ei tribuenda funt omnia munera, & officia propria talis naturæ accidentalis. Ratio huius eft. Sicut natura fubftantialis creata fe habet refpectu fuppofiti, quod illam terminat, & fubftentat; ita natura accidentalis creata fe habet refpectu fubiecti, quod illam terminat, & fubftentat; ergo ficuti affumptio naturæ fubftantialis creatæ eft fufceptio eiufdem naturæ in vnitatem Diuini fuppofiti impedientis fuppofitum creatum; & gerendo vices illius efficitur per talem vnionem principium *quod* effectiuum actionum, quæ funt propriæ illius naturæ; & per confequens denominatur, quod patitur; ergo hoc idem dicendum de affumptione naturæ accidentalis creatæ. Re fic explicata.

12 Vnica concl. Ex doctrina *SS.PP.* & *DD* & ex ordinatione rerum, quam videmus, deducitur Deum non potuiffe affumere naturam accidentalem fine fubftantiali.

Prob. 1. *ex Fund. Doct. Quodl.6. q.3.* verfus finem docente: *Hoc dicimus, quia ex iam dictis non concluditur fuppofitum Diuinum poffe affumere naturam accidentalem fine fubftantiali; quia in hoc fuppofitum Diuinum non fuppleret vicem alicuius fuppofiti creati; quia nullum eft fuppofitum creatum, in quo fit fola natura accidentalis. Vtrum autem hoc fit poffibile, vel non poffibile, quòd Diuinum fuppofitum affumeret folam naturam accidentalem fine fubftantiali, non eft præfentis fpeculationis; tamen, vt patet ex habitis, non concluditur Diuinum fuppofitum poffe affumere quafcunque, & quotcunque naturas; nifi quatenus poteft fupplere vicem, quoruncunque, & quotcunque fuppofitorum creatorum, quia non habet limitationem refpectu talium fuppofitorum.* Ex quo fic arguitur. Ideo natura fubftantialis poteft affumi immediatè in vnitatem Diuini fuppofiti, quia eft ratio agendi, & patiendi effentialiter immediatè ordinata ad fuppofitum, tanquam ad principium *quod* agens, & patiens; quod fuppofitum vel debet effe proprium illius naturæ, vel potens præftare id, quod præftat fuppofitum proprium; vt eft fuppofitum Diuinum, quod cùm fit omnipotẽs, poteft efficere omne, quod efficiunt omnia fuppofita creata; & per confequens gerere vices omnis fuppofiti creati; fed natura accidentalis fine fubftantiali non eft ratio agendi, & patiendi immediatè effentialiter ordinata ad fuppofitum, tanquam ad principium *quod* agens, & patiens; ergo nequit affumi immediatè in vnitatem Diuini fuppofiti. Ma. eft doctrina *SS. PP;* & *DD*; nam *S.P. Aug. ferm.58. de Verbis Domini* docet: *In tantùm enim hæ duæ naturæ fibimet vnitæ funt, atque coniunctæ* (fupple *in vna, eademque perfona*; quod dixerat paulò ante) *vt idem Chriftus Deus, & homo aliquando res aut agat, aut loquatur humanas, aliquando Diuinas*; ergo natura fubftantialis effentialiter immediatè ordinatur, ceu ratio immediata agendi, & patiendi, ad fuppofitum, tanquam ad principium *quod* agendi, & patiendi per illam, & in illa natura. Quòd autem fuppofitum Diuinum poffit agere, quidquid agit fuppofitum creatum, habet *idem S. P. ferm.11. de temp. Si omnipotentis, ò homo, tali in negotio effe perfpicis voluntatem, de opere cur retractas?* Suppofitum ergo Diuinum, cùm fit infinitum, continet omne fuppofitum creatum, & ideo poteft omne, quod poteft omne fuppofitum creatum, aliter non effet omnipòtens. Prob. mi. Natura accidentalis effentialiter fequitur ad naturam fubftantialem, qua mediante ordinatur ad fuppofitum; dicitur enim accidentalis, quia accidit naturæ fubftantiali iam fuppofitatæ; quod autem accidit alteri, fequitur ad illud; fed illud, quod ordinatur ad aliquod mediante alio, non ordinatur ad illud immediatè; hoc enim implicat in terminis, vt patet; ergo natura accidentalis non eft ratio agendi, & patiendi immediatè ordinata ad fuppofitum.

13 Explic; & fimul oftenditur de fubfiftentia, & exiftentia. Natura fubftantialis immediatè ordinatur ad fuppofitalitatem, vt ad fuum actum, & terminum vltimò illam complentem; & eodem modo ordinatur ad fubfiftentiam, quia fuppofitalitas formaliter importat fubfiftentiam indiuiduam; vt diximus *to.1.q.2. de Subft. Dei art.4. §.2.n.20*; exiftentia verò immediatè ordinatur ad effentiam, cuius eft actus determinatiuus; ita enim fe habet fuppofitalitas, aut fubfiftentia refpectu naturæ; & exiftentia refpectu effentiæ; ficut forma refpectu materiæ; nam

nam sicut ex materia, & forma fit compositum physicum; ita ex existentia, & essentia fit compositum metaphysicum; & ex suppositalitate, & natura efficitur suppositum; forma autem immediatè ordinatur ad materiam, aliter non fieret vnum per se; & sic suppositalitas, aut subsistentia ad naturã; & existentia ad essentiam; sed implicat naturam accidentalem esse essentiam substantiæ, aut naturam substantialem, accidens enim non esset; ergo implicat naturam accidentalem immediatè vniri suppositalitati, subsistentiæ, aut existentiæ; ista enim tria immediatè non vniuntur, nisi essentiæ, & naturæ substantali, ad quam essentialiter ordinantur, tanquam actus, terminus, & complementum; ideo natura accidentalis sine substantiali assũmi non potest in vnionem suppositalitatis, subsistentiæ, aut existentiæ.

14 Prob. 2. Implicat dari secundum sine primo; secundum enim essentialiter supponit primum, sicut tertium supponit secundum; sed natura accidentalis est actus secundus: & natura substantialis est actus primus; forma enim substantialis, cui principaliter competit ratio naturæ, vt dicitur *in 2. Phys.* definitur *actus primus vnum per se constituens cum materia*; & accidens definitur *actus secundus vnum per accidens constituens cum subiecto*; ergo implicat dari naturã accidentalem sine substantiali in aliquo subiecto illam substentante.

13 Dices. Si hoc arg. valeret, sequeretur dari non posse accidens sine forma substantiali, quia daretur secundum sine primo; quod constat falsum esse in Sacramento Altaris.

Resp. neg. seq; aliud est enim secundum posse separari à primo; & aliud secundum posse primariò competere ei, cui essentialiter secundariò conuenit. Illud non implicare experientia docet, quoties secundum realiter distinguitur à primo; vt secundus filius existit separatus à primo. At istud repugnare compertum est; aliter si illud, quod secundariò conuenit alicui rei, posset primariò competere, iam secundum non esset, sed primum. Sic si secundus filius primò nasceretur Patri, iam non esset secundus, sed primus; quanuis secundus filius possit existere separatus à primo. Igitur quanuis accidens, quod' est actus secundus, possit existere separatum à forma substantiali, quæ est actus primus; attamen accidens nequit primariò vniri supposito, subsistentiæ, vel existentiæ; quia id, quod his primariò vnitur, est essentia substantiæ, & natura substantialis, quam hæc tria primariò respiciunt, vt dictum est.

16 Prob. 3. Suppositalitas, subsistentia, & existentia essentialiter faciunt vnum per se cum natura, & essentia primariò terminata; sed repugnat accidens efficere vnum per se; ergo repugnat accidens primariò terminari à suppositalitate, subsistentia, & existentia; atque adeo assumi sine natura substantiali, sic enim terminaretur primariò. Prob. ma. Quotiescunque duo simul ponuntur, quorum vnũ habet rationem actus terminãtis, & alterum rationem potentiæ determinabilis, tunc efficitur vnũ per se; solùm enim ex pluribus entibus in actu fit vnum per accidens; aliter etiam ex materia, & forma, quæ habent rationem potentiæ, & actus non fieret vnum per se; sed suppositalitas, subsistentia, & existentia habent rationem actus determinantis; & natura primariò terminata habet rationem potentiæ determinabilis; & aliunde est vnus tantùm actus, non plures; quia subsistentia, & existentia non differunt realiter, sed sunt vnus actus, qui respicit essentiam; & suppositalitas est vnus tantùm actus, qui respicit naturam; vt diximus *to. 1. q. 2. de Subst. Dei art. 4.* §. 2; ergo suppositalitas, subsistentia, & existentia essentialiter faciunt vnum per se cum natura, & essentia primariò terminata. Prob. mi. Ex accidente, & substantia fit vnum per accidens; nam fieri vnum per accidens est accidens vniri alicui subiecto, vt est per se notum; sed repugnat illud, quod efficit vnum per accidens, efficere vnum per se; per accidens enim, & per se opponuntur; ergo repugnat accidens efficere vnum per se.

17 Inst. *Gonet.* Quanuis natura humana adueniat secundariò personalitati Verbi, quæ primariò terminat naturam Diuinam; attamen ex personalitate Verbi, & natura humana fit vnum per se, non per accidens, quia natura humana trahitur ad esse personæ Diuinæ; ergo quanuis natura accidentalis faciat vnum per accidens; attamen quia traheretur ad esse Diuinum; efficeret vnum per se. 2. Non minùs distant genere substantia creata, & increata, quæ est extra genus; quàm substantia, & accidens; sed hoc non obstante ex substantia creata, & increata fit vnum per se; ergo & ex substantia, & accidente.

Resp. ad 1. ex natura humana, & personalitate Verbi, quatenus gerit vicẽ personę creatæ, fieri vnum per se; sic enim vt quid completiuum terminatiuè intelligitur, nõ autem quatenus fungitur munere personæ increatæ; quia sic est quid completum. Quomodò autem fiat vnum, dicimus non fieri vnum ita, vt ex illis resultet suppositum, sicut fit ex natura, & personalitate creata; suppositum enim Christi Domini est simpliciter increatum; & ideo ex aliquo creato nequit resultare; sed fit vnum, quia natura humana assumitur in vnionem personæ Diuinæ, quatenus gerit vicem personæ creatæ; & hoc est naturam humanam trahi ad esse personæ Diuinæ. Ad 2. dist. ma. Distant genere ita tamen, vt substantia increata, quatenus gerit vicem substantiæ creatæ, comparetur ad naturam creatam, vt actus primariò completiuus illius, conc; & in hoc sensu neg. mi; ita, vt

hoc

hoc modo non comparetur, neg. ma.

18 Prob. 4. In tantùm Verbum Diuinum potest assumere naturam substantialem in vnitatem personæ sine personalitate, subsistentia, & existentia creata; in quantùm potest gerere vicem personalitatis, subsistentiæ, & existentiæ creatæ; nam suppositum Diuinum ponitur loco, & vice suppositi creati; hoc autem est gerere vices illius, vt inquit *Fund. Doct*; sed suppositum creatum nequit assumere naturam accidentalem *sine* substantiali in vnitatem suæ suppositalitatis, subsistentiæ, & existentiæ; quia illud suppositum in nulla specie esset, in qua ponitur tantùm per naturam substantialem; ergo nec suppositum Diuinum.

19 *Gonet*, qui reijcit *aliorum* rationes, probat accidens non posse assumi ad subsistendum; quia non est capax subsistentiæ; cùm subsistentia sit modus essendi per se, qui ita est proprius substantiæ, vt accidenti communicari nequeat. Sed hoc falsum esse constat ex dictis *de Sacramento Altaris*, in quo accidentia existunt in se, & per se, non enim existunt in alio, & per aliud; ideo modus essendi per se proprius substantiæ communicatur accidenti; sicut modus essendi in alio proprius accidenti communicatur naturæ humanæ assumptæ à Verbo, quæ existit per existentiam Verbi. Nec valet, quod respondet ad 1; scilicet talia accidentia priuari modo inhærendi alteri, non tamen habere modum essendi per se. Non valet, inquam; nam vt dicebamus, priuatio inhærentiæ nequit fundari, nisi in modo essendi per se positiuè ob rationes allatas. Ex quo apparet infirmitas huius rationis, quam fundamentalem appellat, & tamen tam faciliter corruit.

20 *Mastr.* verò, qui dicit accidenti posse conuenire subsistentiam in alio tanquam in termino, quæ est communis accidenti, & substantiæ imperfectæ, quæ subsistit in suo supposito, & ideo in alio, quia suppositum est aliud ab ipsa, cùm realiter differat; reijcitur pariter ex dictis. Nam subsistentia, qua natura creata subsistit in suo supposito, est subsistentia ipsius suppositi, per quam natura dicitur formaliter subsistere; sed subsistentia suppositi excludit rationem existendi in alio actualiter, & aptitudinaliter, & est tantùm propria substantiæ, ac incommunicabilis accidenti, aliter ei communicaretur modus contradictoriè oppositus; ergo subsistentia, qua natura creata existit in alio, nequit esse communis accidenti. Tum quia quanuis natura creata subsistat in alio, quia existit in suo supposito, quod est aliud ab ipsa; attamen dicitur subsistere in se, quia subsistit per suam subsistentiam, quæ est in suo supposito; aliter non esset substantia, quæ *à subsistere* dicitur, vt docet *S. P. Aug; & cum illo Fund. Doct*; vt *sup.* diximus; sed illa nequit esse propria accidenti, cui nequit esse propria substantia: aliter ratio substantiæ esset communis substantiæ, & accidenti, & sic substantia non esset membrum contradistinctum ab accidente; ergo accidens nequit assumi ad subsistentiam.

21 Obijc. 1. *Mastr.* Si natura accidentalis sine substantiali non posset assumi, maximè, quia natura accidentalis habet informare, & recipi, quæ repugnant Diuinæ personæ; sed habitudo informationis, & receptionis potest separari ab accidente, vt patet in Eucharistia; ergo potest assumi. 2. Accidens potest terminari ad independens independentia opposita suę dependentiæ; hæc enim independentia est ratio terminandi; sed Verbum habet hanc independentiam; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. ma; non enim propter rationem informationis, & receptionis accidens potest assumi; sed quia nequit immediatè, & per se vniri, & propter alias rationes allatas. Ad 2. omissa ma. neg. mi; nam dependentia accidentis à subiecto est dependentia ab alio habente naturam substantialem, quam accidens essentialiter supponit; Verbum autem Diuinum assumens accidens sine forma substantiali non haberet independentiam oppositam dependentiæ accidentis, quia independentia opposita est independentia subiecti habentis naturam substantialem, quam non haberet Verbum.

22 Obijc. 2. *Gonet.* In tantùm Verbum potuit assumere naturam humanam ad existentiam Diuinam; in quantùm existentia Diuina eminenter continet existentiam humanam; sed continet etiam existentiam accidentis; ergo potest etiam assumere accidens. 2. Si assumeret accidens, non posset denominari accidens; sicut ex eo, quòd in triduo assumpserit animam, non denominatum fuit animatum; ergo ruit etiam hęc ratio, quæ solet adduci.

Resp. ad 1. dist. ma. Et natura humana est actus primarius, qui immediatè ordinatur ad subsistentiam, conc; sed neg. mi; accidens enim est actus secundarius, qui essentialiter supponit primarium. Secus, neg. ma. Ad mi. neg. supp; supponitur enim existentiam accidentis esse aliam ab existentia substantiæ, quod falsum est. Ad 2. vel dicitur Verbum in triduo non dici animatum, quia anima est pars, quæ primò informat corpus, & illud animatum denominat; vnde valet; *Verbum assumpsit corpus animatum*. At accidens esset totum assumptum, quod posset prædicari de Verbo; sicut prædicatur homo, qui est totum constans ex anima, & corpore. Vel dicitur, quidquid sit de hac ratione; neg. tamen cons. propter alias rationes allatas.

23 Ex dictis collig. neque assumi posse accidens coniunctum cum natura substantiali non assumpta ipsa natura substantiali propter rationes allatas *hic*, & *art.* 7.

ART. IX.

A R T. IX.

An tres, vel duæ personæ Diuinæ potuissent simul assumere eandem numero naturam humanam?

1 HActenus de Diuinis personis singulatim sumptis sermonem habuimus; superest modò discurrendum de illis collectiuè acceptis. Dupliciter autem Diuinæ personæ possunt assumere eandem naturam. 1. Ita, vt natura humana immediatè terminetur ad naturam Diuinam; & mediante natura Diuina ad personas, seu ad proprietates personales, quæ identificantur cum natura Diuina. 2. Ita, vt immediatè vniantur proprietatibus personalibus, & illis mediantibus vniantur naturę Diuinæ; sicut de facto natura humana Christi Domini immediatè terminata est ad personalitatem Verbi, & illa mediante ad naturam Diuinam. In vtroque sensu procedit difficultas.

2 Prima sententia vult naturam Diuinam non posse esse rationem immediatam terminandi naturam humanam; atque adeo Diuinas personas, quatenus conueniunt in natura Diuina, & sunt *hìc Deus*, non posse assumere naturam humanam. *Ita Vasq; Zuniga, Merat; & alij*, qui negant subsistentiam absolutam in Diuinis. Ex ijs verò, qui admittunt subsistentiam absolutam, referuntur *Capr; Albertin. to. 2. in Prædicam. subst; Lorc; Becc; Gaspar Hurt; & alij.* Tribuitur etiam *Alen; D. Bon; Caspen; Lug; & alijs apud Vasq; & Gibb.*

3 Secunda vult Diuinas personas nedum, quatenus conueniunt in vna ratione Deitatis, sed etiam quatenus differunt proprietatibus relatiuis posse assumere vnam, & eandẽ naturam. *Ita Caiet; Med; Aluar; Cabr; Gonet; Sua; Vasq; & ex nostris Argent; Franc. à Christo, Gibb;* apud quem *Okam; Gabr; Altisiod; Henr; Dur; & alij.*

4 Nostra tandem docet tres Diuinas personas posse assumere eandem naturam humanam, quatenus conueniunt in ratione Deitatis communi tribus personis; non autem quatenus differunt proprietatibus personalibus; ac propterea duas tantùm personas Diuinas non posse assumere eandem naturam, quia illam terminarent proprietatibus relatiuis, quod singillatim eis tantùm, non simul potest competere. *Ita Fund. Doct. hìc dist. 1. p. 1. q. 1. art. 5; & dub. 1. lat. seq; & eius Discipuli paucis exceptis.* Hanc sententiam secutus est *Scot. in 3. dist. 1. qu. 1.* licèt insufficienter; ait enim naturam Diuinam, quatenus est in Patre, & Filio, potuisse terminare naturam humanam; non autem filiationem, paternitatem; quod insufficienter dicitur; quia natura, prout est in Filio, habet modificationem propriam Filij; & si sic posset terminare, non esset ratio, cur non posset terminare per omnes relationes. Idem tenent *omnes Scotistæ apud Mastr. hìc disp. 1. q. 8. art. 1. à nu. 260; Lug; Pasqualig; Albert. Magn; q. 1. ar. 10; Ricard; Lorc; & alij.*

5 Dari subsistentiam absolutam, qua subsistit diuina essentia præintellecta personis, fusè ostendimus *to. 1. de subst. Dei q. 2. art. 4. §. 3; & to. 2. de Trin. q. 6. art. 3;* nec aliquid *hìc* inuenimus, quod *loco cit.* satis discussum, explicatumque non fuerit. Igitur.

6 Vnica concl. Tres Diuinæ personæ potuerũt assumere simul eandem numero naturam humanam immediatè terminatam ad essentiam Diuinam, prout communis est tribus personis, & mediante essentia Diuina ad Diuinas personas; non autem immediatè terminatam ad personas Diuinas secundùm proprietates personales, in quibus differunt, & mediatè ad Diuinam essentiam; & per consequens duæ tantùm personæ Diuinæ non potuerunt, alia non assumente, assumere eandem naturam.

Prob. 1. pars concl. 1. *ex Apoc. vlt. Ego sum Alpha, & Omega; primus, & nouissimus; principium, & finis. Et S. P. Aug. lib. 5. de Trin. c. 13.* inquit: *Vnum ergo principium ad creaturam dicitur Deus, non duo, vel tria principia.* Ex quo sic arguitur. Deus eodem modo est principium, ac terminus creaturarum; sed tres personæ Diuinæ, quatenus sunt Deus, idèst quatenus sunt vnum in essentia, sunt principium immediatum creaturarum; ergo tres personæ Diuinæ, quatenus sunt vnus Deus, seu quatenus sunt vnum in essentia, sunt terminus immediatus creaturarũ. Atqui illud in Deo est ratio immediata assumẽdi naturam creatam, quod est immediata ratio terminandi, quia ipsa assumptio formaliter est terminatio; ergo tres personæ Diuinæ potuerunt assumere eandem numero naturam creatam immediatè terminatam ad essentiam Diuinam; quoniam autem tres personę Diuinę identificantur cum essentia Diuina, ideo mediante essentia Diuina assumptio terminatur etiam ad Diuinas personas; nam quoties duo realiter identificantur, non potest fieri terminatio ad vnum, nisi saltem mediatè terminetur ad aliud. Prob. ma. Principium, & terminus debent sibi ad inuicem correspondere *ex Phil;* tum quia sicut principium adhoc, vt causet, debet esse subsistens; *quia actiones sunt suppositorum, vel per se subsistentium;* ita terminus adhoc, vt terminet, debet esse subsistens, quia rem terminatam debet in se substentare; tum quia sicut principium habet producere in esse; ita terminus habet in esse seruare; ergo Deus eodem modo est principium, & terminus creaturarum. Prob. mi. ex illo *Io. 5. Pater vsque nunc operatur, & ego operor;* & mox: *Quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.* Super quod *S. P. Aug. tract. 20.* ait: *Si vnus Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, vnus Mundus factus est à Deo per Filium in*

Spiritu Sancto; *& lib.1. de Trin. c.4. Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operantur*; sed ratio inseparabilitatis Diuinarum personarum est essentia Diuina, in qua sunt vnum, & idem; quæ enim sunt idem, separari non possunt; ergo ratio, qua operantur, est eadem Diuina essentia, in qua vniuntur in operando. Tum quia ratio, in qua operantur, & omnipotentia; sed hæc est vna, sicut essentia, cuius est attributum; vt habetur *in Symb. D. Athan. Vnus omnipotens*; ergo ratio, qua tres personæ Diuinæ sunt principium immediatum productiuum creaturarũ, est vna, in qua personæ conueniunt; atqui conuenientia habetur primariò ratione essentiæ; ergo non sunt principium creaturarum, nisi quatenus sunt vnum in essentia.

7 Conf. Primum subsistens simpliciter infinitum potest esse ratio immediata, cur alia subsistant; sed Diuina essentia est huiusmodi; ergo potest esse ratio immediata, cur natura assumpta subsistat. Ma. constat; aliter Diuinum suppositum, quod est subsistens simpliciter infinitum, non posset esse ratio, cur natura humana subsistat, quod est contra fidem. Prob. mi. Diuina essentia est primum agens simpliciter infinitum respiciens creaturas ad extra; actiones enim ad extra sunt immediatè ab essentia, cùm sint indiuisæ, & ideo debent esse ab essentia, quæ est ratio totius indiuisionis, cùm sit ratio vnitatis; sed primum agens est primum subsistens; quia de ratione agentis est existentia; *agens enim in tantùm agit, in quantùm actu est*; vt diximus *to.2. de Trin. q.4. art. 4. à nu. 6*; & de ratione primi est, quòd aliud non supponat; existens autem, quod aliud existens non supponit, est existens in se, & per se, & ideo subsistens; aliter si existeret in alio, non esset primum, quia primum esset illud aliud, in quo existeret; ergo Diuina essentia est primum subsistens.

8 Prob. 2. & simul euertitur præcipuum *Aduersariorum* motiuum. Si Diuina essentia non posset assumere naturam humanam, vt ratio immediata, cui vniretur, esset, quia Diuina essentia secũdùm se communicabilis est Diuinis suppositis, adeoque nequit suppositare naturam humanam, cùm de ratione suppositantis sit esse incommunicabile; & in tantùm suppositum Verbi illam suppositat, in quantùm prout incommunicabile, continet suppositalitatem creatam, cuius vicem gerit suppositando naturam creatam; vt arguit *Capr*; sed hoc non obstat; nam etiam suppositum Verbi est communicabile alijs naturis humanis, quia potest plures naturas assumere, vt fatentur *Aduersarij*, & probatum est *art. 3*; continet enim eminenter omne suppositũ creatum, quia est infinitum simpliciter; ergo non obstante, quòd Diuina essentia sit communicabilis Diuinis suppositis, attamen potest esse ratio immediata suppositans naturam humanã.

9 Vrgetur. De ratione suppositi est reddere naturam incommunicabilem alteri supposito; sed natura humana terminata à natura Diuina esset incõmunicabilis alteri supposito, quia non posset ab alio supposito assumi, & terminari; ergo esset suppositata.

10 Explic. magis. Quanuis Diuina essentia non possit habere rationem suppositi ad intra, quia ad intra est suppositabilis, & terminabilis à pluribus suppositis Diuinis; & quia ratio suppositalitatis ad intra est simpliciter relatiua, Diuina autem essentia est quid absolutum simpliciter commune omnibus suppositis Diuinis; attamen potest habere rationem suppositantis ad extra, quia ipsa non est suppositabilis, & terminabilis à creaturis, cùm ipsa supponitet, & terminet creaturas; & ratio suppositalitatis creatę, cuius vicem gerit, est omnino absoluta, & ideo eminenter continetur in Diuina essentia, quæ continet in se omne absolutum; ergo Diuina essentia potest assumere, & terminare naturam creatam, & habere rationem suppositantis naturam creatam, quanuis illam non habeat, si consideretur ad intra; respectu enim diuersorum potest eadem res induere diuersas rationes.

11 Prob. 3. Hæc est differentia inter suppositationem naturæ Diuinæ, & suppositationem naturæ creatæ, vt diximus *to.2. de Trin. q.1. art.4. nu. 40*; quòd natura Diuina, cùm sit actus purissimus simpliciter infinitus, dat esse suppositis Diuinis, adeoq; non multiplicatur in illis, quia illis dat suum esse, quod est vnum, & idem in illis, sed recipit tantùm distinctionem personalem, quam habet à relationibus; at natura creata, cùm sit in potentia passiua ad esse, ideo recipit esse in supposito; atque adeo in diuerso supposito recipit diuersum esse, per quod multiplicatur in illis, & sic recipiendo esse in rerum natura suppositatur; sed natura humana potest recipere esse absolutum à Diuina essentia absq; eo, quòd recipiat esse relatiuum; ergo ab illa potest suppositari; quia esse relatiuum non concurrit, nisi ad suppositandam naturam Diuinam, quæ nequit suppositari, nisi in esse relatiuo; non autem ad suppositandum naturam creatam, quæ non suppositatur, nisi in esse absoluto. *Vid. alias rationes, & testimonia Scripturarum, ac SS. PP; & DD*; quibus *to. 1. vbis.* ostendimus dari subsistentiam absolutam, qua potest Diuina essentia reddere subsistentem naturam humanam, ideoque eam terminare.

12 Prob. 2. pars concl. 1. *ex S. P. Aug. lib. 13. de Trin. c.17.* docente: *Sic Deo coniungi potuit humana natura, vt ex duabus substantijs fieret vna persona*; hinc *D. Anselm. lib. Cur Deus homo c.20.* inquit: *Plures personæ nequeunt vnum, & eundem hominem assumere, & Fund. Doct. vbis. Plura, vt plura, & vt sunt distincta, & alia, in vnum conuenire non possunt*. Arguitur autem sic. Natura humana sic tantùm Deo potest vniri, vt ex duobus

duobus resultet vnum per se; sed ex tribus personis Diuinis, & natura humana immediatè vnitis nequit resultare vnum per se; ergo natura humana nequit immediatè vniri tribus Diuinis personis, prout proprijs proprietatibus distinguuntur. Ma. constat; quia ex vnione naturæ cum subsistentia notum est fieri vnum per se; est enim vnio substantialis potentiæ passiuæ cum actu illam determinante; ex potentia autem substantiali passiua, & actu illam determinãte fit vnum per se, vt omnibus notum est. Prob. mi. Tres personæ Diuinæ, vt distinctæ, nequeũt coalescere in vnam personam Diuinam, aliter non sumerentur, vt plures, sed vt vnum; & quia non sunt vnum, nisi in essentia, ideo sumerentur, non ratione sui, sed ratione essentiæ; sed ex ijs, quæ non sunt, nec in vnum possunt coalescere, nequit fieri vnum, aliter esset vnum ex non *vno*, quod implicat, sicuti implicat fieri multa ex non multis; ergo ex tribus Diuinis personis, & natura humana nequit fieri vnum per se, & per consequens nequeunt vniri ad constituendum vnum subsistens.

13 Dices fore vnum ex parte naturæ humanæ, quia fieret vnus homo, non ex parte Diuinarum personarum, quæ essent tres constituentes vnum hominem.

Sed contra est; nam non minùs vnum constituitur ex potentia passiua, quàm ex actu eam determinante; vnitas enim compositi physici non solùm habetur, quia est vna materia, sed etiam quia est vna forma determinans materiam; nam si essent duæ formæ in eadem materia, ex ipsis non fieret vnum; quia *ex pluribus in actu non fit vnum per se, sed per accidens*; vt aiunt *Philosophi*; ergo licèt esset vna natura terminata, quia tamen essent tres personæ illam terminantes, non resultaret ex illis vnum per se.

14 Conf. Vel tres personæ Diuinæ terminarent eadem terminatione, vel diuersis? Si primum; ergo conuenirent in vnica terminatione, & sic non terminarent, vt plures, & vt distinctæ, sed vt vnum; conuenientia enim dicit vnitatem, sicut disconuenientia distinctionem. Secundum dici nequit; quia natura humana non est terminabilis, nisi in vna ratione, scilicet in esse physico; non enim potest terminari in esse intellectiuo, aut volitiuo, vt natura Diuina; ergo tres personæ Diuinæ, vt plures, & vt distinctæ, nequeunt terminare eandem naturam humanam.

15 Prob. 2. Quod est adæquatè terminatum, non potest ampliùs terminari; sed natura humana per quamlibet personam Diuinam esset adæquatè terminata; ergo non esset terminabilis per aliam personam Diuinam, & ideo nec tres, nec duæ personæ Diuinæ possunt simul eandem terminare naturam. Prob. ma. Id potest terminari, quod est in potentia ad terminari; sicut id potest produci, quod est in potentia ad produci; quia verbum *potest* dicit potentiam, vt constat; nec ob aliam rationem asserunt *Theologi* non posse dari plures Filios in Diuinis, aut plures Spiritus Sanctos, nisi quia per vnicam filiationem potentia generatiua est adæquatè terminata, & ideo nequit ampliùs terminari; & sic dicendum de potentia spiratiua; ergo, quod est adæquatè terminatum, non potest ampliùs terminari. Prob. mi. Vnaquæque persona Diuina terminat naturam humanam, prout gerit vicem personæ creatæ; sed persona creata adæquatè terminat talem naturam humanam; ergo & persona Diuina. Tum quia quælibet persona Diuina est infinita in terminando; sed infinitum nedum adæquat, sed excedit quodlibet finitum; ergo idem. Tum quia si non adæquaret, esset inadæquata, & sic partialiter terminaret; sed implicat personam Diuinam habere rationem causæ partialis, quæ essentialiter dicit imperfectionem; ergo adæquatè terminat naturam humanam.

16 Prob. 3. ratione allata *ar. 7. nu. 9. & 10.* In tantùm natura Diuina potest suppositari à tribus personis Diuinis, in quantùm est communicabilis per intellectum, & voluntatem, & ideo secundùm diuersos modos communicabilitatis est diuersis suppositalitatibus terminabilis; secundùm tamen eundem modum non est terminabilis, nisi vnica suppositalitate v. g. paternitatis; sed natura humana non est communicabilis, nisi in ratione entis physici, aliter si esset communicabilis per intellectum, & per voluntatem, esset æquè fœcunda, ac natura Diuina; ergo natura humana nequit simul terminari à tribus personis Diuinis. Tum quia naturam communicari tribus personis Diuinis est proprium solius naturæ Diuinæ, quæ sine sui diuisione, ac multiplicatione ob suam infinitatem, & actualitatem purissimam communicatur suis suppositis; ergo nequit conuenire naturæ creatæ, quæ ob suam limitationem diuiditur, & multiplicatur in suis suppositis.

17 Prob. 4. Implicat eundem effectum pendere à pluribus causis totalibus, vt plures sunt; ergo implicat eandem terminationem esse à pluribus personis Diuinis, vt plures sunt.

18 Dices in casu fore diuersas terminationes diuersæ rationis, quia personæ terminantes sunt diuersæ rationis.

Sed contra est; nam licèt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sint personæ diuersæ rationis, quia constituuntur relationibus specie diuersis; attamen terminarent naturam humanam sub eadem ratione; quia terminarent, prout gererent vices suppositi humani, quod est proprium illius naturæ; suppositum autem humanum proprium terminaret sua naturam tantùm secundùm vnam rationem, vt constat; ergo & tres personæ Diuinæ. Tum quia eadem natura humana non est terminabilis, nisi secundùm

vnam rationem, quia tantùm secundùm vnam rationem est communicabilis; ergo in natura humana esset tantùm vna terminatio passiuè sumpta, quæ esset à pluribus causis totalibus, quod repugnat.

19 Prob. 5. Natura creata terminata propria suppositalitate nequit terminari à persona Diuina, vt ostendimus *art.* 7; ergo multò minùs suppositata ab vna persona Diuina posset ab alia suppositari; nam personalitas creata, cùm sit finita, minùs terminat, quàm personalitas Diuina, quæ est infinita; infinitum enim magis terminat, quàm finitum, quia infinitum habet maiorem vim terminatiuam, quàm finitum.

20 Resp. *Sua; & cum eo Recentes*; quòd suppositum creatum ita terminat naturam in se, vt reddat illam subsistentem in se; ac propterea reddit illam incapacem essendi in alio, quia esse in se, & esse in alio sunt opposita; ideo nequit assumi à supposito Diuino, quia assumi ab alieno supposito est subsistere in alio. At verò assumi à tribus suppositis Diuinis est subsistere in alio, & alio supposito, quod non repugnat.

Sed hoc iam dissoluimus; in tantùm enim esse in se pugnat cum esse in alio; in quantùm esse in se habet adiunctam negationem essendi in alio; sed etiam esse in hoc alio habet annexam negationem essendi in illo alio; quia hoc aliud non est illud aliud; ergo vtrobique est eadem ratio.

21 Tandem natura per quamlibet personam terminaretur, vt supponitur; & non terminaretur; quia terminari in aliquo est sisti in illo, & ad aliud non transire; si autem natura terminata ab vno posset ab alio quoque terminari, iam non sisteret in illo vno, sed ad aliud transiret; ergo non terminaretur ab illo vno.

22 Ex his deducitur 3. pars concl; nam vt arguit *Fund. Doct*; dupliciter solùm potest natura creata vniri naturæ Diuinæ. 1. Immediatè ita, vt natura Diuina sit ratio immediatè terminans naturam humanam; & sic impossibile est, quòd duæ tantùm personæ vniantur tertia non vnita; nam impossibile est omnes tres personas Diuinas non communicare in essentia Diuina, in qua omnes tres personæ essentialiter sunt vnum. 2. Mediatè, ratione scilicet personæ ita, vt ratio immediatè terminans naturam humanam sit personalitas Diuina, qua mediante coniungatur naturæ Diuinæ, cum qua identificatur personalitas; & sic impossibile est duas personalitates simul terminare eãdem naturam propter rationes allatas; ergo vtroque modo impossibile est duas personas tantùm assumere eandem naturam.

23 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. *D. Ansel. lib. Cur Deus homo* ait. *Plures personæ nequeunt vnum, & eundem hominem assumere*; ergo tres personæ Diuinæ nequeunt assumere eandem naturam. 2. Vna natura nequit vniri, nisi vni personæ; quia natura creata, quæ non est suum esse, multiplicatur ad multiplicationem personarum; ergo idem. 3. Assumens. & assumptus communicant sibi idiomata; sed impossibile est eundem hominem esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; aliter daretur confusio personarum; ergo idem.

Ad 1. resp. *Fund. Doct. D. Anselmum* loqui de personis, vt plures sunt; non autem, vt sunt vnum in essentia. Ad 2. dist. ant. Nequit vniri, nisi vni personæ immediatè, conc; mediatè, neg. Ad prob. insert. dicitur naturam creatam multiplicari ad multiplicationem suppositorum, quando illis immediatè vnitur; non autem quando mediatè, quia tunc ab illis non specificatur. Ad 3. dicitur, quòd sicuti in casu tres personæ non essent assumentes, sed ipsa Diuina essentia esset ratio immediatè assumens; ita communicatio idiomatum formaliter fieret solùm inter Diuinam essentiam, & naturam humanam; inter autem personas Diuinas, & humanam naturam fieret communicatio tantùm materialiter; in quantùm personæ sunt vnum in essentia.

24 Obijc. 2. *Vasq. SS. PP; & Conc.* non agnoscunt aliam vnionem esse possibilem, nisi vel in natura, vel in persona; sed vnio cum subsistentia nec est vnio in natura, quia ex natura Diuina, & humana non resultaret vna natura; nec in persona; ergo natura humana nequit vniri Deo in ratione subsistentiæ absolutæ. 2. Implicat dari hominem à parte rei, qui non sit persona; sed natura humana vnita Diuinæ naturæ non esset persona; quia de ratione personę est incommunicabilitas; natura autem Diuina esset communis tribus personis Diuinis, & ideo non posset constituere personam; ergo idem. 3. Subsistentia absoluta nequit impedire personalitatem creatam, ne terminet naturam humanam; ergo nequit sibi naturam humanam immediatè coniungere; quia illud solùm potest sibi naturam humanam vnire, quod potest eius personalitatem impedire. Prob. ant. Illud solùm potest impedire personalitatem creatam, quod potest reddere naturam humanam subsistentem, & incommunicabilem; sed subsistentia absoluta, cùm sit communicabilis, nequit reddere aliud incommunicabile; ergo nequit impedire personalitatem creatam.

Resp. ad 1. neg. 1. part. mi; nam subsistentia est vnum ex constitutiuis formalibus essentię Diuinæ, vt diximus *to. 1. de subst. Dei q. 2. art. 4. §. 3*; ideo vnio ad subsistentiam est vnio ad naturam in Deo; non ita tamen, vt ex duabus naturis resultet vna tertia natura, sed ita, vt natura humana terminetur à Diuina sine confusione, aut mixtione, vt modò euenit in persona. Ad 2. neg. mi. Ad prob. insert. dicitur, quòd de ratione personæ formaliter sumptæ est incommunicabilitas; non tamen de ratione personæ

sonæ eminenter acceptæ; nam essentia Diuina continet eminenter omnes perfectiones humanas absolutas, est enim infinita in linea absoluti; personalitas autem creata est quid absolutum; ideo continetur eminenter in Diuina essentia, quæ propterea potest reddere naturam creatam incommunicabilem alteri supposito, quanuis ipsa sit communicabilis tribus personis Diuinis. Per hoc patet ad 3; neg. enim ant. Ad prob. neg. mi; quanuis enim sit communicabilis Diuinis personis; attamen potest reddere naturam creatam incommunicabilem alteri, quia eminenter continet personalitatem humanam; sic quanuis suppositum Verbi possit esse commune pluribus naturis; quia Verbum potest plures naturas assumere; attamen reddit naturam humanam incommunicabilem alteri; & ideo illam supposítat; ita à pari.

25 Obijc. cont. 2. part. concl. 1. *ex nostro Franc. à Christo*. In natura humana est potentia obedientialis passiua ad assumi à Patre, & Spiritu Sancto; quia tam Pater, quàm Spiritus Sanctus potuerunt incarnari, vt *sup.* dictum est; sed hæc potentia non tollitur ex eo, quòd assumatur à Verbo; quia per hoc solùm expletur potentia obedientialis passiua, quam dicit natura ad Verbum, non ea, quam dicit ad Patrem, & Spiritum Sanctum; ergo potest simul assumi à tribus personis Diuinis.

Resp. dist. ma. Est potentia obedientialis passiua ad assumi diuisim, conc; ad assumi collectiuè, subdist; quatenus tres personæ Diuinæ sunt vnum in essentia, conc; quatenus distinguuntur proprietatibus relatiuis, neg.

26 Inst. Tres personæ Diuinę simul existunt in vna natura Diuina; ergo possunt substentare eandem naturam humanam; nam in tantùm possunt simul esse in eadem natura Diuina, in quantùm non sunt secundùm se incompossibiles, vt dicimus de oppositis; sed ex eo, quòd non sint secundùm se incompossibiles, deducitur, quòd possint simul assumere eandem naturam humanam; ergo idem.

Resp. neg. cons; ideo nanque Diuinæ personalitates possunt simul esse in eadem natura Diuina, quia natura Diuina ob sui fęcunditatem est suppositabilis in diuersis lineis; natura verò humana ob sui limitationem est terminabilis tantùm in vna linea, vt dictum est; ideo in hac vna tantùm terminatio esse potest, in illa verò triplex de facto reperitur. Imò sicut in Diuina essentia non est, nec esse potest, nisi vna paternitas, quia hæc adæquatè terminat Diuinam naturam in esse Patris; ita in natura humana nequit esse, nisi vna terminatio, quæ adæquatè illam substentat in esse. Igitur incompossibilitas in natura humana prouenit ex eo, quòd vnaquæque seorsim illam terminet adæquatè, & ideo non remaneat terminabilis.

27 Obijc. 2. *S. P. Aug. ep. 3. ad Volusian.* ait, quòd in hoc mysterio *tota ratio facti est potentia facientis*; sed postquam natura humana assumpta est à Verbo, manet in Patre eadem potentia assumptiua; ergo Pater quoque eam valet assumere; & sic de Spiritu Sancto.

Resp. *S. Patrem* nihil aliud velle, quàm quòd de facto nulla possit reddi causa incarnationis præter Diuinam potentiam, quæ illam operata est; ex quo nihil ad rem præsentem deducitur.

28 Obijc. 3. Si aliqua esset repugnantia, maximè, quia persona cùm definiatur *rationalis naturæ incommunicabilis subsistentia*; reddit naturam in sensu composito incommunicabilem alteri personæ; sed hæc ratio nulla est; nam vel hæc est definitio personæ Diuinæ, vel creatæ, vel personæ, *vt sic*? Non primum; quia persona Diuina ita terminat naturam Diuinam, vt tamen eam relinquat terminabilem ab alia persona, vt constat. Si secundum; ergo cùm natura humana est terminata à persona Diuina, non à persona creata, adhuc erit terminabilis ab alia persona Diuina; hoc enim est proprium personæ Diuinæ, vt dictum est. Non tertium; quia si illa definitio competeret personæ, *vt sic*, competeret etiam personæ increatæ, & creatæ, quod est falsum; ergo allata ratio non probat.

Resp. neg. mi. Ad prob. dicitur definitionem allatam conuenire personæ, *vt sic*. Ad improb. dicitur, quòd persona Diuina reddit naturam Diuinam incommunicabilem in ea linea, in qua terminat; v. g. paternitas reddit naturam Diuinam incommunicabilem alteri Patri; & sic de filiatione, & spiratione passiua; non enim possunt dari in Diuinis plures Patres, plures Filij, & plures Spiritus Sancti. Quare autem vna personalitas relinquat naturam Diuinam communicabilem in alia linea, iam dictum est hoc prouenire ex purissima fęcunditate naturæ Diuinæ.

29 Obijc. 4. *Arriag.* Si repugnaret, maximè, quia naturam subsistere in aliquo supposito est sistere in illo; & ad aliud non transire, vt *sup.* dictum est; sed hæc ratio nulla est; nam si illa natura pro aliquo tempore fuisset sine vlla subsistentia; vel tunc stetisset in se ipsa, vel non? Non primum; aliter daretur subsistentia ante subsistentiam. Non secundum; quia naturam sistere in se ipsa nihil aliud est, quàm ipsam esse solam, vt constat ex ipsis vocabulis; sed magis erat sola, antequam vniretur subsistentiæ, quàm cùm subsistentiæ est vnita, & tamen non sistebat in se ipsa; ergo natura per subsistentiam non habet sistere in se ipsa; & ideo hæc ratio nihil concludit.

Resp. neg. mi. Ad prob. dicitur in terminis repugnare aliquam naturam pro aliquo tempore esse sine subsistentia, subsisteret enim, quia est substantia, cuius est subsistere, sine subsistentia, quod contradicit. Sistere autem in se ipsa

ipsa est sistere in propria subsistentia; vt *sup.* dictum est. Quare *iste Aduersarius* de more ludit falsis suppositis.

30 Obijc. 5. *Amic.* Si repugnaret, maximè, quia natura nequit dependere à pluribus terminis totalibus, quorum vno sublato adhuc subsisteret per alium; sed hoc hoc non conuincit; concursus enim illorum terminorum potest minorari, & fieri partialis; nulla enim videtur repugnantia; ergo non repugnat.

Resp. neg. mi. Ad prob. insert. neg. illum concursum esse minorabilem; quia ille concursus fit per suppositionem subsistentiæ Diuinæ, quæ nequit minorari; & importat relationem secundùm dici, quæ non suscipit magis, ac minus, sicut nec suscipit substantia.

31 Obijc. 6. *Gonet.* Non repugnat ex parte personarum assumentium, quia istæ non se excludunt à terminatione eiusdem naturæ, vt patet in natura Diuina; nec ex parte naturæ assumptæ; quia hæc dicit potentiam obedientialem, quæ nullam dicit repugnantiam, nisi sit ex parte termini, quem respicit; ergo idem.

Resp. hoc satis fuisse solutum; repugnat enim ex parte naturæ assumptæ, quæ dicit impotentiam, vt adæquatè terminetur à pluribus, vt plura sunt, vt dictum est. Ad id autem de natura Diuina iam dictum est. *Vid. q. 5. art. 2. num. 9. & 10.*

ART. X.

An Incarnationis possibilitas possit naturali ratione demonstrari?

1 QVæ diximus *to. 2. de Trin. q. 1. art. 1.* de cognoscibilitate illius mysterij, consimiliter dicenda sunt de hoc mysterio, quod non minùs absconditum est à nostra cognitione eo, quòd plures videatur secum afferre contrarietates, quas *in proœmio* huius operis innuimus, ob quas eius possibilitas ex rebus naturalibus naturali ratione argui non potest. Id, quod peculiaris difficultatis est in præsenti, de Angelis secundùm naturalem virtutem consideratis controuertitur; certum est enim Angelos naturaliter nosce omnia entia à parte rei existentia quiditatiuè penetrando eorum essentias, & existentias; ergo videntes naturam humanam Christi Domini à parte rei subsistentem, eamque non subsistere per subsistentiam humanam, nec per aliam subsistentiam creatam, conuincenter noscebant illam existere per subsistentiam Diuinam, adeoque videtur eos naturaliter nouisse incarnationem. Quod potest etiam roborari auctoritatibus *Diuinarum Scripturarum*, quas afferemus. Igitur

2 Prima sententia vult possibilitatem incarnationis naturali ratione posse euidenter cognosci. Referri solent *Bassol. in 4. dist. 10. q. 4. conc. 5; Okam. q. 4. & 5. art. 5; Gabr; Maior, Rada, Faber, Val; & alij.* Tribuitur etiam *Scoto* sentienti Angelum posse naturaliter cognoscere omnia mysteria gratiæ, vt diximus *to. 3. de Ang. q. 4. art. 10;* licèt *aliqui* afferant illum excepisse hoc mysterium.

3 Secunda sententia vult, quòd licèt sine reuelatione non possit cognosci, attamen supposita reuelatione posse naturaliter demonstrari. *Ita Sua. de Ang. lib. 2. cap. 33. num. 12; & sæpe alibi; Mol. 1. p. q. 37. art. 1. disp. 1; Med; & Albelda apud nostrum Gibb.*

4 Tertia vult Angelos potuisse saltem suspicari. *Ita Lug. hìc q. 1. disp. 1. sect. 1.*

5 Nostra tandem docet possibilitatem incarnationis præcisa reuelatione esse simpliciter incognoscibilem æquè, ac eius impossibilitatem; supposita autem reuelatione posse probabiliter ratione naturali suaderi; *ex testimonijs* verò *Diuinarum Scripturarum* posse conuincenter ostendi, sed non demonstrari. *Ita Fund. Doct. locis cit. vbi; & alij ibid. cit; Gibb. hìc disp. 1. dub. 2; Gonet, Contenson, & omnes Thomistæ, ac alij communiter.*

6 *Ex Matth; & Luc. 4.* habetur: *Si Filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant*; ex quibus verbis habetur Diabolum dubitasse de Christi Diuinitate. At *Matth. 8; & Marc. 5.* expressè dicitur eam certò nouisse; legitur enim: *Quid mihi, & tibi, Iesu Fili Dei Altissimi.* Certum est autem Dœmones non habere, nisi cognitionem naturalem, quia post eorum peccatum sola naturalia in illis integra remanserunt. Ex his intulerunt *Aduersarij* incarnationis possibilitatem posse naturaliter agnosci.

7 Sed compertum est Dœmones ex vaticinijs *Prophetarum, Sybillarum, aliorumque Vatum gentilium*, nec non *ex Diuinis Scripturis* potuisse incarnationem agnoscere, atque hinc illius possibilitatem inquirere. At quis non videat hoc supponere incarnationis reuelationem *Prophetis* quidem, alijsque viris iustis factam per inspirationem internam, Dœmonibus autem per promulgationem merè externam propositam? Dœmones ergo scientes per reuelationem externam incarnationem aliquando futuram, & videntes mirabilia Christi opera suspicari ceperunt ipsum esse Christum; quapropter primò sciscitabantur: *si Filius Dei es.* Deinde audientes eum prædicantem se Deum, & conspicientes manifesta Diuinitatis signa, crediderunt, & confessi sunt ipsum Deum: *Iesu Fili Dei Altissimi.* Inquirimus autem in præsenti; an per rationem merè naturalem præcisa qualibet reuelatione siue externa ex parte obiecti; siue interna ex parte intellectus possit incarnationis possibilitas demonstrari? Et loquimur de incarnatione, prout præcisè dicit vnionem naturæ humanæ cum natura Diuina in ratione subsistendi;

nam

nam si loquamur de ea, prout dicit vnionem naturæ humanę cum persona Verbi, cùm non possimus cognoscere personam Verbi, nisi cognoscamus Trinitatem, quam naturaliter nosse nō possumus, ideo certum est incarnationem hoc modo sumptam naturaliter agnosci non posse. Vel potest inquiri de Incarnatione Verbi supposita notitia supernaturali Trinitatis; constat enim potuisse vnum mysterium reuelari sine alio.

8 Vnica concl. Possibilitas æquè, ac impossibilitas incarnationis præcisa omni reuelatione est simpliciter incognoscibilis; supposita autem reuelatione potest ratione naturali tantùm probabiliter suaderi, non demonstrari; ex testimonijs verò *Diuinarum Scripturarum* conuincenter ostenditur.

Prob. 1. ex verbis Christi Domini, qui *Matth.16. Petro* confitenti eius Diuinitatem dixit: *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est*; *& 1. Cor.12. Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto*. Super quos *textus Concil. Araux.II. c.8.* alienum vocat à fide, qui putat non esse ita infirmatum liberum arbitrium per *Adæ* peccatum, *vt quidam valeant sine reuelatione Dei mysterium salutis æternæ per semetipsos conquirere*. Item *Apost. 1. Cor.2.* incarnationem vocat *Sapientiam in mysterio absconditam*; *& Ephes. 1. Sacramentum absconditum à sæculis in Deo*; *& ad Coloss. 1. Mysterium absconditum à sæculis*; *& à D. Dion. de Diu. Nomin. c.2.* dicitur *omni ignota intelligentiæ*; *& à Conc. Ephes. p.2. c.13.* vocatur *indeprehensibilis, & inenarrabilis*; *& S.P. Aug. ep.3. ad Volusian. Si ratio quæritur, non erit mirabile; si exemplum desideretur, non erit singulare. Demus ergo aliquid Deum posse, quod nos fateamur inuestigari non posse*; quæ verba referuntur *à Concil. Tolet.X. c.1*; *& serm.14. de tempore* loquens de Diabolo ait, quòd ita tetendit laqueum mortis Deo Dei Filio; *vt per visionem videlicet carnis quasi ad hominem solum tētator accederet, & Deum penitus ignoraret. Videbat carnem, sed ignorabat Domini maiestatem; cernebat infirmitatem, & non videbat Deitatem. Remansit confusus Diabolus, dum in homine apparuit Dominus*. Idem habent *alij SS. PP. communiter*. Ex quibus sic arguitur. Quando aliquod est simpliciter, omnino, & penitus absconditum, ignotum, indeprehensibile, inenarrabile, & inuestigabile, tunc nedum eius existentia, sed etiam eius possibilitas, aut impossibilitas est naturaliter incognoscibilis; atqui mysterium incarnationis est huiusmodi; ergo nedum eius existentia, sed etiam possibilitas, aut impossibilitas est naturaliter incognoscibilis. Prob. ma. Illud est simpliciter, & omnino absconditum, ignotum, & naturaliter inuestigabile, quod secundùm nullam rationem naturalem apparet, aut potest sciri, & vestigari; quod enim secundùm aliquam rationem naturalem apparet, est naturaliter scibile, & vestigabile, non est omnino absconditum, ignotum, & inuestigabile, vt constat, sed quod secundùm nullam rationem apparet, aut sciri potest, ac vestigari, est incognoscibile secundùm existentiam, & possibilitatem, vel impossibilitatem, istæ enim sunt rationes naturales naturaliter rei conuenientes; possibilitas enim dicit essentiam rei; & existentia dicit actum, quo res existit in rerum natura; ergo quod est simpliciter, omnino, & penitus absconditum, ignotum, indeprehensibile, inenarrabile, & inuestigabile, nedum eius existentia, sed etiam eius possibilitas, aut impossibilitas est naturaliter incognoscibilis. Mi. patet *ex textibus* allatis.

9 Conf. 1. Quoties naturaliter ignoratur aliqua essentia, tunc eius possibilitas nequit naturali ratione cognosci; sed essentia incarnationis naturaliter ignoratur; ergo eius possibilitas nequit ratione naturali cognosci. Prob. ma. Possibilitas rei nihil aliud est, quàm modus essentiæ ipsius rei, quę aliquando est in statu possibilitatis, aliquando futuritionis, aliquando existentiæ, aliquando præteritionis; sed quoties ignoratur naturaliter aliqua essentia, tunc nequit naturaliter cognosci modus illius; quia modus, cùm sit obliquitas rei, & obliquum non cognoscatur, nisi per rectum; cùm *rectum sit index sui, & obliqui*; vnde impossibile est, quòd quis cognoscat sessionem, nisi cognoscat corpus; ergo quoties ignoratur aliqua essentia, tunc nequit naturaliter cognosci possibilitas illius. Prob. mi. 1. Essentia incarnationis non est naturaliter factibilis; ergo nec cognoscibilis; quia cognoscibilitas est passio, quæ consequitur ad fieri ipsius rei, & cum ipso commensuratur. 2. Essentia incarnationis est simpliciter supernaturalis secundùm substantiam, seu quiditatem, dicit enim assumptionem naturæ humanæ in vnitatem personæ Diuinæ, vt diximus *art.1. n.3*; constat autem assumptionem alicuius naturæ substantialis in vnitatem alterius personæ non reperiri intra totam latitudinem naturæ creatæ; manifestum nanque est naturæ lumine, quòd quidquid aduenit personæ, aut supposito iam completo, est accidens, non substantia; ergo essentia incarnationis naturaliter ignoratur; quia per cognitionem naturalem cognoscitur sola entitas naturalis, non supernaturalis; secus non esset supernaturalis, si per virtutem naturalem posset cognosci.

10 Inst. *Lug.* cont. hanc vltimam rationem. Quamuis ad cognoscendam rem supernaturalem quiditatiuè requiratur cognitio supernaturalis; quia requiritur species quiditatiuè rem repræsentans, quæ debet esse eiusdem ordinis cum re repræsentata; attamen ad cognoscendam imperfectè rem supernaturalem sufficit cognitio naturalis; quia non requiritur species quiditatiua, sed ex ijs, quæ naturaliter noscimus, possumus

sumus deuenire in cognitionem rei supernaturalis saltem quoad eius possibilitatem; vt per cognitionem omnipotentiæ, quam discursu naturali cognoscimus, possumus cognoscere ipsum posse facere res supra vires naturæ v. g. mortuos ad vitam repetere; accidentia sine subiecto seruare, quæ conseruatio secundùm suam entitatem est supernaturalis; ergo hæc ratio non probat.

Sed hæc instantia, ob quam vocat *Lug.* debiliorem hanc rationem, nec verisimilitudinem habet. Neg. igitur, quòd ad cognoscendam imperfectè rem supernaturalem non requiratur cognitio supernaturalis; sicut enim ad cognoscẽdam perfectè rem naturalem requiritur perfecta cognitio naturalis; & ad cognoscendam imperfectè rem naturalem requiritur imperfecta naturalis cognitio; nec quis diceret posse rem naturalem sine cognitione naturali cognosci; ita ad cognoscendam perfectè rem supernaturalem requiritur perfecta dognitio supernaturalis, & ad cognoscendam imperfectè rem supernaturalem requiritur imperfecta supernaturalis cognitio; nec quis nisi insipienter diceret rem supernaturalem sine cognitione supernaturali posse cognosci; sicut enim se habet cognitio naturalis ad rem naturalem; ita cognitio supernaturalis ad rem supernaturalem; & nihil hac proportione est notius; quia cognoscibilitas sequitur entitatem; & ab illa denominatur, & limitatur. Ad id de omnipotentia dicitur per cognitionem naturalem illius cognosci posse facere omnia, quæ sunt intra ordinem naturæ; non verò posse facere aliquid supra vires naturæ; imò an sit aliquid supra vires naturæ per talem cognitionem penitus ignorari, quia talis cognitio nullo modo extenditur extra sphæram naturæ. Ad id de reuocatione mortuorum, & conseruatione accidentium dicitur, quòd sunt supernaturalia secundùm modum, non secundùm substantiam; entitas enim hominis reuocati ad vitam & entitas accidentium existentium sine subiecto est ordinis naturalis; quanuis modus, quo homo reuocatur ad vitam, & modus, quo accidentia existunt sine subiecto sit supernaturalis; nec ipsa reuocatio, & conseruatio est aliqua entitas, vt falsò imaginatur *Lug.* Ipsa ergo entitas, quia naturalis est, naturaliter agnoscitur; modus autem, quo existit illa entitas, quia supernaturalis est, nullo modo cognoscitur.

11 Conf. 2. Si posset naturaliter cognosci, maximè, quia inuoluit naturam humanam, quæ naturaliter cognoscitur; sed hæc ratio non concludit; nam productio gratiæ importat naturam, quæ est subiectum, in quo recipitur; & tamen non sequitur, quòd sicuti naturaliter cognoscitur natura; ita naturaliter cognoscatur, & gratia. Similiter quanuis anima rationalis coniungatur corpori, quod oculis corporeis potest videri; non sequitur, quòd anima oculis corporis aspici possit; sed potius quòd non possit videri, quia est supra sphæram virtutis oculi; ergo à pari potiùs sequitur oppositum illius, quod *ab Aduersarijs* intenditur.

12 Conf. 3. Si per medium naturale posset cognosci aliquod supernaturale, maximè, quia illud medium esset coniunctum cum re supernaturali vel tanquam proprietas, vel tanquam effectus, vel tanquam causa; hæc enim sunt media, quæ ducunt ad cognoscendam rem; vt diximus *to. 1. de Subst. Dei qu. 1. art. 1. §. 2*; sed possibilitatis incarnationis nulla proprietas naturalis est assignabilis; nec effectus, quia possibile, vt possibile, cùm non sit existens, nequit operari; neque causa, quæ sit naturalis, aliter incarnatio esset ex principijs naturæ, quod est contra fidem docentem esse ex gratia Dei; ergo nullo modo potest naturaliter cognosci. *Vid.* alias rationes allatas *to. 1; & to. 2. vbi s.*

13 Tandem si naturaliter posset cognosci incarnationis possibilitas, posset etiam naturaliter cognosci actualis existentia; quia res eadem est in statu possibilitatis, & in statu actualis existentiæ; vt qui potest cognoscere hominem esse possibilem, quia possibile est animal rationale, potest etiam cognoscere hominem existere à parte rei; quia potest cognoscere aliquod, quod sentiat, & discurrat; sic naturaliter cognoscens possibilem esse vnionem naturæ humanæ cum natura Diuina, videns postea à parte rei existentem hominem, qui habet operationes proprias hominis, & operationes excedentes naturam hominis, & quanlibet aliam naturam creatam, naturaliter cognosceret illum hominem esse Deum simul, & hominem, & per consequens naturaliter cognosceret actualem existentiam incarnationis. Tum quia facilior est cognitio rei actualiter existentis à parte rei, quàm in statu possibilitatis; quia à parte rei habet operationes, quæ possunt manuducere in cognitionem substantiæ illas elicientis; at in statu possibilitatis nullas operationes potest habere; & ideo in tali statu ei deficit signum ducens in cognitionem illius; & per consequens est minùs cognoscibilis; ergo si posset incarnatio cognosci in statu possibilitatis, posset à fortiori cognosci in statu actualis existentiæ. Sed hoc est contra allatas *Scripturas*; ergo & illud.

14 Prob. 2. pars concl. Facta reuelatione incarnationis potest humana ratio inuenire aliquas congruentias, quas afferremus *in seq. q.* quibus illam probabiliter suadeat; ergo potest illam per rationes suasiuas probare.

15 Quòd autem non possit demonstratiuè illam probari, deducitur ex dictis *to. 1. de Subst. Dei q. 1. art. 4. §. 1.* sic. Substantia est simpliciter indemonstrabilis, quia solùm accidens proprium est medium demonstrationis, quod mediat inter subiectum, de quo aliud accidens demon-

monstratur; & inter accidens, quod de subiecto demonstratur; vt diximus *loc. cit*; sed possibilitas incarnationis non est accidens, vt constat; dicit enim vnionem substantialem naturæ humanæ cum persona Diuina; ergo nequit demonstrari. *Vid. vbis.*

16 Tandem quòd ex propositionibus fidei possit conuincenter ostendi, prob. Ex vna propositione fidei conuincenter ostenditur illud, quod essentialiter supponit illa propositio fidei, & quod connectitur cum illa; sed fides docet Verbum de facto esse incarnatum actualiter; & quod actualiter existit, essentialiter supponit prius fuisse possibile, aliter impossibile posset fieri existens, quod enim non est possibile, est impossibile; ideo ab actu ad potentiam desumitur conuincens illatio; ergo ex propositionibus fidei potest conuincenter ostendi possibilitas incarnationis. *Vid. to. 2. vbis.*

17 Obijc. 1. Incarnationem esse possibilem nihil aliud est, quàm ipsam non implicare cōtradictionem; sicut esse impossibilem est implicare contradictionem; sed possumus naturaliter cognoscere incarnationem non implicare contradictionem; ergo possumus naturaliter cognoscere incarnationem esse possibilem. Ma. patet; quia possibilitas est non repugnantia ad esse; ergo non repugnare idem est, ac esse possibile. Prob. mi. Ad naturaliter cognoscendum euidenter incarnationem non implicare contradictionem, sufficit naturaliter soluere omnes rationes oppositas, quæ contradictionem videntur inducere; sed possumus naturaliter soluere omnes rationes, quæ videntur inducere contradictionē in quolibet fidei mysterio, & consequenter in incarnatione; vt docent *Fund. Doctor Aeg. Quodl. 5. q. 7*; ergo possumus naturaliter cognoscere incarnationem nullam implicare cōtradictionem.

18 Conf. Repugnantia incarnationis vel se teneret ex parte Dei; vel ex parte creaturæ; sed intellectus naturalis perfectus, qualis est intellectus Angeli, qui non fuit vulneratus in naturalibus, (sicut fuit vulneratus intellectus hominis, qui per peccatum originale contraxit vulnus ignorantiæ, sicut eius voluntas malitiæ plagam recepit) potest cognoscere non repugnare ex parte Dei; quia cognoscit naturaliter in Deo dari subsistentiam infinitam potentem terminare omnem naturam creatam; neque ex parte creaturæ; quia cognoscit subsistentiam creatam realiter distingui, adeoque realiter separabilem esse à natura creata; & in natura creata esse potentiam obedientialem ad subsistēdum per subsistentiam Diuinam; ergo intellectus Angeli potest naturaliter agnoscere possibilitatem incarnationis.

19 Resp. *Gonet* ad arg. neg. mi. Ad prob. dist. ma.. Ad naturaliter cognoscendum mysterium incarnationis sufficit soluere omnes rationes oppositas per medium positiuum habens connexionem cum prædicato, & subiecto, conc; sed in hoc sensu neg. mi. Per medium negatiuum purè ostendens illas rationes non concludere, neg; & sic conc. mi; nam in hoc sensu tantùm *Fund. Doct. Aeg; & D. Tho.* asserunt posse solui omnes rationes obiectas contra fidem.

20 Ad conf. respondet neg. mi; & ad prob. insert. dicit, quòd licèt Angelus cognoscat subsistentiam Diuinam esse infinitam in terminando; attamen potest dubitare, an de ratione termini sit esse modum, vel ens incompletum; & ex parte naturæ creatæ potest dubitare, an de ratione termini sit esse modum, aut ens incompletum; & sic nequit euidenter, & certò cognoscere incarnationem.

21 Sed ex his responsionibus deducitur posse naturaliter saltem imperfectè, & dubitatiuè incarnationem agnosci, quod patet esse falsum ex dictis; omissis igitur.

22 Resp. ad arg. neg. supp. mi; præcisa enim omni reuelatione nullo modo cognosceretur incarnatio; nec de illa posset cogitari, aut suspicari, & dubitari; & sic non possent contra illam fieri, aut solui obiectiones. Quando autem *Fund. Doct; & D. Tho.* asserunt posse naturaliter solui omnes rationes factas contra fidem, procul dubio supponunt reuelationem externam mysteriorum fidei; nam quod nullo modo est reuelatum, nullo modo potest cognosci, cùm sit ordinis supernaturalis; & quod nullo modo cognoscitur, nullo modo potest oppugnari, vel propugnari.

23 Ad conf. eodem modo neg. mi; nam intellectus, quantuncunque perfectus, secundùm naturalia non valet cognoscere etiam imperfectè res supernaturales; sed subsistentiam Diuinam terminare naturam creatam; & naturam creatam separatam à propria subsistentia existere per subsistentiam Diuinam; nec non habere potentiam obedientialem ad subsistendum per subsistentiam Diuinam, sunt simpliciter supernaturalia, adeòque supra omnem indaginem intellectus naturalis; qui propterea non posset hæc cognoscere, sed nec inquirere, suspicari, aut dubitare. Quanuis ergo Angelus naturaliter cognoscat subsistentiam Diuinam esse infinitam, & continere omnem subsistentiam creatam; & naturam creatam esse separabilem à sua subsistentia; attamen non sequitur, quòd illa possit istam terminare, nec ista ab illa terminari.

24 Obijc. 2. Angelus videns quiditatiuè naturam humanam Christi Domini vidit illam subsistere non per subsistentiam sibi propriam, aut alienam creatam; quia in naturalibus decipi nequit; ergo euidenter deduxit eam existere per subsistentiam increatam; nam vltra creatam non datur, nisi increata.

Resp. vltra ea, quæ diximus *to. 3. de Ang. q. 4. art. 10. nu. 24.* neg. conf. Ad prob. insert. dicitur, quòd licèt vltra subsistentiam creatam non

non detur, nisi subsistentia increata; attamen datur modus subsistendi, qui non est subsistentia creata, nec increata; nam accidentia Eucharistica subsistunt, non per subsistentiam creatam, quia ibi non est substantia panis; nec per increatam, quia non sunt assumpta in vnitatem subsistentiæ Diuinæ; vt diximus *art.* 8; sed subsistunt per modum eis communicatum à subsistentia creata, & separatum vi Diuinæ potentiæ ab ipsa subsistentia creata, ac conseruatum. Vidit ergo Angelus naturam humanam in Christo habere modum subsistendi separatum à propria subsistentia; & hoc satis fuit, vt haberet cognitionem quiditatiuam; nam si modus subsistendi separatus à propria subsistentia potest competere accidenti; multò magis substantiæ, quæ ex sua natura habet aptitudinem ad subsistendum in se, quam non habet accidens. An autem ille modus subsistendi esset coniunctus cum subsistentia Diuina in vnitatem personæ; vel separatus, & conseruatus à Deo, non vidit Angelus; quia talis separatio, & conseruatio; sicut talis coniunctio erat prorsus supernaturalis, & ideo supra captum naturalem Angeli.

25 Obijc. 3. Quod est euidenter credibile, est euidenter possibile; sed incarnatio Verbi est euidenter credibilis; omnia enim fidei mysteria sunt euidenter credibilia; ergo est euidenter possibilis. Mi. patet ex dictis *to.* 4. *de Fide q.* 1. *art.* 5. §. 2. Prob. ma. Quod est euidenter incredibile, est euidenter impossibile; ergo quod est euidenter credibile, est euidenter possibile; *oppositorum* enim *eadem est ratio*.

Resp. neg. ma; nam credibilitas sumitur ab aliquo signo extrinseco ipsis mysterijs; possibilitas verò sumitur à principijs intrinsecis, cùm dicat connexionem terminorum componentium ipsam rem; ideo *to.* 4. *vbis.* §. 1. diximus euidentiam attestantis, & aliorum motiuorum credibilitatis posse stare simul cum ineuidentia rei attestatæ. Ad prob. neg. ma. ob eandem rationem; potest enim esse aliquod possibile, & nullam penitus habere euidentiam credibilitatis, quia nullum potest esse signum externum inducens ad illud credendum; imò potest esse aliquod signum inducens ad illud non credendum, quanuis falsò; nam multa falsa apparent credibiliora veris; nec est aliqua repugnantia quia credibilitas, & veritas sumuntur ex diuersis, vt dictum est.

26 Obijc. 4. Deus, vt Auctor naturæ, cognoscit possibilitatem incarnationis, comprehendit enim suam subsistentiam, vt communicabilem creaturis; sed Deus potest communicare creaturæ in ordine naturæ, quidquid cognoscit, vt Auctor naturæ; ergo potest illi communicare cognitionem naturalem possibilitatis incarnationis.

Resp. neg. ma; Ad prob. insert. dicitur, quòd comprehensio est supernaturalis incommunicabilis simpliciter creaturæ; vt diximus *to.* 1. *de Inuisib. q.* 5. *art.* 1. *à nu.* 3.

27 Obijc. 5. Est probabilis sententia, quòd Angeli peccauerint appetendo vnionem hipostaticam; ergo illam nouerunt esse possibilem, quia voluntas non fertur in incognitum.

Resp; quòd in hac sententia dicendum est eis fuisse reuelatam incarnationem, & sic illam non nouerunt præcisa omni reuelatione, vt *hic* loquimur.

28 Obijc. 6. Christus Dominus per scienssciam naturalem nouit se esse verum Messiam; se esse verum Deum &c; ergo idem.

Resp. neg. ant; nam per scientiam naturalem sola naturalia cognouit.

Aliæ obiectiones solutæ sunt *to.* 2; *&* 3. *vbis.*

QVÆST. II.

De conuenientia, & necessitate Incarnationis.



POSSIBILE se habere ad conueniens, vt quid magis vniuersale ad minùs vniuersale certum est; nam omne conueniens est possibile, non tamen è contra; quia plures Mundi sunt possibiles, & tamen non fuerunt conuenientes; vnitas enim Vniuersi maximè commendat Creatoris vnitatem, quanuis secundùm ordinem alterius prouidentiæ potuissent congruere. Rectè igitur à possibilitate ad congruitatem, tanquam à magis ad minùs vniuersale procedimus. Iungimus autem conuenientiam cum necessitate, vel quia vna infert aliam; aut quia pauca de singulis controuertuntur.

ART. I.

An Deum incarnari fuerit conueniens?

1 ALiqui *hæretici*, vt refert *Tertull. lib. de carne Christi*, quanuis concederent incarnationem esse possibilem, dixerunt tamen Deo non congruere, sed potiùs suprema Dei Maiestate indignam esse, illam enim ad hæc ima, & vilia videtur deprimere.

2 Communis tamen Catholicorum sententia est ipsam fuisse conuenientissimam tam ex parte Dei, quàm ex parte creaturæ rationalis sauciatæ per peccatum, & sanandæ per gratiam Redem-

Redemptoris. *Ita Fund. Doct. hic dist.* 1. *p.* 2. *ar.* 2; *S. Tho.* autem addit etiam congruam fuisse ex parte ipsius Vniuersi. Ratio huius diuersitatis est; quia conuenientia, cùm sit ad alterum, importat relationem; Incarnatio autem immediatè, & proximè duplicem relationem importat; vnam, quæ est relatio secundùm esse, naturæ assumptæ ad personam assumentem; alteram, quæ est secundùm dici, personæ assumentis ad naturam assumptam. Præter has duas relationes immediatas dicit etiam relationem mediatam ad Vniuersum; quatenus dicit relationem ad naturam humanam, quæ est pars Vniuersi, vel est quidam epilogus totius Vniuersi. Igitur *Fund. Doct.* sumit conuenientiam tantùm, vt dicit relationes immediatas, & ideo tantùm ex parte Dei, & naturæ assumptæ. *D. Tho.* verò illam sumit etiam, prout dicit relationem mediatam ad Vniuersum; & ideo etiam ex parte Vniuersi.

3 Conueniens autem hic sumitur, prout idem est, ac decens, & dignum Dei maiestate; sicut inconueniens idem est, ac indecens, indecorum, & indignum, quia maiestas vilesceret, si aliquid sibi indecens, & indecorum operaretur.

4 Vnica concl. Incarnatio fuit maximè conueniens tam ex parte Verbi Diuini, quàm ex parte naturæ humanæ, & Vniuersi.

Prob. 1. *Ephes.* 7. habetur: *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior Cælis factus.* Ex quo sic arguitur. Pontificium, sanctitas, innocentia, summa bonitas excludens omnem malitiam, & celsitudo maximè Deo cõueniunt; hęc enim omnia summam perfectionem, & dignitatem important; sed incarnatio dicit hæc omnia; quia per incarnationem Christus factus est *Pontifex* mediator Dei, & hominum, qui offerendo semetipsum dedit pretium redemptionis nostræ; factus est *sanctus* per sanctitatem increatam excludentem omne peccatum à se ipsa, & à nobis; factus est *innocens* nedum, *quia dolus non est inuentus in ore eius*; sed etiam quia nobis tot peccatis obnoxijs innocentiam restituit; *impollutus, & segregatus à peccatoribus* non solùm, *quia peccatum non fecit*; sed etiam quia peccatoribus sanctitatem, & munditiem reddidit; *& excelsior Cælis*, quia descendendo ad hominem, qui in ordine intellectuali infimus est, maiestatem supremam non deiecit; sed quod infimum erat, in supremo collocauit; ergo incarnatio fuit Deo maximè conueniens.

5 Conf. *Rom.* 9. *Quòd Deus volens ostendere viam, & notam facere potentiam suam, sustinuit in magna patientia vasa iræ apta in interitum; vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Ex quo arguitur. Ostensio Diuinarum perfectionum ad extra maximè congruit Deo; conuenit enim, vt Deus talis appareat ad extra, qualis existit ad intra: sed in incarnatione habetur ostensio Diuinarum perfectionum ad extra; nam in incarnatione ostendit Deus iustitiam suam; quia dedit nobis Filium; *quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ad ostensionem iustitiæ Rom.* 3; ostendit potentiam; quia opus omnium maximum operatus est, dum extrema infinitè distantia in vnitatem personæ coniunxit; de incarnatione nanque dicitur: *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud.* Ostendit misericordiam; dicitur enim *ad Tit.* 3. *Cùm autem benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit*: Ostendit charitatem; quia *Io.* 3. *Sic Deus dilexit Mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Non seruum (inquit *Fund. Doct.*) sed Filium; non Filium adoptiuum, sed sibi consubstantialem; non qualemcumque, sed vnigenitum; non nobis amicis, sed inimicis; quæ omnia summè commendant Dei erga nos charitatem. Ostendit summam bonitatem, quia Deus summo modo se communicauit hominibus faciendo hominem Deum; *& homo factus est*. Ostendit virtutem, & sapientiam, quia palam nobis locutus est in Filio, *quem virtutem, & Dei sapientiam* vocat *Apost.* 1. *Cor.* 1; ergo incarnatio fuit Deo maximè conueniens.

9 Prob. 2. pars concl. ex *S. P. Aug. lib.* 13. *de Trin. cap.* 10. docente: *Eos itaque, qui dicunt. Itane defuit Deo modus alius, quo liberaret homines à miseria mortalitatis huius; vt vnigenitum Filium Deum sibi coæternum fieri vellet induendo humanam animam, & carnem, mortalemque factum mortem perpeti; parum est sic refellere; vt illum modum, quo nos per mediatorem Dei, & hominum hominem Christum Iesum, Deus liberare dignatur, asseramus bonum, & Diuinæ congruum dignitati; verumetiam, vt ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati cuncta æqualiter subiacent; sed sanandę nostræ miserię conuenientiorem modum non fuisse, neque esse oportuisse. Quid enim tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, mentesque mortalium conditione ipsius mortalitatis abiectas ab immortalitatis desperatione liberandas, quàm vt demonstraretur nobis, quanti nos penderet Deus, quantùmque diligeret? Quid verò huius rei tantò illo indicio manifestius, atque præclarius, quàm vt Dei Filius immutabiliter bonus in se manens, quod erat; & à nobis, & pro nobis accipiens, quod non erat, pręter animę suę naturę detrimentum nostrum dignatus inire consortium, priùs sine vllo malo suo merito mala nostra perferret; ac sic iam credentibus, quantùm nos diligat Deus, & quod desperabamus iam sperantibus, dona in nos sua sine vllis bonis meritis nostris, imò & pręcedentibus malis meritis nostris, indebita largitate conferret; quia & ea, quæ dicuntur merita nostra, dona sunt eius? Vt enim fides per dilectionem operetur,*

tur, charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Ex his *Fund. Doct. Aeg. & D. Tho.* argumentum desumunt, quo probant incarnationem nostræ naturæ per peccatum sauciatæ, vt sanaretur, maximè conuenientem fuisse. Arguitur autem sic. Illud, quo faciliùs, efficaciùs, & immediatiùs acquiritur salus æterna, est congruentius naturæ sanandæ; sed incarnatio est huiusmodi; ergo est congruentior naturæ humanæ sanandæ. Ma. claret; quia illud dicitur magis congruere alicui, quod magis conducit ad bonum, ad quod illud ordinatur; sed natura sananda ordinatur ad salutem acquirendam, dicitur enim sananda per ordinem ad salutem, ad quam ordinatur; ergo illud, quo faciliùs, efficaciùs, & immediatiùs acquiritur salus æterna, magis congruit naturæ sanandæ. Prob. mi. Incarnatio maiorem confert fidem, spem, & charitatem in Deum, & alia dona supernaturalia, quàm quodlibet aliud medium, quod poterat à Deo ordinari, vt natura humana liberaretur à morbo peccati; nulla enim maior fides in Deum potest haberi, quàm per ipsum Filium Dei incarnatum, per quem fides nostra fundatur docente *Apost. 1. Corinth. 3. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus*; quod *Glos.* exponit de fide habita per Christum, quæ per dilectionem operatur, & quæ neminem perire permittit; nullus nanque est maioris auctoritatis, & dignior, vt ei credatur, quàm ipse Deus, qui nequit mentiri, nec fallere; nec maiorem spem potest homo concipere acquirendi filiationem Dei adoptiuam, quàm videndo Filium Dei factum filium hominis; habetur enim *Io. 1. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri*; tota nanque difficultas, quæ est in credendo hominem posse fieri Filium Dei, consistit in credendo, quòd Filius Dei natura filius hominis effici possit; ex eo enim, quòd Filius Dei natura Filius hominis efficiatur; à fortiori inferri potest, quòd Filius hominis possit fieri ex gratia Filius Dei; quapropter *S. P. Aug. 13. de Trin. cap. 9.* docet: *Si natura Dei Filius propter filios hominum natura factus est filius hominis: Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: quantò credibiliùs est natura Dei filios hominum gratia fieri filios Dei*; nec maiorem charitatem in Deum, quàm per Christum potest recipere; si enim eo diligimus Deum, quo Deus diligit nos; causa nanque nostræ dilectionis, qua diligimus Deum, est dilectio, qua Deus diligit nos, iuxta illud *1. Io. 3. Diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos*; & quantò maior est causa, tantò est maior effectus; nulla autem potuit esse maior dilectio, quàm in incarnatione, in qua Filium suum sibi consubstantialem nobis tradidit; hinc habetur *Io. 3. Sic Deus dilexit Mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*; non quidem nobis Dei amicis, sed inimicis; vt *Rom. 5. Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius*; non seruum tradidit pro nobis, sed Filium; non filium adoptiuum, sed sibi consubstantialem; non qualemcunque filium, sed vnigenitum vnicè dilectum, in quo sibi in omnibus complacet; vt dicitur *2. Pet. 1. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*; ex quibus apparet Dei erga nos summa dilectio; nec maiora dona poterat nobis conferre, quàm per Christum, *in quo est plenitudo omnium gratiarum*; quia *de plenitudine eius omnes accepimus Io. 1; & cum illo omnia nobis donauit Rom. 8*; quia dedit semetipsum; *in quo sunt omnia, per quem omnia, & ex quo omnia Rom. 11*; sed per maiorem fidem, spem, & charitatem immediatiùs consequimur Deum, in quo est nostra salus æterna, quàm per alia dona, quia fides, spes, & charitas habent pro obiecto immediato Deum; & faciliùs, ac efficaciùs; quia quò efficacius est medium; eò facilior, & efficacior est consecutio finis; & per maiora dona, quæ sunt auxilia ad salutem, magis acquiritur salus; ergo incarnatio Filij Dei est id, quo faciliùs, efficaciùs, & immediatiùs natura sauciata per peccatum acquirit salutem æternam.

7 Conf. 1. Si alter modus conuenientior, vel æquè conueniens sanandæ naturæ humanæ reperiretur præter Incarnationem Verbi Diuini, vel esset per puram creaturam; vel per aliam personam Diuinam; vel per meram condonationem extrinsecam peccati? Non primum; quia pura creatura nequit satisfacere ad æqualitatem pro peccato, vt *inf.* videbimus; adeòque nequit sanare naturam humanam à vulnere peccati. Non secundum; vt dicemus *in seq. art.* Neque tertium; vt diximus *to. 4. de iustif. qu. 4. art. 3*; ergo nullus alius modus sanandæ naturæ humanæ fuit congruentior, quàm incarnatio Verbi Diuini.

8 Conf. 2. Nullus alius modus sanandæ naturæ humanæ congruentior erat, quàm ipsam naturam humanam separatam à Deo per peccatum iterum Deo vnire, & reconciliare per gratiam; sicut enim morbus nihil aliud est, quàm priuatio sanitatis; ita sanatio nihil aliud est, quàm vnio cum sanitate; sed sola incarnatio Filij Dei est medium vniens Deum, & hominem, quia per ipsam est Christus *vnus mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus. 1. ad Tim. 2*; si enim (inquit *S. P. Aug. de pecc. orig. c. 28.* Christus esset tantùm Deus, vel tantùm homo, iam non esset mediator inter Deum, & hominem, sed esset extremum; quia Deus, & homo sunt extrema vnienda per medium: *Non autem* (inquit *S. P.*) *per hoc mediator est, quia æqualis est Patri; per hoc enim quantùm Pater, tantùm & ipse distat à nobis. Et quomodò erit medietas, vbi eadem ipsa distantia est &c. Per hoc ergo mediator, per quod homo inferior Patre, per quod nobis propin-*

pinquior: *superior nobis*, *per quod Patri propinquior*; ergo incarnatio est conuenientior naturæ humanæ sanandæ, quàm quilibet alius modus, quo posset natura sanari.

9 Tandem illud est alicui summè conueniens, quod summè illud dignificat, & perficit; perfectio enim conuenit perfectibili, quia conueniens est bonum, *& bonum, ac perfectum idem sunt*; sed incarnatio summè dignificat, & perficit naturam humanam, illam nanque eleuat ad esse Diuinum, & totius Diuinitatis facit participem; ergo est summè conueniens naturæ humanæ.

10 Ex his deducitur id, quod addit *D. Tho*; scilicet incarnationem esse cōuenientem etiam ex parte Vniuersi; quia ipsa est excellentius, & perfectius bonum, quod sit in Vniuerso; ergo est Vniuerso conueniens; bonum enim essentialiter est conueniens rei, cui est bonum; sicut malum est disconueniens, quia est defectus. Tum quia incarnatio vnit vtranque creaturam; scilicet spiritualem, & corporalem cum Deo, quia vnit hominem, qui ex natura spirituali, & corporali componitur; vnio autem est conuenientia, quæ nihil aliud sonat, nisi *plurium in vnum venientia*; siue *vnius cum alio venientia*; ergo idem. Tum quia sicut homo habet aliquid omnis creaturæ, ac propterea *mundus paruus* appellatur; ita totus mundus perficitur; cùm solus homo exaltatur; sed conueniens fuit exaltari hominem per Verbi Diuini incarnationem; ergo conueniens fuit & Vniuersum per eandem incarnationem perfici, & exaltari. Tum quia si media habent dignitatem à fine; & omnia, quę sunt in Vniuerso, propter hominem à Deo creata sunt; deturpato homine per peccatum omnia deturpata fuere; ergo sicut conueniens fuit hominis venustatem per incarnationem instaurari; ita & instaurari omnia cum homine; quapropter *Ephes.* 1. inquit *Apost. omnia fuisse instaurata in Christo*.

11 Obijc. 1. Sicut malitia opponitur bonitati, ita vilitas maiestati; sed summam bonitatem non decet assumere aliquam malitiam; ergo neque summam maiestatem, vt est maiestas personæ Diuinæ, decet sumere vilitatem, quàm importat natura humana.

Resp. hoc fuisse solutum *quæst.* 1. *artic.* 5. *num.* 19; *&* 20. Dist. igitur ma. Vilitas, & maiestas respectu eiusdem entitatis, conc; respectu diuersarum entitatum, quarum vna est assumens, altera assumpta, neg; Verbum enim ita assumpsit naturam humanam, vt non amiserit, quod erat, ideo non depressit id, quod erat. At malitia, cùm essentialiter dicat actionem intrinsecam, ideo inficit bonitatem; sicut Deitatem deprimeret humanitas, si assumeretur in confusionem, seu vnitatem naturæ.

12 Obijc. 2. Angelus, & homo æqualiter peccarunt; vterque enim peccauit peccato superbiæ; sed non fuit conueniens assumere naturam Angelicam: ergo neque humanam; aliter si vtrunque fuisset conueniens, & vnum tantùm præstitisset, Deus fuisset acceptor personarum, quod Deo repugnat, qui æqualis Prouisor est omnium.

Resp. *Fund. Doct. hic ad* 2; quòd licèt admittatur primũ peccatum hominis fuisse superbiam; attamen inæqualiter peccauit homo, & Angelus; qùia in eadem specie peccati est inæqualitas; propter quod fuit conueniens sanare naturam hominis, non Angeli. Fuit ergo peccatum hominis inęquale peccato Angeli. 1. Quia Angelus habuit intellectum magis illuminatum, quàm homo, qui pro hoc statu dependet in intelligendo à phantasmate corporeo, quod obscurat intelligentiam; ideo intellectus hominis fuit capax ignorantiæ, non intellectus Angeli: & quoniam ignorãtia aliquo modo excusat, vel minuit peccatum; ideo conueniens fuit, quòd peccatum hominis, non Angeli sanaretur. 2. Quia peccatum vnius Angeli non fuit traductum ex alio Angelo, cùm vnus Angelus non generetur ex alio; sicut fuit traductum ex vno *Adam* peccatum in omnes; ergo conueniens fuit per vnum Christum, qui est secundus *Adam* tolli peccatum ab omnibus; non autem tolli peccatum Angelorum, quod non fuit ab vno. Et quanuis dicatur, quòd *Draco traxit tertiam partem stellarum*; hoc tamen non fuit per propagationem naturæ, sed per voluntatis consensum. 3. Quia homo peccauit per appetitum scientiæ: *Eritis sicut Dij*; Angelus verò per appetitum potentiæ; & quia peccare contra scientiam est peccare per ignorantiam, quod est magis dignum venia, quàm peccare contra potentiam, quod est peccare ex electione; ideo conueniens fuit subuenire naturæ humanæ, non Angelicæ. 4. Quia homo peccans cogitauit de venia, erubuit enim, & abscondit se; non autem Diabolus. 5. Quia posteri *Adæ* per alium peccauerũt, Angeli verò per se ipsos; ideo congruũ fuit, vt illi per alium redimerentur. 6. Quia dum Angeli peccauerunt, erant omnes actu existentes in se ipsis; homines autem non erant in se ipsis, sed *in Adam*; ergo magis homines, quàm Angeli erant compatiendi. 7. Quia tota natura humana cecidit, non autem tota natura Angelica genericè sumpta. 8. Quia homines post peccatum remanserunt in statu viæ; Angeli verò statim fuerunt in termino.

13 Obijc. 3. Sicut se habuit Deus creando hominem, ita in redimendo; redemptio enim est recreatio, seu regeneratio, vt loquitur *Apost*; sed non fuit congruum, quòd Deus creando incarnaretur; ergo nec redimendo.

Resp. neg. ma; nam Deus in creando se habuit simpliciter, vt mera causa efficiens; at in redimendo se habuit etiam, vt causa satisfacto-

ria

ria pro hominis peccato; at purus homo non poterat satisfacere; ergo debebat Deus fieri homo, & per consequens incarnari.

14 Obijc.4. *D. Dion. de cæl. Hier.* ait; quòd *infima reducuntur in Deum per media*; sed homo in ordine intellectualium est infimus, & Angelus medius; ergo homo per peccatum separatus à Deo erat reducendus in Deum per Angelum; & ideo conueniens erat Angelum satisfacere pro peccato hominis.

Resp. Angelum reduxisse hominem in Deum eo modo, quo potuit, quia annunciauit Christi incarnationem, per quam homo reductus est in Deum; non tamen reduxit satisfaciendo pro peccato; quia peccatum est offensa Maiestatis infinitæ; ideo pro illo non potuit satisfieri, nisi à persona dignitatis infinitæ. Dist. igitur ma. Infima reducuntur in Deum per media dirigendo, & illuminando, vt intendit *Diu. Dion*; conc; satisfaciendo, neg.

ART. II.

An conueniens fuerit potiùs incarnari Filium, quàm Patrem, aut Spiritum Sanctum?

1 LOquimur secundùm ordinem huius prouidentiæ, qua Deus disposuit per incarnationem Vnigeniti Filij sui sanare naturam humanam à vulnere peccati, eamque liberare à captiuitate Diaboli, quam ob peccatum incurrerat; nam si sermo sit secundùm alium ordinem, quem Diuinæ prouidentiæ defuisse non posse docet *S. P. Aug. lib.13. de Trin. c.* 10; secundùm quem aliter Deus decreuisset hominem redimere per incarnationem Patris, vel Spiritus Sancti, quod potuisse fieri ostendimus *in sup. q. art.* 3; vel quocunque alio modo, non defuissent aliæ congruitates, quæ infinitam illius commendarent sapientiam.

2 Vnica concl. Conuenientius fuit incarnari Filium, quàm Patrem, aut Spiritum Sanctum. *Ita Fund. Doct. Aeg. hic dist.* 1. *p.*2. *qu.*1. *art.*4; *& communiter omnes alij*, & prob. pluribus congruitatibus.

Prima sumitur ex illo *Prou.*11. *Vbi humilitas, ibi sapientia*. Ex quo sic. Summa humilitas summæ conuenit sapientiæ; quia scientia, quæ inflat, est sapientia Mundi, quæ non est vera sapientia; sed incarnatio est summa humilitas, coniunxit enim Deum altissimum cum humana natura, quæ est infima in ordine intelligentium; ergo incarnatio summæ conuenit sapientiæ. Atqui solus Filius est summa Patris sapientia *ex Apost. Ephes.*1; ergo soli Filio conuenit incarnari.

3 2. Magis cõuenit incarnari, cui conuenit nasci; incarnari enim importat nasci secundùm humanitatem; sed soli Filio conuenit nasci; Patri enim conuenit innascibilitas, & Spiritui Sancto spiratio; ergo Filio conuenit magis incarnari, quàm Patri, aut Spiritui Sancto.

4 3. Magis conuenit incarnari, cui conuenit missio per modum obedientiæ; incarnatio enim est missio, vt docet *S. P. Aug. lib.* 2. *de Trin. c.*12; & est cum præcepto obedientiæ, dicitur enim: *Factus obediens*; sed solus Filius est huiusmodi; quia soli Filio conuenit procedere à Patre, eiq; obedire; Pater enim à nullo procedit; & Spiritus Sanctus procedit, vt spiratus, non vt obediens, cùm obedientia sit actus, quo superiores, tanquam Patres, veneramur; vt diximus *to.*4. *de Virt. q.*4. *art.*3. *n.*32; ergo idem.

5 4. Magis cõgruit incarnari, cui magis conuenit esse Filium Virginis, quia incarnatio importat filiationem temporalem, vt *inf.* dicemus; sed solus Filius est huiusmodi; nam si Pater, aut Spiritus Sanctus esset incarnatus, Filius Dei esset filius Filii Virginis, & ideo nepos Virginis, aut esset Filius Spiritus Sancti; vtrunque autem est incongruum, quod tangit *D. Ansel*; ergo idem.

6 5. Magis congruit filiatio temporalis filiationi æternæ, quàm non filiationi æternæ; sed soli Filio conuenit filiatio æterna; Patri autem, & Spiritui Sancto conuenit non filiatio æterna; ergo incarnatio, quæ importat filiationem temporalem, magis congruit Filio, quàm Patri, aut Spiritui Sancto.

7 6. Magis congruit in Diuinis personis esse tantùm vnum Filium, quàm plures Filios; sed incarnato Patre, aut Spiritu Sancto essent plures Filij; & incarnato Filio est tantùm vnus Filius; ergo magis congruit incarnari Filium, quàm Patrem, aut Spiritum Sanctum.

8 7. Magis conuenit terminare generationem temporalem ei, cui non appropriatur ratio principij eiusdem generationis temporalis; sed solus Filius est huiusmodi; nam licèt tota Trinitas operata sit incarnationem, quæ est temporalis generatio, attamen prout est opus omnipotentiæ, quæ est attributum appropriatum Patri, principium incarnationis appropriatur Patri; & prout est opus pietatis, & benignitatis, quæ est attributum appropriatum Spiritui Sancto, principium incarnationis appropriatur Spiritui Sancto; ergo idem.

9 8. Magis congruit, quòd homo, qui est imago Dei creata, restauretur per imaginem increatam; sed solus Filius est imago Patris increata; ergo soli Filio magis congruit restaurare hominem, & ideo incarnari.

10 9. Magis congruit Verbo fieri sensibile, ad extra, & corporeum; docet enim *S. P. Aug.* 15. *de Trin. c.*11. *Verbum, quod foris sonat, signum est Verbi, quod intus latet*; quàm mens, aut amor, quæ intus manent; sed solus Filius est Verbum; vt docet *idem* 3. *de Trin. c.*11; *Eo Verbum, quo Filius*; mens autem repræsentat Patrem, & amor Spiritum Sanctum; ergo soli Filio

lio magis conuenit fieri sensibilem, & corporeum, atque adeo incarnari.

11 10. Magis conuenit incarnari, cui magis conuenit esse mediatorem; quia in incarnatione resultat *mediator Dei, & hominum*; sed ratio mediatoris magis conuenit Filio, cui ratione suæ processionis conuenit esse medium inter Diuinas personas; quamuis enim Spiritui Sancto ratione modi procedendi competat esse nexum vnientem Patrem,& Filium; quia procedit, vt amor, qui est nexus duorum; attamen ratione processionis Filio conuenit esse medium inter Patrem, & Spiritum Sanctum, Filius nanque procedit, vt secunda persona; secunda autem est media inter primã,& tertiam;ergo idem.

12 11. Magis congruum fuit, quòd Deus, qui in sapientia creauit, in sapientia etiam recrearet; sed sapientia appropriatur Filio, & recreatio est incarnatio; ergo idem.

13 12. Cui magis conuenit virtus,per quam potest haberi victoria, & triumphus de hoste tartareo, magis conuenit incarnari; incarnatio enim ordinata est ad debellandas potestates tartareas;sed Filio appropriatur virtus *per Apost*; ergo idem.

14 13. Cui magis cõgruit æquare Diuinam iustitiam læsam per peccatum primorum parentum, magis propriè conuenit incarnari; incarnatio nanque ordinata est ad æquandam Diuinam iustitiam; sed Filio appropriatur æqualitas, quia à Patre per omnia procedit æqualis; vt docet *S. P. Aug.* 15. *de Trin. c.*14; ergo idem.

15 14. Cui magis conuenit esse pulcritudinem, magis congruit incarnari; quia incarnatio ordinata fuit ad mundandam, lauandam, & pulcram faciendam naturam humanam deturpatam per peccatum; sed pulcritudo, & species *ex D. Hil.* appropriatur Filio, quam appropriationem valde commendat *S. P. Aug. 6. de Trin. c. vlt*; & de qua diximus *to.2. de Trin. q.7. art.2. n.5*; ergo idem.

16 Obijc. 1. In incarnatione nedum summa sapientia, quæ reconciliauit hominem cum Deo, sed etiam monstrata est summa potentia, quæ coniunxit duas naturas infinitè distantes; & summa bonitas, quia Deus non despexit hominem, quem plasmauit; sed hæc tria appropriantur tribus personis Diuinis; ergo magis congruum fuit incarnari omnes tres personas Diuinas.

Resp. *Fund. Doct.* arg. procedere quantùm ad principium effectiuum incarnationis, non quantùm ad terminum; nam quia apparuit sapientia, potentia, & bonitas, ideo tota Trinitas operata est incarnationem. At quia incarnatio est generatio temporalis, ideo solus Filius, cui solùm competit generari, congruum fuit eam terminare.

17 Obijc. 2. Incarnationi attribuitur victoria de potestate infernali; sed victoria potissimè attribuitur potentiæ, quæ attribuitur Patri; ergo conuenientius fuit Patrem incarnari. 2. Recreatio respondet creationi; sed creatio attribuitur Patri, cui attribuitur potentia; ergo idem. 3. Incarnatio importat adoptionem filiorum; sed adoptio respicit Patrem, quia *à Patre est omnis paternitas in Cælo, & in terra*; vt inquit *Apost*; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. mi; nam opprimere hostem non spectat ad potentiam; quia magis potentem opprimere minùs potentem non est laudabile; sed ad virtutem æqualitatis, quæ attribuitur Filio. Ad 2. dist. ma. Recreatio respondet creationi; tanquam diuersa attributa, quibus respondet glorificatio, conc; tanquam idem attributum, neg. Sicut ergo glorificatio attribuitur Spiritui Sancto, & creatio attribuitur Patri; ita recreatio appropriatur Filio. Ad 3. dist. ma. Incarnatio importat adoptionem terminatiuè, conc; initiatiuè, neg; sicut autem generatio terminatiuè conuenit Filio; ita & adoptio.

18 Obijc. 3. Congruentiùs est viciniora, quàm remotiora coniungi; sed Spiritus Sanctus est nobis vicinior, quàm Filius, quia post productionem Spiritus Sancti non datur, nisi productio creaturæ; post productionem autem Filij datur productio Spiritus Sancti ante productionem creaturæ; ergo magis congruum fuit incarnari Spiritum Sanctum. 2. Incarnatio attribuitur charitati, dicitur enim: *Sic Deus dilexit Mundum; vt Filium suum vnigenitum daret*; sed charitas appropriatur Spiritui Sancto; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. mi. Spiritus Sanctus est nobis vicinior quantùm ad sua dona, conc; & & ideo dona Dei nobis data sunt per Spiritum Sanctum; quantùm ad modum habendi naturam, neg; quia Spiritui Sancto non competit nasci. Ad 2. dist. ma. Attribuitur charitati, tanquam motiuo, & principio, conc; tanquam termino, neg.

A R T. III.

An congruentius fuerit assumi naturam humanam, quàm Angelicam?

1 SVpponimus Angelos, & homines lapsos in peccatum; & quærimus; an conuenientius fuerit Verbum Diuinum assumere naturam humanam, vt eam redimeret; & relinquere Angelicam, vt maneat in perditione, quam per peccatum incurrit?

2 Vnica concl. Congruentius fuit Verbum Diuinum assumere naturam humanam, quàm Angelicam. *Ita Fund. Doct. Aeg. hìc dist.2. p.1. q.1. art.3; & communiter omnes.*

Prob. 1. ex illo *Hebr. 2. Non enim Angelos, sed*

sed Abrahæ semen apprehendit Deus; cuius triplicem rationem reddit *S. P. Aug. lib. 1. de Mirab. Sac. Script. c. 2*; nam Angelus fuit creatus in summo statu suæ beatitudinis, in quo non indigebat, nisi à Deo confirmari, si mansisset in contemplatione sui Creatoris; sic enim accepisset visionem beatam, quæ est consummata beatitudo, à qua excidere nunquam potuisset; ideo cadens à statu, in quo conditus fuerat, statim fuit in termino *suæ* miseriæ, à quo liberari non debuit. At homo fuit positus in terra, generandi officio destinatus, ciborumque alimoniæ deputatus, factus animalis, debuit in statum excellentiorem immutari, quia debuit transferri ad vitam spiritualem, vt Deum videret, si permansisset in ea rectitudine, in qua cōditus erat; ideo homo fuit creatus in via, & potuit reuocari à statu peccati ante mortem corporalem ipsius hominis; quod Angelo non conueniebat, quia non erat transferendus post mortem, quam quia spiritualis erat, incurrere non poterat.

3 Præterea non fuit conueniens redimere Angelum lapsum; quia *statim, postquam peccauit, foueam desperationis incurrit. Si enim de suo delicto habere veniam non desperasset, nunquam consentienti sibi homini damnum salutis suæ procuraret. Qui enim de priori peccato habere veniam desiderat, nullo modo augmentare aliud præparat*; subiungit *S. P. Adam* verò non desperauit; non enim alium ad peccandum, qui non erat, induxit; sed potiùs erubuit, quod pœnitentiæ fuit signum.

4 Subdit *S. P*; quòd *ad leuigandum hominis delictum occurrit, quòd non solùm per semetipsum mandati transgressionem non reperit, sed serpentinæ suasioni consensit*; Angelus verò per semetipsum peccauit non tentatus ab alio; magis autem meretur veniam, qui grauiter tentatus succumbit, quàm qui non tentatus delinquit.

5 Aliam rationem reddit *idem S. P. in c. 17. Io. tract. 110.* in fine: *Cùm verò nouerimus bonorum omnium Creatorem reparandis Angelis malis nihil gratiæ contulisse; cur non potiùs intelligimus, quòd tantò damnabilior eorum iudicata sit culpa, quantò erat natura sublimior? Tantò enim minùs, quàm nos peccare debuerunt, quantò meliores nobis fuerunt*. Conuenientius autem est indulgere naturæ minorem culpam habenti, quàm grauiorem.

6 Tandem reponit *ibid. Nunc autem in offendendo Creatorem tantò execrabiliùs beneficio eius ingrati extiterunt; quantò beneficentiùs sunt creati*. Conuenientius autem est misereri naturæ minùs, quàm magis ingratæ; quia sicuti maior ingratitudo importat desertionem maiorum beneficiorum; ita magis beneficiorum reddit incapacem; ergo conuenientius fuit redimere naturam humanam assumendo, quæ Deo fuit minùs ingrata, quia minora beneficia recepit; & ideo minùs incapacem beneficij Redemptionis se reddidit. *Vid.* alias rationes allatas *art. 1. num. 12.*

7 Prob. 2. *à Fund. Doct.* decem alijs congruitatibus.

Prima est. Congruum fuit, vt qui erat in Deitate Dei Filius, fieret Filius in natura assumpta; sed in natura Angelica nequiuit esse Filius, quia vnus Angelus nequit esse filius alterius Angeli; cùm in ipsis non sit generatio; ergo congruum fuit assumere naturam humanam, non Angelicam.

8 2. Vel assumpsisset naturam Angelicam iam existentem; vel nouam de nouo creando? Sed neutrum congruum fuit. Non primum; quia non potuisset assumere naturam Angelicam actu existentem, nisi destruxisset suppositum, quia suppositum nequit assumi; congruum autem non esset, vt qui venit reparare, destrueret. Neque secundum; quia cùm vna natura Angelica differat specie ab alia, nequit Deus secundùm hunc cursum rerum nouam speciem creare; dicitur enim *Gen. 2*; quòd Deus *die septimo requieuit ab omni opere, quod patrarat*; quod communiter exponitur cessasse à condendis nouis speciebus rerum, non autem à conseruandis, administrandis, propagandisque speciebus, quas creauit; ergo secundùm hunc ordinem non fuit congruum assumere naturam Angelicam.

9 3. Verbum Diuinum secundùm ordinem huius prouidentiæ assumpsit naturam naturaliter passibilem, vt patiendo redimeret; sed natura Angelica non est naturaliter passibilis; quanuis enim patiatur ignem inferni, attamen hoc non est naturaliter, sed quatenus est organum Diuinæ iustitiæ; ergo secundùm ordinē huius prouidentiæ non fuit congruum assumere naturam Angelicam.

10 4. Verbum assumpsit naturam humanam, vt hominem moriendo redimeret; habetur enim *Rom. 5. Reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius*; sed in natura Angelica non poterat mori, quia Angelus naturaliter est immortalis; ergo congruum non fuit huic prouidentiæ, quæ sic disposuit incarnationem Verbi, vt per mortem naturam redimeret, Angelicam naturam assumere.

11 5. Verbum assumpsit naturam humanam, vt satisfaceret Diuinæ iustitiæ læsæ per peccatum; satisfactio autem fuit tolerando pœnam peccato debitam; pœna verò vel potest referri ad afflictionem, quæ sentitur; & sic Christus veram habuit pœnam, quia veram sensit afflictionem; & ex hoc capite satisfecit ex vera iustitia; vel potest referri ad obligationem, qua quis tenetur subire pœnam; cùm autem obligatio ad pœnam contrahatur solùm per peccatum; quod quia non fuit in Christo, ideo quantùm ad hoc non fuit in Christo vera iustitia, sed fuit

fuit quidam color iustitiæ; nam licèt Christus non fuerit peccator, fuit tamen de stirpe peccatorum, quia fuit de stirpe *Adæ*, quæ per peccatum obligabatur ad pœnam; & licèt non assumpserit carnem maculatam peccato, assumpsit tamen ***carnem in similitudinem carnis peccati***, vt docet ***Apost***; adeòque fuit in Christo quidam color iustitiæ, seu iustitia similitudinariè quantùm ad obligationem subeundi pœnam; vel potest referri ad satisfactionem, & sic in ipso fuit iustitia superexcellens; quia cùm persona patiens sit infinita, plus satisfecit patiendo, quàm omnes homines potuissent demereri peccando; sed si Verbum assumpsisset naturam Angelicam, non fuisset ibi iustitia ratione afflictionis, seu passionis naturalis mortis; quia Angelus pati mortem naturaliter non posset; nec fuisset iustitia, aut color, seu similitudo iustitiæ quantùm ad obligationem ad pœnam; quia assumens naturam Angelicam non fuisset ex stirpe peccatorum, quia natura Angelica propagari non potest; nec fuisset iustitia quantùm ad satisfactionem; quia satisfaciens debet esse eiusdem speciei cum illis, pro quibus debet satisfacere, vt dicatur, qui læsit, satisfecisse; vnus autem Angelus differt specie ab alio Angelo; ideo Verbum assumendo naturam Angelicam non satisfecisset pro homine, qui est diuersæ speciei ab Angelo; nec pro alijs Angelis, qui pariter differunt specie, vel ordine, vel hierarchia; ergo non fuit congruum assumere naturam Angelicam.

12 6. Vel assumpsisset naturam Angelicam peccatricem; vel non peccatricem? Non primum; quia propter communicationem idiomatum dici potuisset: *Filius Dei est Angelus aliquando subiectus peccato*; quod est omnino incongruum docente *Apost*; quòd est omnino ***sanctus, innocens, impollutus, à peccatoribus segregatus***. Nec secundum; quia natura innocens non indiget liberari; ergo nullo modo.

13 7. Pontifex debet esse eiusdem speciei cum illis, quorum est Pontifex, vt dicitur *Hebr. 5. Omnis nanque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur*; sed Filius Dei in incarnatione factus est Pontifex; ergo debuit esse eiusdem speciei cum illis, quorum factus est Pontifex. At Angelus nequit esse eiusdem speciei cum alijs Angelis, aut cum hominibus; ergo non fuit congruum assumi naturam Angelicam ad liberandos alios Angelos, vel homines.

14 8. Filius Dei in incarnatione factus est frater eorum, quorum naturam assumpsit; dicitur enim *Rom. 8. Primogenitus in multis fratribus*; sed nullus Angelus potest esse frater alterius Angeli, aut hominis; quia fratres dicuntur illi, qui per generationem descendunt ab eodem Patre, & nullus Angelus potest ab alio generari; ergo nullus Angelus potuit assumi à Filio Dei.

15 Filius Dei debuit eis assimilari, quorum naturam assumpsit; hinc *Apost. Hebr. 2.* ait: *Debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret*; sed assimilatio attenditur secundùm speciem athomam; ex eo enim, quòd albus, & niger conueniant secundùm rationem genericam coloris nullus diceret eos esse similes; ergo Filius Dei debuit in incarnatione assimilari in specie athoma eis, quorum naturam assumpsit. At vnus Angelus nequit esse eiusdem speciei athomæ cum alio Angelo; ergo Filius Dei non debuit assumere naturam Angelicam.

16 10. Quilibet est magis misericors ijs, qui sunt eiusdem speciei, quàm illis, qui differunt specie; sed Filius Dei assumens naturam creatam debuit esse summè misericors ijs, quorum naturam assumpsit; vt *ibid.* ait *Apost*; ergo debuit esse eiusdem speciei cum illis, quorum naturam assumpsit; atqui vnus Angelus non potest esse eiusdem speciei cum alio Angelo; ergo idem.

17 Obijc. 1. Quæ magis sunt propinqua, magis sunt vnibilia; sed Angelus est magis propinquus Deo; docet enim S. P. *Aug. lib. 1. Conf. cap. 12. Duo fecisti, Domine; vnum prope te, idest Angelicam creaturam &c*; ergo Angelus est magis vnibilis Deo; atqui assumptio dicit vnionem; ergo Angelus est magis assumibilis, quàm homo. 2. Magis congruum est à nobilissimo assumi naturam nobiliorem, quàm ignobiliorem; sed natura Angelica est nobilior humana; ergo magis congruum fuit assumi naturam Angelicam, quàm humanam. 3. Angelus, & homo peccauerunt; sed Filius Dei assumpsit naturam, vt à peccato eam mundaret; ergo non magis decuit eum assumere naturam humanam, quàm Angelicam. 4. Ad intercedendum pro aliquo magis videtur idoneus, qui non est ex stirpe rei; ergo ad intercedendum pro homine, vel Angelo magis fuit conueniens assumere naturam Angelicam, quæ non est ex stirpe hominis, vel alterius Angeli.

Resp. ad 1. *Fund. Doct.* dist. ma. Si vnio fiat ratione naturæ præcisè; conc; si fiat ratione remissionis peccati, neg; nam tunc illud natura est magis vnibilis, cuius peccatum est remissibile; & quia peccatum hominis, non Angeli est huiusmodi; ideo natura hominis, non Angeli est vnibilis. Ad 2. eodem modo dist. ma. Angelus, & homo peccauerunt, sed Angelus irremissibiliter, & homo remissibiliter, conc; ambo remissibiliter, neg. Filius autem Dei debuit assumere naturam, cuius peccatum remissibile erat, quia assumpsit naturam, vt peccatum deleret. Ad 4. dist. ant. Qui non est ex stirpe rei, idèst qui reus non est, conc; Qui non est ex stirpe rei, & innocens est, neg; nam intercessio, quæ fit per satisfactionem, debet esse ab habente eandem naturam, vt *sup.* dictum est.

ART. IV.

An incarnatio conuenienter facta fuerit in plenitudine temporum?

1 QVanuis incarnatio, quæ est in remedium peccati, facta fuerit in vltima Mundi ætate; attamen non sequitur, quòd ante incarnationem nullus saluari potuerit; nam de fide est plurimos iustos ante Christi aduentum saluatos fuisse; fides enim in Christum venturum fuit sufficiens remedium, quo homines à peccato mundarentur, & saluarentur; hæc autem fides semper fuit in Mundo *ab Adam* vsque ad Christum, vt diximus *to. 4. de Fide quæst. 2. art. 3.* Verum tamen est, quòd actualis existentia incarnationis Mundo attulit plenitudinem gratiarum, qua factum fuit, vt homines saluentur faciliùs post incarnationem, quàm ante. Ex hoc videtur deduci magis congruum fuisse saluti hominum, quia plures saluati fuissent, quàm de facto saluati sunt, vt incarnatio fieret statim post *Adæ* peccatum. Certum enim est multò plures homines sanctos fuisse post Christi aduentum, quàm ante. Hanc quæstionem proponit *S. P. Aug. in qq. ex nouo Testam. q. 83. par. 1.* his verbis: *Si per Christum salus, & vera, & perfecta cognitio est; cur non ante venit; vt & anteriores nostri, qui in ignorantia fuerunt, addiscerent veritatem? Denique post aduentum Christi multi saluati sunt magis, quàm priùs; vnde etsi ante venisset, multò plures saluati fuissent.* Vt hoc explicetur.

2 Vnica concl. Incarnatio conuenientissimè facta est in plenitudine temporis, quæ est in vltima mundi ætate, seu in primordio sextæ ætatis post quinque; quarum prima à *S. P. Aug. lib. de cathechiz. rudibus cap. 22.* enumeratur *ab Adam* vsque *ad Noe*; secunda *à Noe* vsque *ad Abraham*; tertia *ab Abraham* vsque *ad Dauid*; quarta *à Dauid* vsque *ad Captiuitatem Babylonicam*; quinta *à transmigratione Babylonis* vsque *ad Christum*; vltima *à Christo* vsque *ad Mundi finem*. *Ita Fund. Doct. hic dist. 1. par. 2. art. 5; & communiter omnes.*

Prob. 1. *ex Apost. ad Gal. 4. Cùm autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum &c;* Super quod *S. P. Aug. tract. 31. in cap. 7. Io.* ait. *Quia nondum venerat plenitudo temporis, moderante illo, per quem facta sunt tempora; sciebat enim, quando venire deberet. Primò per multam seriem temporum, & annorum prædicendus fuit; non enim aliquid paruum venturum fuit; diu fuerat prædicendus, semper tenendus. Quantò maior Iudex veniebat, tantò præconum longior series præcedebat. Denique vbi venit plenitudo temporis, venit & ille, qui nos liberaret à tempore; liberati enim à tempore venturi sumus ad æternitatem, vbi non est tempus.* Ex quibus sumitur prima congruentia sic. Maximum omnium mysteriorum mysterium debuit multo tempore ante prædici, & multis testimonijs prænunciari, non enim adeò credibile redderetur, nisi à pluribus, & grauissimis Viris per longa tempora attestaretur; sed incarnatio est maximum omnium mysteriorum mysterium creditu difficilius quàm aliud quoduis ob plurimas arduitates, quas *in proemio huius libri* retulimus; ergo debuit multo tempore ante prædici; & ideo conuenientissimè facta est in plenitudine temporum.

3 2. Homo non debuit coniungi æternitati, nisi post omnia tempora expleta, quod est in plenitudine temporum; non enim potuit ad æternitatem transferri, nisi liberaretur à tempore; & non potuit liberari à tempore, nisi pertranseunte tempore, quod Dator temporum præfixit; sed per incarnationem homo coniungitur æternitati, quia per incarnationem homo translatus est ab hac vita mortali ad vitam immortalem, quæ non est, nisi vita æterna; ergo incarnatio non debuit esse, nisi in plenitudine temporum.

Conf. *ex Fund. Doct.* Gratia se tenet ex parte gloriæ, quia est semen illius; ergo plenitudo gratiæ, quæ habetur per incarnationē, debuit se tenere ex parte plenitudinis glorię; sed plenitudo gloriæ erit in fine Mundi; quia tunc glorificabitur etiam corpus, & sic homo plenus erit gloria; ergo incarnatio debuit esse in fine temporum, seu in vltimæ ætatis mundi primordio.

5 Prob. 2. *ex eod. Apost. ad Gal. 3. Priùs autem, quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in ea fide, quæ reuelanda erat. Itaque lex pędagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificetur. At vbi venit fides, iam non sumus sub pędagogo.* Super quod *S. P. Aug. lib. 83. qq. q. 42; 43; & 44.* ait; *Habet autem decorem suum in singulis quibusque hominibus singula quæque ætas ab infantia vsque ad senectutem. Sicut ergo absurdus est, qui iuuenilem tantùm ætatem vellet esse in homine temporibus subdito, inuideret enim cęteris pulcritudinibus, quæ cęteris ætatibus suas vices, atque ordinem gerunt; sic absurdus est, qui in ipso vniuerso genere humano vnam ætatem desiderat; nam & ipsum tanquam vnus homo ætates suas agit. Nec oportuit venire Diuinitus mysterium, cuius imitatione in mores optimos formaretur, nisi tempore iuuentutis &c;* & mox: *Aliud est enim, quod Diuina prouidentia quasi priuatim cum singulis agit; aliud, quod generi vniuerso tanquam publicè consulit; nam & quicunque singuli ad certam sapientiam peruenerunt, non nisi ab eadem veritate suarum singillatim ætatum opportunitate illustrati sunt; à qua veritate, vt populus sapiens fieret, ipsius generis humani opportuna ætate homo susceptus est.* Ex quibus sic arguitur. 1. Vita moralis totius generis humani, quod est quoddam totum morale, comparatur vitę naturali ipsius hominis; vtraque

que enim tempore mensuratur, variatur, & finitur; sed vita naturalis hominis ita distinguitur in ætates, vt in primis ætatibus sit sub pędagogo vsque ad plenitudinem ætatis, in qua solùm acquirit sapientiam, per quam desinit esse sub pędagogo; ergo vita moralis totius generis humani distinguitur in plures ætates, in quarum prima fuit sub pędagogo, qui est lex naturæ, & lex scripta, vt ait *Apost*; & in vltima acquisiuit sapientiam, quæ est Verbum Diuinum, quod est Dei Patris sapientia, quæ in incarnatione communicata est homini.

6 Conf. à *Fund. Doct.* Homo gratiam, in qua conditus fuit, perdidit per peccatum superbiæ appetendo scientiæ Dei æqualitatem per naturam: *Eritis, sicut Dij, scientes bonum, & malum Gen. 3*; ergo non debuit gratiam in incarnatione recuperare, nisi per humilitatem, quæ opponitur superbiæ; vnum enim oppositum non tollitur, nisi per aliud. Atqui homo fuit humiliatus agnoscendo suam ignorantiam, quod euenit tempore legis naturæ, quo verum Deum ignorauit; & Dęmonia, tanquam Deos excoluit, vt habetur *ps. 95. Omnes Dei gentium dęmonia*; & cognoscendo suam impotentiam, quod contigit tempore legis scriptæ; quæ ostendebat peccatum, sed ad illud vitandum vires non conferebat, quia gratiam, qua vitantur peccata, non donabat; quamuis enim in lege scripta multi acceperint gratiam à Deo, qua iustificati fuerunt; attamen hoc non fuit ex vi ipsius legis, sed ex fide Christi venturi, per quam solùm potuerunt saluari, vt habetur *ex Act. 4. Nec enim aliud nomen est sub Cęlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*; quapropter *Act. 15.* lex scripta iugum importabile dicitur: *Hoc est iugum, quod nos, nec Patres nostri portare potuerunt*; lex autem gratiæ, quæ tempore incarnationis incepit, *iugum leue, & onus suaue* appellatur; Christus enim *Matth. 11.* inquit: *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue*; quia lex Christi dat vires ad vincendas tentationes, & vitanda peccata; vt diximus *ex Beatiss. P. Aug. to. 4. de Legib. q. 2. art. 5*; ergo tempus incarnationis debuit præcedere tempus legis naturæ, & legis gratiæ. Sed post legem gratiæ nulla alia lex superest condenda; ergo post tempus gratię nobis in incarnatione nullum aliud tempus superesse debuit; & ideo incarnatio debuit esse in fine temporum, seu in principio plenitudinis temporum, quæ est vltima ætas.

7 Præterea inquit *S. P. in qq. noui Testam. vbis. Venit ergo, quando & subueniri debere sciuit, & futurum gratum beneficium*. Tunc magis congruum fuit Deum incarnari, quando cognouit magis homini esse subueniendum, & beneficium collatum hominibus magis esse ab ijsdem cognoscendum; medicus enim tunc magis debet succurrere ægroto, quando magis ægroti necessitas postulat; tunc nanq; ægrotus agnoscit medicinæ beneficium, cùm morbi vim experitur; sed in plenitudine temporum homini magis erat subueniendum, quia peccatorum morbis magis erat oppressus, & ideo magis potuit incarnationis beneficium, quo sanatus est à peccatis, agnoscere, cùm *totus mundus in maligno positus est*; vt habetur *1. Io. 5*; ergo in plenitudine temporum debuit fieri incarnatio.

8 Tandem addit *Fund. Doct.* Si Christi incarnatio fuisset in principio Mundi, vel in fine vltimæ ætatis, Christi fides, *quæ per dilectionem operatur*, non fuisset adeo viua; nam si in principio Mundi, temporis diuturnitate elanguisset; si in fine vltimæ ætatis, mores adeo fuissent corrupti, & natura ita vitijs attrita, vt nimis debilis ad operandum per gratiam inueniretur; ergo in principio vltimæ ætatis congruum fuit incarnationem executioni mandari, ne hominis natura in fine Mundi, in quo erunt fortiores pugnæ, & terribiliores tentationes, nimis languida foret, & debilis.

9 Quamobrem *Habac. 3.* de Verbo, quod in incarnatione nobis manifestatum est, prophètauit: *Domine, opus tuum in medio annorum viuifica illud. In medio annorum notum facies*; idèst non in principio, aut in fine, sed tempore medio inter principium, & finem, non quidem punctaliter, ne ex illo finem Mundi agnoscamus, sed extensiuè ita, vt in extensione temporis medij concludatur.

10 Obijc. 1. Plenitudo temporis importat perfectionem; sed Mundus fuit perfectus die septima; ergo die septima debuit esse incarnatio. 2. Incarnatio est opus amoris, qui non patitur dilationem; ergo non debuit tantùm differri. 3. Dilatio medicinæ periculosa est ægroto; ergo idem. 4. Acceleratio incarnationis fuisset causa saluationis plurium hominum, vt *sup.* dictum est; ergo idem.

Resp. *Fund. Doct.* ad 1. dist. ma. Plenitudo temporis importat perfectionem gratiæ, conc; creationis, neg. Ad 2. dist. 2. pars ant. Qui non patitur dilationem, cùm est summa necessitas, cùm necessitas non vrget, neg. Ad 3. dist. ant. Respectu medici nescientis, quando debet applicari medicina, vt est medicus creatus, conc; respectu medici scientis, quando, & quomodò applicari debet medicina, vt est Deus, neg. Ad 4. dist. ant. Fuisset causa saluationis plurium hominum, qui fuerunt in principio, sed pauciorum ex ijs, qui erunt in fine, memoria enim, & fides incarnationis elanguisset, vt dictum est, conc; plurium hominum, qui erunt in fine, neg. Præterea quòd tot homines, & non plures saluentur, iustum iudicium Dei est, sed occultum; vt inquit *S. P. ep. 105*; ideo ex plurium, vel pauciorum salute non licet colligere tempus incarnationis.

11 Quæres, cur tempus incarnationis dicatur tempus plenitudinis?

Resp. *Fund. Doct. vbi sup. dub. 1. lit.* dici tempus plenitudinis 1. Quia impleta est Diuina ordinatio, qua Deus ab æterno disposuit faciendam esse tali tempore. 2. Quia impleta est Dei promissio, qua Deus promisit Filium Dei nasciturum *ex semine Dauid*; vt habetur *Rom.* 1. 3. Quia impleta est perfectio Vniuersi, quod per Christi incarnationem maximè perfectum fuit. 4. Propter plenitudinem gratiæ, quia *Io.* 1. *De plenitudine eius omnes accepimus*. 5. Quia impletæ sunt omnes figuræ. 6. Quia impleta est lex; ait enim *Matth.* 5. *Non veni legem soluere, sed adimplere*. 7. Quia impleta est Diuina voluntas, quæ ante incarnationem permittebat, non prohibebat, vt patet de libello repudij; quæ autem permittuntur, non implent voluntatem Dei, quia sunt contra illam. 8. Quia natus est Dominus temporis, quod in sua causa habet suam plenitudinem.

ART. V.

An tanta fuerit incarnationis conuenientia, vt possit dici necessitas?

1 NEcessarium, inquit *Fund. Doct. Aeg. inf.* aliquando sumitur, prout idem est, ac expediens, vel congruum; vt equus dicitur necessarius ad iter habendum. In hoc sensu constat incarnationis conuenientiam fuisse necessariam, quia multùm expedijt, & congruentissima fuit nostræ saluti; vt *sup.* diximus. Alio modo sumitur necessarium, quod ineuitabile est, quia aliter se habere non potest; vt necesse est Deum esse. Necessarium ineuitabile duplex est; aliud coactionis, aliud immutabilitatis. Non loquimur de necessario coactionis, quia Deus, cùm omnipotens sit, à nemine cogi potest. Necessarium immutabilitatis adhuc duplex est; aliud, quod simpliciter, & absolutè aliter se habere non potest; & aliud, quod licèt secundùm se absolutè, & simpliciter queat aliter esse, quàm sit; attamen supposita Diuina ordinatione, quòd ita sit, aliter esse non potest; & hoc dicitur necessarium ex suppositione, seu secundùm quid, aut ratione alicuius causæ; vt quanuis homo absolutè possit non moueri; attamen supposito, quòd currat, necesse est, quòd moueatur.

2 Diuina autem ordinatio potest dupliciter considerari. 1. Considerando ipsam determinasse quidem hominum salutem, sed non considerando medium in particulari, & modum, quo illam exequi decreuit. 2. Considerando ordinationem Diuinam, quæ disposuit hominum salutem per hoc medium in particulari eo modo v.g; quo de facto ordinata fuit, scilicet quòd Verbum Diuinum assumat carnem humanam, quòd patiatur, & satisfaciat ad æqualitatem pro peccatis hominum Diuinæ iustitiæ. *His supp.*

3 Prima sententia vult incarnationem esse necessariam ex suppositione creationis Mundi; quia sine incarnatione Mundus non esset perfectus, quia deesset illi incarnatio, quæ est perfectio omnium maxima. Refertur à *Vasq. Raimund. Lull.* Huic sententiæ adhærere videntur, qui censent Deum moraliter obligari ad volendum id, quod perfectissimum est. Quam sententiam reiecimus *to. 2. de Vol. Dei q. 3. art. 4.*

4 Secunda vult esse necessariam supposito decreto reparandi genus humanum. Tribuitur *Ric. lib. de Incarn. Verbi c.* 8; *& Abul. prol. in Matth. q.* 27.

5 Tertia vult non esse necessariam neque supposito tali decreto; neque supposito, quòd Deus exigat satisfactionem pro offensa à genere humano sibi illata; potest enim talis satisfactio poni à creatura, quæ potest satisfacere ad æqualitatem. *Ita Mastr. hìc disp. 4. q. 1. art. 5. nu.* 79. referens *Scot; Bellut; & alios* tenentes puram creaturam posse satisfacere ad æqualitatem.

6 Quarta censet esse tantùm necessariam ex suppositione, quòd Deus exigat satisfactionem ad æqualitatem pro offensa eo, quia nulla creatura possit ad æqualitatem satisfacere. *Ita Recentes Thomistæ*; quibus accedit *noster Gibb. hìc disp. 2. dub. 2. n.* 19. Nostra autem sententia seq. concl. declaratur.

7 Vnica concl. Incarnatio Verbi Diuini non fuit necessaria absolutè, & simpliciter; nec ex suppositione creationis Mundi, aut liberationis humani generis à peccato præcisè; nec etiam supposita satisfactione ad æqualitatem, quæ potuit esse ab alia persona Diuina, non creata; sed tantùm est necessaria ex suppositione Diuini decreti, quo Deus ordinauit Verbum Diuinum carnem sumere ad reparandum genus humanum. *Ita Fund. Doct. Aeg. hìc dist. 1. par. 2. q. 1. art. 3.* Ipsum sequitur *noster Argent. dist. 21. q. 1. art. 4: & alij.* In hoc consentire debent *Auctores* 4. sent; qui nobiscum sentiunt potuisse Patrem, aut Spiritum Sanctum incarnari, & genus humanum liberare à captiuitate peccati; ac puram creaturam non posse satisfacere ad æqualitatem pro offensa Deo per peccatum irrogata, vt *inf.*

Prob. 1. pars concl. à *Fund. Doct.* Actiones Dei ad extra sunt simpliciter liberæ, non necessariæ; habetur enim *Ephes.* 1. *Qui vniuersa operatur secundùm consilium voluntatis suæ*; ad id autem, quod est simpliciter necessarium, non adhibetur consilium, quod versatur solùm circa id, quod potest fieri, & non fieri, vt compertum est; & *Rom.* 11. *Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt*; at electio est circa media, circa quæ versatur libertas, quia media possunt eligi, & non eligi; & *Ps.* 113. *Omnia, quæcunque voluit*,

voluit, fecit in Cælo, & in terra; ſuper quod *S.P. Aug. in Enchir. c.96. Non enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, niſi quia quidquid vult, poteſt; & c.99. Vbi eſt illa omnipotentia, qua in Cælo, & in terra, omnia, quæcumque voluit, fecit; & c.102. Nec niſi volens quidquam facit, & omnia, quæcunque vult, facit*; ſi autem neceſſariò ageret ad extra, iam non poſſet agere omnia, quia non poſſet agere oppoſitum illius, quod agit; *nec poſſet per miſericordiam, cuius vult, miſereri, ſiue per iudicium, quem vult, obdurare*, vt *ibid.* dicitur; & ſic non eſſet omnipotens; quia neceſſariò omnibus miſereretur, quod eſt *cont. Apoſt. Rom. 9*; miſeratio enim eſt actio ad extra, vt conſtat, quia reſpicit creaturas; ſed incarnatio eſt actio ad extra; ergo non fuit neceſſaria abſolutè, & ſimpliciter, ſed libera.

8 Prob. 2. pars ex illo *1. Pet. 1. Secundùm ſuam miſericordiam regenerauit nos in ſpem viuam*. Ex quo ſic. Opus miſericordiæ non eſt opus neceſſarium etiam ſuppoſita creatione; aliter ſuppoſita creatione hominum Deus non poſſet miſereri, & indurare, quem vellet, quod eſt *cont. Apoſt. vbiſ.* ſed incarnatio eſt opus miſericordiæ, quia per illam liberamur à peccato, quod eſt ſumma miſeria; ergo incarnatio etiam ſuppoſita creatione Mundi non eſt neceſſaria. 2. Modus, ſeu terminus perfectionis ipſius Mundi à libera Dei voluntate præfigitur; habetur enim *Sap. 11. Omnia in menſura, numero, & pondere diſpoſuiſti*; ſuper quod *S. P. Aug. lib. 26. cont. Fauſt. c.3. Id enim erit cuique naturale, quod ipſe fecerit, à quo eſt omnis modus naturæ, & ordo*; vnde ſi Deus decreuiſſet creare plures, vel pauciores ſpecies in Mundo, Mundus adhuc eſſet perfectus, quia nihil ei deeſſet perfectionis, quę à Deo ei eſſet præfixa; ſed incarnatio fuit ex Dei libera voluntate, quia eſt *opus miſericordiæ, & gratiæ*; ergo ſi Deus illam non decreuiſſet, adhuc Mundus eſſet perfectus, quia nulla ei deeſſet perfectio, quam Deus decreuit in illo creare; perfectum enim definitur, *cui nihil deeſt*. 3. Deus non obligatur moraliter ad producendas creaturas perfectiores, vt diximus *to. 2. de Vol. q.3. art.4*; ergo ex ſuppoſitione creationis Mundi non obligatur ad decernendam incarnationem; & ideo incarnatio ex ſuppoſitione creationis Mundi non eſt neceſſaria, ſed omnino libera, & voluntaria. 4. Etiam ſuppoſito *Adæ* peccato poterat Deus iuſtè totum genus humanum damnare, ſicut iuſtè damnauit omnes Angelos, qui peccauerunt; habetur enim *Sap. 12. Quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti? Et Rom. 9. An non habet figulus poteſtatem luti &c*; ergo incarnatio non fuit neceſſaria etiam ſuppoſita Mundi creatione. *Vid. to. 2. vbiſ.*

9 Prob. 3. pars *ex Apoſt. Rom. 9. O Altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domini?* Ex quo ſic. Viæ Dei, quibus poteſt ad ſalutem nos ducere, ſunt plures, & à nobis inueſtigabiles *teſte Apoſt*; qui loquitur in plurali, non in ſingulari; ſed incarnatio eſt vna tantùm via, qua Deus ad ſalutem nos ducit; quapropter Chriſtus Dominus, qui eſt Verbum incarnatum, *Io. 14.* dixit *Ego ſum via*; in ſingulari; ergo pręter incarnationem aliæ ſunt viæ, quibus Deus poterat ad ſalutem nos ducere. Hinc *S.P. Aug. de Agone Chriſt. c.11*; inquit: *Sunt autem ſtulti, qui dicunt: Non poterat aliter ſapientia Diuina liberare hominem, niſi ſuſciperet hominem; & lib. 13. de Trin. c. 10. Vt oſtendamus non alium modum poſſibilem Deo defuiſſe, cuius poteſtati cuncta æqualiter ſubiacent, ſed ſanandæ noſtræ miſeriæ &c; & Fund. Doct. Aeg. vbiſ. §. Secundò hoc. Abſolutè, & ſimpliciter non fuit hoc neceſſarium, quòd modus alius defuerit Diuinæ potentiæ, cui omnia pariter ſunt ſubiecta*. Nam ſapientia, & potentia Dei infinita non coarctantur ad vnum tantùm modum operandi, aliter non eſſent infinita, ſed finita in modo agendi, quia limitarentur ad vnum; hinc videmus in naturalibus, quòd Deus nedum habet hominem producere ex nihilo, ſed etiam ex ſemine; quòd poteſt viuificare cadauera, & cineres hinc inde diſperſos in vnum colligere; eiſque vitam infundere; ergo præter modum, quo Deus in incarnatione homines regenerauit ad vitam, debemus alios modos admittere; potentia enim Dei, & ſapientia nedum infinita eſt in creando, ſed etiam in recreando, nedum in dando vitam naturalem naturalibus rebus, ſed etiam ſupernaturalem creaturis ad ordinem Diuinum eleuatis. Tandem arguit *Fund. Doct. ad 1.* Per ſatisfactionem compenſatur offenſa Deo irrogata, & reparatur genus humanum à peccato; ſed poterat Deus aliter, quàm per incarnationem, ordinare aliqualem ſatisfactionem, per quam compenſaretur offenſa ſibi irrogata; ergo poterat aliter, quàm per incarnationem reparare genus humanum à peccatis; & per conſequens etiam ſuppoſito decreto liberandi hominem à peccato adhuc incarnatio non eſt neceſſaria, quia neceſſarium eſt illud, quod aliter ſe habere non poteſt. Ma. patet; nam in tantùm Chriſtus Dominus reparauit genus humanum; in quantùm ſatisfecit ſua paſſione offenſæ Deo per peccatum irrogatæ. Prob. mi. Satisfactio dependet ab acceptatione Dei, ſed poterat acceptare quanlibet humiliationem, & ſubmiſſionem, aut humilem petitionem creaturæ iuxta illud *Matth. 18 Omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me*; dimittere autem debitum ob aliquam actionem eſt accipere eam actionem pro ſatisfactione debiti; ergo poterat Deus aliter, quàm per incarnationem ordinare ſatisfactionem, per quam compenſaretur offenſa ſibi irrogata. Tandem poterat Deus ex ſua ſimplici bonitate peccatum remittere; ſicut enim ex ſua ſim-

ſimplici, & mera bonitate hominem creauit; ita poterat eodem modo ipſum recreare ipſi largiendo ſuam gratiam, qua mundaretur à peccato, & fieret particeps vitæ æternæ; tum quia ſicut vult, quòd creatura dimittat offenſam etiam abſque vlla ſatisfactione ad oſtendendam charitatem in proximum; ita poterat ipſe dimittere offenſam ſine vlla ſatisfactione hominis ad oſtendendam ſummam charitatem, qua hominem diligit; ergo etiam ſuppoſito decreto liberandi hominem adhuc incarnatio non fuit neceſſaria, ſed omnino gratuita, & libera.

10 Prob. 4. pars *ex Fund. Doct. ad* 1. Poterat incarnari Pater, aut Spiritus Sanctus; ergo incarnatio Verbi Diuini non fuit neceſſaria etiam ſuppoſita ſatisfactione ad æqualitatem. Ant. probatum eſt *q.* 1. *art.* 3. Prob. conſ. In tantùm potuit Verbum Diuinum ſatisfacere ad æqualitatem, in quantùm eſt perſona ſimpliciter infinita, vt *inf.* dicemus; ſed etiam Pater, & Spiritus Sanctus ſunt perſonæ ſimpliciter infinitæ æquè, ac Verbum; ergo potuiſſent ſatiſfacere ad æqualitatem.

11 Quòd autem nulla creatura potuiſſet ſatisfacere ad æqualitatem pro peccatis hominum, probabitur *inf. q.* 8., nam in ſatisfactione ad æqualitatem offenſæ debet attendi æqualitas inter perſonam ſatisfacientem, & perſonam offenſam; ſed nulla perſona creata poteſt eſſe æqualis perſonæ Diuinæ; ergo nulla perſona creata potuit ad æqualitatem ſatisfacere pro offenſa Deo irrogata. Mi. eſt certa. Prob. ma; nam ſi perſona ſatisfaciens ſit minùs digna, quàm perſona offenſa, ſequitur, quòd actio ſatisfactoria, prout reſpicit perſonam, à qua producitur (certum enim eſt *actiones eſſe ſuppoſitorum*, & ideo à perſonis produci) eſſe inæqualem perſonæ offenſæ; ergo in ſatisfactione ad æqualitatem debet attendi æqualitas inter perſonam ſatisfacientem, & perſonam offenſam. *Vid. inf.*

12 Tandem prob. vlt. pars. Illud, quod non poteſt non eſſe poſito decreto Diuinæ voluntatis, eſt neceſſarium ex ſuppoſitione decreti; ſed incarnatio Verbi Diuini non poteſt non eſſe poſito decreto Diuinæ voluntatis; ergo eſt neceſſaria ex ſuppoſitione decreti. Ma. conſtat; ſicut enim illud eſt abſolutè neceſſarium, quod abſolutè non poteſt non eſſe; ita illud eſt neceſſarium ex ſuppoſitione decreti voluntatis Diuinę, quod poſito decreto non poteſt non eſſe. Prob. mi. Si poſito decreto voluntatis Diuinæ incarnatio poſſet non eſſe, vel poſſet non eſſe contra, vel præter voluntatem Diuinam; vel poſſet voluntas Diuina nolle, quod ſemel voluit? Non primum; quia vt optimè arguit *S. P. Aug. in Enchir. c.* 95; *& ſeqq.* Deus *omnia, quæcunque voluit, fecit*; in tantùm enim eſt omnipotens, in quantùm facit omne, quod vult. Non ſecundum; quia ſolùm peccatum eſt præter voluntatem Dei poſitiuam, licèt non ſit præter voluntatem permiſſiuam; bonum autem poſitiuum, ſicut eſt incarnatio Verbi Diuini, quæ eſt maximum bonum, eſt effectus voluntatis Diuinæ; aliter voluntas Diuina non eſſet cauſa vniuerſaliſſima omnium bonorum. Neque tertium; quia voluntas Diuina eſt immutabilis, & ideo nequit nolle, quod ſemel voluit; vt diximus *to.* 2. *de Vol. Dei q.* 2. *art.* 4; ergo incarnatio Verbi Diuini poſito decreto Diuino voluntatis non potuit non eſſe.

13 Obijc. 1. cont. 2. part. concl. *D. Athan. lib. de Incarn. Verbi* ait indecorum eſſe Diuinæ bonitati relinquere creaturam, quàm creauerat; & indecentiſſimum fore, ſi partes Diaboli præualuiſſent; *& D. Ambr. apud noſtrum Argent.* ait *Tantum fuit noſtrum peccatum, vt ſaluari non poſſemus, niſi Chriſtus pro nobis moreretur. Et D. Anſ. lib. Cur Deus homo c.* 16; *&* 17. ait ſuppoſito peccato non potuiſſe Deum non incarnari; ergo incarnatio ſuppoſito peccato fuit neceſſaria.

Reſp. ad 1; quòd relinquere creaturam non eſſet decens Diuinæ bonitati, eſſet tamen decentiſſimum Diuinæ iuſtitiæ, & hoc ſufficit, vt ſit dignum Deo. Ad *D. Ambr.* ait *Arg.* loquī ex parte noſtra, non ex parte Diuinæ potentiæ. *Ad D. Anſelm.* dicitur, quod expreſsè loquitur ſuppoſito decreto redimendi hominem.

14 Obijc. 2. cont. 3. part. concl. Suppoſito decreto redimendi hominem incarnatio Verbi eſt neceſſaria; dicitur enim *Io.* 3. *Oportet exaltari Filium hominis*; *Luc.* 24. *Oportet Filium hominis tradi*; *& vlt. Nonne oportuit Chriſtum pati*; *& Matth.* 26. *Quia ſic oportet fieri*.

Reſp. *Fund. Doct.* hęc ſupponere decretum de incarnatione Verbi, vt claret.

15 Obijc. 3. Deus non poteſt non eligere medium, quod iudicat conuenientius ad conſecutionem finis; ſed incarnatio magis congruit ad liberandum hominem, quàm ſimplex dimiſſio peccati, aut quodlibet aliud opus; ergo ſuppoſito decreto liberandi hominis neceſſaria eſt incarnatio.

Reſp. diſt. ma. Conuenientius ex parte ordinationis Diuinæ, conc; ſed neg. mi; ſi enim aliter Deus ordinaſſet, incarnatio non eſſet medium conueniens ordinationi Diuinæ; ex parte rei ordinatæ, neg. *Vid. to.* 2. *q.* 3. *vbiſ.*

QVAE-

QVÆST. III.

De motiuo Incarnationis.



ACTENVS de possibilitate, & congruentia incarnationis, quæ remotè se habent, sermo fuit; nunc ad causas proximas, quæ sub *motiui* nomine comprehenduntur, quia de ratione causæ est mouerè effectum de non esse ad esse, iuxta vulgatam docendi, discendique regulam, quæ dictat à communioribus incipiendum esse, est disputandum.

ART. I.

An motiuum primarium incarnationis fuerit Adæ peccatum ita, vt Adamo non peccante Verbum Diuinum incarnatum non fuisset?

1 QVæritur; an ex vi præsentis decreti, quo Deus de facto decreuit Verbum Diuinum assumere naturam humanam, vt eam à peccato redimeret, illam adhuc assumpsisset; etiamsi *Adam* non peccasset; nam vtrum hoc fieri potuisset ex vi alterius decreti, quo Deus voluisset hominem fieri præcisè ex motiuo exaltandi naturam humanam, est indubium *apud omnes*. Idem est ergo, ac quærere, an motiuum primarium, proximum, & adæquatum præsentis decreti sit redemptio à peccato; seu an Christus primò prædestinatus sit, vt Redemptor &c.

2 Prima sententia vult *Adamo* non peccante adhuc Verbum Diuinum incarnandum fuisse. *Ita Albert. Magn. in 3. dist. 20. art. 4; Alen. 3. p. q. 1. memb. 13; Scot. in 3. dist. 7. q. 3; & dist. 19. q. 1. quem sequuntur Scotistæ Mair; Tataret; Lichet; Faber, Rada, Vulp; Ponc; Aretin; Mastr; hic disp. 4. q. 1*; apud quem alij. *Sua. autem, Hurt; Gran; & Auersa* asserunt Verbum incarnãdum fuisse non quidem ex vi præsentis decreti, sed alterius, quod positum fuisset in data hipothesi.

3 Nostra sententia docet incarnãdum non fuisse. *Ita Fund. Doct. hic dist. 1. p. 1. q. 1. art. 5.* asserens: *Non creditur Christus incarnatus, si Adam non peccasset; & in 2. dist. 36. q. 2. art. 2. in princ. corp; & dist. 21. q. 1. art. 1. dub. 2. lat. in fine; Argent. hic dist. 1. q. 1. art. 4; Franc. à Christo, Gibb; & communiter omnes nostri*. Eandem sententiam docet *Schola Thomistica cum D. Tho*; quem sequuntur *Mol; Val; Vasq; Becc; Lug; Amic; Arriag; Tanner; & omnes alij communissimè*.

4 Supp. hoc esse discrimen inter occasionem, & causam, quòd occasio non influit, causa verò influit in effectum; ait enim *Apost. Rom. 7. Peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me*; non quòd mandatum, seu lex influat, & causet peccatum; aliter Deus, qui est causa legis, esset causa peccati; sed quia nisi esset lex, non esset peccatum, vt *sup.* dixerat *idem Apost*; cùm peccatum non sit, nisi *dissonantia à lege*. Quando igitur *SS. PP; & DD.* asserunt, quòd *Adæ* peccatum fuit causa incarnationis; non sunt interpretandi, quòd peccatum sit causa positiuè influens in incarnationem, quia peccatum est non ens, & non ens nequit positiuè influere in effectum; sed quòd peccatum fuit occasio, ob quam Deus respiciens ad suam summam bonitatem incarnationem decreuit; occasio enim dicitur causa latè sumpta; quatenus sicuti sine causa effectus esse non potest; ita sine occasione occasionatum non poneretur. Vnde tota ratio formalis motiua, qua Deus incarnationem decreuit, est Diuina bonitas, licèt occasio illam decernendi fuerit *Adæ* peccatum; quapropter incarnatio respectu peccati dicitur *bonum occasionatum*; respectu autem Diuinæ bonitatis dicitur *bonum liberè, & positiuè volitum*. Diuina igitur bonitas supposita occasione peccati est ratio formalis primaria, & adæquata, seu est *finis causa* mouens ad hipostaticè vniendam naturam humanam cum natura Diuina.

5 Quoniam autem semper idem est finis causa, & finis terminus; vt eadem sanitas, quæ in intentione est causa mouens ad sumendam medicinam, est etiam finis terminus, ad quem terminatur sumptio medicinæ; quapropter dicitur: *Quod est primum in intentione, est vltimum in executione*; quia eadem res intenta mouet, & obtenta terminat; ideo eadem Diuina bonitas, quæ est ratio formalis motiua primaria, & adæquata mouens ad summè se communicandum naturæ humanæ per vnionem hipostaticam, est etiam finis terminus primariò, adæquatè terminans talem communicationem, & vnionem. Sicut enim nequit Deus moueri à bonitate existente in creaturis; sic nanque creatura ageret in Deum, quia in illo motum causaret; & esset Deo ratio agendi, & sic Deus secundùm se non esset omnipotens; ita terminus formalis motionis finalis Dei nequit esse bonitas creata, sed debet esse bonitas Diuina.

6 Præterea quia omnia alia præter rationẽ formalem motiuam, & rationem formalem terminatiuam habent rationem medij, mediãt enim inter rationem motiuam, & terminatiuam; ideo Christus Dominus secundùm naturam humanam, quę procul dubio distinguitur à natura, seu bonitate Diuina, est medium; nam *1. ad Tim. 2.* dicitur

dicitur *mediator Dei, & hominum*. Sic redemptio, quatenus dicit actionem satisfactoriam pro peccato, est medium; quatenus verò dicit naturam, seu personalitatem Diuinam dignificantem talem actionem, est finis. Ita glorificatio, & salus hominum, prout importat actionem creatam, qua homo formaliter acquirit gloriam, & salutem æternam, est medium; prout autem importat naturam Diuinam, quę est gloria, & salus obiectiua hominis (in ipsa enim tantummodò glorificatur, & salute, ac vita immortaliter fruitur) est finis; & sic dicendum de reliquis.

7 Certum insuper est, quòd quoties plura media reperiuntur ordinata ad aliquē finem, tunc illa media ita se habent, vt vnum sit causa alterius; v.g. cùm quis eligit medicinam ad acquirendam sanitatem, vt possit sapientiam acquirere; medicina, quæ est medium ad sanitatem, causat sanitatem, quæ est medium ad acquirendam sapientiam; ordine autem intentionis è conuersò se habent; nam sanitas est ratio, & causa electionis medicinæ. Sic incarnatio, quæ est medium ad participandam vitam æternam obiectiuam hominibus, est causa Diuinorum auxiliorum, quibus homines liberantur à peccato, & possunt acquirere vitam æternam; ex quo sequitur Christum Dominum secūdùm naturam humanam, secundùm quam tantùm est prædestinatus, fuisse causam nostræ prædestinationis formalis.

8 Verùm hoc est obseruandum in finibus intermedijs, quòd ille, qui est prior, & perfectior cæteris, semper est causa cęterorum ordine intentionis; vnde cùm Christus Dominus sit primus prædestinatorum, ideo est causa finalis prædestinationis aliorum hominum; vt diximus *to.2. de præd. SS. q.3. art.3. n.16*; atque adeo omnes prædestinati ordinantur in Christi gloriam, tanquam in finem omnium prędestinatorū.

9 Hæc omnia tamen supponunt *Ada* peccatum, tanquam occasionem, ob quam posita, & sine qua posita non fuissent; non verò tanquam rationem formalem motiuam; sicut enim febris est occasio, ob quam medicina ordinatur, & sine qua medicina nō ordinaretur iuxta illud *Luc.5. Non egent, qui sani sunt, medico, sed qui malè habent*; sed ipsa sanitas acquirenda est ratio formalis ad ordinandam medicinā; cæterę verò ægroti operationes; quibus ad sanitatē disponitur, & ordinatur ęgrotus, ordinantur in excellentiam medicinæ, tanquam in causam earum; ita peccatum, quod est naturę humanæ lęthalis infirmitas, fuit occasio, ob quam ordinatus est Christus ad illud delendum, & ad sanandam naturam; & sine qua ordinatus non esset; ipsa verò salus, & vita æterna, quæ Deus est, est ratio formalis motiua ordinandi Christum in sanitatem naturæ vniendæ in ipso Christo hipostaticè naturæ Diuinæ, in qua solùm consistit salus, & vita æterna; in alijs verò hominibus eidem naturæ Diuinæ in esse intellectuali coniungendæ: cæteræ verò operationes hominum saluandorum ordinantur in laudem, & gloriam Christi, tanquam in causam finalem, & meritoriam earum; vt diximus *to.2. vbi s.* Hæc declaranda fuerunt ad soluendas ambages, quibus nostra sententia oppugnari solet.

10 Vnica concl. Si *Adam* non peccasset, Filius Dei ex vi præsentis decreti incarnatus non esset.

Prob. 1. *ex Matth. 1. Et vocabis nomen eius Iesum; ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*; super quod *S. P. Aug. serm. 8. de Verbis Apost.* ait: *Alia causa non fuit, quare veniret in Mundum; non enim de Cælo ad terram merita nostra bona, sed peccata duxerunt. Hæc est causa, cur veniret peccatores saluos facere: Et vocabis, inquit, nomen eius Iesum. Quare vocabis nomen eius Iesum? Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*. Ex quo sic. Ablata causa, ob quam de facto facta est incarnatio, Filius Dei ex vi præsentis decreti non fuisset incarnatus; sed si *Adam* non peccasset, ablata fuisset causa, ob quam de facto facta est incarnatio; ergo si *Adam* non peccasset, Filius Dei ex vi præsentis decreti non fuisset incarnatus. Ma. constat; quia *ablata causa remouetur effectus*; quod etiam intelligendum est de causa latè sumpta, vt est occasio; nam ablata occasione vt *sup.* dictum est, tollitur occasionatum; vt *sup.* dictum est; & *Aduersary* adducunt causam exaltationis naturę humanæ, glorificationis Filij Dei &c. ne cogantur admittere incarnationem de facto esse sine causa rationabili illam ponendi; aliter omnino fortuitò, & irrationabiliter contigisset.

11 Prob. mi. 1. Nulla alia de facto fuit causa incarnationis, quàm illa, quæ assignata est ab Angelo, qui incarnationem nunciauit; aliter causam adæquatè non explicasset, & sic in magisterio defecisset, voluit enim incarnationis causam nos edocere; nec homo debet plus præsumere in cognoscendo, quàm dixerit Angelus, qui hominem intelligentia adeò præcellit, & à Deo fuit hoc mysterium plenissimè edoctus: sed Angelus ait causam incarnationis tantùm esse, vt *saluet à peccatis*; & hoc voluit exprimi per nomen imponendum Verbo incarnato; pręcepit enim, vt vocaretur *Iesus*, qui sonat idem, ac *Saluator*; ergo causa incarnationis fuit tātùm saluare à peccatis; at si *Adam* non peccasset, non fuisset peccatum, quo infecta est natura, quæ solùm *in Adam* infici potuit, tanquam in capite totius naturæ; ergo non fuisset saluare à peccatis; & sic non fuisset causa incarnationis, quæ de facto fuit.

12 Conf. *S. P. Aug.* docet aliam causam non fuisse præter illam, quæ adducta est ab Angelo; ait enim: *Alia causa non fuit*; sed sentiens adhuc Verbum incarnandum, si non fuisset *Ada* pecca-

peccatum, sentit alias esse causas, ob quas fuit incarnatum; ergo sentit *contra S. P. August.* Sed non licet Theologum in rebus fidei, & maximè in hoc mysterio arcanissimo sentire contra doctrinam *SS. PP*; vt præcipit *Conc. Vien*; quia *SS.PP.* sunt *DD; & Duces Theologorum*; ergo sententia contraria, vt potè aduersans doctrinæ *SS.PP*; & à *S.Patre* prolatæ, non est sustinenda.

13 Prob. 2. eadem mi. *Luc.* 5. *Non egent, qui sani sunt, medico. Non veni vocare iustos, sed peccatores; & Matth.* 9. *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus &c. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* Ex quo sic. Nullam aliam causam incarnationis assignat Christus Dominus, quàm sanare peccatores; imò explicitè negat se venisse, vt saluet iustos: *Non enim veni vocare iustos*; quibus verbis negat omne aliud motiuum veniendi præter motiuum saluandi à peccatis; ergo si *Adam* non peccasset, nulla fuisset causa, ob quam de facto fuit facta incarnatio; & ideo nullum est aliud motiuum, quod assignant *Aduersarij*; vt potè verbis Christi Domini directè oppositum.

14 Conf. Non potest negari salua fide Christum venisse, vt saluet peccatores; ergo non potest affirmari ipsum venisse, vt saluet iustos; Christus enim nedum affirmauit se venisse, vt saluet peccatores, sed etiam negauit se venisse, vt saluet iustos; & ideo sicuti non possumus negare, quod ipse affirmauit; ita non possumus affirmare, quod ipse negauit; sed asserere, quòd venisset, etiamsi non esset peccatum, est affirmare, quòd ipse venit etiam ad saluandos iustos; ablato nanque peccato, homines essent iusti, quia conditi fuerunt cum iustitia originali; in tantùm enim venit ad saluandos peccatores, in quantùm habuit motiuum veniendi; & ideo si habuisset etiam motiuum saluandi iustos, venisset etiam ad saluandos iustos; ergo est affirmare, quod ipse negauit.

15 Prob. 3. eadem mi. *Luc.* 19. *Venit enim Filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat*; super quod *S. P. Aug. serm.* 8. *de Verbis Apost.* ait: *Si homo non periisset, Filius hominis non venisset.* Quò nihil clarius. Arguitur autem. Solum peccatum sanandum fuit causa incarnationis; hanc enim solam allegat *Textus* prædictus; sed si *Adam* non peccasset, ablatum fuisset peccatum sanandum; ergo si *Adam* non peccasset, ablata fuisset causa incarnationis.

16 Prob. 4. 1. *ad Tim.* 1. *Christus Iesus venit in hunc Mundum peccatores saluos facere*; super quod S. P. *Aug. serm.* 9. *de Verbis Apost.* inquit; *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est medicinæ*; & *serm.* 10. *seq. Christus Iesus venit in Mundum, nullam aliam ob causam, nisi peccatores saluos facere.* Ex quo sic. Ablata damnatione ablata esset causa incarnationis; quia causa incarnationis fuit, vt saluet genus humanum; saluatio autem damnationem supponit, quę incurritur per peccatum; sed ablato peccato aufertur damnatio; ergo aufertur causa incarnationis.

17 Respondent *Aduersarij cum Sua.* 1. Deum habuisse duplex decretum incarnationis; primum ex complacentia ipsius mysterij ante præuisionem peccati; secundum ex affectu nostræ salutis post præuisionem peccati; atque adeo cessante posteriori motiuo, adhuc ex priori Verbum fore incarnandum; sicut cùm medicus decernit venire *Romam* ex motiuo videndi loca sacra, audiens postea infirmitatem amici decernit venire ad illum sanandum; in hoc enim casu etiamsi non fuisset hoc secundum motiuũ, adhuc ex vi prioris venisset. 2. *Scripturam, & SS. PP.* loqui de incarnatione ordine executionis, sic enim dependet à peccato; non autem ordine intentionis, sic nanque nequit dependere à peccato; quia ordine intentionis respicit solùm finem, qui est Christus, amatum à Deo præcisè. 3. *Cum Scot. Scripturam, & SS. PP.* assignare causam incarnationis tantùm quoad modum, nempe in carne passibili, non autem quoad substantiam in carne impassibili.

Sed cont. 1. est. 1. *Scripturæ* asserunt Christum venisse propter salutem peccatorum, non autem propter iustos; ergo si non fuisset peccatum, non venisset; aliter venisset propter iustos glorificandos, esset enim caput iustorum; & sic non venisset propter iustos, & venisset, quod est contradictorium. 2. *SS.PP.* docent, quòd si non fuisset peccatum, nulla prorsus fuisset causa veniendi; sed decretum Dei est causa incarnationis; ergo docent, quòd si non fuisset peccatum, nullum esset decretum veniendi; & sic asserere ante præuisionem peccati Deum habuisse decretum incarnationis est *contra SS.PP.* 3. Decretum prius non habetur *in Scriptura*, vt *inf.* patebit in explicatione *Textuum*, qui *ab Aduersarijs* solent adduci; ergo est merè imaginarium. Ad 2. dicitur, quòd *Scriptura, & SS. PP.* loquuntur de causa decernendi incarnationem; sed causa decernendi pertinet ad intentionem; sicut sanitas apprehensa, prout est causa mouens intentionem, pertinet ad ordinem intentionis; ergo non loquuntur ordine executionis. 2. Sequeretur, quòd pro illo tunc, quo Deus intendit incarnationem, non intendisset mittere Christum vt Redemptorem peccati; sed conf. est falsum; habetur enim *Io.* 3. *Misit Deus Filium suum in Mundum, non vt iudicet Mundum, sed vt saluetur Mundus per ipsum*; & *ad Gal.* 4. *Misit Deus &c; vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* 3. Sequeretur, quòd Verbum venisset præter intentionem Dei decernentis, quod est absurdum. 4. Ratio Redemptoris non est medium ad incarnationem, quia medium in executione debet finem præcedere, at Filius Dei non fuit priùs Redemptor, quàm fuit incarnatus; ergo quando *Scri-*

ptura, *& SS. PP.* docent redemptionem à peccato fuisse causam incarnationis, non loquuntur ordine executionis; nam ordine executionis sola media sunt causa finis. Ad 3. dicitur, quòd substantia incarnationis est, quòd Filius Dei factus est homo præscindendo ab eo, quòd sit factus in carne passibili, vel impassibili; sed *Scriptura*, *& SS. PP.* asserunt, quòd factus est homo; ergo loquuntur de incarnatione quoad substantiam. 2. Sequeretur dari duplex decretum, vnum de substantia incarnationis præcisè; alterum de modo, vel de substantia simul cum modo; & sic reijcitur, sicut reiectum est primum. 3. Vel illud decretum quoad solam substantiam incarnationis fuit efficax, vel inefficax? Non primum; quia sola substantia incarnationis de facto non fuisset posita à parte rei, vt constat ex auctoritatibus allatis asserentibus, quòd si peccatum non fuisset, Verbum non fuisset incarnatum; quod est intelligendum absolutè; & simpliciter, non autem tantùm secundùm modum; aliter sic possent distorqueri *omnes Scripturæ*; tum quia particula negatiua absolutè tollit omne aliud motiuum, quod si adesset, absolutè, & simpliciter non posset negari Verbum venturum *Adamo* non peccante. Si secundum; ergo ex vi talis decreti non venisset; aliter tale decretum esset efficax, & inefficax.

18 Tum quia ex excellentia alicuius operis perfectissimi ad extra non valet arguere, quòd Deus de illo sibi efficaciter complaceat, & ideo, quòd decreuit illud creare, aliter ex hoc argueretur Deum creasse Angelum perfectissimum, quo perfectiorem nequit creare; & ratio est; quia quantumcunq; perfectum sit opus, attamen liber est Deus ad illud producendum, & non producendum; quæ autem sunt libera, nequeunt nobis innotescere, nisi ex reuelatione; ergo ex excellentia Christi Domini non valet arguere Deum sibi efficaciter de illa complacuisse, & per consequens illam decreuisse. Hæc est vna ratio *Aduersariorum* in eosdem retorta, & eodem modo aliæ reijci possunt, vt *inf.*

19 Præterea incarnatio, vt primò decreta, est opus misericordiæ; habetur enim *ad Tit. 3. Qui secundùm suam misericordiam saluos nos fecit*; aliter non esset opus misericordiæ simpliciter, & secundùm quancunque rationem; quia etiam alio titulo esset decreta; sed misericordia supponit miseriam, à qua liberat; miseria autem, à qua liberat incarnatio, est peccatum; ergo incarnatio supponit peccatum; & ideo non existente peccato non esset incarnatio.

20 Item incarnatio, vt primò decreta, ita fuit ordinata, vt caro sumeretur ex Virgine Maria descendente ex semine *Abrahæ*; cui dixit Dominus *Gen. 22. Et benedicentur in semine tuo omnes gentes*; idest in Christo, vt glosat *S.P. Aug. lib. 12. cont. Faust. c. 6. & 41*; sed semen *Abrahæ* uit infectũ *Adæ* peccato; propter quod *Gen. 17.* præcepta est ei circuncisio, vt ab ea mundaretur; ergo incarnatio, vt primò decreta, præsupposuit peccatum, & ideo fuit in remedium illius. Prob. ma. Caro Christi, vt primò decreta, ita debuit decerni, sicut debuit cognosci; decretum enim est actus voluntatis sequens cognitionem, quæ est actus intellectus; sed debuit cognosci, vt sumenda ex Virgine Maria; quia sic debuit cognosci, sicut debuit esse, aliter falleretur cognitio; ergo caro Christi sic primò debuit decerni, vt sumeretur ex Virgine Maria.

21 Conf. Quanuis cognitio Dei possit præscindere ex parte obiecti secundùm diuersos status, qui competunt obiecto; vt scientia possibilium præscindit à cognitione futurorum; attamen nequit præscindere ab ijs, quæ competunt rei in eodem statu; vt nequit cognoscere rationalitatem hominis, vt possibilem, non cognita animalitate, quæ pariter competit homini in statu possibilitatis; hæc enim cognitio est inadæquata, & imperfecta, quia ipsam latet aliquod, quod est cognoscibile, & sic non est comprehensiua, vt debet esse omnis cognitio Dei; at verò cognitio possibilium præscindit à cognitione futurorum, quia futura in statu possibilitatis non sunt futura; ideo nihil, quod est cognoscibile, latet Dei cognitionem; sed caro Christi, vt primò decreta, verè erat sumenda ex Virgine, quia per primũ decretum caro, quam debebat Christus assumere, transijt à statu possibilitatis ad statum futuritionis; sicut per primum decretum de creando *Adamo* caro *Adæ* transijt de possibilitate ad futuritionem, aliter vel fuisset alia caro, quod implicat, quia esset futurum, quod nunquam esset existens; vel fuisset caro præscindens ab hac, vel illa carne; & sic pariter esset futurum, quod nunquam posset esse à parte rei; quia caro existens à parte rei est indiuidua; quod est contra rationem futuri, quod definitur *id, quod aliquando erit existens in aliqua temporis differentia*; ergo caro Christi, vt primò decreta, debuit cognosci à Deo, vt sumenda ex Virgine Maria; & ideo vt traducta ex *Abrahæ* semine *Adæ* peccati macula infecto; & per consequens supponit cognitionem peccati.

22 Euertitur alia ratio. Excellentia mysterij, quo Spiritus Sanctus, vel Pater potuisset assumere naturam Angelicã, vt diximus *q. 1. ar. 3*; est summè amabilis, & diligibilis, eligibilis, æquè summa, ac excellentia mysterij incarnationis; summitas enim desumitur à natura Diuina, cui vnitur natura creata; vnde si Pater, vel Spiritus Sanctus assumeret naturã Angelicam, vel aliam naturam humanam, quod potuisse fieri non negant *Aduersarij*, ista omnia mysteria essent æquè excelsa, summè diligibilia, & amabilia; & tamen ex hoc non deducitur, quòd Deus decreuerit Patrem, aut Spiritum Sanctum assumere naturam Angelicam, aut aliam naturam humanam; ergo à pari summa excellentia mysterij incar-

incarnationis, summa diligibilitas, & amabilitas ipsius Christi non est ratio inferens Deum decreuisse ipsam incarnationem; & ideo remanet, quòd sola redemptio à peccato fuerit vnica ratio, ob quam Deus illam decreuit, vt habetur *in Scripturis*, *&* *SS. PP.* Atqui non existente peccato non esset redemptio à peccato; ergo non esset motiuum decreti incarnationis assignatum *in Scripturis*, & sic non esset incarnatio.

23 Tandem sententia contraria coincidit in sententiam *Raimundi Lulli*, qui vt diximus *in sup. q. art.* 5; dixit, quòd supposita creatione Mundi necessaria fuit incarnatio; supposita nanque creatione hominum, & Angelorum, necesse fuit constituere Christum Caput ipsorum, vt ait *Mastr*; sed illa ab omnibus reijcitur; ergo & ista eodem modo reijci debet.

24 Obijc. 1. *Mastr. art.* 1. *nu.* 4. Christus prædestinatus fuit ante præuisionem peccati *Adæ*; ergo adhuc *Adamo* non peccante Christus venisset, aliter eius prædestinatio frustrata fuisset. Prob. ant. *ex Scripturis* asserentibus Christum esse primum prædestinatorum; vt *Prou.* 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*; quem locum *plures SS. PP.* exponunt *de Sapientia incarnata*; *&* *Ephes.* 1. *Elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem*; *&* *ad Rom.* 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*; *ad Colos.* 1. *Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt vniuersa omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes*; *&* 1. *Cor.* 3. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus verò Dei*; ergo si Christus prædestinatus est caput omnium prædestinatorum, prædestinatus est ante prçuisionem peccati *Adæ*; hæc enim omnia loca *Apostoli Conc. Ephes. c.* 4. *in ep. Cyrilli* intelligit de Christo, vt homine, quem dicit *Apost.* Caput prædestinatorum non solùm ordine dignitatis, sed etiam causalitatis, & ipsum præcedere nedum creaturas productas, sed etiam productiones earum; imò deducit omnes prædestinatos esse ad exemplar Christi; quia *omnia in ipso, & per ipsum condita sunt*. 2. Si incarnatio esset propter remedium peccati, remedium peccati esset finis incarnationis, & incarnatio esset medium; sed finis in intentione est prior medijs; ergo priùs esset volitum remedium, & per consequens hominum salus, quàm ipsa incarnatio; & sic priùs homines essent prędestinati, quàm Christus.

Resp. ad 1. neg. cons; nam Christus Dominus fuit primus prædestinatus post præuisionem peccati, ante quam nullus fuit prædestinatus. Ad prob. dicitur *illos textus* verificari de Christo secundùm humanitatem in ordine gratiæ electiuæ ad gloriam, non autem in ordine naturæ; aliter sicu[illegible] primus in ordine prædestinatorum, & Cap[illegible] in ordinæ gratiæ; ita esset primus, & caput naturale omnium, quod nullus diceret; quia ab ipso descenderent omnes, sicut descendunt *ab Adam*. Est ergo primogenitus ad gratiam electionis ad gloriam; & licèt *Adam* ante lapsum habuerit gratiam, per illam tamen non fuit prædestinatus, vt *inf.* Sic est initium viarum Domini in ordine gratiæ electiuæ, est exemplar prædestinatorum; est primogenitus ad gratiam; & cætera huiusmodi. Cùm autem dicitur, quòd *in ipso condita sunt omnia*; si placeat explicari in ordine naturali, nō incongruit; sed tunc est intelligendum de Christo secundùm naturam Diuinam, non humanam; quia cùm in eadem persona sit hæc duplex natura, ideo per communicationem idiomatum dicitur, quod conuenit vtrique naturæ. Claret enim, quòd illud, *In ipso sunt omnia*; *& per ipsum creata sunt omnia*; nequit intelligi secundùm naturam humanam; non enim omnes naturæ humanæ, & omnes aliæ res naturales sunt in humanitate Christi Domini, sed in natura Diuina; nec natura humana Christi, vt arguit *S. P. Aug. tract.* 1. *in Io. contra Arrianos*; fuit principium, per quod creata sunt omnia, quia non est principium, per quod creata est ipsa, cùm etiam ipsa sit creata, vt *inf.*, ergo hoc est intelligendum de natura Diuina, si velimus loqui in ordine naturali. Itaque sic humana, & Diuina prædicantur de eadem persona Christi, vt *vnicuique substantiæ* (inquit *S. P. Aug. serm.* 58. *de Verbis Domini*) *propria vtique aptanda sint*; quod quia non obseruant *Aduersarij*, confusionem pariant, necesse est. Christus igitur, vt homo, est caput prædestinatorum nedum ordine dignitatis, sed etiam causalitatis in ordine gratiæ electiuæ; non autem in ordine naturæ; vt Deus verò, præcedit creaturas productas, & productiones earum, quia est principium, *per quod facta sunt omnia*; hoc autem nequit intelligi de Christo, vt est homo; quia cùm, vt homo, etiam ipse sit factus *iuxta Apost. ad Gal.* 4. *Factum ex muliere*; nequit esse principium, per quod factus est ipse; implicat enim, quòd idem sit principium effectiuum (de quo est sermo) & effectus. Quòd si, vt homo, non est principium, per quod ipse factus est homo; iam vt homo, non est principium, per quod facta sunt omnia, quæ facta sunt; ergo necessariò hoc est intelligendum de Christo, vt est Deus. Falsum præterea est *Apostolum* deducere omnes prædestinatos esse ad exemplar Christi; quia *omnia in ipso, & per ipsum condita sunt*; nam Christum esse exemplar prædestinatorum asserit *in ep. ad Rom*; & omnia esse in ipso *in ep. ad Colos*; & quis vnquam diceret deductionem intendi *ab Apostolo* locis tam disparatis? Ex quo apparet vi trahi *Scripturas*, quia nullibi apertè fauent. Ad 2. neg. supp. ma; nam incarnatio, & remedium peccati non sunt duæ res, sed ipsa incarnatio est remedium, & volita, vt remedium naturæ sanandæ.

25 Inst. Ergo saltem salus hominis, ad quam ordinatur incarnatio, vt remedium, esset finis incarnationis; & sic Christus non esset primus prædestinatus, sed vltimus; quia finis priùs est volitus, quàm media.

Resp. dist. conf. Salus hominis obiectiua, quæ est Diuina bonitas, conc; formalis, neg; Deus enim post præuisionem peccati prædestinauit Christum per vnionem hipostaticam, vt Caput prædestinatorum; & consequenter in ipso prædestinauit homines, qui sunt membra eius in ædificationem corporis mystici ipsius; sicut intendens sanitatem consequenter intendit omnia illa, quæ ad eam sequuntur, vt est motus pulsus, color faciei &c; sed secundariò, non primariò.

26 Obijc. 2. *idem n.8.* De *Adamo* negari nequit, quòd prædestinatus fuerit ante præuisionẽ peccati; ergo à fortiori est asserendum de Christo; aliter *Adam*, non Christus, esset primus prædestinatus. 2. In hac sententia rectè saluatur Christum esse initium totius creaturæ, & causam meritoriam totius gratiæ, & gloriæ collatæ Angelis, & hominibus nedum in statu culpæ, sed etiam in statu innocentiæ. 3. Incarnatio non est volita occasione peccati, sed per se ipsam, quia secundùm se est bonum excellentissimum, summè amabile; ergo idem.

Resp. ad 1. negari potiùs non posse *Adamum* prędestinatum fuisse post pręuisionem peccati; vt diximus *to.2. de præd. SS. q.3. art. 5. ex Apost. Rom.9.* docente ex eadem massa Deum fecisse vasa alia in honorem, alia in contumeliam; quod de prædestinatione, & reprobatione intelligi communiter docent *SS. PP; & DD;* certum est autem reprobationem positiuam ad pœnam, de qua loquitur *Apost.*, fuisse post culpæ præuisionem; ergo eadem certitudine dicendum est prædestinationem *Adæ* fuisse post culpę præuisionem. Ad 2. dicitur Christum, vt homo est, esse initium viarum Domini in ordine supernaturali electionis ad vitam æternam, & sic esse causam meritoriam gratiæ, & gloriæ in statu culpæ, non autem in statu innocentiæ; vt diximus *to.2. vbis. q.4. art.3. n.16.* Dicitur autem Christus Dominus *Caput hominum, & Angelorũ*, quia merẽdo gratiam hominibus reparauit Angelorum ruinas, vt diximus *to.3. de Ang. q.10. art.6. n.12;* ait enim *Apost. Ephes.1. Instaurari omnia in Christo, quę in Cælis sunt, & quæ in terris;* quod sic explicat *S. P. Aug. in Enchir. c.61. Non enim pro Angelis mortuus est Christus; sed ideo etiam pro Angelis fit, quidquid hominum per eius mortem redimitur, & liberatur à malo: quoniam cum eis quodammodò redit in gratiam post inimicitias, quas inter homines, & Sanctos Angelos peccata fecerunt; & ex ipsa hominum redemptione ruinæ illius Angelicæ detrimenta reparantur. Sed de hoc inf. q.7. art.3. §.2.* Ad 3. neg. ant; quanuis enim peccatum non sit ratio finalis motiua, est tamen occasio; sicut quanuis febris non sit ratio motiua ad volendam medicinam, est tamen occasio, sine qua medicina non sumeretur.

27 Obijc. 3. *idem nu.11.* Ordinatè volens priùs vult finem, deinde medium magis conducens ad finem; sed finis incarnationis est gloria Dei, & medium magis conducens est Christus; ergo Deus, qui ordinatissimè vult, priùs vult gloriam, & deinde Christum; ac propterea Christus est *primogenitus omnis creaturæ*; quia est volitus ante omnem creaturam, & ideo ante omne peccatum præuisum.

Resp. hoc arg; quod variè soluitur *à Theologis*, magnam pati æquiuocationem, certum enim est, quòd media conducentia ad gloriam sunt ordinis supernaturalis, non verò ordinis naturæ; & sic verum est, quòd Deus vult priùs prædestinatum Christum Dominum, quàm velit prædestinatos alios homines; non tamen ex hoc infertur Deum priùs voluisse Christum in ordine naturæ, quàm alios homines. Dist. igitur conf. Priùs vult gloriam, & deinde Christum destinatum ad gloriam, conc; & deinde Christum, quàm cæteros homines esse in rerum natura, neg; non enim alij homines eo ipso fuerunt destinati ad gloriam, quo fuerunt intenti, vt essent in rerum natura; sicut Christus, qui dicit vnionem naturæ humanæ cum natura Diuina, fuit destinatus ad gloriam in eo signo, in quo fuit intentus, vt esset in rerum natura.

28 Obijc. 4. *idem art.2. n.28.* Christus non fuit primò prædestinatus, vt Redemptor; ergo *Adamo* non peccante adhuc venisset. Prob. ant. In hoc differt incarnatio à passione Christi; quòd incarnatio est propter se amabilis, tanquam finis aliorum operum Dei; passio verò non est amabilis propter se, sed in remedium peccati, & vt medicina; sed Christus fuit prædestinatus in eo signo, in quo fuit decreta incarnatio; ergo in illo signo non fuit prædestinatus, vt Redemptor. 2. Primarium motiuum incarnationis quoad substantiam fuit excellentia huius mysterij, vt nempe exaltaretur natura humana, manifestaretur summa Dei bonitas, & alia attributa; nam *Io.7.* ait Christus ad Patrem: *Ego te clarificaui, opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de Mundo;* ex quo infertur Christum principaliter venisse ad manifestanda Diuina attributa. *Et 1. Cor.4. Vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis Sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio;* manifestatio quidem horum attributorum, vt causa principalis, & primaria; redemptio verò, vt causa concomitans, & secundaria; sic *in cantico Zach. Quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ;* ergo adhuc visitasset; si non fuisset redemptio; *& in Symb. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem;* ergo quanuis non venisset *propter*

nostram

nostram salutem, adhuc venisset *propter nos homines*; & ideo non fuit primò prædestinatus, vt Redemptor.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad prob. dicitur, quòd incarnatio, & passio differunt in ratione principij, & termini Redemptionis; passio enim fuit terminus redemptionis, sicut incarnatio fuit principium; ideo sicut passio fuit ordinata ad redemptionem; ita incarnatio, quæ fuit ordinata ad passionem, fuit ordinata ad redemptionem; atque adeo Christus fuit prædestinatus, vt Redemptor; & hoc probant apertè *Scripturæ* allatæ pro nostra sent: & magis patebit ex dicendis *inf.* Ad 2. neg. ant; primarium enim motiuum fuit gloria Dei ad extra communicanda, vt *sup.* diximus; hoc tamen motiuum præsupposuit occasionem peccati, vt dictum est; sine qua decreta non fuisset incarnatio ex vi præsentis voluntatis, quam Deus se habuisse manifestauit *in Scripturis*; deinde fuit decretum de Filio mittẽdo, quem voluit venire in redemptionem hominum à peccato; quæ fuit causa, & occasio veniendi; & sine qua non venisset; ideo licèt cum redemptione coniungatur exaltatio naturæ humanæ, glorificatio; attamen hęc non fuerunt motiua, sed sola redemptio; & clarè colligitur *ex Scripturis* pro vtraque parte adductis: nam cùm agitur *de redemptione à peccatis*, dicitur: *Venit saluum facere &c*; cùm autem agitur *de exaltatione naturæ, glorificatione, clarificatione &c*; non dicitur: *Venit ad exaltandam, glorificandam &c*; verbum autem *venit* significat incarnationem, vt constat; ergo apertè colligitur etiam *ex Scripturis ab Aduersarijs* adductis solam redemptionem fuisse causam, seu occasionem incarnationis. Ad *canticum* dicitur; quòd *visitauit* captiuos, *& fecit redemptionem*; non enim eos redemisset, quos captiuos non visitasset. Sic *ad Symb.* dicitur: *Propter nos homines* infirmos peccato; *& propter nostram salutem* nobis infirmis afferendam (salus enim non nisi infirmis potest afferri) descendisse de Cœlis.

29 Obijc. 5. *idem art. 3. n. 45.* Ad perfectissimam Dei prouidentiam spectat, vt Filius Dei naturalis, primus prædestinatus, primogenitus omnis creaturæ non sit volitus dependenter à peccatis aliorum hominum; alioquin esset dilectus propter seruos, & dependenter ab amore seruorum; nec non quòd maximum bonum totius Vniuersi, vt est incarnatio, dependeat à maximo malo, quod est peccatum; ergo est volitus per se ipsum independenter à peccato. 2. Sequeretur incarnationem non esse bonum simpliciter, & absolutè, vel saltem non esse amatum, vt tale, sed tantùm veluti bonum occasionatum, vt sectio tibiæ, potio amara, & pœnitentia, quæ non appetuntur, nisi occasione alicuius mali euitandi. 3. Sequeretur Christum debere hominibus gloriam, & exaltationem, quam ex incarnatione recepit; nam *Adamo* non peccante Christus non recepisset talem gloriam, quod est inconueniens.

Resp. hæc pariter non concludere; aliud est enim dependere ab alio, tanquam à ratione finali motiua; & aliud supponere occasionem, qua non posita non poneretur. Dependentia propriè sumitur à causa influente; quia illud propriè dicitur dependere ab alio, quod recipit esse ab illo, vt dicitur *in 2. Phys*; vnde cùm peccatum non sit causa efficiens, aut finalis incarnationis, ideo incarnatio non dependet à peccato, nec est volita dependenter à peccato. Nec sequitur Christum diligi propter seruos; quia particula *propter* reduplicat causam finalẽ; amor autem seruorum nõ est causa finalis amoris Christi, sed è contra; ideo Christus non est dilectus propter seruos, sed è conuersò. Non tamen probatur peccatum non fuisse occasionem, qua Deus decreuit incarnationem; occasio enim nec est causa efficiens, nec finalis, vt dictum est. Patet ergo hæc æquiuocare de causa, quæ influit, & propriè est causa; & de occasione, quæ tantùm lato modo est causa, quia non influit; vt febris est occasio sumendi medicinam, non tamen est ratio formalis sumendi medicinam, nec est causa mouens ad sumendam medicinam; ratio enim, & causa mouens est sanitas intenta, quanuis supponat febrim tanquam occasionem; propter quod solùm impropriè diceretur, quòd sumere medicinam dependeat à febri; quia febris non influit; nec diligi medicinam propter febricitantes, & dependenter ab amore febricitantium, sed propter sanitatem inducendam in febricitantes, & sic diligitur Christus propter vitam æternam, & dependenter ab amore vitæ æternæ, quæ est Deus, participandæ peccatoribus, hæc enim est ratio finalis obiectiua motiua; non autem propter peccatores, aut dependenter ab amore peccatorum. Sic maximum bonum non dependet à maximo malo; quia maximum malum non est ratio formalis motiua positiuè influens in maximum bonum; sed tantùm est quid merè occasionaliter præsuppositum. Ad 2. dist. seq. Sequeretur incarnationem nõ esse bonum simpliciter, & absolutè amatũ propter se, conc; amatur enim per ordinem ad Deum, qui est finis illius; non esse bonum simpliciter, & absolutè comparatiuè ab alia bona creata, neg; sicuti enim medicina non appetitur, nisi propter sanitatem, quanuis supponat febrim, vt occasionem; ita incarnatio non appetitur, nisi propter vitam æternam, quę est Deus, communicandam hominibus, licèt supponat peccatum, vt occasionem; & sicut inter medicinas vna est perfectior, & pretiosior alia; ita incarnatio est perfectissima, & pretiosissima inter omnes res creatas; & quanuis possit comparari sectioni tibiæ, potioni amaræ, & pœnitentiæ per hoc, quòd sicut ista eliguntur propter sanitatem; ita incar-

incarnatio decreta fuit propter salutem, & vitam æternam; attamen indigna comparatio est, si consideretur perfectio incarnationis; quia sectio tibiæ minuit naturam; potio amara, & pœnitentia affligunt; incarnatio autem exaltauit naturam ad esse Diuinum, & gaudium peperit in Cœlo, & in terra. Ad 3. neg.seq; nam Christus debet suam gloriam Deo, à quo illam effectiuè recepit; non occasioni, quæ in illam nullatenus influit. Dicitur autem bonum occasionatum, non quidem prout est præter intentionem, sed quia præsupposuit occasionem, antequam intenta fuerit. Ex quibus apparet omnes istas rationes æquiuocare de ratione formali obiectiua motiua, & de simplici occasione, & ideo nihil prorsus concludere.

30 Obijc.6. *idem n.54.* Non est melioris conditionis Vniuersum existēte peccato, quàm eo secluso; sed existente peccato fuit dignificatum assumptione humanæ naturæ; ergo multò magis non existente peccato. Hoc arg. vtitur *Apost. Rom.5. Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius; multò magis iam reconciliati salui erimus in vita ipsius.* 2. Multò magis diligibiles sunt homines in gratia, quàm in peccato; sed Deus adeò dilexit homines existētes in peccato, vt dederit illis Christum; ergo multò magis illum dedisset, si permansissent in gratia.

Resp. eodem modo dist. mi. Ita, vt bonitas naturæ humanæ sit ratio motiua Dei ad decernendam incarnationem, neg; ita, vt peccatum fuerit occasio, ob quam Deus decreuit incarnationem, conc. Melior ergo, aut deterior conditio Vniuersi nihil facit ad decretum incarnationis, quia non est causa motiua, nec occasio, ob quam Deus reuelauit decreuisse incarnationem; sicut reuelauit se illam decreuisse occasione peccati. *Apost.* autem facit pro nobis; quia si peccatum fuit occasio, vt reconciliaremur Deo; multò magis reconciliati à peccato habebimus vitam in Deo; reconciliatio autem à peccato supponit peccatum; at si homines permansissent in gratia, non essent reconciliati à peccato, quia peccatum non fuisset; ergo non habuissent occasionem peccati, ob quam reconciliarentur, & vitam haberent; ergo ex alio capite vitam habuissent. Ad 2. eodem modo dist. mi. Deus dilexit homines existentes in peccato, vt dederit illis Christum occasione peccati delendi per condignam satisfactionem, conc; ratione diligibilitatis creaturæ, neg.

31 Apparet ergo infirmitas harum rationum, quæ generaliter ostenditur sic. Vel Christi gloria, exaltatio, excellentia, diligibilitas, & cætera huiusmodi sumuntur, prout important aliquod creatum conueniens naturæ humanæ; vel prout important aliquid increatum, cui vnitur natura humana? Si primum; ergo non inferunt Deum de facto decreuisse incarnationem; quia nulla ratio creata potest mouere Deũ ad aliquid agendum ad extra; Deus enim mouetur solum à sua bonitate increata ad agendum. Si secundum; ergo pariter non inferunt hoc decretum; quia Deus non mouetur necessariò, sed liberè à sua bonitate ad agendum ad extra. Ergo rationes ex istis deductæ omnino deficiunt, quia nihil inferunt. Quamuis autem etiam occasio peccati non inferat Deo necessitatem agendi; propter quod Deus potuisset liberè relinquere hominem perire cum suo peccato; attamen constat *ex Scripturis Diuinis* Deũ occasione peccati decreuisse incarnationem; & ideo supposita hac reuelatione conuincenter deducitur incarnationem decretam fuisse.

32 Obijc. 7. *Ada* in illo sopore fuit reuelatus Christus; at hoc fuit in statu innocentiæ; ergo si mansisset innocens, adhuc Christus venisset. 2. *S. P. Aug. lib. 1. de nupt. & concup. c. 21.* docet matrimonium in statu innocentiæ fuisse signum coniunctionis Christi cum Ecclesia; ergo idem.

Resp. ad 1; quòd quando fuit actu à parte rei status innocentiæ, iam erat præuisum peccatum, quia fuit præuisum ab æterno; status autem innocentiæ fuit in tempore. Dist. ergo ma. Fuit reuelatus Christus post præuisionem peccati, & ante commissionem illius, conc; ante præuisionem peccati, neg; & sic ad 2.

33 Obijc. 8. Christus *Ioann. 7.* rogatus, vt ascenderet *Ierosolymam*, negauit se ascensurum, & tamen ascendit; quod saluari nequit à mendacio, nisi dicendo, quòd negauit se ascensurum palam; clam enim solùm ascendit; ergo quando *SS. PP.* negant Christum venturum, intelligi possunt secundùm circunstantiam passibilitatis. Item *1. Reg. 16.* Dominus præcepit *Samueli*, vt iret *in Betlehem* ad vngendum *Dauid* in Regem, cui cùm respondisset *Samuel*: *Audiet Saul, & interficiet me*; replicauit Dominus: *Accipe vitulum, & dic: Ad immolandum Domino veni*; ex quibus constat duplicem fuisse itineris finem; & *Samuelem* vnum tacuisse, alium expressisse; ergo à pari.

Resp. *noster Gibb. SS. PP. Græcos* legere: *Non ascendo nunc*; vel *nondum*; cum quo concordat, quòd ascenderit postea. *S. P. Aug.* ait se negasse ascensurum publicè ad patranda miracula, vt ostenderet Diuinitatem, de qua aliquantulùm dubitabant *Discipuli*; ideo hoc præstare negauit; non tamen asseruit se nullo modo velle ascendere. At *SS.PP.* asserunt nullo modo Christum venturum; ideo non est paritas. Ad aliud dicitur sacrificium fuisse effectũ finis, non finem; & quāuis fuisset finis, dicitur, quòd primũ finem tacuit causa mortis; at nulla fuit causa tacendi finem incarnationis, ideo non est paritas.

34 Quæres; quomodo *ad Gal. 4.* dicatur solùm venisse, *vt eos, qui sub lege erant, redimeret*; cùm nedum *Iudæos*, qui erant sub lege, sed etiam Gentiles venerit redimere?

Resp.

Resp. *Fund. Doct. dist.2. par.2. art.5.dub.5. lit.* venisse specialiter ad vocandos *Iudaeos*;vt habetur *Act.13. Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei*; *& Matth.15. Non sum missus, nisi ad oues &c*; quia per ipsos, si conuersi fuissent, debebant conuerti gentes; sic quia noluerunt conuerti, conuertit se ad gentes. Vel dicitur sermonem esse de lege peccati, sub qua erant *Iudaei*, *& Gentiles*.

ART. II.

An ex vi praesentis decreti Verbum incarnatum fuisset ad delenda peccata personalia non existente peccato originali?

1 DIximus *to.4. de pecc. quaest. 2. art. 3. §. 1. num.47*; quòd *Adamo* non peccante, peccantibus tamen eius filijs posteri non contraxissent peccatum originale; in hac suppositione quaerimus in praesenti, an Verbum Diuinum ex vi praesentis decreti carnem sumpsisset ad delenda peccata actualia personalia, quae sola in hac hipothesi fuissent? Est autem idem, ac quaerere; an causa, seu occasio primaria, adaequata, & per se incarnationis fuerit solum peccatum originale, peccata verò actualia fuerint occasio tantùm secundaria, & per aliud, ratione scilicet peccati originalis? Diximus *ex vi praesentis decreti*; quia non est dubium, quòd etiamsi vnum tantùm peccatum in vno homine fuisset in Mundo, potuisset Deus ad illud tollendum incarnationem decernere. Diximus *non existente peccato originali*; certum enim est, quòd existente peccato originali, & personali, incarnatio decreta est ad delendum vtrunque habetur nanque *ad Tit.2. Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate*; idest ab omni peccato siue originali, siue personali, quae in ratione iniquitatis conueniunt; & ratio est. Incarnatio de facto decreta fuit ad redimendum hominem à captiuitate Diaboli; sed homo nedum per peccatum originale, verùm etiam per personale fit captiuus Diaboli; ergo incarnatio fuit de facto decreta ad delendum omne peccatum siue originale, siue personale. Sic vulnus laethale, quod vita priuat aeterna, est peccatum originale, siue personale mortale; sed incarnatio de facto fuit decreta ad sanandum vulnus, quod vita priuat aeterna; ergo idem. Nec est dubium, quòd decreta fuit principaliùs ad delendum peccatum originale, quàm personale; quia pro illo peccato principaliùs decreta est incarnatio, pro quo decreta est mors Christi; sed mors Christi decreta est principaliùs pro peccato originali; quia decreta est pro peccato, quod omnes infecit; *Pro omnibus enim mortuus est Christus*; solùm autem peccatum originale omnes infecit; quia paruuli solo peccato originali inficiũtur;ergo incarnatio principaliùs decreta fuit pro peccato originali. Igitur.

2 Prima sententia vult non existente peccato originali adhuc Verbum fore incarnandum ex vi praesentis decreti ad delenda peccata personalia. Refertur *Med. hic art.4*; *Val. qu. 1. punct.6*; *Gran*; *& alij*.

3 Secunda vult existentibus solis peccatis personalibus, imò existente solo peccato originali Verbum non fore incarnandum. Referuntur *Cabr*; *& Naz*.

4 Nostra docet, quòd existente solo peccato originali adhuc Verbum incarnatum fuisset; non tamen existentibus solis peccatis personalibus. Deducitur *ex Fund. Doct. in epist. ad Rom. cap. 5. dubit. vlt*; vbi docet, quòd *Adam* fuit Christi figura, quia sicut ille omnes occidit per peccatum, quod omnes occidit, quod est peccatũ originale; ita Christus venit omnes viuificare delendo peccatum, quod omnes occidit, quod est peccatum originale. *Noster Gibb. disp. 4. dub.2*; *& communiter omnes*, quos attulimus *in sup. art.* pro nostra sententia.

5 Vnica concl. Existente solo peccato originali Verbum Diuinum ex vi praesentis decreti adhuc fuisset incarnatum; non autem existentibus solis peccatis personalibus.

Prob. 1. pars concl. *ex Apost. Rom.5. Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem*; *ita & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae*. Ex quo sic. Posito reatu, per quem omnes homines incurrerunt damnationem, & mortem ae aeternam, Verbum Diuinum incarnatum fuisset; sed solo existente peccato originali positus fuisset reatus, per quẽ omnes homines incurrissent damnationem, & mortem aeternam; ergo solo existente peccato originali Verbum Diuinum incarnatum fuisset. Prob. ma. Posito illo, ad quod delendum fuit efficaciter decreta incarnatio, Verbum Diuinum incarnatum fuisset, aliter efficaciter decreta non fuisset; sicut posito morbo, ad quem sanandum medicina est ordinata efficaciter, ponitur medicina, aliter efficax ordinatio non esset; sed reatus, per quem omnes homines incurrerunt damnationem, & mortem aeternam, est illud, ad quod tollendum fuit efficaciter decreta incarnatio; nam *quodlibet tollitur per suum oppositum*; oppositum autem incarnationis, per quam habetur iustitia, qua omnes homines iustificantur, & acquirunt ius ad vitam aeternam, vt docet *Apost*; est iniustitia, per quam omnes homines acquirunt reatum, & incurrunt damnationem, ac mortem aeternam; ergo posito reatu, per quem omnes homines incurrerunt damnationem, & mortem aeternam, Verbum Diuinum incarnatum fuisset. Mi. traditur expressè *ab Apost*; nam per *Adae* peccatum in omnes homines generatione traductum omnes homines incurrerunt damnationem, & mortem aeternam. quia *per vnius delictum in omnes homines in condemna-*

demna-

demnationem; sed peccatum originale est *Adæ* peccatum generatione traductum in omnes homines ; ergo solo existente peccato originali positus fuit reatus, quo omnes homines incurrerunt damnationem, & mortem æternam.

6 Conf. *ex S.P. Aug. serm. 9. de tempore* : *Homo sollicitante inimico Deus esse voluit per superbiam* ; *& Deus homo factus est per misericordiam* ; *& serm. 14. Transgressio illius primi hominis totum deceperat Mundum, vt nullum esset salutis remedium, nisi Christus adueniret è Cęlo*. Arguitur autem sic. Manente eadem occasione, qua de facto incarnatio facta est, Verbum Diuinum ex vi præsentis decreti incarnatum fuisset; sed existente solo peccato originali mansisset eadem occasio, qua de facto incarnatio facta est; ergo Verbum Diuinum ex vi præsentis decreti incarnatum fuisset. Ma. constat; quia immutatis manentibus causis immutatum quoque manere effectum, qui ab illis procedit, optimè infertur; præcipuè quando agens est immutabile, vt nequeat transire de volitione in nolitionem; ergo supposito, quòd Deus peccati causa decreuerit Verbum Diuinum incarnari; manente eadem causa Verbum Diuinum incarnatum fuisset. Prob. mi. Causa, vel occasio incarnationis fuit peccatum originale, quo perijt totum genus humanum; ergo existente solo peccato originali mansisset idem motiuum, quo de de facto facta est incarnatio.

7 Prob. 2. *ex 1. Io. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius Mundi*; ex quo sic. Propitiatio omnium hominum fuit causa, ob quam Verbum Diuinum est incarnatum; sed solo existente peccato originali fuisset propitiatio omnium hominum; ergo Verbum Diuinum incarnatum fuisset. Ma. habetur *in textu*, & probata est *in sup. art*; Deus enim misit Filium suum, vt propitiaret, & reconciliaret omnes homines inimicos Deo per peccatum. Prob. mi. Propitiatio vniuersalis omnium hominum respicit peccatum omnibus hominibus commune, per quod omnes homines sunt communiter Deo inimici; sed tale peccatum est solum originale; nam paruuli,& aliqui iusti insignes ab exitu ventris matris suæ vsque ad finem vitę non habuerunt peccata mortalia personalia, quibus tantùm homo fit Deo inimicus; ergo solo existente peccato originali fuisset propitiatio omnium hominum.

8 Conf. Ob redemptionem ab omni peccato, per quod omnes homines excluduntur à gloria, Verbum Diuinum ex vi præsentis decreti fuit incarnatum; vt colligitur *ex Scripturis, & PP*; sed supposito, quòd daretur solum originale peccatum, per illud omnes homines excluderentur à gloria, quia de facto ab illa excluduntur paruuli decedentes cum solo originali, vt docet Fides ex verbis Christi Domini *Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto; non potest introire in Regnum Dei*; ergo supposito, quòd daretur solùm originale peccatum, Verbum Diuinum ex vi præsentis decreti incarnatum fuisset.

9 Tandem decretum incarnationis fuit factum immediatè post præuisionem peccati originalis ante præuisionem peccatorum personalium; quia permissio peccatorum personalium antecedit peccata personalia; & in prædestinatis est effectus prædestinationis ipsorum, vt diximus *to. 2*; & ideo supponit prædestinationem eorum; prædestinatio autem hominum supponit prædestinationē Christi Domini, qui est primus prædestinatorũ; & ideo supponit decretum incarnationis; ergo adhuc non existentibus peccatis personalibus Verbum Diuinum incarnatũ fuisset ad delendum solum originale peccatum.

10 Prob. 2. pars concl. 1. Peccata personalia non inficiunt naturam, sed personam; ergo existentibus solis peccatis personalibus sine originali Verbum Diuinum ex vi præsentis Decreti non fuisset incarnatum; quia præsens decretum fuit, vt sanaretur natura, & ex consequenti personæ, quæ sunt in natura; ergo primariò, & directè habuit pro obiecto naturam; & secundariò, ac ex consequenti, seu indirectè personas. Atqui ablato primario, & directo, nequit actus tendere in secundarium, & indirectum, aliter secundarium, & indirectum non esset secundarium, & indirectum, quia in ipsum tenderet actus primariò, & directè; ergo ablato peccato originali non haberetur decretum sanandi peccata personalia. 2. Actus, quo Deus efficaciter decreuit salutem humanæ naturæ per peccatum sauciatæ, est compossibilis cum actu, quo Deus non vult efficaciter salutem huius indiuidui in particulari; quia quamuis natura non saluetur in hoc indiuiduo, saluatur tamen in alijs;ergo est diuersus ab actu, quo Deus efficaciter decreuit salutē huius indiuidui in particulari; quia actus, quo Deus decreuit salutē huius indiuidui particulari, est incompossibilis,quia oppositus,cũ actu, quo Deus non vult efficaciter illius salutem. Atqui præsens decretum incarnationis est actus,quo Deus efficaciter decreuit salutem naturæ humanæ sauciatæ per *Adæ* peccatum; ergo ex vi huius decreti non existente *Adæ* peccato, & existentibus tantùm peccatis personalibus posterorum facta non fuisset incarnatio; quia peccata personalia delendo voluisset efficaciter saluare personas, quas peccata personalia directè respiciunt; sicut delendo vulnus naturæ voluit efficaciter saluare naturam; actus autem, quo efficaciter decreuit saluare personas in particulari, est decretum diuersum à decreto, quo efficaciter voluit saluare naturam, vt dictum est; & ideo non ex vi præsentis, sed alterius decreti potuisset incarnari ad delenda peccata personalia non existente originali. 3. Ex vi actus prouidentiæ gene-

generalis non dirigitur aliquod particulare efficaciter in finem; aliter non esset actus prouidentiæ generalis, sed specialis; & sic vltra prouidẽtiam generalem supernaturalem, qua Deus per voluntatem antecedentem vult omnes homines saluos fieri, non daretur actus prædestinationis, quæ est prouidentia specialis respiciens primariò indiuidua; sed decretum incarnationis est actus prouidentiæ generalis, quia generaliter respicit naturam humanam; ergo ex vi huius decreti facta non fuisset incarnatio ad saluandas primariò personas in particulari. Atqui incarnatio facta ad delenda sola peccata personalia esset actus prouidentię specialis, quia respiceret actiones proprias personarum, non communes toti naturæ; ergo ex vi huius decreti Verbum incarnatum non fuisset existentibus solis peccatis personalibus. 4. Non existentibus peccatis personalibus adhuc Verbum incarnatum fuisset ad delendum peccatum originale, vt ostensum est; ergo existentibus solis peccatis personalibus ex vi præsentis decreti incarnatum non fuisset; nam in tantùm ex vi præsentis decreti fuisset facta incarnatio non existentibus peccatis personalibus, in quantùm hoc decretum non respicit per se peccata personalia, sed tantùm ex consequenti, quatenus sunt effectus orti à peccato originali; ergo ablato peccato originali, per quod peccata personalia respiciuntur à præsenti decreto, vt tollenda; iam non esset, per quid respicerentur à præsenti decreto; sicuti quia lux est ratio videndi corpora, ablata luce corpora non viderentur; ergo ex vi præsentis decreti ablato originali Verbum incarnatum non fuisset ad delenda peccata personalia. Tandem ratio, cur Deus incarnatus sit ad saluandum hominem, non Angelum, est, quia tota natura humana perierat, non autem omnes Angeli; vt diximus *in sup. q. art. 1. n. 11*; sed non existente peccato originali, & existentibus solis peccatis personalibus non omnes homines perijssent, sed tantùm aliqui; ergo existentibus solis peccatis personalibus Verbum incarnatum non fuisset.

11 Addit *Gonet*, quòd præsens decretum fuit de carne passibili; at non existente peccato originali caro non esset passibilis; ait enim *Apost. Rom. 5. Per eundem hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors*; ergo ex vi præsentis decreti non fuisset incarnatio. Sed hæc ratio omittitur; mi. enim potest negari; & *ad Apost.* dicitur ipsum loqui de facto secundùm hunc ordinem rerum, secundùm quem datur peccatum originale; at in suppositione, quòd essent sola peccata personalia, per ipsa fierent mortales personæ peccantes, non autẽ tota natura, quia mortales non efficerentur non peccantes; & ratio huius esse potest; quia sicuti peccatum naturæ secuta est pœna mortalitatis afficiens totam naturam; ita peccatum personæ sequi debuisset pęna mortalitatis afficiens ipsam personam; peccato nanq; pœna debetur.

12 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. Deficiente ratione totali, & adæquatè motiua Diuinæ voluntatis ad decernendam incarnationem, non fuisset ipsum decretum, & ideo nec ipsa incarnatio; sed non existentibus personalibus deficeret ratio totalis, & adæquatè motiua Diuinæ voluntatis ad decernendam incarnationem; ergo non existentibus peccatis personalibus non fuisset decretum incarnationis, nec ipsa incarnatio. Ma. patet; quia specificatio, & diuersitas actus habetur à motiuo totali, & adæquato. Prob. mi. Motiuum totale, & adæquatum incarnationis fuit liberare naturam humanam ab omni peccato siue originali, siue personali; quapropter Christus venit ad vtrunque delendum; ergo non existentibus peccatis personalibus deficeret ratio totalis, & adæquatè motiua. 2. Omnia peccata personalia in genere causæ materialis fuerunt præuisa ante decretum incarnationis; ergo non potuerunt non ingredi rationem formalem motiuam decreti incarnationis. Prob. ant. Christus fuit prædestinatus per mortem, & passionem suam *iuxta Apost. Rom. 3. Quem Deus posuit propitiationem in sanguine suo*; mors autem Christi non potuit videri, nisi visis peccatis crucifigentium.

Resp. ad 1. neg. mi. Ad prob. dist. ant. Fuit liberare naturam à peccato originali primariò, & personali ex consequenti, conc; & in hoc sensu Christus venit ad delendum vtrunque; æquè primariò, neg. Ad 2. neg. ant. Ad prob. dist. ant. Christus fuit prædestinatus, vt Redemptor, per mortem, & passionem ordine executionis, conc; ordine intentionis, subdist. Per mortem, & passionem, tanquam ex primariò intento, neg; tanquam ex consequenti, conc. Ordine igitur intentionis intendit Deus incarnationem primariò, vt remedium peccati originalis; quod tamen voluit exequi per mortem, & passionem, tanquam per medium; medium autem intenditur ex consequenti, & finis primariò. Sicut medicus primariò intendit sanare ægrotum per medicinam; applicare autem medicinam hoc, vel medio intendit ex consequenti.

13 Obijc. 2. Ideo liberare naturam à peccato originali fuit intentum primariò, quia peccatum originale est in omnibus hominibus; sed peccata personalia potuerunt esse in omnibus hominibus; quia omnes homines potuissent personaliter peccare; ergo liberare naturam à peccatis personalibus fuit intentum primariò. 2. Illud fuit intentum primariò, pro quo Christus principaliter satisfecit; sed hoc est peccatum personale; quia peccato personali debetur pœna sensus; originali verò pœna damni; Christus autem subijt acerbissimas pœnas sensus, & nullam pœnam damni; ergo peccatum personale fuit intentum primariò; & ideo non existentibus

tibus peccatis personalibus, & existente solo originali Verbum Diuinum ex vi præsentis decreti intentiui non fuisset incarnatum.

Resp.ad 1.arg.peccare,quia transit ab actu ad potentiam; peccatum enim originale fuit præuisum, vt futurum in omnibus hominibus; sola autem personalia sine originali non vt futura, sed tantùm vt possibilia, fuerunt præuisa; incarnatio autem fuit decreta ex præuisione peccati futuri,non vt possibilis;neg. igitur cons. Ad 2. neg. mi. Ad prob. insert. dist. Peccato originali debetur tantùm pœna damni, neg; nam sequeretur, quòd baptizato habenti tantùm personale, quia originale per baptismum dimittitur, nec per peccatum personale redit, non deberetur priuatio visionis beatæ. Debetur pœna damni principaliùs, subdist. In ipso *Adam*, neg; in posteris, conc; in posteris enim, quia illud non commiserunt in se ipsis, ideo principaliùs debetur pœna damni, & ex consequenti mitissima pœna sensus; at verò *Adæ*, quia illud in se ipso patrauit, debebatur grauissima pœna sensus vltra pœnam damni. *Vid. to.4. de pecc. orig. q.2. art.5. n.29.*

14 Inst. Peccatum originale *in Adamo* fuit personale; sed Deus primariò intendit sanare naturam à peccato *Adæ*; ergo intendit sanare naturam à peccato personali; & ideo in illo priori peccatum personale præuidit.

Resp. dist. ma. Fuit personale primariò, neg; ex consequenti,conc; nam *Adam* peccauit, non vt persona priuata, sed vt caput totius naturæ; quia tamen caput totius naturæ erat persona particularis, ideo illud peccatum primariò infecit naturam, ex consequenti personam.

15 Obijc. 3. cont. 2. part. concl. Christus Dominus adhuc venisset, si vnus tantùm homo peccasset; & colligitur *ex parabola Pastoris*, qui vnam tantùm ouem, quæ perierat, voluit quærere *Matth.*18; *& Luc.*15; ergo existentibus solis peccatis personalibus, adhuc Verbum venisset. Prob. ampliùs ant; sic enim magis commendatur erga homines Diuini amoris intẽsio.

Resp.neg.ant.Ad parabolam dicitur,quòd nomine *ouis* intelligitur totum genus humanũ, quod per peccatum originale perierat; ita *S.P. Aug.in lib.83.qq.q.65*.Ad aliam prob.dicitur nimis probare; probat enim, quòd neminem perire Deus velle deberet; sic enim commendaretur magis amor, & misericordia Dei in homines. Commendari ergo debet amor Dei, *qui sic curat omnes, vt curet singulos*.

ART. III.

An detur causa meritoria Incarnationis?

1 CAusam meritoriam esse moraliter motiuam causæ efficientis ad agendum manifestum est; hinc postquam agimus de occasione, de causa quoque morali loquendum est.

2 Multiplex est hæc difficultas. 1. Quæri solet de Christo Domino;an meruerit vnionem hipostaticam per opera antecedentia, vel saltem per opera subsequentia. 2. De antiquis iustis, qui vixerunt ante Christi Domini incarnationem; an illam meruerint de condigno,vel saltem de congruo; & hoc dupliciter; vel illam meruerint quantùm ad substantiam, scilicet quantùm ad vnionem hipostaticam; vel saltem quantùm ad circunstantias. Quæ omnia simul resoluuntur *à Fund.Doct. Aeg. hìc dist.4. p.3. q.1. art.1*;quia eadem ferè militat ratio de omnibus, regulantur enim ab illo principio: *Principium meriti nequit cadere sub merito*. Quia tamen distinctio claritatem parit; ideo *in duos* §. secamus *articulum*.

§. I.

An Christus per opera præcedentia, vel subsequentia meruerit vnionem hipostaticam?

3 ERror fuit *Origenis lib.2. Periarchon c.6*; vt diximus *to.2. de præd. SS. q.3.art.1. n.7.* asserentis animã Christi Domini simul cum alijs animabus creatam fuisse ab origine Mundi extra corpora; & suis bonis operibus meruisse vnionem hipostaticam. *Nestorius* autem, qui duas personas asseruit in Christo, dixit personam hominis, quæ est in Christo, præextitisse aliquo tempore, antequam vniretur personæ Diuinæ vnione affectiua, quam tantùm admittebat, vt diximus *q.1. art.1. n.17*; & illo tempore illam vnionem meruisse; quapropter *S. Greg. lib.9. Registri ep.61.* præcepit Episcopis *Hiberniæ*, vt in professione fidei facienda à venientibus *ex Nestorianismo* exprimeretur Christum à primo momento suæ conditionis fuisse Deum. Idem dixit *Photinus* conformiter ad suam sententiam, de qua *vbi s. n.6.*

4 *Omnes Catholici* fatentur Christum Dominum de facto non meruisse suam incarnationem nec per opera antecedentia; quia antequam incarnaretur, non erat Christus, & ideo non poterat operari, & mereri, *cùm operationes sint subsistentium*; nec per opera subsequentia, quæ, cùm sint effectus incarnationis, non possunt esse principium meritorium illius, aliter effectus esset principium sui principij. Dissident tamen per ordinem ad potentiam Dei absolutam.

5 *Caiet. hìc art.10*; *Lorc. disp.20*; *Lug. disp. 8. sect. 1*; *& ex nostris Benrardin. apud Gibb. hìc disp.21. dub.4*; qui illos sequitur, putant de absoluta Dei potentia naturam humanam in priori naturæ ad vnionem hipostaticam potuisse à Deo conseruari sine subsistentia, & elicere opera meritoria de congruo vnionis hipostaticæ.

6 Gonet

6 *Gonet hic disp. 7. art. 2. concl. 2.* vult naturam humanam Christi Domini per opera præcedētia prioritate temporis potuisse mereri de congruo incarnationem ita, vt illa natura assumeretur priùs à propria personalitate creata, & cum illa per gratiam sibi à Deo collatam operaretur; & postea destructa personalitate creata eadem natura assumeretur à Verbo. Hanc sententiam certam esse *apud omnes* ait *noster Gibb. vbis. n. 2.*

7 *Sua. disput. 10. sect. 4; Carthagena, Lorin; Ruiz, Coninch, Gran; noster Bernardin; & alij apud nostrum Gibb. vbis. dub. 5. §. 1. nu. 1.* volunt Christum de potentia Dei absoluta potuisse per opera subsequentia mereri incarnationem; quia non implicat de potentia absoluta principium meriti cadere sub merito.

8 Tandem *Fund. Doct. Aeg. hic dist. 4. vbis.* docet Christum Dominum nec per opera prçcedentia, nec per subsequentia potuisse suam incarnationem mereri per quancunque potentiam. Eandem sententiam tenent ferè omnes *DD. antiqui, & tota nostra Schola excepto Gibb.* Ita etiam *Gabr; Vasq; & alij.*

9 Not; quòd modus dicendi *Gonet* licèt ex parte sit verus, ad rem nostram non facit; natura enim humana, vt terminata propria personalitate creata, non esset natura Christi Domini, sed esset natura personæ purè creatæ; quanuis enim illa natura posset trāsire ad vnitatem suppositi Verbi Diuini de potentia Dei absoluta, nō ordinaria; attamen quandiu manet sub personalitate creata, nequit dici natura Verbi Diuini; sicuti quanuis materia, quæ est sub forma terræ, possit transire ad formam auri; attamen nullus diceret, quòd quandiu est sub forma terræ, sit materia auri. Nihil aliud ergo asserit ista sententia, quàm quòd actio puræ creaturæ potuerit mereri incarnationem de congruo, de quo non in præsenti, sed *in seq. art.* agemus. Certum est enim, quòd talis actio esset à persona creata, vt à principio *quod*; quia pro eo tūc non supponitur natura vnita Verbo Diuino; ideo esset actio puræ creaturæ; etenim tam natura, quàm persona esset creata. Duæ igitur tantùm sententiæ sunt reijciendæ; scilicet quòd natura Christi Domini nec in priori naturæ ad vnionem hipostaticam, nec per operationes subsequentes ad ipsam vnionem potuit eam mereri etiam de potentia Dei absoluta.

10 Loquimur autem de vnione hipostatica secundùm executionem, non secundùm intentionem; constat enim, quòd antequam res à Deo intendatur, non est futura, quia futuritionem recipit à decreto intentiuo; simpliciter autem impossibile est ea, quæ non sunt futura, operari, cùm operari essētialiter supponat esse, ad quod sequitur; & ideo est simpliciter impossibile Christum, antequā esset futurus, mereri, quia mereri est operari; & per consequens impossibile est secundùm omnem potentiā Christum meruisse intentionem vnionis hipostaticæ per merita antecedentia.

11 Insuper notanda est differentia inter decretum executiuum vnionis hipostaticæ, & decretum executiuum cuiuscunque puræ creaturæ; nam executio vnionis hipostaticæ vel est formaliter idem, ac executio prædestinationis Christi ad filiationē Dei naturalem, & ad gloriam essentialem; vel saltem est simul cum illa; quia vnio hipostatica importat assumptionem naturæ humanæ in vnitatem personę Verbi Diuini, quod est Filius Dei per naturam; & ideo illud vnum, quod coalescit ex persona Diuina, & natura humana, est formaliter Filius Dei per naturam. At verò executio puræ creaturæ non est simul cum illius prædestinatione; quia non statim, ac creatura acquirit esse existentiæ, gloriam acquirit, sed solùm cùm per mortem exuit mortalitatem, & purgatis terrenis delictis ad claram Dei visionem admittitur. Quia tamen Christus in instanti suæ conceptionis fuit beatus secundùm animam, seu secundùm partem superiorem, non verò secundùm corpus, seu secundùm partem inferiorem; etenim secundùm hanc perpessus est summum dolorem, & tristitiam, quæ ab initio suæ passionis vsque ad mortem durauit, habetur nanque *Matth. 26; & Marc. 24. Tristis est anima mea vsque ad mortem;* tristitia autem opponitur beatitudini, ideoque nequit cum illa componi; ideo Christus potuit mereri glorificationem corporis. Idem dicendum de glorificatione, & exaltatione sui nominis, quod non fuit glorificatum à creaturis, & exaltatum, nisi post eius resurrectionem, & post Euangelij promulgationem. Hæc sunt indubia *apud omnes.*

12 Vnica concl. Christus Dominus nec de facto, nec in priori naturæ, antequam natura humana intelligeretur vnita personæ Diuinæ; nec per opera subsequentia ad ipsam vnionem cum persona Diuina potuit etiam solùm de congruo suam incarnationem mereri per quancunque Dei potentiam.

Prob. 1. pars concl. ex illo *Io. 3. Sic enim Deus dilexit Mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*; ex quo *cum S. P. August. lib. 2. de pecc. merit. c. 17.* docente: *Neque enim & ipse* (supple *homo*) *ita Verbo Dei coniunctus, vt ipsa coniunctione vnus Filius Dei, & idem ipse filius hominis fieret, prçcedentibus suę voluntatis meritis fuit; vnum quippe illum esse oportebat. Essent autem & duo, & tres, & plures, si hoc fieri posset, non per Dei proprium donum, sed per hominis liberum arbitrium; & de præd. SS. cap. 15. Ille homo, vt à Verbo* Patri *coęterno in vnitatem personę assumptus Filius Dei vnigenitus esset; vnde hoc meruit? Quid egit ante, quid credidit, quid petiuit?* Ex quibus constat *S. Patrem* exigere ad meritum, vt antecedat præmium. Idem habet *de cor; et grat. c. 11; et in* Enchir.

*Enchir. c.*40; arguitur sic. Opus meræ dilectionis non redditur præcedentibus meritis; sed incarnatio de facto est opus meræ dilectionis; ergo incarnatio de facto non redditur præcedentibus meritis; atqui si Christus illam antecedenter meruisset; redderetur præcedentibus meritis; ergo non esset opus meræ dilectionis; & per consequens ex eo, quòd sit opus meræ dilectionis, vt docet *Scriptura*, optimè concluditur Christum de facto illam non meruisse. Prob. ma. Gratia non redditur præcedentibus meritis, quia quod redditur meritis, redditur ex iustitia, non ex gratia; vt docet *Apost. Rom.*4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum*; in hoc enim distinguitur gratia à iustitia; sed opus meræ dilectionis est opus meræ gratiæ, quia mera dilectio summa gratia est; vt diximus *to.*2. *de scient. Dei q.*4. *art.*1. §.2; *& to.*4. *de Grat. quæst.*2. *art.*1. §.2; ergo opus meræ dilectionis non redditur præcedentibus meritis. Mi. constat *ex textu*; non enim assignatur alia causa incarnationis, nisi ipsa dilectio; ergo est opus meræ dilectionis. 2. Si Christus meruisset de facto suam incarnationem, vel hoc fuisset in aliena natura, quam non assumpsit; vel in propria natura, quam assumpsit? non primum; quia non ipse, sed aliæ personæ humanæ suppositantes illam naturam meruissent; & sic non vnus Christus, sed plures iusti, qui vixerunt ante Christi incarnationem, ipsam meruissent. Neque secundum; quia non assumpsit naturam humanam, nisi per incarnationem; ergo non potuit illam mereri in natura humana antecedenter ad incarnationem; aliter habuisset naturam humanam, antequam incarnaretur, quod implicat. 3. Christus non potuit mereri; nisi vt Filius hominis; quia solùm vt Filius hominis, potuit acquirere ius ad obtinendam gloriam, quam homo non habet; vt Filius autem Dei præcisè est ipsa gloria; & ideo sic non potest mereri, quia acquireret ius ad se ipsum, quod ineptè diceretur; sed non fuit Filius hominis, nisi per incarnationem, ante quam Filius hominis non erat, sed tantùm erat Filius Dei; ergo ante incarnationem non potuit illam mereri. Hac ratione vtitur *Fund. Doct.*

13 Dices. *Ps.*44. habetur: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem; propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis; & Apoc.* 5. dicitur *dignus accipere virtutẽ, & Diuinitatem*; ex quibus indicari videtur humanitatem fuisse assumptam ad Diuinitatem propter merita.

Resp. ad 1. nomine *olei lætitiæ* intelligi exaltationem nominis, quod fuit exaltatum super omne nomen participantium gloriam; non autem intelligi vnionẽ naturæ humanæ ad Diuinam, in qua nulla est comparatio cum alijs participibus, seu consortibus gloriæ; nullus enim alius assumptus est ad vnitatem personæ Diuinæ; propterea statim subditur: *Mirrha, & gutta &c*; *Mirrha* autem significat sepulturam, vt docent cõmuniter *SS. PP*; quia nomen Christi non est exaltatum, nisi post mortem, & resurrectionem suam. Sic ad 2; constat enim, quòd cętus beatorum non alludit ad futuram incarnationem, quę iam erat completa, sed ad celebritatem nominis, quod dignum est, vt cognoscatur, celebretur, & adoretur, vt Deus, ab omnibus.

14 Prob. 2. pars concl. *eodem textu*, & ijsdem rationibus. 1. Implicat per quancunque potentiam, quòd summa, pura, & prima gratia, quæ est fons, & origo omnium gratiarum, reddatur meritis; sed incarnatio est huiusmodi; ergo implicat, quòd per quancunque potentiam incarnatio reddatur meritis; & ideo, quòd Christus in priori naturæ illam mereri poterit. Ma. probata est. Additur. In tantùm gloria, quæ gratia est, redditur meritis; in quantùm habet rationem coronæ, mercedis, & præmij correspondentis meritis, quæ pariter gratię sunt, vt reddatur *gratia pro gratia*, vt dicitur *Io.* 1; sed implicat summam, puram, & primam gratiam, quæ est fons, & origo omnium gratiarum, reddi alteri gratiæ; aliter non esset summa, quia supra se haberet aliam gratiam; non esset pura gratia; quia gloria, prout redditur meritis, iustitia est; vt ait *Apost*; non esset prima, fons, & origo, quia aliam supponeret; ergo implicat per quancunque potentiam, quòd summa, pura, & prima gratia, quæ est fons, & origo omniũ gratiarum, reddatur meritis. Mi. quoque probata est. Additur, quòd *Io.* 1. dicitur: *De plenitudine eius nos omnes accepimus*; plenum autem, summum, purum, primum, fons, & omnium origo idem est. Hæc ratio probat nullum potuisse mereri incarnationem secundùm substantiam, vt *in seq. ar.* 2. Vel natura humana in illo priori intelligeretur, vt terminata à supposito Verbi; vel non? Si primum; ergo iam esset actu incarnatio, & ideo non posset illam mereri; vt *inf.* dicemus. Si secundum; ergo illa non esset natura humana Christi Domini potiùs, quàm suppositi proprij creati; ergo non diceretur, quòd Christus per illam meruerit. 3. Christus non potuit mereri, nisi in natura assumpta; quia non potuit mereri, nisi vt filius hominis, & vt *nobis datus*; sed in illo priori natura humana nõ esset assumpta; quia assumptio est ipsa incarnatio, seu vnio hipostatica, quæ non supponitur pro illo priori; ergo in illo priori Christus non potuit mereri incarnationem.

15 Præterea quod non potest operari, non potest mereri; quia meritum essentialiter importat actionem; sed natura humana Christi Domini ante vnionem hipostaticam non potuit operari; quia *operari sequitur ad esse*, & illud necessariò supponit; nihil enim magis est per se notum, quàm quòd illud, quod non habet esse in rerum natura, non possit operari; natura autem

tem humana ante vnionem hipostaticam non potuit esse in rerum natura per quancunq; Dei potentiam; quia non ponitur in rerum natura, nisi per existentiam, existentia autem substantię non distinguitur à subsistentia, vt diximus *q. 1. art. 8. num. 5; & to. 1. de subst. Dei q. 2. art. 8. §. 1;* & ideo quia natura humana ante vnionem hipostaticam non habebat existentiam, & subsistentiam creatam, aliter fuisset terminata per personalitatem creatam, ex essentia nanque, & existentia fit suppositum creatum; neque habebat existentiam, & subsistentiam increatam, quia huic vnitur tantùm per vnionem hipostaticam, necessariò sequitur, quòd non esset in rerum natura, quia non habebat in se id, per quod ponitur à parte rei, quod est existentia; ergo natura humana ante vnionem hipostaticam non potuit mereri.

16 Dices. Accidens potest conseruari à Deo sine existentia substantiali; vt patet *in Sacramento Altaris*; ergo à pari.

Resp. dist. cons. Natura humana potest à Deo conseruari per modum subsistentiæ effectiuè causatum in illa, sicut conseruantur accidentia, & per hoc fieret natura humana Christi assumpta à Verbo, neg; accidentia enim conseruata à Deo non sunt assumpta, & non esset natura Christi assumpta à Verbo, transeat; sic enim non mereretur natura Christi, sed natura humana præcisè habens illum modum sine vlla suppositalitate; non enim fit Christi natura, nisi per assumptionem eiusdem naturæ ad Diuini Verbi personam.

17 Tandem materia in priori naturæ ad formam non est sine vnione ad formam; prioritas enim naturæ importat coexistentiam durationis, & tantùm dicit ordinem causalitatis; quòd scilicet vnum sit causa alterius, non quidem in actu signato, sed in exercito; in exercitio autem materia causans formam importat vnionem cum forma; materia enim in illo priori intelligitur causare formam, quia recipit formam, receptio autem formæ dicit vnionē cum forma, quia quandiu forma non est vnita, non recipitur; ergo natura humana in illo priori naturæ, in quo intelligitur assumi à supposito Diuino, dicit vnionem cum supposito Diuino, & ideo nequit habere opera antecedentia vnionem hipostaticam. Similiter materia in priori naturæ ad formam existit per existentiam formæ; aliter vel non existeret simpliciter, & sic non posset illā recipere, vel existeret per aliam existentiam distinctam ab existentia formæ; & sic naturaliter existeret sine forma, quia naturaliter pro illo priori est causa formę, & sic nedū esset prior prioritate naturæ, sed etiam prioritate durationis, licèt instantaneæ; ergo à pari natura humana pro illo priori naturæ existit per existentiam Verbi Diuini, & per consequens est vnita Verbo Diuino.

18 Prob. 3. pars concl. 1. *Principium meriti nequit cadere sub merito* etiā Diuinitus; sed vnio hipostatica est principiū operis meritorij Christi Domini subsequentis ad illam; ergo nequit cadere sub merito, idèst nequit esse terminus ab illo promeritus. Ma. probata est *to. 4. q. 5. de Merito art. 4; & to. 2. de præd. SS. c. 3. art. 1; & 2;* nam principium meriti est causa efficiēs illius; & meritum est causa efficiens illius, quod meremur; vt diximus *to. 4. de Act. hum. q. 5. ar. 1. §. 2. num. 41;* implicat autem, quòd causa efficiens in genere causæ efficientis sit effectus sui effectus; vt pater, quòd producatur à filio; ergo implicat etiam Diuinitus, quòd principium meriti sit effectus meriti, & ideo quòd cadat sub merito, tanquam effectus illius. Mi. est certa; nam incarnatio est opus infiniti valoris, quod exigit principium *quod* infinitum; hoc autem nequit esse, nisi suppositum Diuinum hipostaticè vnitum naturæ humanæ. 2. Implicat, quòd in eodem subiecto sint duæ relationes oppositæ respectu eiusdem termini correlatiui, vt in eodem homine filiatio, & paternitas respectu eiusdem hominis; sic enim simul esset pater, & filius eiusdem; ergo implicat, quòd in eadem actione meritoria Christi Domini sit relatio effectus, & causæ ad eandem vnionēm hipostaticam; non enim hæ duæ relationes minùs opponuntur, quàm paternitas, & filiatio. 3. In tantùm miles potest mereri arma sibi à Rege gratis donata; in quantùm illud meritum non est ab armis, vt à principio formali merendi, sed à fortitudine, & prudentia; at meritum Christi est ab vnione hipostatica, vt à principio effectiuo; ergo non potest illud mereri; & sic euertitur instantia *Aduersariorum*. 4. Si Christus per opera subsequentia potuisset incarnationem mereri, potuisset incarnatio fieri ilii debita ex iustitia; ex iustitia enim merito præmium debetur; sed implicat, quòd incarnatio fiat debita Christo ex iustitia; nam implicat, quòd opus summæ misericordiæ, & gratiæ simpliciter fiat formaliter opus iustitiæ, vt *sup.* dictum est; ergo implicat Christum potuisse per opera subsequentia mereri incarnationem. 5. Si Christus potuisset mereri incarnationem, illam profectò meruisset de condigno; æqualis enim valoris infiniti essent opera, ac incarnatio; & ideo incarnatio esset prēmium operibus Christi condignum; quia meritum æquale est condignum; sed non potuit mereri de condigno incarnationē, nisi per vnionem hipostaticam formaliter, tanquam per principium *quod* ipsius meriti; quia illam non potuit sic mereri, nisi vt Filius Dei, & hominis; vt Filius Dei enim solùm potest dare valorem infinitum actioni; & vt filius hominis tantùm, potest elicere actionem meritoriam; Filius autem Dei, & hominis formaliter dicit vnionem hipostaticam, seu vnionem naturæ humanę in vnitatem hipostasis Diuinæ;

uinæ; ergo non potuit mereri vnionem hipostaticam, quia impossibile est, quòd principium formale merendi sit formaliter terminus ipsius meriti; aliter idem posset mereri se ipsum; & sic nulla esset ratio, cur idem non posset se ipsum efficienter producere.

19 Obijc. 1. cont. 2. part. concl. Actus supernaturalis procedens à gratia habituali, vt proprietas disponens ad eandem gratiam habitualem, illam præcedit prioritate naturæ, eamque meretur saltem de congruo; vt dictum est *to. 3. de Ang. q. 8. ar. 3; et tom. 4. de Grat. q. 3. art. 3*; ergo potuit Deus de potentia absoluta tribuere naturæ humanæ per modum dispositionis gratiam habitualem, quam de facto tribuit per modum proprietatis fluentis ab vnione hipostatica; & in tali casu natura humana in priori naturæ ad vnionem hipostaticam potuisset illam mereri.

Resp. arg. nimis probare; probat enim, quòd sicut de facto dispositio præcedit gratiam habitualem, ita vnionem hipostaticam dispositio deberet de facto præcedere. Disparitas ergo est; quòd gratia habitualis est principium solius meriti de condigno, non autem de congruo; quia meritum de congruo potest haberi etiam per gratiam actualem; congruum enim est, quòd Deus peccatori per gratiam actualem quærenti maius auxilium, illud tribuat; at verò vnio hipostatica est principium simpliciter omnis gratiæ conferendæ naturæ humanæ post lapsum; ideo repugnat, quòd aliqua gratia eam præcedat. 2. Gratia habitualis supponit existentem naturam, ideo illam supponit potentem operari, si ei tribuatur auxilium supernaturale; at vnio hipostatica non supponit naturam existentem, cùm existentiam ei tribuat; & quia non existentium nulla potest esse operatio, ideo nullum meritũ, quod essentialiter est operatio, potest illam præcedere, ac ad illam disponere.

20 Obijc. 2. *Sua.* cont. 3. part. concl. Merita Christi præuisa à Deo, vt futura, potuerunt mouere Deum ad decernendam executionem incarnationis; ergo potuit Christus mereri executionem illius; sicut enim ideo Christus meruit gratiam antiquis iustis; quia Deus præuidit eius merita, vt futura; ita à pari. Prob. ant. Deus duplex habuit decretum incarnationis; aliud intentiuum, quo incarnationem intendit; & in hoc decreto potuit Deus præuidere merita Christi, vt futura; aliud executiuum, quo illam exequi voluit; & huius executionis potuerunt merita Christi præuisa, vt futura, in decreto intentiuo esse causa meritoria; ergo merita Christi præuisa, vt futura, potuerunt mouere Deum ad decernendam executionem incarnationis. Sicut enim in decreto intentiuo prædestinationis hominum possunt præuideri merita, vt causa executionis ipsius prædestinationis; ita à pari.

Resp. neg. ant. Ad prob. neg. ant; quia incarnatio non differt ab eius executione; ex eo nanque, quòd Deus efficaciter intendit incarnationem, illam exequi decreuit; in tantùm enim inter decretum intentiuũ, & executiuum prædestinationis hominum possunt præuideri merita media inter intentionem, & executionem prædestinationis; in quantùm homo efficaciter intentus potest existere à parte rei, & elicere operationes, antequam gloriam consequatur; ideo illa merita possunt præuideri ante actualem consecutionem gloriæ. At Christus, antequam incarnaretur, non potuit existere in rerum natura, & per consequens nequiuit habere operationes ante actualẽ incarnationem, quia non existentium nulla est operatio; ideo non potuerunt merita Christi præuideri, vt futura, ante decretum executiuum incarnationis. Imò ita se habet decretum intentiuum, & executiuum incarnationis Christi Domini; sicut decretum intentiuum, & executiuum creationis hominis; sicut enim homo per creationem acquirit esse in rerum natura; ita Christus per incarnationem esse acquisiuit; ergo sicuti non potuit à Deo præuideri operatio hominis media inter decretum intentiuum, & executiuum existentiæ hominis: quia præuideretur operatio esse ante existentiam, quod repugnat; ita à pari. Igitur merita hominis verè præuidentur, vt futura, ante actualem consecutionem prædestinationis; quia merita hominis verè sunt actualiter futura, antequam homo consequatur gloriam; at verò merita Christi non sunt in re verè futura, quia non fuerunt, antequam Verbum actualiter incarnaretur; ergo falsò præuiderentur, vt futura, ante decretum executiuum incarnationis.

21 Obijc. 3. *noster Bernardin.* Quamuis causæ finitæ non possint esse inuicem causæ, quia exigunt existentiam ad causandum, non tamen causæ infinitæ; nam meritum Christi, quia est infinitum, ideo potuit causare gratiam in antiquis iustis, etiam antequam Christus esset à parte rei; ergo per opera subsequentia potuit Christus mereri incarnationem.

Resp. neg. ant. Ad prob. dicitur, quòd meritum Christi, quia infinitum, debuit extendi ad omnes homines, qui fuerunt, sunt, & erunt. Non fuit autem necesse ipsum existere à parte rei, quando extensum est ad aliquos homines, vt constat de antiquis iustis; sed satis fuit, quòd extiterit in esse obiectiuo præuisum, vt futurum, à Deo; quia causa moralis mouet secundùm esse apprehensum; ideo sufficit, quòd habeat esse apprehensum; ergo sicuti non potuit Deus cognoscere gratiam antiquorum iustorũ, nisi cognouerit merita Christi, quæ illius gratię fuerunt causa meritoria; ita non potuit cognoscere merita Christi, nisi cognoscendo vnionem hipostaticam, vt causam ipsorum meritorum.

22 Obijc.

22 Obijc. 4. Quanuis merita Christi non potuerint cognosci, vt remuneranda per incarnationem per modum præmij; attamen potuerunt cognosci, vt pretium futurum ipsius incarnationis; sicut enim mercator dat merces in spe pretij futuri; ita potuit Deus ab æterno cognoscere per scientiam mediam, quòd si dedisset humanitati vnionem hipostaticam, ab illa exegisset plurima obsequia, & opera sibi grata in pretium illius vnionis; & ideo poterat ita decernere; ergo tunc potuisset Christus per opera subsequentia incarnationem mereri.

Resp. neg. ant. Ad prob. infert. dicitur, quòd mercator dat merces, ex quibus sperat pretium recipere; quia talis contractus est actus iustitiæ commutatiuæ; at incarnatio est opus misericordiæ, cui non retribuitur; vt ait *S. P. Aug. de præd. SS. c. 15. Neque retributa est ista generatio, sed tributa.* Nec præcognouit Dei merita ipsius futura antecedenter ad decretum incarnationis per scientiam mediam antecedentem decretum efficax futuritionis ipsorum meritorum, & ipsius incarnationis; merita enim antecedenter ad hoc decretum erant merè possibilia, non futura; & ideo non poterant mouere Deum ad decernendam incarnationem; quia merita possibilia sunt indifferentia ad esse, & non esse; ideo absolutè non sunt; vt docet *S. P. Aug. de præd. SS. cap. 12. Facillimum est perceptu merita, quæ non sunt absolutè futura, nulla esse merita.* Sed de hoc fusè diximus *to. 2. de scient. Dei q. 4.*

23 Obijc. 5. Deus præuidit merita Christi, antequam actu incarnaretur; merita enim vidit ab æterno in suo decreto; & incarnatio actu fuit in tempore; ergo potuit velle incarnationem actuali executioni mandare intuitu meritorum præuisorum; merita enim præuisa antecedunt actualem executionem incarnationis. 2. Deus voluit dare gloriam, vt præmium, prædestinatis ante præuisa merita; & postea voluit per merita gloriam executioni mandare; ergo potuit decernere incarnationem, vt præmium, ante præuisa Christi merita; & postea velle illam per merita executioni mandare.

Resp. dist. ant. Præuidit merita, vt effectum incarnationis, conc; vt causam, neg. ant; & cons; quia merita, cùm fuerint præuisa, vt effectus futurus incarnationis futuræ, non potuerunt actu esse causa incarnationis actualis. Ad 2. iam dictum est *sup.* ad 2; neg. enim cons; nam gloriæ executio non est principium formale elicitiuum meritorum, sed est effectus illorum; at incarnatio est principium formale meritorum Christi, non effectus, vt constat.

24 Inst. merita antiquorum iustorum sunt effectus incarnationis, & tamen potuerunt illam mereri etiam quoad substantiam; ergo licèt merita Christi sint effectus incarnationis; attamen potuerunt illam mereri.

Resp. neg. ant; vt *in seq.* §. dicemus. Et omisso ant. neg. cons; nam merita iustorum antiquorum fuerunt effectus incarnationis futuræ; saluati enim sunt in fide Christi venturi; & ideo quia potuit meritum iustorum actu existere ante actualem incarnationem, ideo potuit ex hoc capite illam mereri; quanuis ex alio capite non potuerit, vt *infra*. At merita Christi non potuerunt actualiter existere ante actualem existentiam incarnationis, vt dictum est; ideo non est paritas.

25 Obijc. 6. Idem potest esse principium, & terminus operis impetratorij; vt gratia habitualis est principium actus contritionis, & est terminus impetratus ab illa; ergo idem poterit esse principium, & terminus meriti.

Resp. neg. ant. Ad prob. dicitur, quòd licèt gratia habitualis possit impetratoriè mereri alteri gratiam habitualem, quæ distinguitur numero, non tamen potest mereri se ipsam; vt diximus *to. 4. de Grat. quæst. 5. art. 3*; nam vt docet *S. P. Aug. epist. 107. ad Vital*; in hoc distinguitur oratio à gratiarum actione; quòd oratio est de eo, quod non habemus; gratiarum actio autem est de eo, quod iam recepimus; impetratio autem fit per orationem, vt constat. Actus ergo contritionis est dispositio naturaliter inuehens habitum charitatis; & habitus charitatis est dispositio ad gratiam habitualem, vt diximus *vbi sup. quæst. 4. art. 2. & 4*; ergo non impetrat, quia impetratio est tantùm ex gratia, non ex naturali sequela.

26 Collig. 1. *cont. nostrum Bernardin; & Sua.* ex dictis Christum non meruisse continuationem incarnationis; quia continuatio rei non distinguitur realiter ab ipsa, cùm sit tantùm modus ipsius; illud autem, quod cadit sub merito, debet realiter distingui, vt vsque nunc diximus.

27 Collig. 2. Christum non meruisse maternitatem, nec alias circunstantias antecedentes, vel concomitantes incarnationem; sed tantùm meruisse circunstantias subsequentes, vt exaltationem sui nominis, clarificationem, reunionem animæ, & corporis &c. Prob. rationibus allatis, quia meritum debet præcedere præmium, cuius est causa; sed meritum Christi non præcessit maternitatem, aliasque circunstantias antecedentes, vt constat; præcessit autem alias circunstantias subsequentes; ergo Christus meruit tantùm istas, non illas.

28 Dices. Meritum B. Virginis cadit sub merito Christi; quia Christus est causa meritoria omnium gratiarum; sed B. Virgo meruit maternitatis dignitatem; ergo & Christus; nam *quod est causa causæ, est causa causati.*

Resp. dist. ma. Meritum B. Virginis, vt est effectus, cadit sub merito Christi, conc; est enim effectus gratiæ habitæ per Christum; vt est causa, neg. Meruit ergo B. Virgo dignitatem maternitatis de congruo, quia pro aliquo tempore

fuit

fuit Virgo, non mater; & pro isto tempore summè meruit; & ideo attenta Diuina magnificentia, ac liberalitate congruum fuit, vt ei gratia maternitatis conferretur. Illud autem axioma: *Quod est causa causæ &c*: intelligitur, quoties causatum distinguitur, & consequitur ad causam causæ; nam materia est causa formæ; & forma est causa materiæ; non tamen materia est causa sui; quia realiter non distinguitur, nec est posterior se ipsa. Igitur Christus Dominus est causa gratiæ, & meritorum B. Virginis; & B. Virgo est causa meritoria maternitatis; non tamen sequitur Christum Dominum esse causam meritoriam maternitatis, quia maternitas supponitur ad Christum, & per consequens ad merita Christi.

29 Collig. 3. non potuisse mereri suam gratiam habitualem, & gloriam essentialem. *Est cont. Altisiodor; Rubion. in 3. dist. 12. quæst. 1. art. 2. concl. 4; Maior. q. 1; Bassol; & alios* differentes de facto illas meruisse; *& cont. nostrum Gibb. hìc disput. 21. dub. 6; Gonet, & alios* tenentes hoc non repugnare de potentia Dei absoluta. Traditur tamen *à Nazar; Med; Io. à S. Tho; & alijs*. Prob. 1. *ex Fund. Doct. dist. 5. par. 1. q. 1. art. 1. resolut. 1. dub. lat. §. Prima via* docente. *Illa vnio creaturæ ad Deum est maior, quæ continet alias uniones, & quæ non potest esse sine omnibus alijs vnionibus creaturæ ad Deum*; & enumeratis vnionibus per essentiam, præsentiam, potentiam; & per gratiam habitualem in via, nec non per gloriam in patria, concludit: *Sexta ergo vnio, quæ est per vnionem personalem, quæ competit soli homini Christo, est maxima secundùm continentiam, & inclusionem, quia continet, & includit alias vniones*; sine quibus non potest non esse; vt *sup.* dixerat. Arguitur autem sic. Illud, quod essentialiter, necessariò, & naturaliter competit alicui, nequit cadere sub merito illius; quia meritum essentialiter est de eo, quod liberè competit; vt homo nequit mereri suas proprietates naturales, quia naturaliter ei competunt; *in naturalibus enim neq; meremur, neq; demeremur*; sed gratia, & gloria essentialis necessariò competunt gratiæ vnionis, sunt enim proprietates naturales illius; vt *inf.* dicemus *q. 7. art. 2. §. 1*; ergo illas non potuit Christus mereri. 2. Quoties vnum includitur essentialiter in alio, tunc qui nequit mereri includens, nequit mereri inclusum; vt quia amicitia connectitur cum gratia habituali, qui nequit mereri gratiam, nequit mereri amicitiam; sed gratia, & gloria includuntur, & connectuntur cum gratia vnionis; ergo si Christus non potuit mereri istam, nec illas. 3. Gratia habitualis est principium formale merendi, vt *quo*, sicut gratia vnionis est principium merendi, *vt quod*; sed principium meriti nequit cadere sub merito; ergo idem. 4. Gratia habitualis Christi est gratia consummata, est enim perfectissima, quia plenissima; & gratia consummata nequit mereri se ipsam, aut gloriam, quæ est idem cum ipsa; aliter beati in gratia possent mereri; ergo idem. 5. Christus essentialiter est mediator Dei, & hominum; sed medium debet participare naturam extremorum; ergo Christus essentialiter debuit participare naturam Dei, & hominum; atqui Deus ex natura sua est Sanctus, & comprehensor; & homines ex natura sua sunt viatores; ergo Christus essentialiter debuit esse Sanctus, & comprehensor secundùm partem superiorem, quod non potuit esse sine gratia habituali, & gloria; & secundùm partem inferiorem debuit esse viator.

30 Dices. 1. *Fund. Doct. Quodlib. 5. q. 4.* ait Christum potuisse assumere naturam rationalem non fruentem Deo; ergo in illo casu potuisset illam mereri; tunc enim actus meritorius elicitus à gratia habituali præcederet gloriam. 2. *Isaiæ* 51. de Christo dicitur: *Pro eo, quòd laborauit anima eius, videbit, & saturabitur*; sed nomine *laboris* significatur actus meritorius; & nomine visionis, & satietatis significatur gloria; ergo saltem meruit gloriam essentialem. 3. Magis gloriosum est obtinere gloriam titulo hæreditatis, & meriti simul, quàm solo titulo hæreditatis; ergo idem. 4. Potuisset Deus non conferre gratiam, & gloriam Christo in primo instanti conceptionis.

Resp. ad 1. *Fund. Doct.* asserere, quòd pro eo tunc ei non occurrebat, quomodò non potuisset Verbum assumere creaturam rationalem non fruentē Deo, cùm in triduo remanserit vnitum corpori mortuo, quòd non fruebatur Deo, quia est incapax fruendi Deo; fruitio enim est actus vitalis, qui repugnat corpori mortuo. Occurrit autem ei postea, cùm scriberet secundum, & tertium *librum Sententiarum*, quos scripsit *post Quodlibeta*; vt colligitur *ex Quodlib. 4. q. 17*; vbi ait: *Sed de hoc in opere, quod intendimus facere Domino concedente super 2. sentent.* Ad 2. dicitur nomine *visionis, & saturitatis* intelligi visionem, & desiderij satietatem conuersionis gentium, non gloriam; ait enim antecedenter: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* Ad 3. dist. ant. Ijs, quibus competit gloria merè gratuitò, conc; hinc minorem gloriam habent paruuli, qui possident gloriam titulo tantùm hæreditatis, non meriti proprij; quàm adulti, qui illam vtroque titulo possident; ijs, quibus competit naturaliter, neg; aliter Deus, cui competit gloria ex natura, non ex merito, minùs esset gloriosus, quàm creatura, quæ illam ex meritis obtinet. Ad 4. neg. ant; quia gratia vnionis essentialiter includit omnem gratiæ plenitudinem.

§. II.

§. II.

An SS. PP. antiquæ Legis meruerint Incarnationem?

29 DIximus *num.* 2. Incarnationem posse considerari secundùm substantiam, scilicet prout dicit assumptionem naturæ humanæ in vnitatem Diuinæ personæ; & secundùm circunstantias, quæ consequuntur ipsam substantiam incarnationis. Triplex autem circunstantia, prout spectat ad præsens, assignatur *à Fund. Doct. vbi sup.* §. *Habuit*; scilicet circunstantia *temporis, generis, & personæ*. Circunstantia *temporis* est, quia fuit facta in plenitudine temporis, non in principio, vel in fine temporum. Circunstantia *generis*, quia fuit facta de stirpe *Dauid* ex semine *Abrahæ* ex gente *Hebręorum*, non *Gentilium*. Circunstantia *personę*, quia fuit facta ex hac fęmina, scilicet Virgine Maria, non ex alia.

30 Prima sententia vult antiquos iustos de condigno meruisse substantiam incarnationis, non quoad effectum primarium, qui est iustificatio animarum, sed quoad secundarium, qui est apertio Regni Cęlorum. Refertur *à Gonet D. Bon. hìc dist.* 3. *art.* 2. *q.* 3. *Med.* autem hoc tenet de potentia Dei absoluta.

31 Secunda vult meruisse solùm de congruo substantiam, & circunstantias incarnationis. *Ita Sot. in* 4. *dist.* 2. *q.* 1. *Caiet; Med; Gabr. Aluar; Gonet disp.* 7. *art.* 6. *Sua; Gran; Tan; & alij.*

32 Tertia docet non meruisse de congruo substantiam incarnationis, sed tantùm circunstantias. *Ita Fund. Doct. Aeg. vbi sup; noster Gibb. hìc disp.* 6. *dub.* 2; apud quem *Bernardin; & omnes alij ex nostris. Ex alijs D. Bon. hìc dist.* 3. *artic.* 2. *q.* 2; *Marsil. ibid. q.* 5. *art.* 1; *&* 3; *Scot. in* 4. *dist.* 2. *q.* 1; *Vasq. disp.* 22. *c.* 4; *Lorc. disp.* 21; *Lug. disp.* 8. *sect.* 4. *n.* 31; *& alij.*

33 Certum est *apud omnes*, quòd *SS. PP. antiqui* non meruerunt de condigno incarnationem secundùm substantiam; quia condignitas meriti importat æqualem valorem cum præmio; nullum enim meritum creatum potest habere eundem valorem, ac incarnatio, quæ cùm sit ordinis hipostatici, importat aliquod altius ordine, quàm sit quæcunque actio supernaturalis creaturæ; nam actio creaturæ est simpliciter, & purè creata; incarnatio autem includit personam increatam simpliciter infinitam. Tum quia meritum de condigno importat æqualem dignitatem cum præmio, vt patet ex vocabulo *condigno*; sonat enim æquatam dignitatem vnius cum dignitate alterius; sed merita antiquorum iustorum non habuerunt dignitatem æqualem cum dignitate incarnationis; quia illa sumebantur à persona creata, quę habet dignitatem finitam; ista desumitur à persona increata, quæ est infinitè digna; ergo non potuerunt de condigno mereri incarnationem secundùm substantiam.

34 Dices 1. Diuinam promissionem, aut ordinationem potuisse supplere valorem meriti; Deus enim acciperet aliquod, cui promisit retribuere tale præmium ex iustitia. 2. Non meruisse effectum primarium, sed secundarium incarnationis, qui est reseratio ianuæ Cęlorum per Christum; ante quem nullus potuit ingredi Regnum Cęlorum iuxta *Psal.* 23. *Attollite portas, Principes, vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex glorię.*

Sed cont. 1. est. Quod est ex promissione, & ordinatione, est ex fidelitate, non ex iustitia; vnde negans aliquod promissum, & ordinatum non dicitur iniustus, sed infidelis; ergo Diuina promissio, aut ordinatio nequit facere, vt merita habeant condignitatem valoris ex iustitia. Cont. 2. est. Reseratio Regni Cęlorum est summum bonum commune toti generi humano excluso per peccatum originale; ergo ex iustitia debetur soli Redemptori totius generis humani generaliter pro peccato generis humani satisfacienti; sed implicat, quòd homines particulares sint Redemptores totius generis humani; quia implicat, quòd merita hominum, quæ essentialiter sunt particularia, & limitata, procedunt enim à persona finita, & limitata, possint mereri præmium omnibus commune, & pro culpa communi satisfacere; ergo implicat, quòd potuerint mereri de condigno incarnationem; quo reiecta manet opinio *Medinæ*. Quanuis ergo quilibet iustus possit mereri ingressum personæ particularis in Regnum Cęlorum, nõ tamen ingressum vniuersalem omnium.

35 Vnica concl. Iusti antiquæ legis non meruerunt substantiam incarnationis de congruo, sed tantùm circunstantias extrinsecas.

Prob. 1. pars concl. *Ad Tit.* 3. habetur: *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos; sed secundùm misericordiam suam saluos nos fecit*; ex *Cant. Zach; quod resumitur Luc.* 2; *Per viscera misericordiæ Dei, in quibus visitauit nos oriens ex alto*; *& Io.* 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*; *& Ephes.* 1. *Propter nimiam charitatem, qua Dilexit nos Deus &c.* Propter quæ testimonia *S. P. Aug. de pręd. SS. c.* 15. ait: *Neque retributa est ista generatio, sed tributa*; *& serm.* 9. *de Temp. Deus factus est homo per misericordiam*; quòd continuò repetit. Ex quibus sic arguebatur *in sup.* §. *à n.* 12. vsque *ad* 15. Retribui ex condecentia iustitiæ repugnat incarnationi secundùm substantiam: sed antiqui iusti potuerunt mereri de congruo solùm id, quod poterat eis retribui ex condecentia iustitiæ; ergo antiqui iusti non potuerunt mereri de congruo incarnationem secundùm substantiam. Prob. ma. Operi summæ, & meræ misericordiæ simpliciter repugnat retribui ex condecentia iustitiæ; illud enim, quod retribuitur ex iustitia, non est merum opus misericordiæ, quia

non est secundùm omnem rationem effectus misericordiæ, cùm sit secundùm aliquam congruitatem opus iustitiæ; sed incarnatio secundùm substantiam est opus summæ, & meræ misericordiæ simpliciter; Vt colligitur *ex allatis testimonijs*; ergo incarnationi secundùm substantiam repugnat retribui ex condecentia iustitiæ. Ma. constat; quia sicut illud solùm potuerunt mereri ex condignitate iustitiæ, quod potuit retribui ex stricto iure, & debito iustitiæ; ita illud solùm potuerunt mereri ex congruitate iustitiæ, quod ex condecentia iustitiæ potuit eis retribui. *Vid. in sup.* §. *vbi sup.*

36 Conf. Meritum de congruo non accipitur *hic*, prout dicit congruitatem fundatam, & se tenentem ex parte meræ misericordiæ sine vllo iure, & debito ex parte operis meritorij; sed prout dicit congruitatem fundatam in amicitia, & in aliquo opere grato facto ab amico; amicitia enim, cùm sit pars potentialis iustitiæ, fundat aliquod ius, quanuis non strictum, & debitum retribuendi; vt ait *Gonet vbi sup. in 3. not*; sed incarnatio secundùm substantiam est donum tributum ex mera misericordia, vt loquuntur *Scripturæ*; ergo nequit esse aliquod retributum ex condecentia, seu congruitate iustitiæ. Atqui implicat in terminis dicere, quòd antiqui iusti meruerint de congruo iustitiæ aliquod tributum ex mera misericordia; quia merito ex iustitia correspondet præmium ex iustitia; ergo implicat, quòd antiqui iusti meruerint de congruo incarnationem secundùm substantiam.

37 Prob. 2. *ex Fund. Doct.* triplici ratione. 1. Nulli merito finito, & limitato debetur de congruo incarnatio secundùm substantiam; sed antiqui iusti habuerũt meritum finitum, & limitatum; ergo antiqui iusti non potuerunt habere meritũ, cui deberetur de congruo incarnatio secundùm substantiam. Prob. ma. Incarnatio secundùm substantiam importat aliquod infinitum simpliciter; importat enim personam Verbi, quæ est simpliciter infinita; tum quia incarnatio secundùm substantiã importat aliquod, per quod redempta est tota natura humana à peccato; redemptio autem à peccato non potuit fieri, nisi per aliquod infinitum; quia per ipsam debuit satisfieri offensæ Dei infiniti; ideo incarnatio importat aliquod infinitum; sed nulli merito finito debetur de congruo pręmiũ infinitum; quia finito non congruit, nisi finitum; sicut infinito congruit solùm infinitum, non finitum; ergo nulli merito finito debetur de congruo incarnatio secundùm substantiam.

38 2. Si antiqui iusti potuissent mereri de congruo incarnationem secundùm substantiam, principium meriti potuisset cadere sub merito; sed conf. est falsum; ergo & ant. Ma. constat; nam incarnatio secundùm substantiam est principium omnis meriti, & per consequens etiam meriti antiquorum iustorum; quia *de plenitudine eius accepimus Io.* 3; hinc omnes antiqui iusti saluati sunt in fide Christi venturi; ait enim *S. P. Aug.* 8. *de Ciu. Dei cap.* 47. *Nulli concessum est pertinere ad spiritualem Ierusalem, cui non fuerit reuelatus Christus*; vt probatum est *to.* 4. *de fide q.* 2. *art.* 3; sed illud, quod meremur, cadit sub merito; quia cadere sub merito est esse terminum meriti; illud autem, quod meremur, est terminus meriti; ergo principium meriti caderet sub merito. Prob. mi. Implicat idem secundùm idem esse principium, & terminum; causam, & effectum; sed cadere sub merito est esse terminum, & effectum meriti; ergo implicat principium meriti cadere sub merito.

39 3. Operari supra modum essentialem suæ naturæ repugnat cuilibet homini; quia operari sequitur ad esse, tanquam effectus illius; implicat autem, quòd effectus suã causam excedat, sitq; illa nobilior; sed mereri de congruo incarnationẽ secundùm substantiam est operari supra modum essentialem nedum naturalẽ, sed etiam obedientialem cuiuslibet naturæ creatæ; quia natura purè creata non habet esse Diuinum formaliter simpliciter; aliter esset Deus formaliter, quod repugnat; quanuis enim natura creata possit assumi in vnitatem naturæ Diuinæ; attamen repugnat, quòd natura sic assumpta sit pura creatura, aliter persona Diuina fieret creatura; incarnatio autem importat esse personale Diuinum formaliter; ergo mereri de congruo incarnationem secundùm substantiam repugnat cuilibet homini puro.

40 Conf. Implicat, quòd aliquod meritum mereatur se ipsum; sed antiqui iusti merendo incarnationem secundùm substantiam meruissent suum meritum; ergo implicat antiquos iustos meruisse incarnationem secundùm substantiam. Ma. claret; quia inter meritum, & terminum meriti intercedit causalitas; idem autem nequit causare se ipsum. Prob. mi. Quod meretur aliquod secundùm substantiam, meretur etiam omnes effectus procedentes ab illa substantia; vt qui meretur gloriam, meretur quoque gaudium, delectationem, immortalitatem corporis, & cęteros effectus prouenientes à gloria; sed meritum antiquorum iustorum est effectus proueniens ab incarnatione secundùm substantiam; ergo meritum antiquorum iustorum merendo incarnationem secundùm substantiam meruisset se ipsum.

41 Ex hoc sequitur, quòd antiqui iusti meruissent sibi primam gratiam, primam vocationem, suam prædestinationem, vno verbo omnia sua dona supernaturalia; quia hæc omnia sunt effectus incarnationis secundùm substantiam; sicque prædestinatio antiquorum iustorum esset ante præuisa merita ipsorum, quod non concedunt *aliqui ex Aduersarijs*.

42 Resp. *Gonet.* 1. principium formalẽ intrin-

trinsecum meriti non posse cadere sub merito; bene tamen principium extrinsecum; vnde Christus non potuit mereri incarnationem, quia vnio hipostatica erat principium intrinsecum Christo; antiqui tamen iusti potuerunt mereri incarnationem, quia incarnatio fuit principium tantùm extrinsecum efficiens meritorium meritorum antiquorum iustorum. 2. Hoc esse discrimen inter meritum de congruo, & de condigno; quòd meritum de congruo, cùm non inducat strictum ius, non est causa efficiens moralis illius, quod meretur, sed tantùm dispositiua, & materialis; meritum verò de condigno, cùm inducat strictum ius, est vera causa efficiens moralis; vnde non implicat, quòd Christus meruerit de condigno antiquis iustis merita ipsorum efficienter moraliter; & antiqui iusti dispositiuè, & materialiter meruerint incarnationem; quia in diuerso genere causæ potest dari mutua causalitas.

43 Resp. hæc duo eufugia esse apertissimè falsa. Contra primum est. Nihil est manifestius in rerum natura, quàm quòd effectus à causa efficiente productus non queat suam causam producere; siue causa sit intrinseca, siue extrinseca; non minùs enim filius potest producere patrem, qui est causa eius extrinseca, quàm visio non possit producere potentiam visiuam, quę est causa intrinseca illius; sed cadere sub merito est produci efficienter moraliter à merito; ergo sub merito nequit cadere principium siue intrinsecum, siue extrinsecum. Contra secundum est. Ita se habet meritum de condigno ad præmium de condigno conferendum, à quo specificatur; sicut meritum de congruo ad præmium conferendum de congruo, à quo pariter specificatur; sed meritum de condigno est vera causa efficiēs moralis præmij de condigno; ergo & meritum de congruo est vera causa efficiens moralis præmij de congruo conferendi. Tum quia sicut meritum de condigno mouet iustitiam ad conferendum præmium ita, vt non conferens censeatur iniustus, & ex hoc dicitur moraliter efficienter causare præmium; ita meritum de congruo mouet amicitiam, liberalitatem, & magnificentiam ad conferendum præmium ita, vt non conferens censeatur inimicus, illiberalis, & paruificus; ergo eodem modo est causa efficiens moralis seruata proportione obiecti vtriusque; causalitas enim efficiens moralis in motione causæ consistit; quæ motio verè, & propriè conuenit merito de congruo, & de condigno; sicut enim hoc verè mouet iustitiam; ita illud verè mouet amicitiam. Ratio ergo iuris stricti, & lati non tollit rationem veræ motionis, vt dictum est; ergo non tollit rationem veræ causæ efficientis; sed facit solùm meritum de congruo mouere amicitiam, quæ non fundat strictum eius, & meritum de condigno mouere iustitiam, quæ strictum eius, & debitum importat.

Mag. Frideric. Nic. Cauardi Tom. 5.

44 Prob. 2. pars concl. 1. quoad circunstantiam temporis *cont. Lorc. disp.* 22. prope finem; *Salmer. disp.* 29. *in Gal.* 4; *& Bernal disp.* 17. *sect.* 3. *cum Fund. Doct. ex illo ps.* 88. *Tu verò repulisti, & distulisti Christum tuum.* Ex quo sic: Pronior est Deus ad miserendum, quàm ad puniendum; sed propter mala opera distulit Christi incarnationem; vt diximus *q.* 2. *art.* 4; ergo propter bona opera iustorum illam accelerauit; & ideo insti antiqui accelerationem ipsius meruerunt. Item *ps.* 12. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam*; quod de aduentu Christi explicant *Interpretes*. Deinde *Dan.* 9. *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consumetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum.* Hebdomadæ autem abbreuiatæ sunt, quia anni solares facti sunt anni lunares, idest constantes ex duodecim mensibus lunaribus, qui componuntur tantùm ex viginti nouem diebus, & horis; vnde annus solaris constat ex trecentum sexaginta quinq; diebus, & horis; annus verò lunaris, seu mensium lunarium constat ex trecentum quinquaginta quatuor diebus; quapropter minor est anno solari vndecim diebus; vt docent *S. Hier. in hunc locum*; *& S.P. Aug. ep.* 80. *ad Hesich.* Itaq; Deus reducendo annos solares intuitu precum *Danielis* ad annos mensium lunarium abbreuiauit quindecim annos septuaginta hebdomades annorum; quæ constituunt quadringentos nonaginta annos lunares, qui non sunt, nisi quadringenti septuaginta quinque anni solares. Addunt *alij* precibus *S. Senis Simeonis* acceleratam esse incarnationem alijs quindecim annis; vnde volunt antiquos iustos meruisse accelerationem ferè triginta annorum. *Item Isaiæ* 54. *Rorate Cæli desuper, & nubes pluant iustum &c; &* 64. *Vtinam disrumperes Cælos, & descenderes.* Ratio est; quia circunstantia temporis non fuit principium efficiens morale meritorum antiquorum iustorum, & fuit post ipsa merita; ergo potuit eadem sub merito.

45 Hoc tamen non est ita intelligendum, vt decretum Dei de circūstantia temporis Deus mutauerit; quodlibet enim Dei decretum simpliciter immutabile est, sicut immutabilis est Deus; sed quia Deus ita decreuit abbreuiare tempus, vt redderet precibus *Danielis*, quas futuras pariter decreuerat, quindecim annos, quos protraxisset; si non fuisset decreturus has preces.

46 Quantùm ad circunstantiam generis, seu stirpis, vt nasceretur ex gente *Hebræorum* ex semine *Abrahæ*, & ex stirpe *Dauid*, habetur *Gen.* 22. *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicentur in semine tuo omnes gentes, quia obedisti voci meæ*;

ex quibus colligitur obedientiam *Abrahæ*, qua Deo iubenti, vt immolaret suum filium *Isaac*, obtemperare paratus erat, meruit, vt ex suo semine nasceretur Christus, in quo omnes gentes benedicendæ erant; & *ps.* 131. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*; ex quo deducitur Christum fuisse ei promissum de sua stirpe nasciturum, & hoc ob iuramentum factum 2. *Reg.* 7. de ædificando templo ipsi Deo.

47 Tandem circunstantia personæ, quòd scilicet incarnatio fieret in vtero Beatissimæ Virginis Mariæ, potuit cadere sub merito; quia Beatissima Virgo ob eximiam puritatem, maximam humilitatem, & excelsam sanctitatem meruit de congruo, vt de ipsa, non de alia fœmina, nasceretur Christus; docet enim *S. P. Aug. serm.* 18. *de Sanctis*: *Quæ meruisti, benedicta, Redemptorem ferre Mundi.* Quod habet etiam *Hier. ad Eustoch. de custodia virginitatis*; *& Ecclesia in Domin. inf. oct. Natiuit. in* 3. *resp.* 1. *Noct. Beata Virgo, cuius viscera meruerunt portare Dominum Christum.*

48 Obijc. *S. Tho. hic art.* 11. docet, quòd *SS. PP. meruerunt incarnationem desiderando, & petendo; congruum enim erat, vt Deus exaudiret eos, qui ei obediebant*; sed SS. PP. non desiderabant, & petebant solas circunstantias incarnationis; ergo meruerunt incarnationem secundùm substantiam. Prob. mi. *SS. PP.* suis precibus Deum sollicitabant, vt mitteret Filium suum in Mundum; *Rorate Cæli &c*; *Vtinam disrumperes Cælos &c*; sed missio in Mundum est incarnationis substantia, non circunstantia; ergo postulabant, non solas circunstantias, sed substantiam incarnationis.

Resp. *S. Thomam ibid. ad* 3. se ipsum clarè explicare; ait enim *Beatam Virginem meruisse portare Dominum omnium, non quia meruit ipsum incarnari*; mereri autem incarnationem secundùm substantiam est mereri Filium Dei incarnari, quia incarnari procul dubio importat substantiam incarnationis. *Sed quia* (subdit *S. Doct.*) *meruit ex gratia sibi data illum puritatis, & sanctitatis gradum, vt congruè possit esse Mater Dei*; maternitas autem dicit circunstantiam personæ, vt dictum est; ergo manifestè *S. Doctor* negat *SS. PP. antiquos* meruisse substantiam incarnationis, & affirmat meruisse solas circunstantias; nam Beata Virgo magis meruit, quàm alij iusti, quia habuit plus gratiæ; adeoque quod asserit de Beata Virgine, à fortiori asserit de alijs iustis. Nec *ex textu ab Aduersarijs* allato aliquid colligitur; nam meritum merè supplicatorium, & impetratorium in hoc distinguitur à merito de congruo, vt diximus *to.* 4. *q.* 5. *de Merit. ar.* 1. *nu.* 9; quòd meritum de congruo importat præmium ex condecentia iustitiæ; quia importat ius, & debitum fundatum in amicitia; iustum enim est, quòd remunerentur amici; meritum autem impetratorium nullum importat ius, aut debitum; sed ei retribuitur solùm ex gratia; ergo ex eo, quòd antiqui iusti meruerint substantiam incarnationis petendo, & supplicando, non deducitur, quòd illam meruerint ex congruitate iustitiæ, sed ex mera gratia conferendam. Dist. igitur cons. Meruerunt incarnationem secundùm substantiam merè impetratoriè, & supplicatoriè; conc; de congruo iustitiæ, neg. Vel neg. mi. Ad prob. dicitur *ex illis textibus* clarè deduci ipsos supplicasse solam accelerationem incarnationis; firmiter enim tenebant Filium Dei esse incarnandum; ergo quia illam futuram esse infallibiliter credebant, non debebant supplicare, vt futura esset, quia oratio est de eo, quod nescimus, an debeat esse futurum; sed tantùm, vt accelerаretur, quia nesciebant, an esset accelеranda, an differenda. Etenim quia resurrectio corporum v.g. est infallibiliter futura, fatuè quis oraret Deum, vt illam decerneret; quia tamen tempus resurrectionis est incertum, ideo illud oramus, desideramus, & petimus. *Vid. Fund. Doct. ad* 4.

49 Inst. Oratio meretur de congruo sui impletionem; sed *SS. PP.* orabant aduentum Christi; ergo de congruo meruerunt Christi aduentum; sed substantia incarnationis dicit aduentum Christi; ergo meruerunt substantiam incarnationis.

Resp. dist. mi. Orabant aduentum Christi quantùm ad circunstantiam temporis, nempe accelerationem, conc; quantùm ad substantiam, neg.



QVAE-

QVÆST. IV.

De causis physicis, & existentia Incarnationis.



ROGREDIMVR ad agendum de causis, quæ physicè, immediatè, & proximè ad incarnationem concurrunt; declaratis enim ijs, quæ spectant ad causam finalem intentionaliter mouentem, de causis physicis est discurrendum. Deinde de existentia incarnationis, quæ harum causarum est terminus, agemus, quo hæc terminabitur quæstio.

ART. I.

An, & quomodò B. Virgo Maria fuerit causa Incarnationis?

1 SÆpe diximus *q.* 1. solam Trinitatem Diuinarum Personarum fuisse causam principalem effectiuam incarnationis. Addimus nullam creaturam potuisse etiam de potentia Dei absoluta esse causam principalem effectiuam; quia causa principalis effectiua debet præcontinere effectum, cuius est causa; sed implicat creaturam præcontinere physicè Christum; quia implicat præcontinere naturam Diuinam, quam importat Christus simul cum humana; ergo implicat per quancunque potentiam creaturam esse causam principalem effectiuam incarnationis. Tum quia nulla creatura potest esse causa principalis effectiua gratiæ habitualis; ergo multò minùs incarnationis, quæ est altioris ordinis.

2 Dubium ergo est; an B. Virgo fuerit, vel potuerit esse de potentia Dei absoluta causa instrumentalis physica incarnationis; ex cuius resolutione constabit, quomodò ad incarnationem concurrerit?

3 Prima sententia vult B. Virginem de facto fuisse causam instrumentalem physicam incarnationis, qua mediante Deus coniunxit naturam humanam personalitati Diuinæ. *Ita quidam veteres Theologi*, quos non improbant *Sua*; *Becc*; *& alij*.

4 Secunda vult B. Virginem de facto non fuisse instrumentum incarnationis, potuisse tamen esse de potentia Dei absoluta; adeoque non repugnare puram creaturam assumi à Deo, vt causam instrumentalē incarnationis. *Ita Cabr*; quem sequitur *Gonet hìc disp. 7. art.* 1; *& ex nostris Gibb. disp. 6. dub.* 1.

5 Nostra docet nec de facto, nec de possibili B. Virginem esse potuisse instrumentum physicum incarnationis; sed fuisse tantùm causam principalem ministrantem materiam inorganizatam, quam organizauit Spiritus Sanctus appropriatè, tota autem Trinitas propriè. *Ita Fund. Doct. Aeg. dist. 3. p. 2. q. 2. art.* 2; *Argent. dist. 4; q. 1. art.* 2; *Vasq. disp. 25. c.* 1; *Med*; *Alnar*; *Io. à S. Thos*; *& alij*.

6 Not. *ex Fund. Doct*; *& Argent*; quòd ad formationem prolis in vtero matris tria requiruntur; scilicet præparatio materiæ, ex qua fit fœtus; conseruatio localis, per quam fœtus conseruatur; & organizatio, seu formatio carnis, cui infunditur anima. Ad hæc tria consequitur carnis nutritio, per quam fœtus ad debitum complementum perducitur. Circa materiæ præparationem quælibet mater actiuè se habet; quia materiæ præparatio fit per actiuam digestionem, & depurationem sanguinis, qui est materia, ex qua formatur caro; caro enim non formatur ex semine, sed ex sanguine mulieris; vt fusè ostendit *Fund. Doct. lib. de format. corp. humani*; & *hìc art.* 1; semen enim non deciditur, nisi cum corruptione mulieris, sanguis autem decidi potest etiam sine corruptione virginitatis, quia plures virgines menstruantur sine virginitatis detrimento; ergo caro fit ex sanguine, non ex semine; aliter impossibile esset, quòd Virgo conciperet, cuius contrarium docet fides. Tum quia in semine est vis actiua organizans materiam, in quam debet anima infundi; ergo semen materiam præsupponit, quam debet organizare; & per consequens materia non fit ex semine, sed ex sanguine. Circa conseruationem localem pariter quælibet mater actiuè se habet; quia locus naturalis actiuè conseruat locatum; nam quælibet res extra suum locum naturalem destruitur. Tandem circa nutritionem quoque actiuè se habet; quia per vim digestiuam decoquit alimentum, quod immittit in fœtum, & quo fœtum conseruat; sine alimento enim fœtus periret.

7 At organizatio, & formatio fœtus est effectus ipsius viri, qui per virtutem existentem in semine habet fœtū ita disponere, vt sit aptum recipere animam, seu vt sit aptum ad hoc, quòd anima possit in illo suas exercere operationes, sine quibus anima esse, & seruari non potest. Igitur respectu organizationis, & formationis fœtus solus vir se habet actiuè, fœmina verò passiuè, scilicet recipiendo virtutem viri organizatiuam materiæ à se præparatæ, vt dictum est. Etenim si fœmina se haberet etiam actiuè in organizatione, & formatione fœtus, non videretur ratio, quare fœmina se sola non posset generare; quia ipsa posset præparare materiam; posset illam debitè organizare; & quia in materiam debitè organizatam statim introducitur anima; posset totum hominem se sola producere. Sic si

vir

vir non ſeminaret virtutem organizatiuam materiæ, non appareret, quomodò ad generationem actiuè concurreret. In hoc ſenſu *Phil.* 15. *de animalib.* ait fœmellam eſſe paſſiuum, maſculum verò eſſe principium actiuum; & fœminam tribuere corpus, & materiam; maſculum verò ſpeciem; fœtus enim non recipit ſpeciem hominis, niſi per organizationem, vt conſtat.

8 Præterea certum eſt cauſam inſtrumentalem ſe tenere ex parte efficientis, defert enim actionem ipſius, & agit in virtute illius.

9 Ex his deducitur B. Virginem reſpectu præparationis materiæ, conſeruationis, & nutritionis fuiſſe cauſam principalem, non inſtrumentalem; hæc enim agit per virtutem propriã; quæ competit cuilibet matri; & ob hoc fuit veriſſima Mater Chriſti; ſupereſt ergo inquirendum, an reſpectu organizationis, & formationis carnis, quæ facta eſt à Spiritu Sancto, fuerit, vel potuerit eſſe cauſa inſtrumentalis?

10 Vnica concl. B. Virgo Maria fuit tantùm cauſa principalis præparans, & adminiſtrãs materiam, eamque conſeruans, & nutriens; non tamen fuit, nec potuit eſſe etiam per potentiam Dei abſolutam inſtrumẽtalis cauſa organizationis, & formationis corporis Chriſti.

Prob. 1. ex *S. P. Aug. ſerm.* 11. *de temp.* docente: *Sicut non poterat niſi caro de carne naſci; ita non poterat Dei caro de fæmineo vtero, niſi ſine generante prodire; propter quod ait Angelus Beatiſſimæ Mariæ: Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi; & ſerm.* 12. *Cuius conceptus in carne, non carnaliter factus; cuius ortus ex carne vbertatem nutrienti attulit: & ſerm.* 17. *Spiritus Sanctus de Maria Virgine Chriſtum hominem figurauit;* idèſt organizauit; *in quo Deus ad reparationem hominis habitaret;* & mox: *Fuit ſimilis reparatio; quomodò fuit & hominis creatio.* Per illa verba: *Dei caro de fæmineo vtero;* demonſtratur B. Virginem præbuiſſe materiam in ſuo vtero, idèſt in loco naturaliter conſeruatiuo; adeoque B. Virginem fuiſſe cauſam præparantem, & ſubminiſtrantem materiam, nec non eam conſeruantem. Per illud verbum: *Nutrienti;* indicatur fuiſſe cauſam nutritiuam. Per illa: *Sine generante prodire;* indicatur non dari de facto cauſam principalem, & inſtrumentalem creatam incarnationis; quod probat ex verbis ipſius Angeli: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi;* tribuitur autem incarnatio Spiritui Sancto, tanquam cauſæ principali effectiuæ, quia eſt opus miſericordiæ; & virtuti Altiſſimi, tanquam cauſæ inſtrumentali; virtus enim eſt inſtrumentum ſubſtantiæ ad operandum. Per ea: *Spiritus Sanctus &c. hominem figurauit;* deſignatur organizatio, & formatio corporis; non enim materia poteſt acquirere figuram hominis, niſi organizetur, idèſt niſi diſtinguatur in diuerſas partes etherogeneas; ſic autem diſtingui eſt organizari, vt conſtat. Tandem per illa: *Fuit ſimilis reparatio, quomodò creatio;* deſignatur nec de potentia Dei abſoluta potuiſſe dari cauſam inſtrumentalem creatam incarnationis; ſicut nõ potuit dari creationis; creatura enim nequit eleuari ad creandum nec principaliter, nec inſtrumentaliter. Ex quibus patet *S. P. Aug.* noſtram ſententiam adæquatè docere.

11 Prob. 2. quoad 1. part. Omnis vera mater eſt cauſa ſubminiſtrans, conſeruans, & nutriens materiam; ſed B. Virgo eſt vera mater Chriſti; ergo eſt cauſa ſubminiſtrans, conſeruans, & nutriens materiam. Ma. conſtat ex dictis; quia ſicut de ratione patris eſt eſſe principium effectiuum generationis inducẽs formam in materiam; ita de ratione matris eſt eſſe cauſam ſubminiſtrantem, & præparantem materiã, ex qua gignitur fœtus; & conſeruantem, ac nutrientem ipſum fœtum; aliter moreretur, ſi extra ſuum locum naturalem poneretur, & debito alimento non nutriretur. Mi. eſt de fide; habetur enim *Matth.* 1. *Cùm eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria Ioſeph; & Io.* 19. *Stabat autem iuxta crucem Mater eius;* & ratio eſt; quia ſicuti ad rationem patris naturalis requiritur, quòd ſit principium actiuum inducens formam ſimilem in natura ſpecifica inducendo vltimam diſpoſitionem ad formam, organizando ſcilicet, & formando ipſam materiam taliter, vt ſit proximè apta ad recipiendam formam; ita ad rationem veræ maternitatis naturalis requiritur præparare, ſubminiſtrare, conſeruare, & nutrire veram materiam, quæ per virtutem agentis poteſt organizari, vt forma inducatur; ſed B. Virgo prçſtitit hæc tria; ergo eſt verè, & propriè Mater Chriſti.

12 Dices. 1. *D. Dam. lib.* 3. *c.* 2. ait: *Chriſtotocon, idèſt Chriſti Genitricem, non dicimus Virginem:* ergo falſum eſt B. Virginem eſſe veram Chriſti matrem. 2. In generatione Chriſti temporali Spiritus Sanctus præſtitit ea, quæ ſunt viri, & tamen non dicitur Pater Chriſti; ergo multò minùs B. Virgo poteſt dici mater illius. 3. Filiatio reſpicit ſuppoſitum Diuinum; ſed hoc non habuit eſſe à B. Virgine, quia eſt æternum; ergo idem. 4. Ex eo, quòd arbor præbeat materiam ſtatuæ faciendæ ab artifice, non dicitur mater ſtatuæ; ergo à pari. 5. Ex eo, quòd materia *Eua* ſumpta ſit *ab Adam*, *Adam* non dicitur mater *Eua*; ergo idem. 6. A matre filius recipit eſſe; ſed Chriſtus non recepit eſſe à B. Virgine; quia in Chriſto non eſt, niſi eſſe increatum, quod à ſolo Patre recepit; ergo idem. 7. Quamuis tota Trinitas effectiuè communicauerit Chriſto naturam humanam, attamen non dicitur Pater Chriſti; ergo quamuis B. Virgo ei communicauerit naturam humanã, non eſt dicenda mater illius. 8. De ratione matris eſt emittere ſemen; quod nequit dici de B. Virgine, aliter Virgo non permanſiſſet.

Reſp.

Reſp. *Fund. Doct. diſt.* 4. *p.* 2. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 5. *D. Damaſcenum* aſſerere B. Virginem non eſſe dicendam genitricem Chriſti, vt eſt purus homo; neq; vt eſt purus Deus, ſed vt eſt Deus homo; loquebatur enim *contra Neſtorium* dicentem in Chriſto eſſe duas perſonas; & ideo quatenus homo, eſſe purum hominem; & quatenus Deus, eſſe purum Deum; & in hoc ſenſu negat eſſe matrem illius; nõ tamen negat eſſe matrem hominis, qui eſt Deus. Ad 2. reſp. *art.* 1. *ad* 4. ad rationem patris requiri, quòd communicet naturam per identitatem, vel per diuiſionem naturæ; quod cùm fecerit B. Virgo, non Spiritus Sanctus, ideo B. Virgo debet dici mater, quæ communicando partem ſuæ ſubſtantiæ, ſeu ſui ſanguinis puriſſimi, cumque nutriendo ipſum genuit; non autem Spiritus Sanctus; qui nec partem, nec totam naturam communicauit Chriſto, ſed tantùm illam acceptam à Virgine produxit efficienter ſub eſſe. Ad 3. diſt. ma. Reſpicit ſuppoſitum, prout habens hanc naturam, conc; & quia ſuppoſitum Verbi habuit naturam humanam à B. Virgine; ideo ſuppoſitum Diuinum, prout habens naturam humanam, eſt Filius Virginis. Reſpicit ſuppoſitum præciſa natura, neg; nam filiatio eſt terminus generationis, quæ eſt communicatio naturæ. Ad 4. neg. conſ; nam arbor præbet materiam extrinſecè tantùm formandam in ſtatuam, non autem illam locat intra ſua viſcera ſeruandam, nutriendã &c; vt eſt de ratione matris; & ſic ad 5. Ad 6. diſt. ma. A matre filius recipit eſſe formaliter, neg; ex conſequenti, conc; nam quamuis omnis effectus recipiat eſſe à cauſa efficiente, non tamen cauſa efficiens eſt mater ſui effectus. Igitur ad rationem matris requiritur communicare naturam modo dicto, ſcilicet præparando materiam, locando intra ſe, & nutriendo intra ſe ſanguine puriſſimo, & extra ſe lacte, qui eſt ſanguis dealbatus. Ad 7. neg. conſ; nam ad rationem patris requiritur communicare naturam formaliter exiſtentẽ in ipſo; natura autem humana ſolùm eminenter, non formaliter exiſtit in Deo; formaliter autẽ exiſtit in B. Virgine. Ad 8. dicitur emiſſionem ſeminis ipſius mulieris merè accidentaliter concurrere ad generationem; quia mulier poſt conceptionem emittit ſuũ ſemen; imò narrat *Fund. Doct. diſt.* 3. *p.* 2. *q.* 2. *art.* 1. §. *Tertia via*, quandam mulierem concepiſſe ſine corruptione ſui; & additur illud, quod refert *Auueroes in ſuo Colliget*; mulierem quãdam concepiſſe recipiendo ſemen viri ſparſum in balneo, in quod illa intrarat. Tum quia nullum corporeum poteſt actiuè agere in ſe ipſum; quia, vt probat *Proclus*, *nullum corporeum eſt ad ſe conuerſiuum*; ſemen autem mulieris manet in muliere; ergo actiuè non concurrit ad generationem; & ideo ſine illius emiſſione poteſt dari generatio.

13 Sed quæres; an ſicuti B. Virgo dicitur matèr Chriſti, ita poſſit dici mater Dei?

Reſp. *Fund. Doct. diſt.* 4. *vbiſ.* affirmatiuè. Eſt *contra Neſtorium* aſſerentem aliam eſſe perſonam humanam in Chriſto, & huius eſſe matrem B. Virginem; & aliam perſonam Diuinã, & huius non eſſe matrem. Prob. tamen. Filiatio, & maternitas attribuuntur perſonæ, vt *quod*; & naturæ, vt *quo*; natura enim non dicitur filia, aut mater; ſed perſona Chriſti Domini, qui eſt Filius B. Virginis, eſt Deus; ergo B. Virgo dici poteſt mater Dei; & hoc ob communicationem idiomatum; quia nanque natura Diuina, & humana communicant in eadem perſona Diuina; ideo quæ dicuntur ſecundùm naturam humanam, Deo concretè ſumpto poſſunt attribui; cui etiam attribuuntur, quæ dicuntur ſecundùm naturam Diuinam. Hoc tamen non eſt intelligendum de Deo abſolutè ſumpto, prout eſt communis toti Trinitati; ſed determinatè, ſcilicet Dei, qui eſt homo; non enim eſt mater Dei, niſi quia eſt mater hominis, qui eſt Deus; ideo non valet, quòd ſicuti eſt mater hominis, quia ab illa recepit Chriſtus naturam humanã; ita eſt mater Dei, quia ab illa recepit naturam Diuinam; ſiquidem non dicitur mater Dei ratione communicationis naturæ Diuinæ, ſed ratione naturæ humanæ, quæ ſubſtentatur à ſuppoſito, quod eſt Deus, & ob hoc dicitur mater Dei. *Vid. Fund. vbiſ.*

14 Prob. 2. pars concl; & quidem quòd B. Virgo de facto non fuerit cauſa inſtrumentalis vnionis hipoſtaticæ, omnes conueniunt; *Scripturæ* nanque, *&* SS. *PP.* docent incarnationem eſſe opus ſolius Dei iuxta *Abac.* 3. *Domine opus tuum*; ergo de facto nulla creatura inſtrumentaliter concurrit ad incarnationem. Tum quia *Scripturæ* non aſſignant, niſi cauſam materialem; habetur enim *ad Gal.* 4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere*; illa autem particula *ex* deſignat cauſam materialem, vt conſtat; ergo *ſecundùm Scripturas* eſt aſſerendum nullam creaturam fuiſſe cauſam inſtrumentalem incarnationis de facto; quia de hac *Scriptura* non loquitur. Si autem de facto daretur hæc cauſa, *Scriptura* eam non taceret, ſicut cauſam materialem non tacuit.

15 Igitur de potentia Dei abſoluta prob. *ex S.P. Aug. vbiſ.* Implicat per potentiam Dei abſolutam creaturam eſſe cauſam inſtrumentalem creationis; vt diximus *to.* 3. *q.* 2. *de Creat. art.* 4; ergo multò minùs incarnationis; nam cui repugnat virtus productiua alicuius effectus ob excellentiam ipſius operis, ei pariter repugnabit virtus productiua effectus excellentioris; vt cui repugnat virtus portandi centum, repugnat etiam virtus portandi mille; ſed incarnatio eſt opus excellentius creatione; illa enim eſt ordinis Diuini hipoſtatici; hæc ordinis naturalis; ergo ſi creaturæ repugnat virtus inſtrumentaliter cauſatiua creationis, à fortiori ei repugnat

gnat

gnat virtus inſtrumentaliter productiua incarnationis.

16 Reſp. *Gibb*; & *Gonet* incarnationem, licèt ſit maior ex parte rei factæ, non eſſe tamen maiorem ex parte rei faciendæ; quia cùm opus creationis producatur ex nihilo, & cùm inter nihil, & ens ſit infinita diſtantia, ideo requirit virtutem infinitam. At verò incarnatio eſt ex ſubſiſtentia Diuina finito modo communicata naturæ humanæ, ideo non requirit virtutem infinitam. Ex quo ſic arguit *Gonet*. Actio ſpecificatur à termino formali, non à materiali; ſed terminus formalis creationis eſt nihil, quod eſt infinitum; & terminus materialis eſt ſubſtantia creata, quæ eſt finita; terminus autem formalis incarnationis eſt ſubſiſtentia Diuina, vt finito modo communicabilis; terminus verò materialis eſt ipſa ſubſiſtentia Diuina, quæ ſecundùm ſe eſt infinita; ergo repugnat actionem creatiuam conuenire creatruæ, non autem incarnationis productiuam; quia ei repugnat ſola actio infinita. 2. Reſp. *Gonet* neg. conſ; quia terminus creationis producitur; incarnationis verò ſolum communicatur.

17 Ex his potiùs firmatur ratio. 1. In tantùm requiritur virtus infinita ad creandum, in quantùm inter nihil, quod eſt terminus creationis, & eſſe datur diſtantia infinita; ſed inter Deum, qui eſt terminus terminans naturam humanam, & naturam humanam datur diſtantia infinita; imò maior diſtantia, quia hæc eſt poſitiua, illa negatiua; ergo à fortiori ad incarnationem requiritur virtus infinita. 2. Actio ſpecificatur à termino formali *ad quem*, non à termino *à quo*; nullum enim poſitiuum poteſt ſpecificari à ſuo negatiuo; terminus autem *à quo* eſt negatio, quia eſt nihil; ſed terminus *ad quem* creationis eſt eſſe *vt ſic* præciſiuè, quia eſt eſſe, prout correſpondet nihilo, quod eſt terminus *à quo*; terminus enim *ad quem* debet correſpondere termino *à quo*; ergo actio creatiua ſpecificatur ab eſſe, *vt ſic*. Sed quanuis eſſe creaturæ terminet eſſentiam modo finito; attamen quia actio creatiua reſpicit illud eſſe, *vt ſic*, præciſiuè, & hoc modo eſt infinitum; ideo actio creatiua debet eſſe à virtute infinita; ergo quia actio productiua incarnationis terminatur ad ſubſiſtentiam infinitam, quæ eſt terminus *ad quem*, quanuis talis ſubſiſtentia terminet naturam humanam finito modo; attamen talis actio requirit virtutem infinitam ſimpliciter. 3. Virtus productiua, quæ competit creaturæ, eſſentialiter ſpecificatur ab eſſe creabili; actio enim productiua, quæ conuenit creaturæ, eſſentialiter ſequitur ad eſſe ipſius creaturæ, quod eſt eſſe creatum; ideo eſſentialiter nequit tendere, niſi in eſſe, quod poteſt eſſe creatum; aliter tenderet in eſſe, quod eſt ſupra eſſe, quod habet; & ſic effectus excederet ſuam cauſam, quod eſt impoſſibile; ſed eſſe, quod per incarnationem communicatur naturæ humanæ, non eſt creatum, ſed increatum, eſt enim eſſe ſuppoſiti Diuini; ergo virtus productiua, quæ competit creaturæ, nequit de potentia Dei abſoluta tendere ad eſſe, quod per incarnationem naturæ humanæ communicatur; quia per nullam potentiam poteſt tendere extra ſuũ ſpecificatiuum eſſentiale. Ad 2. Quanuis Filio, & Spiritui Sancto communicetur eſſe per communicationem puriſſimam, non per productionem effectiuam ipſius eſſe; attamen non ſequitur, quòd non requiratur virtus communicatiua infinita; quia eſſe infinitum non poteſt reſpici, niſi à virtute infinita, cuius eſt terminus ſpecificatiuus; ergo quanuis in incarnatione non producatur efficiẽter eſſe Diuinum, ſed tantùm communicetur, non ſequitur tamen, quòd virtus communicatiua illius non debeat eſſe infinita.

18 Præterea prob. Implicat, quòd ſubiectum paſſiuum receptiuum actionis generatiuæ concurrens tantùm ad generationem intra ſe ipſum ſit inſtrumentum generantis extrinſeci deferens actionem generantis extrinſeci in ſe ipſum, tanquam in ſubiectum actionis generatiuæ, ſed B. Virgo eſt ſubiectum paſſiuum receptionem actionis generatiuæ concurrens tantummodò ad generationem intra ſe ipſam; ergo implicat B. Virginem eſſe inſtrumentum generationis temporalis, qua intra ipſam Filius Dei temporaliter eſt genitus. Prob. ma. Inſtrumentum agentis extrinſeci eſt tantùm extrinſecum, vt patet de calore reſpectu ignis, malleo &c; ſed implicat ſubiectum paſſiuum &c. eſſe extrinſecum, quia repugnat idem eſſe intrinſecum, & extrinſecum; ergo idem. Tum quia inſtrumentum agentis extrinſeci actiuè concurrit ad actionem illius; ſed implicat ſubiectum paſſiuum ſimul actiuè concurrere ad eandem actionem, quam recipit; aliter non repugnaret idem eſſe maſculum ſimul, & fœminam; quia non repugnaret idem actiuè, & paſſiuè concurrere ad generationem; ergo idem. Mi. patet; nam B. Virgo in incarnatione concurrit, vt mater; ſed mater concurrit, vt recipiens actionem viri, ergo idem.

19 Conf. Implicat, quòd cauſa principalis aſſumatur, vt cauſa inſtrumentalis; quia implicat, quòd cauſa cauſet, & non cauſet per virtutem propriam; cauſa enim principalis propria virtute cauſat; & inſtrumentalis non cauſat propria virtnte, ſed aliena; ſed B. Virgo eſt cauſa principalis ſubminiſtrans materiam organizandam, & formandam virtute Spiritus Sancti, atque adeo perficientis munus viri; cum qua materia ſic organizata idem Spiritus Sanctus coniunxit animam, & vtranque ſuppoſito Verbi Diuini terminandam vniuit; ergo implicat B. Virginem fuiſſe cauſam inſtrumentalem Spiritus Sancti inſtrumentaliter concurrens ad vnionem hipoſtaticam.

20 Obijc.

20 Obijc. *Gibb.* Creatura poteſt aſſumi, vt inſtrumentum tranſubſtantiationis panis, & vini in corpus, & ſanguinẽ Chriſti; ſacerdotes enim proferentes verba conſecrationis inſtrumentaliter, tanquam Chriſti miniſtri, conuertunt panem, & vinum in corpus, & ſanguinem Chriſti. Item creatura corporalis poteſt eleuari ad producendam inſtrumentaliter gratiam habitualem, & cetera dona ſupernaturalia; aqua enim naturalis in baptiſmo de facto eleuatur ad producendam inſtrumentaliter gratiam ſanctificantem animam; ergo ſaltem de poſſibili pura creatura poteſt eleuari ad producendam purè inſtrumentaliter vnionem hipoſtaticam; nam quanuis vnio hipoſtatica ſit omnium donorum ſupernaturalium excellentiſſimum; attamen eſt quid creatum, & ideo intra ſphæram creaturæ, & actionis creatæ; & nulla poteſt aſſignari maior proportio explicans actionem ſacerdotis, & aquæ naturalis per ordinem ad tranſubſtantiationem, & productionem gratiæ; quàm ponere B. Virginem inſtrumentaliter potuiſſe concurrere ad vnionem hipoſtaticam. Tum quia B.Virgo præparauit, & miniſtrauit materiam, vt caro per virtutem Spiritus Sancti taliter pręparata, & vnita animæ rationali à Verbo Diuino aſſumatur, & terminetur; ſicut in alijs generationibus terminatur propria ſubſiſtentia; ſic enim ſolùm ſaluatur, quòd Chriſtum verè genuerit, & fuerit vera mater Chriſti. Tandem humanitas non fuit priùs natura producta, quàm Verbo vnita; imò vnio hipoſtatica *in aliquorum* ſententia non differt ab vnione animæ, & corporis; ſed B. Virgo fuit cauſa humanitatis, & vnionis animæ ad corpus; ergo & vnionis hipoſtaticæ.

Reſp. hæc probare de facto, non autem de poſſibili ſolùm; vnde *Gibb*; qui negat de facto, tenetur etiam hæc ſoluere. Ad 1. neg. conſ; & diſparitas eſt. 1. Quia ſacerdotes, & aqua ſunt quid extrinſecum effectui, & ad effectum actiuè concurrunt, ideo poſſunt eſſe cauſa inſtrumentalis, de cuius ratione, vt diximus, eſt producere effectum extra ſe, & actiuè concurrere, reducitur enim ad cauſam efficientem; at B.Virgo cauſauit ſolùm intra ſe materiam, & paſſiuè ſe habuit quãtùm ad organizationem, ad quam actiuè non potuit concurrere, aliter geſſiſſet munus viri; ideo non potuit inſtrumentaliter concurrere. 2. Effectus ſacerdotis, & aquæ eſt creatus; ſacerdotes enim formaliter tranſmutant panem in corpus Chriſti; & tantùm per concomitantiam verſantur circa Diuinitatem; at verò producens vnionem hipoſtaticã formaliter produceret aliquod increatum, quia vnum extremum eſt increatum; vnio autem non eſt, niſi extrema vnita; ſed implicat creaturam producere increatum etiam inſtrumentaliter, vt dictum eſt. Ad 1. prob. inſert. dicitur vnionem eſſe quid creatum ex parte vnius extremi tantùm, non ex parte vtriuſque, quapropter Chriſtus nequit dici ſimpliciter creatura; at verò corpus Chriſti præciſè, & gratia ſunt quid creatum ſimpliciter. Ad 2. prob. dicitur maximam eſſe improportionem inter productionem vnionis hipoſtaticæ, & tranſubſtantiationem, ac gratiæ productionem; nam productio vnionis hipoſtaticæ eſt actio vniens naturam humanam cum perſona Diuina, quæ ob rationes allatas nulli creaturæ poteſt competere. Tranſubſtantiatio verò eſt actio conuerſiuã vnius ſubſtantiæ in corpus Chriſti formaliter; & productio gratiæ eſt actio pariter productiua qualitatis creatæ; quæ poſſunt conuenire creaturæ. Ad 2. dicitur ex eo, quòd B.Virgo pręparauerit, & ſubminiſtrauerit materiam, fuiſſe cauſam principalem, non inſtrumentalem, vt diximus; ex eo enim, quòd terra præparet, & ſubminiſtret ligna ad comburendum, non dicitur inſtrumentum ignis, ſed cauſa principalis lignorum præparatiua, & ſubminiſtratiua illorum igni. Ad 3. dicitur *cum Fund. Doct. hic diſt.* 2.*p.*2.*q.*2.*art.*4. carnem, animam, & Verbum in eodem inſtanti temporis fuiſſe vnita; quanuis ordine naturæ priùs fuerit caro vnita animæ; quia Verbum aſſumpſit carnem viuam, & animatam, vt *cum S P. Aug.* docuimus *q.*1.*art.*1.*nu.*1; *& in ſeq.q.* iterum dicemus; non tamen ſequitur ex hoc, quòd ſubminiſtrans materiam producat vnionem; ſicut ex eo, quòd terra ſubminiſtret materiam igni, non dicitur producere vnionem ligni cum igne. Materia autem corporis Chriſti non vnitur animę, niſi vt organizata; & ideo ſolùm organizans materiam dicitur attingere vltimam diſpoſitionem ad vnionem, non tamen dicitur producere vnionem, quia vnio paſſiuè accepta eſt ab vnitione actiua, quæ eſt actio agentis, quod vnit extrema. Ideo homo dicitur generare, quia attingit vltimam diſpoſitionem ad vnionem, ſcilicet organizationem, non tamen producit vnionem corporis cum anima, quia hæc eſt à Deo creante animam; docet enim *Fund. Doct. diſt.* 2.*p.* 2. *q.* 2. *art.*3. §. *Tertio modo* loquens de vnione, qua caro vnita eſt animæ: *Talis vnio ſecundùm Philoſophum non habet cauſam, niſi motorem. Eo enim ipſo, quòd caro, vel corpus eſt in potentia ad animam, tanquam materia ad ſuum actum, non requiritur ibi clauus, vel colla coniungens &c.* Vnde cùm B. Virgo non potuerit organizare materiam, quia hoc eſt munus viri, quod ſuppleuit Spiritus Sanctus, implicat enim fœminam eſſe virum, & matrem eſſe patrem; ideo B. Virgo, licèt materiam ſubminiſtrauerit, non tamen illam diſpoſuit vltimatè ad vnionem, nec vnionem cauſauit. Igitur neg. 2. pars mi; ſcilicet quòd B. Virgo fuerit cauſa efficiens vnionis animæ ad corpus; & ideo quanuis admittatur eandem eſſe vnionem, per quam vnita eſt corpori anima, & Verbum vtrique; quod tamen eſt falſum, vt docet *Fund. Doct. vbiſ;* quia extrema ſunt diuerſa; non tamen ſequitur B. Virginem fuiſſe

fuiſſe cauſam vnionis Verbi ad humanitatem, quia non fuit cauſa vniens animam cum corpore, ſolus enim Deus, qui creat animam, illam vnit cum corpore; & ideo cùm nulla creatura poſſit eleuari nec etiam inſtrumentaliter ad creandam animam, ſequitur, quòd nulla creatura poſſit inſtrumentaliter eleuari ad vniendam efficienter animam cum corpore; ſed dato etiam, quòd poſſet creatura in reſurrectione eleuari ad hanc vnionem, non tamen ſequitur, quòd poſſet eleuari ad extendendam talem vnionem ad ſuppoſitum Diuinum; quia hoc eſt extra ſphæram actiuitatis creatæ, vt dictum eſt. *Sed de hoc in ſeq. q.*

21 Inſt. Organizare materiam eſt actio de facto competens creaturæ; ergo Deus ſaltem potuit in incarnatione eleuare puram creaturam ad organizandam materiam aſſumendam à Verbo.

Reſp. neg. conſ; cùm enim organizare materiam ſit actio viri concurrentis ad generationem; & cùm impoſſibile ſit ſimpliciter ad incarnationem Verbi concurrere virum; quia impoſſibile eſt, quòd purus homo ſit pater naturalis Chriſti Domini; ideo creatura nequit eleuari ad actiuè organizandam materiam corporis Chriſti Domini. *Vid. alias obiect. to. 3. de Creat. q. 2. art. 4. & 5.*

22 Replic. Dictum eſt *to. 3. art. 4. vbiſ. nu. 17.* creaturam poſſe aſſumi, vt inſtrumentum incarnationis indirectè operans circa humanitatem, v. g. organizationem corporis; ergo *hic* contradicitur.

Reſp. *Impreſſorum* imperitia, aut errore poſitum fuiſſe eo loco, *conc*; debebat autem poni *tranſeat*; qui error in aliquibus codicibus fuit correctus. Illic ergo tranſmiſſa eſt hæc difficultas, quæ non erat propria illius loci. Vel dicitur eo loco fuiſſe conceſſum *Aduerſarijs* in eorum ſententia, de qua non erat tunc locus diſputandi, ne in ſolutione illius dubij diſcuſſionem iſtius inueheremus; vnde illa conceſſio fuit idem, ac difficultatis tranſmiſſio; quod enim tranſmittitur, accipi ſolet *ab Aduerſarijs* pro conceſſo.

ART. II.

An B. Virgo ſubminiſtrauerit materiam aſſumendam à Verbo Diuino puram à labe peccati originalis?

1 Concl. fidei eſt Verbum Diuinum aſſumpſiſſe carnem puram, & mundam ab omni ſorde peccati; habetur enim *Rom. 8. Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati*; ſuper quod *S. P. Aug. in ſuppl. cont. Iul. lib. 4. cap. 78.* ait: *Non eum per concupiſcentiam carnis Virgo conceperat; & ideo in eo ſine propagine peccati carnis propago pertranſijt; vt eſſet in eo, non caro peccati, ſed ſimilitudo carnis peccati carnem ſaluatura peccati*. Et mox explicans, in quo conſiſtat ſimilitudo carnis peccati ſubdit: *Sed tamen & ipſe mortuus eſt propter ſimilitudinem carnis peccati. Nam ſi nec moreretur, non ſolùm carnem peccati non haberet, ſicut non habebat; ſed nec eius oſtenderet ſimilitudinem, quam pro noſtra ſalute ſuſceperat.* Aſſumpſit ergo carnem ſimilem carni peccati, quia aſſumpſit carnem mortalem; caro enim mortalis eſt ſimilis carni peccati; quia caro peccati eſt mortalis, cùm ſolùm per peccatum facta ſit caro mortalis. *Et Io. 14. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam*; ſuper quod *S. P. Aug. vbiſ. cap. 81.* legens ſecundùm aliam verſionem: *Et in me inueniet nihil*; ait: *Imò verò nihil peccati, nec quod à naſcente trahitur, quia in nulla iniquitate conceptus eſt; nec quod à viuente additur, quia nulla tentatione deceptus eſt*. *Et Hebr. 7. de Melchiſedech*, qui decimas accepit *ab Abraham*, & *à Leui* exiſtente *in Abrahæ* lumbis, dicitur: *Sine patre, & ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus autem Filio Dei* &c; quia Filius Dei (inquit *Fund. Doct.*) in Cęlis natus eſt ſine matre; in terris verò ſine patre, & ſine genealogia, quia non eſt genitus per ſeminalem rationem, & ſecundùm carnalem concupiſcentiam. Quamuis autem Chriſtus ſecundùm corporalem ſubſtantiam fuerit in lumbis *Abrahæ* (ait *idem S. P. Aug. lib. 10. de Gen. ad lit. cap. 20.*) ſicut *& Leui*; attamen *Leui* decimatus eſt, non Chriſtus figuratus *in Melchiſedech*, quia *ſecundùm illam rationem ſeminalem ibi fuit Leui, qua ratione per concubitum venturus erat in matrem; ſecundùm quam rationẽ non ibi erat Chriſti caro*; & quia ſolùm per carnalem concupiſcentiam peccatum originale contrahitur; ideo Chriſtus, qui non fuit genitus ratione ſeminis, illud non contraxit. Ex his ego deducitur Verbum Diuinum aſſumpſiſſe carnem mundam ab omni ſorde peccati; quod *ibid.* infert *idem Apoſt.* inquiens: *Talis enim decebat, vt nobis eſſet Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus.* Si autem aſſumpſiſſet carnem peccato infectam, non eſſet ſegregatus à peccatoribus, ſed cum illis peccatum communicaſſet. Rationem autem ſuperiùs dederat: *Vnde & ſaluare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis*. Solus enim, qui ſine peccato eſt, pro aliorum peccato potuit interpellare, & ſatisfacere; nam *Pſa. 81.* dicitur: *Factus ſum, ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber*. Super quod *S. P. in eundem Pſal.* ait: *Quis enim alius inter mortuos liber, niſi in ſimilitudine carnis peccati inter peccatores ſolus ſine peccato?* Et mox: *Et quia per eum, qui non habebat peccatum, oportebat liberari à peccatis: Si vos (inquit) Filius liberauerit, tunc liberi eritis.* Non enim niſi liber poteſt ſeruum liberare; quia ſolus liber poteſt ſe ipſum dare in pre-

in pretium redemptionis ipſius ſerui; nam ſeruus iam eſt ſub poteſtate illius, cuius eſt ſeruus, & ideo nequit ſe ipſum tradere ſub illius poteſtatem, vt ab hac poteſtate redimat alium, qui ſub eadem tenetur captiuus. At liber poteſt ſe ipſum tradere ſub poteſtatem alterius in pretium alicuius, qui eſt ſub ipſa poteſtate, vt ab ipſa eum redimat. *Vid. Fund. Doct. in ep. ad Ro. c.8. lect.24. dubit.2.*

Dices. *Ad Gal.4.* dicitur: *Miſit Deus Filium ſuum factum ſub lege*; qui autem eſt ſub lege, non eſt liber.

Reſp. *Fund. Doct. diſt.1. par.2. art.5. dub.4. lit.* Quòd eſſe ſub lege ſtat tripliciter. 1. Quantùm ad timorem; & hoc modo Chriſtus non fuit ſub lege; dicitur enim. *1. ad Tim.1. Iuſto lex non eſt poſita.* 2. Quantùm ad obſeruantiam, & impletionem; & hoc modo Chriſtus fuit ſub lege, quia legem ſeruauit, & impleuit; erat tamen liber à lege peccati, quia non poterat peccare, & ideo non debebat legem timere; ſola autem lex peccati tollit libertatem Filiorum Dei, & facit captiuum diaboli.

2 Ad hoc ergo, vt aliquis contrahat peccatùm originale, duo requiruntur. 1. Quòd caro, quam naſcendo participat, ſit infecta peccato originali, quòd ſolùm per traductionem carnis traducitur. 2. Quòd caro traducatur per ſeminalem rationem, ſeu per concupiſcentiam carnalem, quæ ad peccatum inclinat, vt *cum Beatiſs. P. Aug.* docet *Trid.* Primum tollitur per gratiam ſanctificantem, quæ vel in baptiſmo, vel extra baptiſmum infunditur, vt in ſanctificatis in vtero; gratia enim ſanctificans mundat carnem ab omni labe peccati; ergo cùm Chriſtus Dominus ſumpſerit carnem à B. Virgine iam ſanctificata per gratiam, qua erat repleta ante incarnationem; antequam enim ſuum præberet conſenſum dicendo: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* (tunc nanque facta eſt incarnatio) Angelus eam vocauit gratia plenam inquiens: *Aue Maria gratia plena*; & cùm per opus Spiritus Sancti, non per ſeminis operationem carnem aſſumpſerit, manifeſtè concluditur aſſumpſiſſe carnem puram, & mundam ab omni labe peccati.

3 Sed dubium fuit *inter antiquos DD*; an caro Virginis fuerit ſanctificata in primo inſtanti, in quo B. Virgo fuit concepta ita, vt concepta fuerit ſine peccato originali, quod cum gratia ſanctificante nequit componi? Vel in ſecundo inſtanti ita, vt in primo fuerit peccato originali inquinata, & in ſecundo fuerit per Chriſti gratiam à tali peccato redempta, & ſanctificata? Quod exponemus *in ſeq. §.*

§. I.

An B. Virgo fuerit concepta ſine peccato originali?

4 Tota hæc concertatio in Beatiſſimæ Virginis ordinatur encomium, & laudem ita, vt & qui negarunt, & qui aſſeuerarunt eam fuiſſe in peccato originali conceptam ex diuerſo laudationis motiuo id præſtiterint. Ludus fuit ſupremæ creaturarum Reginæ natiuitati non ex vtero, ſed in vtero inſtitutus, in quo nedum qui propugnare, ſed & qui pugnare viſi ſunt, æquo ſtudio enixi ſunt celebrare. Vnde non ſolùm deſpiciendi, ſed redarguendi ſunt quidam minùs docti, ac pij, qui minoris eos arguunt pietatis, ac deuotionis in Sanctiſſimam Virginem, qui ex oppoſito, quàm qui ex propoſito, ſed æquali voto eam decertarunt laudare.

5 Prima igitur ſententia negatiua eſt. *Ita Fund. Doct. Aeg. in 3. diſt. 3. p. 1. quæſt.1. artic.1; & Quodl.6. quæſt.20; & in 2. pluribus in locis; noſter Greg. Arim. in 2. diſt.30. quæſt.2; D. Tho. 3. p. quæſt.27. ar.1; & 2; & ſæpe alibi; Capr. in 3. diſt.3. quæſt.1. art.1. concl. 1; Caiet. 3. par. q. 27. artic.1; & in opuſc. de concept. c.4; Ferr. 4. cont. Gent. c.50; Can. de Loc. Theol. lib.7. cap.1; Med. 3. p. quæſt.27. art.1; Bandellus de Caſtro nouo; Albert. Magn. in 3. diſt.3. art.4; & 5; D. Bon. ibid. art.1. quæſt.1; Ricc. art.1. qu. 2; Dur. q. 1; Palud. q.1. art. 1; Herueus quæſt.1; Okam. q.1. ad 6; Guido Carmelita Quodl. 3. quæſt.13; Gloſ. in cap.2. miratur; & in cap. per baptiſmum de conſecrat. diſt.4; & in c. firmiter; & in cap.1. Natiuitas; & in cap. pronunciandum de conſecr. diſt. 3; Hoſtien. in ſumma tit. de pœnit; & remiſſ. §. Quis debet; Tur recr. in c. firmiter; & in c. in his de conſecr. 3; Io. Andreas in nouella in cap. Conqueſtus de ferijs; & ibid. Calderin; & alij.*

6 Secunda affirmat. *Ita ex noſtris Argent. in 3. diſt.3. q.1. art.1; Franc. à Chriſto; Aeg. Luſit. latiſſimè volumine integro de Concept; Lud. de Azeuedo; Gibb. de Incarn. qu. vlt;* & ſuppoſito, quòd hoc in decus Virginis magis redundet, conſentit *Fund. Doct. in 2. Ex Thomiſtis ipſe D. Tho. in 1. diſt.44. quæſt. 1. artic. 3. ad 3; Albert. Magn. de Laud. Virg. c.166; Catharin; Canis; Viguer; Hug. Card; Leonard. de Vtino; Io. Taulerus; Guilelm. Pipin; Vincent. Iuſtinian; Stephan. Mendes; Ioan. à S.Tho. to.1. in 1. par; & alij. Ex Scotiſtis Scot. ipſe in 3. diſt. 3. quæſt.1; Licbet; Maior; Baſſol; Ouand; Anton. Corduben; Io. Med; & alij. Ex alijs Gabr. Almain; Carthuſ; Marſ; Sua; Vaſq; Sua; Val; Azor; & alij* tam ex Theologis, quàm *ex interpretibus*, qui poſſunt videri *apud Luſit. vbi ſup. lib. 3. q.1. art. 1. §.2.*

7 Supp. neutram ex his duabus ſententijs eſſe de fide; ac propterea neutram hæreticam. Hoc patet *ex Conſt. Sixti IV. in Extrauag. Graue nimis*;

nimis renouata per *Alex. III. an.* 1502; *& Pio V. Extrau. Super ſpeculum*; *& Trident. ſeſſ.* 5. *de pecc. orig. in fine*; vbi ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ prohibetur, ne quis vnam, vel alteram vocet hæreticam. Addentur *Alex. VI*; *Paulus V*; *& Greg. XV*; *qui Auctoribus primæ ſententiæ* impoſuerunt perpetuum ſilentium, ne illam publicè audeant defendere, vel prædicare, ne ſcandalo afficiatur populum, qui conceptionem B. Virginis à labe peccati originalis iam tenet immunem.

8 Non quærimus autē, an contraxerit peccatū *in Adam*, ſeu an *in Adam* peccauerit; de hoc enim *inf.* erit ſermo; ſed an per viā generationis peccatū originale in ſe ipſa contraxerit, ſicut contrahunt omnes alij deſcendentes *ab Adam*. Nec loquimur ſecundùm potētiam ordinariam, ſecundùm quam Deus generaliter ſtatuit omnes *Adæ* poſteros peccatum originale contrahere; ſed ſecundùm potentiam abſolutam ab ordine, quem Deus de facto præfixit generaliter alijs hominibus, & agentem ſecundùm ſpecialem prouidentiam, qua ordinauit Matrem Verbi Diuini ad gratiam maternitatis Filij Dei; & hoc de facto, non de poſſibili; certum enim eſt *apud omnes* potuiſſe Deum hoc facere, quia nulla eſt repugnantia.

9 Vnica concl. B. Virgo fuit concepta ſine peccato originali.

Prob. 1. *ex Gen.* 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; & inter ſemen tuum, & ſemen illius. Ipſa conteret caput tuum.* Nomine autem *mulieris* ſignificatur Beata Virgo, vt exponunt *SS. PP*; ex quo ſic. 1. Amicitia, quæ contracta fuit inter *Euam*, & Diabolum, fuit per peccatum originale; ſed inimicitia, quæ poſita eſt à Deo inter B. Virginem, & Diabolum, fuit oppoſita amicitiæ, quæ fuit contracta inter *Euam*, & Diabolum; ergo inimicitia, quæ poſita fuit à Deo inter B. Virginem, & Diabolum, fuit oppoſita amicitiæ, quæ contracta fuit per peccatum originale. Atqui oppoſitum amicitiæ per peccatum originale contractæ eſt inimicitia contracta per conceptionem ſine peccato originali; ergo B. Virgo fuit concepta ſine peccato originali. Ma. conſtat; quia ſicut gratia eſt ratio, per quam contrahitur amicitia cum Deo, & inimicitia cum Diabolo; ita peccatum eſt ratio, per quam contrahitur inimicitia cum Deo, & amicitia cum Diabolo. Prob. mi. Si hæc inimicitia non fuiſſet oppoſita illi amicitiæ, conueniſſet cum illa; & ſic non fuiſſet inimicitia, ſed amicitia; inimicitia enim opponitur amicitiæ, vt conſtat; ergo idem. 2. Eodem modo ſeruatis ſeruandis diſcurrendum eſt de inimicitia, quam poſuit Deus inter B. Virginem, & Diabolum; quo diſcurrimus de inimicitia, quam poſuit inter ſemen Virginis, quod eſt Chriſtus; & ſemen Diaboli, quod eſt peccatum; *Scriptura* enim eodem modo de vtraque loquitur, nec vllum ponit diſcrimen; ſed Chriſtus ita fuit inimicus Diabolo, vt conceptus fuerit ſine peccato originali, nec vllum actuale commiſerit; ergo idem dicendum de B. Virgine; aliter non fuiſſet prorſus inimica, ſed amica priùs per peccatum originale, & poſtea inimica per gratiam, quod eſt *contra Scripturam*. 3. Illud, per quod Diabolus conſtitutus eſt caput hominum, eſt peccatum originale; per hoc enim incepit dominari in homines; ſicut illud, per quod Chriſtus conſtitutus eſt hominum Caput, eſt gratia, per quam peccatum deſtruitur; ſed B. Virgo contriuit caput Diaboli; ergo contriuit peccatum originale; ſed ſi concepta eſſet in peccato originali, illud non contriuiſſet, ſed admiſiſſet in ſe ipſa; ſicut illud non contriuerunt alij homines, qui illud contraxerunt, quanuis poſtea ab illo fuerint mundati, ergo non fuit concepta in peccato originali.

10 Dices B. Virginem contriuiſſe peccatum generando Chriſtum, qui illud deſtruxit.

Sed contra eſt; nam *Scriptura* loquitur de B. Virgine, vt diſtincta à ſuo ſemine, quod eſt Chriſtus, & de ipſa ſicut ait poſitam eſſe inimicam Diabolo, quod verificatur nedum mediante Chriſto, ſed etiam de ipſa immediatè per Chriſti gratiam; ita verificatur, quòd ipſa contriuit Diabolum mediante Chriſto, qui deſtruxit peccatum, & dedit gratiam Matri, vt ſe ipſa Diabolum contereret vitando omne peccatum etiam originale, quo procul dubio à Diabolo contrita fuiſſet.

11 Prob. 2. *Eſther* 14. *Quid habes, Eſther? Ego ſum frater tuus, noli metuere. Non morieris. Non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex eſt conſtituta. Eſtherem* fuiſſe Mariæ figuram docent *SS. Patres, & Expoſitores*; & populum ſignificaſſe totum genus humanum ſecundùm legem ordinariam ob *Adæ* inobedientiam morti damnatum; *Aſſuerum* autem figuraſſe Deum, qui tulit hanc legem. *Mariæ* tamen deprecanti pro populo, & propriam mortem metuenti dixit: *Non morieris*; idèſt peccatum originale, quod eſt mors animæ, non contrahes; lex enim, quę de contrahendo originali peccato pro omnibus eſt conſtituta, non eſt conſtituta pro te; quia ſecundùm aliam legem ſpecialem excepta es. Ex quibus ſic. In tantùm B. Virgo peccatum originale debuiſſet contrahere; in quantùm Deus decreuit omnes homines deſcendētes *ab Adam* peccatum originale contracturos in ſe ipſis; in omnibus enim hominibus continetur etiam B. Virgo, quæ pariter *ab Adam* per viam generationis deſcendit; quodlibet nanque particulare continetur in vniuerſali; ſed hoc non concludit; quanuis enim *Aſſuerus* legem tulerit, vt *omnes Hebræi* morti ſubijcerentur, attamen *Eſther* excepta eſt à tali lege per aliam legem particularem, & hoc non obſtante dicta eſt lex vniuerſalis lata pro omnibus: *Non pro te, ſed pro omi-*

omnibus; idêſt non pro te, quæ alia lege ordinari debebas, ſed pro omnibus, qui lege ordinariæ ſubijci debent, lata eſt lex communis communiter afficiens omnes; ita quanuis lex contrahendi peccatum originale peccante *Adamo* affecerit omnes ab illo deſcendentes, qui vna, & eadem lege omnibus communi ordinari debebant; attamen non debuit afficere B. Virginem, quæ lege ſpeciali eligente ipſam in Matrem Chriſti debuit ordinari; vnde licèt B. Virgo fuerit particularis perſona, quia tamen non fuit ordinata per legem communem, per quam ordinati ſunt omnes, ſed per legem extraordinariam, ideo non includitur in illa lege vniuerſali; & per conſequens verificatur, quòd omnes contraxerint peccatum originale, & quòd B. Virgo illud non contraxerit.

12 Prob. 3. *ex Cant.* 4. *Tota pulcra es, amica mea; & macula non eſt in te*. Ex quo ſic. Creatura, quæ tota pulcra eſt, & in qua macula non eſt, nequit eſſe concepta in peccato originali; ſed B. Virgo tota pulcra eſt, & in illa macula non eſt; ergo B. Virgo nequit eſſe concepta in peccato originali. Prob. ma. Illud, quod aliquando eſt deforme, & maculatum, non eſt totum pulcrum, & ſine macula; quod enim eſt totum pulcrum, & ſine macula, ita eſt pulcrum, & immaculatum, vt illo pulcrius, & immaculatius dari non queat; particula nanque *totum* importat omnem pulchritudinem, & puritatem, quæ illi, cui applicatur, conuenire poteſt; quod autem aliquando eſt deforme, & maculatum, non importat omnem pulcritudinem, & puritatem, quæ illi poteſt conuenire; quia poteſt dari pulcrum, & immaculatum, quod nunquam fuerit deforme, & maculatum; adeoque quod nunquam caruerit pulcritudine, & puritate; carere autem aliquando pulcritudine, & puritate deformitas, & macula eſt; ſicut nunquam carere pulcritudine, & puritate ſumma pulcritudo, & puritas eſt; tum quia ſi quod fuit aliquando deforme, & maculatum, poſſet dici totum pulcrum, & ſine macula, poſſet hoc dici de animabus infantium baptizatorum, quod tamen *Scriptura* non aſſerit; communiter enim ſola B. Virgo dicitur tota pulcra, & ſine macula; ſed quod eſt conceptum in peccato originali, fuit aliquando deforme, & maculatum; quia peccatum originale eſt deformitas, & macula; ergo quod eſt conceptum in peccato originali, non eſt totum pulcrum, & ſine macula. Mi. patet; quia *allatus textus* communiter *à SS. PP. & DD.* explicatur de Beata Virgine.

13 Conf. 1. Quod eſt purum ab omni contagione peccati, non eſt conceptum in peccato originali; ſicut quod eſt inquinatum omni ſorde peccati, conceptum eſt in peccato originali, quod eſt ſordes; qui enim dicit omne, nihil excludit; ſed B. Virgo eſt pura ab omni contagione peccati; vt ſtatuit *VI. Syn*; ergo non fuit concepta in peccato originali.

14 Conf. 2. Sola B. Virgo dicitur *in Scripturis, & à SS. PP.* ſine macula, & ſine peccato; ſed hoc nequit intelligi de ſolo peccato perſonali; quia plurimæ creaturæ deceſſerunt ſine peccato perſonali, vt patet de infantibus; ergo debet etiam intelligi de peccato originali; aliter non eſt encomium proprium ſolius Virginis eſſe ſine macula, quia conueniret etiam alijs à B. Virgine.

15 Prob. 4. *ex* 1. *Cor.* 15. *Primus homo de terra terrenus; ſecundus homo de Cælo caleſtis.* Primus homo, qui debebat innocentiam transfundere in omnes homines, factus eſt ex terra virgine, pura, & in qua macula nunquam fuit; ſed Chriſtus fuit figuratus in primo homine; quia venit ad reſtituendam ſanctitatem, & transferendam in omnes; ergo Chriſtus factus eſt ex terra B. Virginis pura, & in qua macula nunquam fuit. Tum quia maior puritas neceſſaria fuit ad efformandum hominem cæleſtem, cui terreſtris macula nequit competere; quàm ad efformandum hominem terrenum, qui terreſtri ſorde potuit inquinari; ſed *Adam*, qui eſt homo terrenus, fuit efformatus ex terra virgine, & à Deo creata ſine vlla ſorde; ergo idem à fortiori dicendum eſt de Chriſto. Hoc arg; vt refert *Caniſ. lib.* 1. *de Deipara c.* 7; vſus fuit *S. Andreas Apoſt.* loquens Ægeæ proconſuli his verbis: *De immaculata terra factus erat primus homo &c; neceſſariò de immaculata Virgine natus eſt perfectus homo, in quo Dei Filius hominem recuperauit*.

16 Prob. 6. Vera mater *Meſſiæ* eſt munda ab omni peccato etiam originali; ſed B. Virgo eſt vera mater Meſſiæ; ergo eſt munda ab omni omni peccato etiam originali. Ma. habebatur ex traditione *inter Rabbinos antiquos Synagogæ*; vt teſtatur *Galatin. lib.* 7. *cont. Iudæos*; & poteſt colligi 1. ex eo, quòd ſcribit *Io. Patriarcha Ieroſol. anno* 400. *apud Tritbem. lib. de inſtit. Monach. c.* 32. *to.* 9. *Biblioth. PP. pag.* 1282; vbi refert *Eliam* orantem *in monte Carmeli* iuſſiſſe puerum aſcendere ad cacumen ſeptem vicibus, & reſpicere contra mare; ſeptima autem vice vidiſſe nubeculam aſcendentem de mari *ad Carmelum*; habetur enim 3. *Reg.* 18. *Ecce nubecula parua, quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari ad Carmelum*; ſuper quod ait *Io. Quid autem ſacramenti rerum futurarum viſio illa intrinſecùs contineret, & quod iugis myſterij Deus Eliæ per eam portenderet, dignatus fuit Elias aperire non palam hominibus, ſed ſecretiùs conſortibus*. Quibus verbis habetur explicationem talis myſterij fuiſſe conſignatam traditioni. Et mox: *A quibus traditum tenemus Deum ſub figurata viſione reuelaſſe tunc Eliæ quatuor magna myſteria, quæ per ordinem explicabo. Primò quòd quædam infantula naſceretur, quæ ex vtero matris ſuæ ab omni peccato munda*

da egrederetur. Et paulò poſt: *Reuelauit Deus Eliæ, quòd quædam infantula, ſcilicet B. Maria per illam nubeculam ſignificata, & inſtar illius nubeculæ per humilitatem parua, naſceretur de humana natura peccatrice deſignata per mare. Quæ infantula in ſuo ortu eſſet munda ab omni peccatorum ſorde; quemadmodum nubecula illa fuit de mari amaro ſine tamen aliqua amaritudine. Licèt nanque nubecula illa eſſet originaliter eiuſdem naturæ cum mari; alterius tamen fuit qualitatis, alteriuſque proprietatis; mare quippe ponderoſum eſt, & amarum; ſed nubecula illa leuis fuit & dulcis. Sic quanuis in quolibet alio homine natura humana inſtar maris ſit in ſua origine ita amaritudine peccatorum, & vitiorum pondere preſſa &c. B. tamen Maria de hoc mari, idèſt natura humana, aliter fuit orta, quia in ſuo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum, ſed inſtar illius nubeculæ fuit leuis per immunitatem peccatorum, & dulcis per plenitudinem chariſmatum*. Ex quibus apparet ſermonem eſſe de natiuitate non ex vtero, ſed in vtero, quæ vera natiuitas eſt; vt dicitur *Matt.* 1. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*; ſermo enim eſt de natiuitate ex natura humana, non *ex Anna*; oriri autem ex natura humana eſt cõcipi in natura humana, quod fit in vtero; tum quia ſermo eſt de ea natiuitate, qua homines grauantur peccatis; ſed non grauantur in natiuitate ex vtero, ſed in vtero, quia aliqui nati ſunt ſancti ex vtero, vt *Ioannes Baptiſta*, & *Ieremias*; tum quia ſermo eſt de origine, quæ ſignificat natiuitatem in vtero, non ex vtero. *Vid. noſtrum Luſit. inf.* ex quo *Salm. to.*4. *de pecc. tract.*13. *diſp.*15. Præterea hoc clarè cognoſcebatur *à Prophetis in Scripturis ſup.* allatis; quibus additur illud *Pſ.*84. *Benedixiſti Domine terram tuam*, idèſt B.Virginem, de qua corpus ſumere debebat; *& auertiſti captiuitatem Iacob*; quanuis enim captiuitas *Iacob* ſumi poſſit pro captiuitate filiorum *Iacob*; attamen non incongruit, quòd captiuitas *Iacob* ſumatur pro captiuitate peccati originalis, quo ligabatur *Iacob*; à qua liberata eſt B. Virgo, quæ eſt terra, quæ deſcendit *ex Iacob*. Ergo ex traditione *inter Hebræos* conſtabat veram matrem *Meſſiæ* futuram fuiſſe ſine peccato originali.

17 Prob.7. ex reuelationibus priuatis, quę licèt de fide ſint credendæ tantùm ab ijs, quibus à Deo fiunt, non autem ab alijs, quibus immediatè à Deo non fiunt, vt diximus *to.* 4. *q.*3. *de Fide articulo* 2. *num.* 15; attamen magnam vim habent, vt generent aſſenſum Theologicum, quoties approbatæ ſunt ab Eccleſia. Inter reuelationes *B. Brigittæ lib.*1.*c.*9. *n.*5. reperitur, quòd B. Virgo ei reuelauit *animam cum corpore in ipſa conceptione fuiſſe ſanctificatam*; & *lib.*5. *in fine*, quòd Deus Pater ei dixit *Mariam ex peccatoribus quidem natam, attamen ſine peccato conceptam*; & *lib.*6. *c.*9. B. Virgo ei dixit: *Veritas eſt, quòd ego concepta fui ſine peccato originali*. *Noſter Luſit.* affert reuelationes *S. Amadæi*; *ſed de his in ſeq.* §.

14 Reſp. *Caiet.* has reuelationes *D. Brigittæ*, cùm ſint contra doctrinam SS. *PP*; eſſe meras phantaſias, & illuſiones; & eo magis quia *S. Catharinæ Senen.* fuit reuelatum oppoſitum.

Sed contra eſt *Luſit. lib.* 3. *q.* 4. *art.* 1. §. 1. reuelationes *D. Brigittæ* fuiſſe per Theologos examinatas, & approbatas tanquam probabiles *à Greg.*XI; *Vrbano* VI; *& Bonif.* IX; & è contra *Kemnitium*, aliosque hæreticos eas vocaſſe inſulſa deliramenta. Item negare in genere reuelationes priuatas eſſe contra communem doctrinam Theologorum. Ad illud de *D. Cath. Senen.* reſpondent *Catharinus*, *Sua*; *Vaſq*; & *alij* talem reuelationem fuiſſe additam; quia *nec Raymund*; *nec Steph. Carthuſ*; *nec Tho. Senen*; qui illius vitam ſcripſerunt, hanc reuelationem retulerunt. Præterea non conſtat talem reuelationem fuiſſe examinatam à Theologis, ſicut conſtat de reuelationibus *B. Brigittæ*; ideo ad minùs illa non habet eandem vim, quæ ſumitur ex auctoritate Theologorũ, quam habent iſtę; quanuis non conſtet reuelationes B. Brigittæ ſpectantes ad ſanctificationem B. Virginis fuiſſe in particulari poſitiuè approbatas.

18 Prob.8. *ex SS. PP*; & 1. *ex S.P. Aug. lib. de nat*; *& grat. c.*36. docente: *Excepta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem; vnde ſcimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuit ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere, & parere eum meruit, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum*. Hunc *textum* trahere conantur in oppoſitam ſententiam, ſed aperta violentia, vt mox patebit. Arguitur enim ſic. 1. Honor Domini exigit, vt eius Mater ſit immunis à peccato perſonali; ergo & ab originali; eadem nanque ratio, ob quam non eſt admittendum in B. Virgine peccatum perſonale, probat etiam non eſſe admittendum originale; quia vtrunque facit hominem Deo inimicum, Diaboli mancipium, reum damnationis æternæ &c; quæ non decent Matrem Filij Dei, vnde *S. P. Aug.* illis verbis: *Nullam prorſus propter honorem Domini volo habere quæſtionem*; nihil aliud ſignificat, quàm quòd tam certum ſit B. Virginem fuiſſe immunem ab omni peccato ſiue originali, ſiue actuali, vt illud nec in quæſtionem velit vocare; quod probant verba ſequentia; ex quibus ſic. 2. Tunc peccatum vincitur ex omni parte, cùm vincitur ex parte naturæ, & ex parte perſonæ; peccatum enim intrat in nos per naturam, quatenus in nos via originis natura maculata traducitur; & per perſonam, quatenus per operationes, quarum principium *quod* eſt perſona, in nos introducitur; ſed B. Virgini fuit collata gratia ad vincendum ex omni parte peccatum; ergo B. Virgini fuit collata gratia ad vincendum peccatum ex parte naturæ, & ex

parte

parte perſonæ. Atqui ex eo, quòd ei fuerit collata gratia ad vincendum peccatum ex parte perſonæ, non habuit in ſe ipſa peccatum perſonale; ergo ex eo, quòd ei fuerit collata gratia ad vincendum peccatum ex parte naturæ, non habuit in ſe ipſa peccatum originale. Mox rationem reddit verbis ſequentibus; ex quibus ſic. 3. Ideo B. Virgini fuit collata gratia ad vincendum ex omni parte peccatum; quia meruit parere Filium Dei, qui nullum potuit habere peccatum; ſed Filius Dei non potuit habere peccatum perſonale, nec originale; vt *ſup.* diximus; ergo B. Virgini collata fuit gratia ad vincendum peccatum ſiue perſonale, ſiue originale. Ex quibus apparet, quàm violenter trahatur *hic textus* ad ſententiam oppoſitam.

20 Dices *Pelagium ibid.* agere de ſolis peccatis perſonalibus, non de originali.

Reſp. *Pelagium* negaſſe peccatum originale, quod improbat S. P. in illo libro; à quo tamen excepit B. Virginem aſſerens omnes alios homines contraxiſſe & originale, & perſonalia.

21 Item *lib. 5. cont. Iul. c. 15.* ait, quòd ſi Chriſtus Dominus in infantia habuiſſet peccatum, illud etiam feciſſet, cùm fuiſſet grandis: *Profectò peccatum etiam maior feciſſet, ſi paruulus habuiſſet.* Arguit ergo à poſteriori in Chriſto Domino non fuiſſe peccatum originale, quia in ipſo non fuit peccatum perſonale; nam quantumuis fuerint ſanctificati in vtero *Ioannes, & Ieremias*; attamen commiſerunt peccata venialia, quia contraxerant peccatum originale, quod reddit inordinatam concupiſcentiam, per quam ſaltem venialiter peccamus. Idem autem arg. de B. Virgine fieri poteſt. B. Virgo nullum habuit peccatum perſonale, quamuis leuiſſimũ, aliter non fuiſſet ſine macula; ergo nec habuit peccatum originale, quod eſt radix peccatorum

22 Sed clariſſimè *in Suppl. cont. Iul. lib. 4. c. 121*; vbi *Iuliano* dicenti: *Tu ipſam Mariam Diabolo naſcendi conditione tranſcribis.* Reſpondet immediatè negando eadem verba: *Non tranſcribimus Mariam Diabolo conditione naſcendi, ſed ideo* (vel vt *alij* legendum putant) *ſed Deo; quia ipſa conditio ſoluitur gratia renaſcendi.* Igitur cõditione naſcendi per viam ſeminalem, & per carnalem concupiſcentiam ortam ex *Adæ* peccato omnes cõtrahunt peccatum originale. Sed ab hac conditione ſoluitur B. Virgo Maria per gratiam, per quã omnes homines renaſci debebant à primo peccato; ſoluta autem conditione contrahendi peccatum originale, peccatum originale non contrahitur; ſicut ſi Rex decernat mortem filijs poſita conditione, quòd eorum patres ab illo rebellent; ſi idem Rex ſoluat hanc conditionem pro aliquo filio nolens talem filium incurrere hanc pœnam, talis filius eam non incurreret; ita à pari.

23 Idem manifeſtè docent plurimi *PP. Sedulius lib. 2. operis Paſchalis; S. Ildephonſus Archiepiſc. Toletan. to. 9. Biblioth. PP. pag. 678; S. Idiota lib. de contempl. Virginis c. 2; S. Petrus Damian. ſerm. de Aſſumpt; S. Anſelm. com. in 2. ad Cor. 5; S. Bruno in pſ. 101; Iuo Carnoten. ſerm. de Natiu. Domini; S. Bern. ſerm. 13. de cæna Dom. S. Laur. Iuſtinian. lib. de caſto connubio Dei, & animæ c. 7; S. Bernardin. Senen. ſerm. 52; & pluries alibi; S. Athan. ſerm. de Sanctiſs. Deipara; & innumeri alij*, quos refert *noſter Aeg. Luſit. vbiſ.*

24 Prob. 9. ex communi conſenſu omnium populorum; nulla etenim nunc temporis reperitur natio catholica, quæ firmiter non credat B. Virginem immunem fuiſſe à peccato originali, & quæ immaculatæ conceptionis feſtum non celebret; ſed communis conſenſus populorum eſt ſignum euidens veritatis credendæ; vt diximus *to. 4. de Fide q. 1. art. 5. §. 3. nu. 62*; & celebratio feſti ſupponit ſanctitatem; ideo Eccleſia nullius alterius hominis celebrat feſtum conceptionis, quia quilibet conceptus eſt in peccato, & peccatum celebrare nefas eſt; ergo B. Virgo verè concepta eſt ſine peccato originali.

25 Prob. 10. Quotieſcunque Deus agit ſecundùm ſummum ſuæ potentiæ, tunc agit quantùm poteſt ita, vt in amplius non poſſit ſe extendere eius potentia; aliter non ageret ſecundùm ſummum ſuæ potentiæ; ſed in conceptione B. Virginis Deus ei contulit gratiam ſecundùm ſummum ſuę potentiæ, quia contulit ei gratiam maternitatis, qua maiorem non potuit ei conferre; ergo eius potentia egit, quantùm potuit. Atqui potuit eam præſeruare à peccato; ergo illam de facto præſeruauit.

26 Rationes contrariæ ſententiæ ſunt. 1. De fide eſt omnes homines deſcendentes *ab Adamo* per ſeminalem propagationem contrahere peccatum originale; habetur enim *Rom. 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in Mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſijt, in quo omnes peccauerunt*; cui additur definitio *Concil. Trid. ſeſſ. 5. de pecc. Orig. c. 2; & 3; & omnes SS. PP*; præcipuè *S. P. Aug. plurimis in locis* ſolùm Chriſtum excipiunt, quia per viam ſeminalem non eſt genitus; quod habet etiam *Conc. Mileuit. II. ep. 10. Leonis I. ad Flauian; & Flor. de vnione Armenor*; & habetur *pſ. 87. Solus inter mortuos liber; & ſæpe alibi*; ſed B. Virgo deſcendit *ab Adamo* per ſeminalem propagationem, genita enim eſt per commixtionem ſeminis viri, & fœminæ; ergo concepta eſt in peccato originali. 2. Eſſe membrum Chriſti magna excellentia, & dignitas eſt; eleuatur enim creatura ad vnionẽ moralem cum Deo; ſed nullus fit membrum Chriſti, niſi quatenus per gratiam ipſius à peccato liberatur; ergo dicere B. Virginem non fuiſſe conceptam in peccato originali præiudicat eius dignitati, & excellentiæ. Tum quia ſingulare priuilegium B. Virginis, quod arguit ſummam

mam eius excellentiam, fuit parere Filium ſuũ ſine peccato; ſed dicere, quòd B. Virgo concepta fuerit ſine peccato, eſt dicere, quòd hoc priuilegium fuerit commune *S. Annæ* eius matri; ergo idem. 3. B. Virgo verè fuit à Chriſto redempta; aliter Chriſtus non eſſet vniuerſalis Redemptor omnium hominum; ſed redemptio ſupponit peccatum, à quo redimitur; ergo idem. 4. Chriſtus mortuus eſt pro omnibus, vt habetur. 1. *Cor.* 15; ergo mortuus eſt etiam pro B. Virgine. Sed non eſt mortuus, niſi pro habentibus peccatũ, vt eos à peccato liberaret; ergo idem. 5. Peccauit *in Adam*; ergo in ſe ipſa illud peccatum contraxit; quia contrahere peccatum *ex Adam* eſt in illo peccaſſe. 6. Habuit omnes effectus peccati originalis, vt pati, mori &c; ergo idem. 7. Sequeretur, quòd Cælum nunquam fuiſſet ei clauſum, quia clauſum fuit ſolùm per peccatum. 8. Non potuit ſanctificari in inſtanti ante conceptionem, ſeu antequam anima vniretur carni, & informaret embrionem; quia id, quod non eſt informatum anima ſpirituali, non eſt capax ſanctificationis; neque in inſtanti conceptionis, quia fuiſſet ſimul gratia, & peccatum; ergo poſt inſtans conceptionis. 9. B. Virgo verè fuit iuſtificata per Chriſti gratiam; aliter habuiſſet iuſtitiam originalem, quam habuit *Adam* in inſtanti ſuæ creationis; & ſic non pertineret ad Chriſtum, quia illa gratia non fuit *Adæ* collata ex meritis Chriſti, vt diximus *to.* 2; ſed gratia Chriſti eſt gratia ſanans, in hoc enim diſtinguitur à gratia *Adæ*, vt docet *S. P. Aug. de corr; & grat. c.* 10; & gratia ſanans ſupponit infirmitatem, quæ eſt peccatum; ergo idem.

Reſp. ad 1. diſt. ma. De fide eſt omnes deſcendentes *ab Adam* ſecundùm legem ordinariã, ſecundùm quam Deus omnes homines generaliter ordinauit, contrahere peccatum originale, conc; & in hoc ſenſu loquuntur *Apoſt; Conc; & SS. PP*; ſecundùm legem extraordinariã, qua ſpecialiter ordinauit B. Virginem, vt eſſet Mater Dei, neg. Ad 2. dicitur, quòd eſſe membrum Chriſti eſt magna excellentia ita tamen, vt eſſe membrum, & Mater Chriſti ſit maior dignitas. Ad mi. diſt. Niſi quatenus à peccato contracto, vel contrahendo ſecundùm legem ordinariam, liberatur, conc; à peccato tantum contracto, neg. Ad aliud dicitur, quòd priuilegium ſpeciale, & ſummum B. Virginis fuit concipere ſine ſemine viri, quod clarè expreſſit illis verbis, quæ Angelo dixit, *Luc.* 1. *Quomodò fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*? Ad 3. diſt. mi. Redemptio ſupponit peccatum contractum, vel contrahendum ſecundùm legem ordinariam, conc; contractum tantùm, neg. Ad 4. eodem modo diſt. mi. Mortuus eſt pro habentibus peccatum, vel debentibus illud contrahere, conc; pro ſolis habentibus, neg. Quomodò autem hoc ſit intelligendum, *in ſeq.* §. dicemus. Ad 5. neg. conſ; non enim peccare *in Adam* eſt formaliter idem, ac contrahere peccatum originale in ſe ipſo; quia peccare *in Adam* eſt contineri ſeminaliter, & eſſe vnum, & idem cum illo; at contrahere peccatum in ſe ipſo eſt oriri *ex Adam*, & habere eſſe diſtinctum, & ſeparatum ab illo infectum peccato. Non poteſt ergo exiſtens vnũ, & idem *cum Adamo* non peccare peccante *Adamo*; aliter idem peccaret, & non peccaret, quod eſt impoſſibile; at verò poteſt non contrahere peccatum in ſe ipſo, quia in inſtanti ſeparationis proprij eſſe poteſt purificari à macula *Adæ*. Ad 6. neg. conſ; nam etiam Chriſtus qui peccatum non contraxit, habuit in ſe ipſo paſſibilitatem, quia aſſumpſit carnem ſimilem carni peccati; ergo ex eo, quòd B. Virgo habuerit in ſe ipſa aliquos effectus peccati originalis, non ſequitur, quòd habuerit peccatum originale. Diximus *aliquos*, quia non habuit concupiſcentiam, quæ pariter eſt effectus peccati originalis. Potuit ergo habere illos, qui ad peccatum non inclinant, ſed ad meritum ducunt. Ad 7. dicitur, quòd ob vnum *Adæ* peccatum Cælum fuit omnibus clauſum; omnibus ergo debuit à Chriſto aperiri, etianſi omnes peccatum *Adæ* in ſe ipſis non contraxerint. Ad 8. dicitur ſanctificatam fuiſſe in inſtanti vnionis animæ cum corpore, quæ vnio eſt vera conceptio hominis, ſeu natiuitas in vtero; fuit enim infuſa anima ſimul cum gratia ſanctificante, quæ abſtulit vim maculatiuam, quæ virtualiter erat in carne ita, vt ſolo tempore antecedente illud inſtans illa caro fuerit immunda. Ad 9. diſt. mi. Gratia Chriſti eſt gratia ſanans à peccato contracto, vel contrahendo ſecundùm legem ordinariam, conc; tantùm à peccato contracto, neg; & per hoc ſufficienter diſtinguitur à gratia originali, quæ à nullo ſanabat peccato, quia peccatum non erat contractum, nec contrahendum ratione natiuitatis.

27 Collig; quomodò B. Virgo aſſumpſerit carnem peccati, vt docet *S. P. Aug. in ſuppl. cont. Iul. lib.* 4. *c.* 78; *& ſæpe alibi*; hoc enim intelligendum eſt præſuppoſitiuè ad inſtans conceptionis, ſeu animationis; & ſecundùm debitum, vt *in ſeq.* §; tunc nanque caro erat immunda, vt dictum eſt; non autem formaliter coniunctiuè pro inſtanti conceptionis; ſic enim contraxiſſet peccatum, & non fuiſſet ſanctificata, quia gratia ſanctificans nequit ſtare ſimul cum immunditia. Hinc ſequitur non eſſe audiendos, qui aſſerunt Sanctos Virginis parentes coiuiſſe ſine libidine, & concupiſcentia carnali; nullum enim habet hoc fundamentũ *in Scripturis*, aut *SS. PP*; adeoque gratis dicitur omnino. Chriſtus autem qui non fuit carnaliter genitus per commixtionem ſeminis, non aſſumpſit carnem peccati, ſed in ſimilitudinem carnis peccati.

§. II.

§. II.

An B. Virgo contraxerit debitum peccati; vbi an in Adam peccauerit?

28 IN vnum §. cogere ea, quæ integro in libro protenduntur, & in vnam concluſionem reſtringere, quæ pluribus, fuſiſque diſputationibus pertractantur latè à *DD*; nec inſufficientiæ notam offendere, maior eſt difficultas, quam grauiſſima in hac controuerſia obuiam habuimus.

29 Debitum contrahendi peccatum originale propriè loquendo *eſt obligatio, qua cogimur ſubire maculam ab Ada peccato inflictam naturæ, & pænalitates ad eam conſequentes.* Dicitur *obligatio*, debitor enim obligatur ad ſoluendum id, quod tenetur. Dicitur, *qua cogimur*; obligatio enim definitur *iuris vinculum, quo neceſſitate aſtringimur alicuius rei ſoluendæ. tex. in l. Nunc tranſeamus. ff. de obligationib.* tum quia illius, quod quis liberè ſoluit, non debitor, ſed donator exiſtit; tum quia neceſſitamur contrahere peccatum, cùm participamus naturam infectam peccato; non enim illud voluntariè in nobis ipſis contrahimus, ſed etiam reluctantibus nobis, cùm naſcimur, illud ſubire tenemur; fuit nanque ſolùm voluntarium in cauſa, idèſt *in Adamo*, non in effectu, ſeu in nobis; tum quia ſi peccatum originale voluntariè voluntate propria eſſet in nobis, iam *non eſſet* (inquit *S. P. Aug. in ſuppl. cont. Iul. lib. 1. 47.*) *in paruulis, qui nondum voluntatis vtuntur arbitrio*; & ideo fuit ſolùm voluntarium in alio, ſcilicet *in Adamo*, quatenus omnes in illo voluntariè peccarunt. Tum quia, vt docet *idem S. P*; peccatum originale ita eſt culpa, vt etiam ſit pœna; infligitur enim in pœnam peccati *Adæ*; quia pœna fuit *Adæ* comminata carere iuſtitia originali naturam, quatenus erat in illo, & quatenus deriuanda erat ab illo, in qua carentia conſiſtit originale peccatum, vt diximus *to. 4. q. 2. de pecc. art. 4. §. 2*; pœna autem inuoluntaria eſt patienti. Tandem dicitur *ſubire maculam, & pænalitates &c*; quia peccatum originale importat culpam, & pœnam; vt diximus *vbiſ.*

30 Debitum diuiditur in remotum, & proximum. Vtrunque diuerſimodè explicatur *à DD.*

31 *Catharin. & Franc. Turrian.* aiunt debitum remotum, quod vocant etiam debitum ſecundùm quid, eſſe illud, quod deſumitur ex conditione naturæ, quæ, vt potè defectibilis, habet debitum peccandi; debitum verò proximum eſſe illud, quod contrahitur à lege, & pacto inito *cum Adamo*; quòd ſcilicet ipſo peccante deberent in ipſo peccare omnes poſteri in ipſo contenti.

32 Sed hic modus dicendi eſt falſus; natura enim humana, quanuis ſecundùm ſe ſit defectibilis, & deſtituta omni gratia non poſſit non peccare; attamen creata fuit cum iuſtitia originali, alijſque donis ſupernaturalibus, cum quibus poterat non peccare, & non mori; vt docet *S. P. Aug. de corr. & grat. à cap. 10; & ſæpe alibi*. Omnino ergo libera fuit ad peccandum; & ideo non habuit debitum peccandi; quia debitum peccandi neceſſitatem importat, vt *ſup.* dictum eſt; debitor enim poteſt cogi ad ſoluendum, quod debet.

33 *Noſter Gibb. diſp. 23. dub. 3. §. 5. nu. 9. cum pluribus Recentioribus* ait debitum remotum conſiſtere in eo; quòd omnis homo contineatur *in Adam*, vt in capite phyſico, ab illo per ſeminalem propagationem originem ducens; proximum verò conſiſtere in eo, quòd contineatur, vt in capite morali, eo pacto, quòd peccante illo omnes ab illo deſcendentes incurrant neceſſitatem contrahendi peccatum originale.

34 Sed hæc quoque explicatio eſt inepta, & falſo innititur. Nam antequam *Adam* peccaret, omnes continebantur phyſicè in illo; & tamen tunc nullum erat debitum peccandi, quia erat vera libertas ad non peccandum; ergo nulla erat neceſſitas, quæ ſola fundare poteſt rationem debiti. Præterea falsò ſupponit *Adamum* peccatum transfudiſſe ſolùm, vt caput morale, non vt caput naturale, quod improbauimus *to. 4. de pecca. q. 2. de pecc. Orig. art. 3.* Tum quia iſti duo modi dicendi nullum debitum peccandi extra *Adam* admittunt; & ideo ſolùm videntur cōcedere obligationem peccandi *in Adam Adamo* peccante.

35 *Alij* volunt debitum remotum fuiſſe illud, quod omnes contraxerunt, prout erant *in Adam*, & cum illo peccauerunt; ex eo enim, quòd omnes peccauerint in illo, contraxerunt debitum contrahendi peccatum in ſe ipſis, cùm ponuntur à parte rei extra *Adam*; & hoc debitum vocant extrinſecum. Proximum verò eſſe illud, quod habet quilibet in propria perſona ex eo, quòd *ab Adam* deſcenderit; & hoc vocant debitum intrinſecum. *Ita Bellarm. & alij.*

36 Sed hæc explicatio etiam ex parte deficit; nam cùm homo eſt in ſe ipſo, vel contraxit peccatum originale, & ſic ſolutum eſt debitum, quod ſolutione ceſſat, vt notum eſt; vel præſeruatus fuit ab illo; & ſic ſublatum eſt debitum contrahendi; nam gratia præſeruans tollit infectionem naturæ, cui ſolùm debetur peccatum; & ſic tollitur debitum.

37 Dices *cum Salm. tract. 13. de pecc. diſp. 15. dub. 1. §. 2. nu. 27*; ſentientibus debitum manere vſque ad iuſtificationem quòd adhuc contracto peccato non ponitur ſolutio pro illo, nec remittitur; ergo manet debitum. 2. Peccatum *Adæ*, qua ratione fuit poſterorum, permanet moraliter in abominatione Dei, quouſque ab ipſis poſteris retractetur; ſed quouſque non retractatur, inducit, vel conſeruat debitum habendæ origi-

nalis iuſtitiæ; ergo idem. 3. Si Deus anihilaret puerum habentem peccatum originale, & poſtea ipſum produceret, haberet idem peccatum, quod non reſultaret ex vi actionis Dei; ergo ex vi prioris debiti. 4. Quanuis poſito peccato debitum non influat in contractionem illius, attamen influit in conſeruationem; ergo idem.

38 Sed contra; nam cùm alicui ob delictum debetur pœna mortis hac conditione, vt alter poſſit mori pro illo; tunc nedum ſoluitur debitum per gratiam Principis remiſſiuam pœnæ, aut per mortem alterius, ſed etiam per mortem illius; iam enim eſt ſatisfacta iuſtitia; ergo quanuis contracto peccato originali non ſit facta ſolutio ab alio pro illo, ſeu vice illius, nec ſit remiſſum; adhuc per contractionem ipſius peccati ſolutum eſt debitum contrahendi illud. Vt ſi quis debeat centum, non minùs extinguit debitum, ſi creditor remittat, aut ſi alius ſoluat pro illo, ſed etiam ſi ipſemet ſoluat. Ad 2. neg. ma; nam abominatio Dei eſt actus Diuinæ voluntatis, in quo nequit eſſe, & ideo nec permanere moraliter peccatũ; tum quia hoc ſupponit idem peccatum numero *Adæ* transfundi in poſteros, quod eſt manifeſtè falſum. Ad mi. dicitur, quòd aliud eſt debitum habendi iuſtitiam originalem; & aliud debitum habendi priuationem illius; ideo quanuis habens peccatum originale habeat debitum habendi iuſtitiam originalem, quæ eſt diſtincta ab ipſa priuatione, cui eſt annexum debitum illam habendi; attamen non habet debitum habendi ipſum peccatum originale, quia illud iam habet; ſicut qui habet originalem iuſtitiam ineptè diceretur habere debitum habendi illam. Ad 3. omiſſo ant. neg. conſ; nam peccatum reſultaret ex connexione, quam haberet cum tali homine. Ad 4. neg. ſupp; quòd debitum influat in cõtractionem peccati, quanuis illam exigat; debitum enim non influit in ſolutionem, licèt illam exigat.

39 Ex his reijcitur *Vaſq;* qui eò, quia voluit, quòd debitum non ſit, niſi condignitas paſſiua reſpiciens demeritum *Adæ*, ob quod poſteri merentur carere iuſtitia originali, niſi obſtet gratia, putauit debitum manere per totam vitam ſimul cum gratia; cùm adhuc natura ſub gratia ſit condigna carere iuſtitia originali, & præſupponat *Adæ* demeritum; tum quia ſi poteſt tale debitum eſſe ſimul cum gratia in primo inſtanti conceptionis, vt volunt *Sua; & alij*; poterit ſemper eſſe ſimul cum illa. Reijcitur, inquam; quia nec in primo inſtanti eſt ſimul; nam per gratiam ſoluitur debitum habendi iuſtitiam originalem; vt enim arguit *Fund. Doct. in* 2; qui haberet debitum tranſeundi flumen per nauim, ſi tranſeat per pontem, abſoluitur à debito tranſeundi; ita à pari; nam gratia Chriſti ponitur loco iuſtitiæ originalis, vnde ſicuti habens iuſtitiam originalem ineptè diceretur habere debitum illam habendi; ita habens gratiam Chriſti, quæ ponitur loco illius, non dicitur ampliùs habere debitum habendi iuſtitiam originalem; aliter gratia non expelleret peccatum originale, ſi non abſolueret ab hoc debito; quia peccatum originale nihil aliud eſt, quàm carentia iuſtitiæ originalis cum debito illam habendi; vnde cùm habens gratiam careret iuſtitia originali, & haberet debitum illam habendi, haberet peccatum originale, quod eſt contra fidem. Tum quia ſicut habens gratiam originalem non haberet debitum habendi peccatum; ita habens gratiam Chriſti, quæ ſubſtituta eſt iuſtitiæ originali, non habet debitum habendi peccatum originale.

40 *Salmat. vbiſ. n.* 14. aiunt debitum proximum aliud eſſe formale quoad culpam, aliud quoad pœnam; quod nihil aliud eſt, quàm obligatio ad culpam, vel pœnam habendam; aliud fundamentale, quod importat ea omnia, ex quibus conſurgit talis obligatio, & neceſſitas; vt ſunt *Adæ* peccatum, ſemen vitiatum, diſpoſitiones ad formam, & permanentia peccati *Adæ* in Dei abominatione.

41 Sed hæc etiam deficit nedum ob *ſup.* dicta de abominatione; ſed etiam quia confundit debitum remotum cum proximo; ex eo enim, quòd poſteri peccauerint *in Adam*, contraxerunt debitum remotum; & ex eo, quòd deſcendant per ſemen, habent debitum proximum.

42 *Noſter Luſit. lib.* 2. *q.* 4. *art.* 4. *§.* 2. *nu.* 9. ait debitum remotum duplex eſſe; aliud primum, & radicale, quod immediatè oritur ex conditione naturæ, & terminatur ad actuale *Adæ* peccatum; ex eo enim, quòd omnes poſteri conditi ſint in lumbis *Adæ*, & fuerint vnum cum ipſo, ideo peccante illo neceſſitati ſunt etiam ipſi ad peccandum; aliud immediatè ortum ex *Adæ* peccato reſpiciens maculam originalem. Debitum autem proximum vnicum eſt, quod reperitur in prima hominis conceptione, in ſemine vitiato, diſpoſitionibus &c.

43 Sed nec primum debitum videtur admittendum; quia poſteri *in Adam* non peccauerunt neceſſitate, ſed libertate; vnde *Adæ* peccatum eſt illis voluntarium *in Adam*, non neceſſarium; aliter in illis non eſſet peccatum.

44 Remanet ergo, quòd debitum remotum ſit illud, quod contraxerunt *ex Adæ* peccato; quia enim peccauerunt in illo, ideo debent habere peccatum originale in ſe ipſis, cùm ponuntur in rerum natura; ſi enim non peccaſſent in illo, non debuiſſent peccatum originale contrahere. Proximum verò eſt ex modo procedendi *ex Adam*, quia ſcilicet procedunt per ſeminalem rationem, & carnalem concupiſcentiam infectam libidine, quæ ad peccatum inclinat; & reperitur in ſemine vitiato &c. *His not.*

45 Prima ſententia vult B. Virginem *in Adam* non peccaſſe ſimul cum alijs hominibus, adeoque non traxiſſe ex illo debitum incurrendi in pro-

in propria perſona peccatum originale. Sed hęc ſententia diuiſa eſt iuxta varios modos explicandi debitum. *Galatin. apud noſtrum Aeg. Luſit. lib.2. q.3. ar.1. §.2.* ait Deum in principio Mundi creaſſe quandam maſſam, vt ex ea formaret homines; & ex ea ſeruaſſe partem nobiliorem, qua plaſmaret corpus Chriſti, & Mariæ. Hæc autem communiter reputatur fabula reijcienda inter *Poetarum* inuenta potiùs, quàm inter *Theologos* diſputanda; nullum enim habet fundamentum *in Scriptura*, *& in doctrina PP*; imò illis apertè aduerſatur, habetur enim ex carne *Adæ* carnem Mariæ, & Chriſti Domini deriuaſſe. *Catharin.* verò ait non peccaſſe, quia licèt cum ipſo comederit fructum, attamen talis comeſtio erat prohibita *Adæ*, & alijs hominibus, non autem *Mariæ*. *Val.* aſſerit non peccaſſe; quamuis enim comederit, non tamen cum connotatione, quòd in ſua conceptione maculam peccati eſſet contractura. *Med; & Palat.* nō peccaſſe *in Adam* de facto, bene tamen de iure, & ſecundùm debitum; putant autem, quòd peccare *in Adam* ſit actu contrahere maculam peccati *ab Adam* patrati. Eandem ſententiam docent *Lez; Salazar; Gran; Bartholomæus de los Rios, Fernandez, Nouarin; Ambroſius de Pegnaloſa, Velaſquez; & ex noſtris Baſil. Legion; & Gibb; nec non plures alij apud noſtrum Luſit. lib.2. q.4. art.3. §.1; & apud Salm. inf.* Hi autem ferè omnes non agnoſcunt, niſi debitum ex conditione naturæ, vt *ſup.* diximus.

46 Secunda docet B. Virginem ſimul cum omnibus alijs hominibus peccaſſe *in Adam*; & ex hoc duxiſſe debitum contrahendi peccatum originale in propria perſona, quod ne contraheret, Diuina gratia fuit præuenta in inſtanti ſuæ conceptionis. Sed hæc pariter diuiſa eſt; nam *Bellarm.* ait habuiſſe etiam debitum proximum in propria perſona, & tamen non contraxiſſe peccatum originale, quia ſolùm in quodam priori naturæ fuit ſub hoc debito, & in poſteriori fuit gratia præuenta. At prioritas naturæ importat ſolam dependentiam cauſalitatis vnius ab alio cum ſimultanea coexiſtentia vtriuſque, & ideo ſequeretur debitum fuiſſe ſimul cum gratia, quæ illud euacuat, vt *ſup.* diximus; tum quia ſi in aliquo inſtanti caruiſſet gratia, & fuiſſet cum debito habendi iuſtitiam originalem, iam fuiſſet in peccato originali, quod non eſt, niſi carentia iuſtitię originalis cum debito illam habendi. Hunc modum explicandi ſequuntur *quidam alij pauci*. *Ceteri* tamen *communiter* docent B. Virginem habuiſſe duplex debitum, vnum ortum *ex Adæ* peccato; alterum ex modo naſcendi, per ſeminalem ſcilicet propagationem, & carnalem concupiſcentiam, & hoc exiſtere in fœtu ante animæ infuſionem. *Ita noſter Aeg. Luſit. vbiſ. art.4. §.2. nu. 9; noſter Iacob. de Val. in pſ. 46; & in expoſit. Magnificat;* Quod videtur etiam docere *Fund. Doct. in 2. diſt.31. q.2; & Greg. Arim. in 2. diſt. 30. q.2. Ex alijs verò Mag. Frideric. Nic. Gauardi Tom.5. Capr; Dur; Scot; Caniſ; Azor; & innumeri alij*, quibus accedūt *ferè omnes expoſitores, ac SS. PP. apud noſtrum Luſit; & Salm. vbiſ. dub.4. §.2.3; & 4.*

47 Vnica concl. Conformius eſt *Diuinis Scripturis*, *& SS. PP.* B. Virginem nullum habuiſſe debitum intrinſecum in propria perſona contrahendi peccatum originale; ſed ſolùm extrinſecum *in Adam*, & in fœtu ante infuſionem animæ rationalis, cum qua ſimul infuſa eſt gratia ſanctificans impediens peccatum, & tollens debitum illud habendi.

Prob. 1. pars concl. ex dictis. 1. Perſonæ iam ſanctificatę in primo inſtanti ſuę conceptionis repugnat debitum intrinſecum habendi peccatum originale; ſed *iuxta Diuinas Scripturas, & SS. PP.* B. Virgo fuit ſanctificata in primo inſtanti ſuæ conceptionis; ergo B. Virgini repugnat debitum intrinſecum habendi peccatum originale. Mi. claret *ex textibus* allatis *in ſup. §;* nam ſi B. Virgo non fuiſſet ſanctificata in primo inſtanti ſuæ conceptionis; in illo inſtanti fuiſſet cum peccato originali, fuiſſet enim cum priuatione iuſtitiæ originalis cum debito illam habendi, in quo formaliter conſiſtit originale peccatum; vt diximus *to.4. de pecc. q.2. art.4. §.2;* ſed B. Virgo non fuit concepta in peccato originali; ergo fuit ſanctificata in primo inſtanti ſuæ conceptionis. Prob. ma. Illud, quod eſt debitum intrinſecè alicui, poteſt de facto eſſe in illo; vt quia ligno per calorem diſpoſito eſt debita forma ignis, forma ignis poteſt eſſe in illo; ſed repugnat peccatum originale eſſe in perſona ſanctificata in primo inſtanti ſuæ conceptionis, quia ſanctificatio ita anihilat peccatum originale, cùm ſit forma illi oppoſita, vt tale peccatum nequeat ſimul ſtare; ergo repugnat peccatum originale eſſe intrinſecè debitum perſonæ iam ſanctificatę in primo inſtanti ſuę conceptionis. Atqui eſſe debitum perſonæ ſanctificatæ; & perſonam ſanctificatam habere debitum ad illud habendum eſt idem formaliter; illud enim eſt paſſiuum iſtius, quod actiuè ſignificatur; vt cùm dicitur habere debitum ſoluendi, & ſolutionem eſſe debitam; ergo perſonæ iam ſanctificatæ in primo inſtanti ſuæ conceptionis repugnat debitum intrinſecum habendi peccatum originale. 2. Eſſe ſine poſitione peccati originalis, & ſine poſitione gratiæ remiſſiuæ eiuſdē peccati eſſentialiter conueniunt debito contrahendi peccatum originale; ſed B. Virgo in primo inſtanti ſuæ conceptionis non potuit eſſe intrinſecè ſine poſitione peccati originalis ſimul, & gratię remiſſiuæ eiuſdem peccati; ergo B. Virgo non potuit habere debitum intrinſecum contrahendi originale peccatum. Prob. ma. Eſſe ſine ſolutione, & ſine extinctione eſſentialiter conuenit debito; per vtranque enim extinguitur, vt eſt per ſe notum; ſoluens enim, quod debet, ceſſat eſſe debitor; & ſic remiſſo debito non eſt ampliùs debitor; ſed poſitio peccati origi-

originalis eſt ſolutio debiti illud contrahendi; eſt enim id, quod debetur; & poſitio gratiæ remiſſiuæ eſt extinctio eiuſdem debiti, vt conſtat; ergo eſſe ſine poſitione peccati originalis ſimul, & gratiæ remiſſiuæ eiuſdem peccati eſſentialiter conuenit debito illud contrahendi. Prob. mi. Implicat, quòd ſubiectum, circa quod fiunt priuatiuè oppoſita, ſit ſimul ſine forma, & priuatione eiuſdem formæ; vt combuſtibile, circa quod fiunt priuatio, & forma ignis, ſit ſimul ſine forma, & priuatione ignis; eſſe nanque ſine forma formaliſſimè eſt eſſe cum priuatione eiuſdem formæ; quia priuatio eſt carentia formæ, & eſſe ſine forma eſt carere forma; ſed B. Virgo in primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit ſubiectum, circa quod potuit fieri peccatum originale, & gratia remiſſiua eiuſdem peccati, quæ priuatiuè opponuntur, vt diximus *to.4. vbi ſ.* ergo B. Virgo in primo inſtanti ſuæ conceptionis non potuit eſſe intrinſecè ſine poſitione originalis peccati ſimul, & gratiæ remiſſiuæ eiuſdem peccati. 3. Etiam admiſſa ſententia *Vaſq.* & *Salm.* arguitur ſic. Debitum intrinſecum contrahendi peccatum originale pro primo inſtanti infuſionis animæ rationalis eſſentialiter importat actualem contractionem pro primo inſtanti eiuſdem peccati; ſed B. Virgo in primo inſtanti ſuæ conceptionis non contraxit peccatum originale; ergo B. Virgo non habuit debitum intrinſecum contrahendi peccatum originale. Prob. ma. Debitum intrinſecum contrahendi peccatum originale pro primo inſtanti infuſionis animæ rationalis nequit ſtare ſimul cum gratia ſanctificante remiſſiua illius; quia gratia ſanctificans eſt illius ſolutio; ſolutio autem debiti nequit eſſe ſimul cum debito; quia ſolutio debiti extinguit debitum; ſed eſſe pro primo inſtanti infuſionis animæ rationalis ſine gratia ſanctificante importat actualiter contrahere peccatum originale, quia importat carere iuſtitia originali, & gratia ſanctificante, quæ loco illius ſubrogatur; & aliunde adeſt debitum habendi illam, quia fuit à Deo homo creatus cum illa; actu autem carere iuſtitia originali cum debito illam habendi eſt actu contrahere peccatum originale; ergo debitum intrinſecum habendi peccatum originale pro primo inſtanti infuſionis animæ rationalis importat eſſentialiter actualem contractionem peccati originalis. Mi. probata eſt *in ſup.* §.

48 Dices. 1. *cum Caiet.* Si B. Virgo non habuiſſet debitum in propria perſona, non potuiſſet dici mortua, & redempta in propria perſona; conſ. eſt falſum; ergo & ant. 2. Habuiſſet tantùm debitum commune *ex Adam*; & ſic non eſſet differentia inter debitum, quod in filijs Chriſtianorum admittebant *Pelagiani*; & nunc admittunt *Lutherani*, qui non admittunt debitum proprium, ſed tantùm commune, quod habuit quiſque *ex Adam.* 3. *cum Bellarm.* B. Virgo fuit extra cauſas, antequam fuerit ſanctificata; ergo idem. 4. *cum Sua.* In illo priori naturæ, in quo B. Virginis perſona conſideratur, vt genita *ab Adamo*, ſunt cauſæ influxiuæ peccati; ergo adeſt peccatum. 4. *cum Cordubén.* Contrahere debitum ex vi generationis eſt eſſe obnoxium ad contrahendum peccatum originale; ergo idem. 5. *cum Vaſq.* Contrahere debitum eſt eſſe dignũ, vt ei denegetur iuſtitia originalis ex vi ſuæ generationis; ergo idem. 6. Peccatum fuit in poſteriori naturæ ad naturam; ergo & gratia.

Reſp. ad 1; quòd licèt non poſſit dici mortua in propria perſona, poteſt tamen dici mortua *in Adam*, vt loquitur *Apoſt.*; & poteſt dici redempta in propria perſona, quia redemptio non importat peccatum pro eo inſtanti, quo importat gratiam, ſed ſufficit ad redemptionem, quòd peccatum ſupponat in alio, & debitum illud contrahendi in ſe. Ad 2. dicitur illud debitum ex vi ſeminis diſponentis ad talem perſonam fieri proprium talis perſonæ, quanuis intrinſecè non recipiatur in illa perſona, quia à gratia diſſoluitur. *Hæretici* autem negabant debitum proprium, quia aſſerebant filios in parentibus mundis ita mundari, vt nullum naſcendo peccatum contraherent. Ad 3. dicitur, quòd prioritas naturæ dicit ſolam dependentiam vnius ab alio, non autem dicit inſtans, in quo vnum ſit ſine alio; hæc enim eſt prioritas durationis, vt conſtat. Ad 4. omiſſo ant. neg. conſ. nam in primo inſtanti gratia ſoluit obnoxietatem. Ad 5. dicitur, quòd gratia tollit condignitatem ad culpam contrahendam. Ad 6. dicitur, ſicut ad 3.

49 Prob. 2. pars concl. 1. *ex Scripturis. Rom. 5. Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; ita per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.* Ex quo ſic. Sicuti per vnius Ieſu Chriſti iuſtitiam omnes homines iuſtificantur, & viuificantur in Chriſto; ita per vnius *Adæ* delictum omnes homines peccauerunt, & damnati ſunt *in Adamo*; ſed B. Virgo iuſtificata eſt, & viuificata in Chriſto per iuſtitiam ipſius; ergo peccauit ſimul cum alijs in *Adam*, & fuit damnata per peccatũ illius; & per conſequens ex illo duxit debitum extrinſecum contrahendi peccatum originale in ſe ipſa. Ma. eſt in terminis *ipſius Apoſtoli*, qui eodem modo extendit *Adæ* peccatum ad omnes homines, qui ex illo per ſeminalem propagationem erant deſcenſuri; quia peccando in ſe ipſo totam maſſam naturæ humanæ, quam omnes homines ex illo naſcendo non participare non poterant, infecit peccato; ita Chriſti, qui dicitur *ab eodem ſecundus Adam*, iuſtitiam ad omnes homines extendit, qui per Chriſti mortem regenerati fuerunt ad vitam; quia Chriſtus moriendo in ſe ipſo *mortem omnium ſuperauit*, & vitam omnibus meruit. Mi. etiam eſt certa; aliter B. Virgo

go non eſſet ſalua, & ſancta per Chriſti gratiã, nec ad gloriam Chriſti pertineret; quia per Chriſti gratiam Chriſti gloriam conſecuta non fuiſſet; maximum autem dedecus Matris eſſet excludi à gratia, & gloria Filij. Hinc S. P. *Aug. in Suppl. cont. Iul. lib.2.c.135.* ait: *In eo verò, quod tibi videtur duo iſta inter ſe eſſe contraria; vt omnes eant in condemnationem per Adam; & omnes rurſus in iuſtificationem per Chriſtum: omnino erras; nullus enim hominum, niſi per Adam trahitur ad damnationem, de qua per lauacrum regenerationis homines liberantur. Et nullus hominum, niſi per Chriſtum ab hac damnatione liberatur; ideo ex vtraque parte dicti ſunt omnes, quia nemo ad damnationem generis, niſi per iſtum: nemo ad vitam regenerationis, niſi per illum; ac per hoc non generalitas vnius partis locum excludit alterius.* Ex quibus expreſsè apparet, quòd ſicuti à generalitate gratiæ Chriſti nequit excipi B. Virgo; ita neque à generalitate peccati *Adæ* excipi poteſt, niſi contra doctrinam Apoſtoli.

50 Idem habet *Apoſt. 1.Corint.15. Sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Ex quo ſic arguit *S. P. Auguſt. lib.6. cont. Iul. c.12. Omnes ergo ad mortem per Adam; omnes ad vitam per Chriſtum.* Ex quo ſic. Eodem modo viuificati ſunt omnes per gratiã, quam omnibus promeruit; quo omnes mortui ſunt per peccatum, quod patrarunt *in Adam*; ſed B. Virgo viuificata eſt per gratiam, quam ei Chriſtus promeruit; ergo mortua eſt per peccatum, quod patrauit *in Adam*.

51 Item *2. Cor.5. Si vnus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt.* Super quod *idem S. P. in Suppl. lib.1. c.64. Si non ſunt mortui, non pro eis mortuus eſt Chriſtus &c. Concluſio hæc Apoſtoli inuicta eſt.* Ex quo ſic. Chriſtus mortuus eſt pro omnibus, qui mortui ſunt *in Adam* peccando, ſed pro B.Virgine mortuus eſt Chriſtus; ergo B. Virgo mortua eſt *in Adam* peccando. Ma. conſtat ex verbis Apoſtoli; nam Chriſtus mortuus eſt, vt ſua morte deleret mortem omnium, idêſt peccatum, quod incurrerunt *in Adam*. Mi. etiam eſt certa; quia Chriſtus ſua morte meruit gratiam omnibus, & cumulatiùs ſuæ Matri. Sed explicitè *idem S.P. in pſ.34.conc. 2.* ait: *Maria ex Adam mortua eſt propter peccatũ; Adam mortuus eſt propter peccatum; caro autem Domini ex Maria mortua eſt propter delenda peccata. Adam* igitur mortuus eſt in ſe ipſo per peccatum in ſe ipſo commiſſum; Maria non in ſe ipſa, quia concepta eſt ſine peccato, ſed *in Adam*, qui peccando mortem intulit omnibus ab ipſo per carnalem concupiſcentiam naſcentibus; Chriſtus verò ex Maria ſumpſit carnem mortalem, vt ſua morte omnium peccata deleret.

52 Inſuper *Matth.26. Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum; & c.9. Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus; non veni vocare iuſtos, ſed peccatores; & Luc.19. Filius hominis venit quærere, & ſaluum facere, quod perierat; & c.2. Redimendo populum ſuum à peccatis eorum; & 1. ad Timot.2. Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*; ex quibus infert *S. P. Aug. de corr. & grat. c.10.* hoc intereſſe diſcrimen inter iuſtitiam originalem, quæ nobis data fuiſſet *per primum Adam*, ſi non peccaſſet; & gratiam Chriſti, quæ nobis collata fuit *per ſecundùm Adam, qui peccatum non fecit*, ſed omnium peccata ſuo ſanguine deleuit; quòd illa ſolùm firmabat, non ſanabat naturam; quia natura per peccatum infirma non erat, & ideo non egebat ſanari; iſta verò eſſentialiter ſupponit peccatum, quod delet, remittit, & à quo redimit. Arguit autem ſic *noſter Luſit.* Redemptio, qua Chriſtus redemit omnes homines, *in Scripturis, & SS. PP.* verè ſupponit peccatum, à quo nos emit ſuo ſanguine; ſed B. Virgo verè fuit à Chriſto redempta; ergo B. Virgo ſupponit aliquod peccatum. Atqui hoc peccatum non fuit in ipſa perſona B. Virginis, quia nec perſonale, nec originale contraxit; ergo fuit ſolùm *in Adam*, ex quo duxit debitum contrahendi illud in ſe ipſo. Ma. patet *ex textibus* allatis; quibus additur illud *pſal.129. Et ipſe redimet Iſrael ab omnibus iniquitatibus ſuis*; nomine autem *Iſrael* ſignificatur populus electus, cuius Regina fuit procul dubio B. Virgo; *& ad Tit. 2. Vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem; & Epheſ. 1. In qua habemus redemptionem per ſanguinem ipſius in remiſſionem peccatorum.* Hinc *Zoſimus ep. 157. inter Auguſtinianas* inquit: *Nullus, niſi qui peccati ſeruus eſt, liber efficitur; nec redemptus dici poteſt, niſi qui verè per peccatum fuerit ante captiuus; & S.P. Aug. in Pſ.70. conc.2. Ipſa redemptio clamat captiuitatem noſtram; vnde enim redempti, ſi non anteà captiui? & de pecc. merit. & remiſs. cap.24. Vnde liberantur, ſi nulla ſeruitute tenentur adſtricti? & lib.3.cont.Iul. cap.3. Quomodò poteſt intelligi iſta redemptio, niſi à malo, redimente illo, qui redimit Iſrael ab omnibus iniquitatibus ſuis? Vbi enim redemptio ſonat, intelligitur & pretium. Et quid eſt hoc, niſi pretioſus ſanguis agni immaculati Ieſu Chriſti. De hoc autem pretio, quare ſit effuſum, quid interrogemus alium? Ipſe redemptor reſpondeat; dicat ipſe Mercator*: Hic *eſt (inquit) ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Ratio etiam hoc ſuadet. 1. Aliter ſi *Adam* ſtetiſſet, potuiſſet etiam dici redemptus, quia per gratiam à peccato præſeruatus fuiſſet. 2. B. Virgo poſſet etiam dici redempta nedum à peccato originali, ſed etiam à perſonalibus, quia ab ipſis fuit præſeruata; & ſic dicendum de Angelis bonis, qui poſſent dici redempti, quanuis non fuerit miſſus redemptor ad moriendũ pro ipſis. 3. Omnino impropriè dicitur redimi, qui poteſt fieri captiuus; ergo redemptio propriè loquen-

quendo ſupponit peccatum, à quo liberat. Mi. etiam conſtat; nam B. Virgo *in Cant.* inquit: *Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*; vel vt legit litera *Græca*: *Saluatore meo*; *&* *S.P.Aug. ſerm.35. de Sanctis*, qui eſt 2. *de Aſſumpt.* ait: *Hæc primæ matris damna reſoluit; hæc primo homini redemptionem adduxit*; & mox: *Hæc enim mirabili, atque inæſtimabili modo omnium, & ſuum peperit Saluatorem*; aliter Chriſtus non fuiſſet Redemptor totius generis humani, quia non omnes redemiſſet perſonas; nec B. Virgo eſſet membrum Eccleſiæ, quæ eſt corpus myſticum Chriſti, quia non eſſet ouis, quæ perierat, à Chriſto quæſita, & redempta; nec eſſet particeps gratiæ, & gloriæ Chriſti, vt Redemptor eſt, quam redemptione nobis promeruit.

53 Præterea 2. *Cor.* 5. *Reconciliauit nos ſibi per Chriſtum*; quod habetur etiam *Rom.*5; *ad Coloſſ.* 1; *&* *ad Epheſ.* 2; ex quo ſic arguitur. Reconciliatio omnium hominum cum Deo facta per Chriſtum ſupponit inimicitiam ortam ex peccato, quo omnes homines facti ſunt Deo inimici; ſed B. Virgo fuit reconciliata Deo per Chriſtum; ergo habuit inimicitiam cum Deo ortam ex peccato primi hominis. Ma. traditur *ab Apoſt. Rom.*5. *Cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius*; *ad Coloſs.* 1. *Cùm eſſetis aliquando alienati, reconciliauit vos in corpore carnis eius per mortem*; *&* 1. *Cor.* 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*; propitiatio autem idem ſignificat, ac reconciliatio. Prob. mi. B. Virgo fuit Deo vnita per gratiam Chriſti Filij ſui, qui omnibus meruit gratiam, per quam fierent amici Dei; ſed Chriſtus non meruit gratiam hominibus, niſi quatenus mediator Dei, & hominum, & ideo niſi quatenus reconciliator; habetur enim 1. *ad Tim.*2. *Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*; *&* *Hebr.*9. *Noui teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente in redemptionem &c*; *&* *ad Coloſſ.*1. *Pacificans per ſanguinem crucis eius*; pacificans autem, mediator, & reconciliator idem ſonant; ergo B. Virgo fuit Deo reconciliata per Chriſtum Filium ſuum.

54 Deinde *Rom.*8. *Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati*; *&* *pſal.* 87. de Chriſto dicitur: *Solus inter mortuos liber*. Quos *textus* explicant *SS. PP.* ſolum Chriſtum non habuiſſe veram carnem peccati, quia non fuit mortuus nec in ſe, nec *in Adam*; vt diximus *à num.*1; & ideo ipſe ſolus fuit liber inter mortuos, quia omnes alij homines mortui ſunt *in Adam* cum ipſo peccando. Et quanuis Chriſtus etiam traxerit carnem *ex Adam*, in quo erat caro peccati, idèſt maculata peccato; attamen ex illo non traxit carnem per ſeminum commixtionem, cui annectitur concupiſcentia carnalis, quæ ad peccatum inclinat, ſed opera Spiritus Sancti carnem præparantis, & diſponentis ad animæ infuſionem; ideo non aſſumpſit carnem peccati, ſed habentem ſolam ſimilitudinem cum carne peccati. Cùm igitur ſolus Chriſtus carnem aſſumpſerit ſine ſeminum effuſione, & ſolus natus ſit de Spiritu Sancto; ideo ſolus Chriſtus non habuit carnem peccati; & ideo *ſolus inuentus eſt liber inter mortuos, liber à peccato*, quia ſolus non peccauit nec in ſe, nec *in Adam*; omnes autem alij homines carnem peccati habuerunt, quia nati ſunt per ſeminum commixtionem, & nullus de Spiritu Sancto natus eſt ſine ſemine viri; adeoq; omnes alij mortui ſunt *in Adam*, quia carnem peccatricem *ex Adam* ſumpſerunt; & omnes eguerunt viuificari,& renaſci per Chriſtum; *Porrò* (inquit S.P. *Aug. in ſuppl. lib.* 4. *cont. Iul. cap.*78.) *quia ſolus Chriſtus habuit ſimilitudinem carnis peccati, quæ non eſſet caro peccati, quia non ex commixtione ſexuum natus eſt; quid reſtat, niſi vt peccati caro ſit omnium, qui de tali commixtione naſcuntur pertinentes ad mundum, cuius eſt Diabolus princeps, à quo malo non liberantur, ſi non in Chriſto non renaſcuntur*. Idem habet *lib.6. cap.*35; *&* *alibi*; *&* *lib.* 10. *de Gen. ad lit. cap.* 18. *Quid incoinquinatius illo vtero Virginis, cuius caro etianſi de peccati propagine venit, non tamen de peccati propagine concepit*; quod habet etiam *noſter S. Fulg. de Incarn*; *&* *grat. cap.*6. Ex quibus arguitur. 1. Ille homo, qui traxit *ex Adam* veram carnem peccati, verè peccauit *in Adam*, & habuit debitum contrahendi peccatum originale in ſe ipſo; ſed B. Virgo contraxit *ex Adam* veram carnem peccati; ergo verè peccauit *in Adam*, & habuit debitum contrahendi peccatum originale in ſe ipſa. Prob.ma. Trahere veram carnem peccati *ab Adam* eſt pœna peccati commiſſi *in Adam*; in tantùm enim cogitur vnuſquiſq; ſubire peccatum originale,in quantùm peccauit *in Adam*; quòd ſi non peccaſſet in illo, non poſſet cogi ad contrahendum peccatum ex illo; aliter innocens ſine culpa poſſet fieri peccator, quod eſt impium; ſed pœna præſupponit culpam, quæ non poteſt eſſe in propria perſona naſcentis in inſtanti ſuæ conceptionis; tunc enim eſt incapax vſus arbitrij; ergo trahere *ex Adam* veram carnem peccati præſupponit contrahentem *in Adam* peccaſſe, & ex hoc contraxiſſe debitum contrahendi peccatum originale in ſe ipſo in pœnam peccati in alio commiſſi, quod neceſſariò traducitur in ipſum peccantem, cùm incipit eſſe in rerum natura. Prob. mi. Ille trahit *ex Adam* veram carnem peccati, qui generatur per commixtionem ſeminis immundi ex carnali concupiſcentia; ſed B. Virgo fuit huiuſmodi; ergo idem. 2. In tantùm Chriſtus Dominus non peccauit *in Adam*, nec habuit debitum contrahendi in ſua conceptione peccatum,in quantùm eius conceptio fuit per opus Spiritus Sancti ſine ſexuum commixtione completa; ſed Beata Virgo non fuit concepta per opus Spiritus Sancti, ſed per ſexuum commixtionem; ergo peccauit

ctauit *in Adam*, & ex illo habuit debitum contrahendi peccatum originale in ſe ipſa. 3. Si Beata Virgo non peccaſſet nec in ſe ipſa, nec *in Adam*, ſequeretur, quòd non ſolus Chriſtus eſſet liber inter mortuos, idèſt ſine peccato inter peccatores; nam etiam B. Virgo libera eſſet, quia nullo modo nec in ſe, nec in alio commiſiſſet peccatum; non enim peccatum, quod potuiſſet committere, niſi præſeruata fuiſſet, eſſet ſufficiens ad ipſam denominandam mortuam; quia mortuum eſt verbum præteritum, quod ſignificat effectum præteritum; implicat autem, quòd ſit præteritum id, quod nunquam fuit; ſed conſ. eſt *contra Scripturam* docentem ſolum Chriſtum fuiſſe inter mortuos liberum; ergo & ant. eſt *Scripturæ* diſſonum, ac difforme.

55 Vlteriùs *ad Gal.4. Si autem per legem iuſtitia; ergo Chriſtus gratis mortuus eſt; & Luc. 5. Non egent, qui ſani ſunt, medico; & Matth. 9. Non eſt opus valentibus medicus.* Hinc *S. P. Aug. lib. de nat. & grat. in princ.* docet *eos nullo modo indigere gratia Chriſti, qui nullo modo pertinent ad eos, qui peccauerunt.* Ex quo ſic. Si B. Virgo non peccaſſet *in Adam*, & non habuiſſet debitum extrinſecum contrahendi peccatum originale in ſe ipſa, non indiguiſſet gratia Chriſti adhoc, vt præſeruaretur in inſtanti ſuæ conceptionis ab originali peccato; ſi nanque *in Adam* non peccaſſet, non debuiſſet, imò non potuiſſet contrahere peccatum originale in ſe ipſa; implicat enim, quòd aliquis innocens fiat peccator ipſo non peccante, ſeu non conſentiente in ſe ipſo, vel in alio; ſi autem B. Virgo non peccaſſet *in Adam*, in illo non conſenſiſſet *Adæ* peccato, & ideo illud non potuiſſet in ſe ipſa contrahere; ſed conſ. eſt contra communem ſenſum Eccleſiæ ſentientis B. Virginem in puncto ſuæ conceptionis fuiſſe vi præſtātiſſimæ gratiæ habitæ per Chriſtum Filium præſeruatam ab originali peccato; ergo idem. Prob. ma. Illud eſt omnino fruſtraneum, & nullius prorſus indigentiæ, quod datur ad vitandum aliquod malum, quod de facto nequit ſequi, & poni, etiam ablato illo, quod datur ad illud vitandum; ſed gratia Chriſti data fuiſſet B. Virgini ad vitandum peccatum originale, quod etiam ſine tali gratia præſeruatiua non potuiſſet contrahere, vt dictum eſt; ergo vt vitaret peccatum originale, non indiguiſſet gratia Chriſti.

56 Similiter *Matth. 1. Et vocabis nomen eius Ieſum; ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum; & 9. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores;* quod habetur etiam *Luc. 5; & 19; & 1. ad Tim. 1; & ſæpe alibi;* ſuper quod *vid. auctoritates allatas qu. 3. artic. 1;* ex quibus ſic arguitur. Aſſerere, quòd B. Virgo non peccauerit *in Adam* eſt illam excludere à motiuo incarnationis; motiuum enim aſſumendi carnem humanam, quod habuit Verbum Diuinum, fuit, vt peccatores ſaluos faceret; vt apertè ſignificant mox *allati textus*; ſi enim B. Virgo non peccaſſet *in Adam*, nullo modo nomen peccatoris ei potuiſſet congruere; nam ex eo, quòd peccare potuiſſet, non potuiſſet dici peccatrix; ſicut Angeli ſancti, qui peccare potuerunt ſimul cum alijs, qui ceciderunt, peccatores dici non poſſunt; ſed excludere B. Virginem à motiuo incarnationis eſt derogare eius ſummæ excellentiæ; ſicut enim B. Virgo fuit prædeſtinata poſt Chriſtum ante omnem aliam creaturam; vt docent communiter *Theologi*; ita fuit primarium, & principale motiuum incarnationis, quæ fuit ratio, & cauſa prædeſtinationis; ergo aſſerere, quòd B. Virgo non peccauit *in Adam* omnino derogat ſummæ illius excellentiæ, qua exaltatur ſuper omnes creaturas.

57 *Rom. 6. Quicunq; baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte illius baptizati ſumus.* Super quod *S. P. Aug. lib. 6. cont. Iul. cap. 1.* explicans, quid ſit baptizari in morte Chriſti ait: *Non eſt aliud in morte Chriſti baptizari, niſi peccato mori.* Ex quibus ſic. Omnes baptizati in morte Chriſti mortui ſunt peccato; ſed Beata Virgo baptizata fuit in morte Chriſti; ergo mortua eſt peccato in morte Chriſti. Atqui nemo poteſt mori peccato, niſi priùs in illo viuebat peccatum, & peccatum non viuit, niſi in eo, qui peccauit; ergo B. Virgo peccauit, non in ſe, ſed *in Adam.* Ma. patet *ex textu*; ſicut enim peccato maculati ſunt omnes *in Adam*, in quantùm *Adamo* peccante cum illo, & in illo omnes peccauerunt; ita à peccato baptizantur, ſeu abluuntur omnes in Chriſto, in quantùm Chriſto moriente pro omnium peccatis omnes mortui ſunt in illo, & cum illo peccatis. Prob. mi. Omnes, qui baptizati ſunt in ſe ipſis, baptizati ſunt in morte Chriſti; ſicut omnes, qui contraxerunt peccatum originale in proprijs perſonis, peccauerunt *in Adam*; ſed B. Virgo baptizata eſt in ſe ipſa, refert enim *Euthim. in cap. 3. Io. apud Sua. to. 2. in 3. par. diſp. 19. ſect. 1. Scribunt quidam Apoſtolorum temporibus proximi, quòd Chriſtus Petrum, & Virginem matrem baptizauerit*; & eſt communis ſententia *omnium Theologorum* B. Virginem fuiſſe baptizatam baptiſmo Chriſti, quod eſt *Sacramentum regenerationis*; Chriſtum verò non fuiſſe baptizatum baptiſmo à ſe inſtituto, ſed baptiſmo *Ioan*; qui erat tantùm figura baptiſmi Chriſti; erg. B. V. fuit baptizata in morte Chriſti.

68 *Gen. 2. In quacunque die comederis ex eo, morte morieris; & Rom. 8. Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum*; ſuper quod *S. P. Aug. lib. 6. de Gen. ad lit. à c. 19; & de corr; & grat. cap. 12; & in 12. libris cont. Iul.* docet mortem eſſe effectum peccati *Adæ*. Ex quo ſic. Omnis, qui mortuus eſt, mortuus eſt propter peccatum; homo enim ſolùm propter peccatum fuit factus mortalis eo modo, quo diximus *to. 3. q. 1. in Hexam. art. 12. num. 46*; ſed B. Virgo mortua eſt; ergo mortua eſt propter peccatum. At nullus mortuus

tuus eſt propter peccatum, niſi vel vt fideiuſſor pro delendo, & redimendo peccato, ſicut mortuus eſt Chriſtus; vel vt debitor peccati exoluendo pœnam peccato commiſſo decretam; B. Virgo autem non eſt mortua titulo fideiuſſionis; quia licèt aliquando *à SS. PP.* vocetur reconciliatrix, & mediatrix inter Deum, & homines, attamen hoc explicant, quatenus genuit Chriſtum, qui ſolus eſt reconciliator, & mediator Dei, & hominum, vt *ſup.* explicuimus *cum S. P. Aug*; ergo mortua eſt, tanquam debitrix peccati, quod *in Adam* commiſit. Tum quia effectus impletionis præcepti de non comedendo B. Virgo fuiſſet particeps, quia ei, ſicut alijs, collata fuiſſet iuſtitia originalis; ergo idem dicendum de effectibus tranſgreſſionis, qui ſunt carere iuſtitia originali, mori &c. At carere iuſtitia originali *in Adamo*, eſt in illo mori; ſeparatio enim iuſtitiæ ab anima eſt mors animæ; ſicut ſeparatio animæ à corpore eſt mors corporis; vt docet *S. P. Aug. ſerm. 5. de Verb. Domini*. Diximus *impletionis præcepti*, non *pacti*, initi à Deo *cum Adamo*, vt loquuntur *hìc Theologi*; quia illud fuit verum præceptum, & ſolùm impropriè pactum, vt diximus *to. 4. de pecc. quæſt. 2. art. 3; & 4*.

59 Debitum contrahendi peccatum originale *à SS. PP.* ſoli Chriſto negatur. *S. Ambr.* relatus *à D. P. Aug. lib. 1. cont. Iul. cap. 2; & 9.* ait: *Solus Chriſtus non tenetur vinculis obnoxiæ generationis; cęteri verò omnes ſub peccati obligatione naſcuntur*. Vinculum autem, & obligatio idem ſunt, ac debitum, vt *ſup.* diximus. *S. P. Aug. lib. 1. de pecc. merit; & remiſſ. cap. 20. Nullus eſt præter Chriſtum, qui non ex peccato ad iuſtitiam transierit; & qui nullo vnquam peccato fuerit adſtrictus*. Vbi hoc verbum *adſtrictus* importat vinculum, & per conſequens debitum. *S. Leo ſerm. 1. de Natiuit. Dominus noſter, ſicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit*; *reatus* autem ſonat idem, ac obligatio, ſeu debitum ſubeundi pœnam; & *ſic de alijs*, qui videri poſſunt *apud noſtrum Aeg. Luſit; & alios*.

60 Vt autem tollatur omnis ſcrupulus, ſic arguitur. Ex eo, quòd admittatur B. Virginem *in Adam* peccaſſe, mortuam fuiſſe, traxiſſe debitum tantùm extrinſecum contrahendi peccatum originale, fuiſſe *in Adam* captiuam Diaboli, & cætera huiuſmodi, nulla ex his noxis deriuatur in perſonam B. Virginis, vt ab alijs perſonis diſtinctam; quia B. Virgo *in Adam* erat vnum cum omnibus alijs hominibus, & cum ipſo *Adam*; vt ſæpe repetit *S. P. Aug*; nam effectus in cauſa nihil aliud eſt, quàm ipſa cauſa; ergo nulla prorſus B. Virgini, prout eſt perſona ab alijs diſtincta, irrogatur iniuria; ſed tantùm dicitur naturam *Adæ*, in qua omnes homines continebantur, fuiſſe infectam peccato, quod à nullo ſanæ mentis poteſt negari (non enim poteſt fabuloſè fingi *cum Galat.* reſeruatam fuiſſe portionem naturæ, quæ non fuit infecta) & quòd eadem natura, prout participanda per ſeminalem propagationem inducit debitum, ſeu neceſſitatem contrahendi peccatum originale, à quo debito tamen fuit intrinſecè ſoluta perſona B. Virginis, quia in primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit excellentiſſima gratia præuenta, & repleta. Sic autem dicendo optimè explicantur *Scripturæ*, quòd fuerit redempta, reconciliata, quòd ſit membrum Chriſti, & pertineat ad gratiam, & gloriam illius &c; ergo hæc ſententia nedum non derogat, ſed ſummè exaltat excellentiam B. Virginis in ſe ipſa, prout ab alijs diſtinguitur; quamuis de illa, prout cum alijs hominibus *in Adam* confunditur, communiter loquatur.

61 Accedit, quòd in Diuinis myſterijs, quæ ab infallibili oraculo Spiritus Sancti hactenus non ſunt declarata, *Scriptura* præcipit ſequi *SS. PP.* doctrinam: *Interroga Patres tuos, & annunciabunt tibi; maiores tuos, & dicent tibi*; vt diximus *to. 1. q. 1. proam. art. 7. nu. 5*; & habetur etiam *c. Prima ſalus 25. q. 5. ex Hormiſda; &c. contra ſtatuta eadem q. ex Zoſimo*; ſed *SS. PP.* ſtant pro hac ſententia, ſicut *& Scriptura*; ergo conformiùs ad *Diuinas Scripturas, & SS. PP.* B. Virgo peccauit *in Adam*, & ab eo duxit debitum tantùm extrinſecum contrahendi originale peccatum.

62 Si autem dicatur, quòd ſi peccare in alio nullam diceret imperfectionem in ſe ipſo, ſequeretur poſſe etiam dici de Chriſto, quod peccaſſet *in Adam*; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. Reſp. quòd licèt peccare *in Adam* nullam dicat imperfectionem in ſe ipſo, dicit tamen imperfectionem in eius generatione, quia dicit eam fieri per ſeminum commixtionem, quod repugnat Chriſto, & conuenit B. Virgini, quæ eſt pura creatura; ideo non eſt paritas.

63 Obijc. 1. *Scripturæ, & auctoritates allatæ* probant nedum de peccato *in Adamo*, & de debito contrahendi peccatum in ſe ipſa, ſed etiam de actuali contractione peccati in propria perſona; ſed ab actuali contractione peccati originalis in propria perſona B. Virgo excipitur, vt dictum eſt *in ſup. §*; ergo & à peccato *in Adam*, ac à debito illud contrahendi in ſe ipſa excipi debet. Prob. ma. Auctoritates probant B. Virginem debuiſſe eſſe mortuam, captiuam, & ſeruam peccati; ſed non poteſt dici mortua, captiua, & ſerua peccati, niſi per mortem peccati in ſe ipſa receptam; ergo probant etiam de actuali contractione peccati. 2. Auctoritates ſumptæ *ex D. P. Aug.* probant de actuali contractione; diſputabat enim *contra Pelagianos*, qui negabant actualem contractionem peccati; ideo ſi hanc contractionem non probaſſet, nihil egiſſet; ergo idem.

Reſp. ad 1. neg. ma; illud enim *Rom. 3. Omnes enim peccauerũt*; nequit intelligi de actuali contra-

contractione in ſe ipſis; nam quando homines in ventre matris concipiuntur, non peccant, nec poſſunt peccare, quia carent vſu rationis; imò coguntur peccatum contrahere; peccare autem nequit eſſe cum coactione; ergo *hic textus* nequit intelligi de actuali contractione peccati in ſe ipſis, ſed de commiſſione peccati *in Adam*. Quod clarè explicat *idem Apoſt. ibid. c.* 5. loquens *de Adamo: In quo omnes peccauerunt; & 1. ad Cor. 5. Sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Chriſto omnes viuificabuntur*; conſtat autem non omnes viuificari per actualem receptionem vitæ in ſe ipſis, quia multi moriuntur ſine baptiſmo, per quem acquiritur gratia, qua viuimus Deo; ſed ſolùm viuificari omnes in ipſo, quatenus ipſe mortuus eſt pro omnibus ſufficienter; mors enim ipſius fuit pretium ſufficiens, imò ſuperabundans, vt omnes liberarentur à morte peccati, quamuis non fuerit omnibus efficaciter applicata. Ergo prædictæ auctoritates non poſſunt intelligi, niſi de morte, captiuitate, & ſeruitute contracta *in Adam*; quæ mors, captiuitas, & ſeruitus fuit ſufficiens, vt contrahatur ab omnibus in ſe ipſis, niſi ſpeciali gratia Dei præſeruentur; & ideo ad prob. neg mi. Ad 2. dicitur rationes, & auctoritates allatas *à S.P. Aug.* procedere etiam de ſpeciali contractione in ſe ipſis, niſi ſpeciali Dei priuilegio præſeruentur; ſicut præſeruata fuit Beatiſſima Virgo; arguit enim, quòd ex eo, quòd omnes peccauerint *in Adam*, traxerunt debitum contrahendi peccatum in ſe ipſis, à quo debito nullus abſoluitur, niſi B. Virgo; & ideo omnes contrahunt peccatum in ſe ipſis naſcendo excepta B. Virgine; per quod rectè *Pelagiani* euertuntur.

64 Obijc. 2. *Cant. 8. ſub arbore malo ſuſcitaui te; ibi corrupta eſt mater; ibi violata eſt genitrix tua.* 2. *Eſther* 11. *Noli metuere, non morieris; non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex eſt conſtituta*; ergo lex de non comedendo fructum impoſita *Adæ* non fuit impoſita B. Virgini; quæ propterea non peccauit *in Adam*. 3. *Prou.* 31. *Non extinguetur in nocte lucerna eius*; idêſt in nocte delicti. Item *nec timebit à frigore niuis*; quia B. Virgo non fuit *in Adamo* denudata iuſtitia originali; & ideo in illo non peccauit. 4. Exceptio *Concilij Trid. ſeſſ. 5. de pecc. orig.* poteſt adaptari nedum actuali maculæ, ſed etiam debito illam contrahendi; vtitur enim teſtimonio *Apoſt. In quo omnes peccauerunt*. 5. *Iſaiæ* 19. B. Virgo dicitur *nubes leuis, ſuper quam Dominus aſcendit*; ſed debitum culpæ grauius eſt debito pœnæ, quia illud, non iſtud, importat fœditatem; ergo non habuit debitum contrahendi peccatum. 6. Prob. auctoritatibus adductis *in* 1. §; ſi enim peccaſſet *in Adam*, priùs fuiſſet Diaboli amica, & poſtea inimica; & ſic de alijs.

Reſp. ad 1. potiùs probare oppoſitum; nam ſi Deus ſub arbore malo ſuſcitauit B. Virginem, iam B. Virgo erat in malo. Suſcitauit ergo illam ex malo, vt non violaretur in ſe ipſa, ſicut violata fuit in ſe ipſa *Eua* eius mater. Ad 2. allata verba dicta fuiſſe, poſtquam *Eſther* iam ceciderat in manu ancillæ, & poſtquam viderat iratum, & furore agitatum; ergo ſignificant B. Virginem, poſtquam *in Adam* cecidit, fuiſſe à Deo præſeruatam, ne moreretur in propria perſona; atque adeò illi dictum fuit: *Non pro te*; idêſt pro tua perſona, vt diſtincta ab alijs; *ſed pro omnibus*; idêſt prout omnes vnum fuerunt *in Adam, hæc lex eſt conſtituta*. Ad 3. eodem modo dicitur deſignari, quòd in perſona B. Virginis in ſe ipſa, non *in Adam*, donum ſapientiæ nunquam fuit extinctum, nec fuit ſpoliata habitu gratiæ. Ad 4. dicitur controuerſiam excitatam tempore *Sixti IV.* fuiſſe de macula, non de debito; *Trid.* autem totam hanc quæſtionem remiſiſſe *ad Extrau. eiuſdem Sixti*. Ad 5. dicitur probare in B. Virgine non fuiſſe debitum intrinſecum, non autem extrinſecum.

Obijc. 3. *Lez. Gen.* 3. de B. Virgine dicitur: *Ipſa conteret caput tuum*; non contriuiſſet autem caput Diaboli; ſi peccaſſet *in Adam*, quia in ſuo initio fuiſſet à Diabolo contrita. 2. *Iob.* 3. *Expectet lucem, & non videat; nec ortum ſurgentis Auroræ*; ergo B. Virgo, quæ *Auroræ* nomine inſignitur, non fuit peccati tenebris obſcurata. 3. *pſ.* 88. *Thronus eius, ſicut Sol in conſpectu meo*; quibus verbis B. Virgo comparatur Soli, qui vmbras in ſe ipſo non admittit. 4. *Ezech.* 43. *Ipſa eſt lex domus* (idêſt Mariæ, quæ fuit domus Dei in ea inhabitantis) *omnis finis eius in circuitu Sanctum Sanctorum*; ergo ſi ex omni termino fuit ſanctitas, nullibi fuit peccatum. 5. *Cant.* 4. *Tota pulcra es, amica mea, & macula non eſt in te*; ſed ſi peccaſſet *in Adam*, non eſſet tota pulcra, & macula in illa ſemel fuiſſet; ergo idem.

Reſp. ad 1. B. Virginem contriuiſſe Diabolum in propria perſonâ, prout *ab Adam*, & alijs hominibus diſtincta; certum enim eſt ipſam non contriuiſſe Diabolum, prout erat vnus, & idem homo cum *Adam*, & cum alijs hominibus; ſic enim & *Adam*, & alij homines ſimul contriuiſſent Diabolum, & non ſola Virgo, cuius contrarium docet *Scriptura*; impoſſibile nanque eſt, quod vnus, & idem homo conterat, & conteratur. Ad 2. conſtat pariter non poſſe intelligi de B. Virgine, niſi in propria perſona; ait enim: *Nec videat ortum*; qui non eſt, niſi in ipſa perſona. Ad 3. eodem modo dicitur, quòd non fuit *Thronus Dei*, niſi in propria perſona, vt diſtincta *ab Adam*; & ſic ad 4. de domo Dei. Ad 5. pariter dicitur, quòd *macula non eſt in te*; *in te* autem deſignat propriam perſonam, quia non fuit in ſe, niſi in propria perſona; & prout fuit *in Adam*, non eſt in ſe ipſa, ſed in alio, vt patet. Ergo omnes iſti *textus*, & alij, qui poſſunt adduci, verificantur de B. Virgine in ſe ipſa *extra Adam*; ſic enim nec habuit peccatum, nec debitum peccati; quia vtrunque extinxit gratia, qua fuit repleta.

66 Obijc. 4. *idem.* *S. P. Aug. de nat; & grat. c.36.* docet, quòd *ei fuit collata gratia ad vincendum ex omni parte peccatum*; ergo & ad illud vincendum *in Adam*; aliter non viciſſet ex omni parte. 2. *S. Hier. ſerm. de aſſumpt*; qui tribuitur *Sophronio*, ait: *In nullo corrupta; nec prævaluit fraus inimici*. 3. *S. Bern. ſerm. de Natiuit. Caro Mariæ ex Adam ſumpta maculas Adæ non admiſit; & in off. Bernard. de Buſtis: Maculas illius peccati, damnationis, & debiti non admiſit.* 4. *S. Dominicus. Sicut primus Adam fuit de terra virgine, & nunquam maledicta formatus; ita decuit in ſecundo Adam fieri.* 5. *S. Ildephon. de perpetua virginit. to. 9. Bibl. PP. pag. 678. Maledicto Euæ non ſubiacuiſſe, nec corruptioni peccati; & in Adamo ſordes non admiſiſſe.*

Reſp. *noſter Luſit.* hæc omnia intelligi de B. Virgine in propria perſona; conſtat enim, quòd hæc illi non conueniebant, prout erat vnus, & idem homo *cum Adam*, & cum omnibus alijs hominibus; aliter hæc non ſolùm conueniſſent B. Virgini, ſed etiam *Adæ*, & omnibus alijs hominibus, quod eſt compertiſſimè falſum. Ad *S. Ildephon.* reſp. aliud non aſſerere, niſi quòd quia B. Virgo præſeruata fuit à culpa; ideo fuit etiam præſeruata à dolore pariendi; conſtat autem hæc dici de ipſa, prout fuit in ſe ipſa.

67 Obijc. 5. *idem.* Peccare, mori, captiuari *in Adamo* ſonat indignitatem, quæ non debet admitti in B. Virgine, *in qua omnis decor, & gloria reſplendet.* 2. Qui in patre maledicitur, & damnatur, abſolutè maledicitur, & damnatur; vt patet de poſteris *Cain*; ſed B. Virgo non fuit abſolutè maledicta, & damnata; ergo nec *in Adam* eius patre. 3. In iure mater gaudet priuilegio filij; & *Auguſta* priuilegio *Auguſti Imperatoris*; ſed Filius B. Virginis fuit exemptus à peccato in ſe ipſo, & *in Adam*; ergo & B. Virgo Mater ipſius. 4. B. Virgini debet competere nobilior, & excellentior redemptio; ſed talis eſt redemptio in cauſa; ergo idem. 5. *Gen. 47. Terra Sacerdotalis* fuit libera à tributo; ergo & B. Virgo, quæ fuit terra, ex qua formatus fuit ſummus Sacerdos, qui manet in æternum. 6. Piaculum eſt res templis dicatas ſumi ad prophanos vſus; ideo *Balthaſſar Dan. 5.* ob prophanata templi vaſa morte fuit punitus; ſed B. Virgo fuit deſtinata in templum Spiritus Sancti; ergo non potuit inſeruire in vſum peccati. 7. *III. Syn.* ait; quòd *Maria* eſt purior omni ſenſibili, & intelligibili creatura; ſed creatura intelligibilis non peccauit nec in ſe, nec in alio; ergo & B. Virgo.

Reſp. hæc quoque probare, quòd B. Virgo in propria perſona non admiſerit peccatum, nec debitum peccati, quod *ſup.* ſtatuimus. Ad 1. igitur diſt. ant. Peccare *in Adamo* ſonat indignitatem *in Adamo*, ſicut peccare in ſe ſonat indignitatem in ſe; eodem enim modo eſt indignitas, quo eſt peccatum, conc; ſonat indignitatem in ſe, neg. Ad 2. neg. ma; quamuis enim qui in alio maledicitur, habeat debitum trahendi maledictionem in ſe; attamen ab hoc debito poteſt liberari per gratiam, & redimi; ſicut fuit redempta B. Virgo, quæ propterea non traxit maledictionem, aut damnationem in ſe. Ad 3. diſt. ant. Pro eo tempore, quo eſt mater filij, & vxor *Auguſti*, conc; quo non eſt mater, aut vxor, neg; B. Virgo autem non fuit mater Filij Dei *in Adamo*, ſed in ſe; ergo idem. Ad 4. neg. ſupp. mi; nam redemptio in cauſa non eſt redemptio, quia captiuitatem non ſupponit, vt diximus. Ad 5. diſt. conſ. B. Virgo in ſe ipſa, quatenus mater Chriſti ſummi Sacerdotis, conc; *in Adam*, in quo non erat Mater electa, neg. Ad 6. diſt. mi. B. Virgo *in Adam* fuit deſtinata in templum Spiritus Sancti, neg; in ſe ipſa, conc; & ſic in ſe ipſa nunquam fuit prophanata peccato. Ad 7. eodem modo; purior enim fuit in propria perſona extra *Adamum*; in *Adamo* autem, quia idem erat cum illo, pura non fuit, quia ille fuit impurus.

68 Obijc. 6. Ad rationem redemptionis ſufficit præſeruatio à malo futuro, quod quis incurreret, niſi præſeruaretur; dicitur enim *pſal. 143. Qui redemiſti Dauid ſeruum tuum de gladio maligno*, idèſt de gladio *Goliath*; conſtat autem, quòd *Dauid* non fuit redemptus à plaga iam accepta à gladio *Goliath*, ſed à plaga accipienda, niſi à Deo fortitudine, qua poſſet illum præuenienter occidere, fuiſſet præmunitus; & pſal. 85. *Eruiſti*, vel vt *alij* legunt; *Redemiſti animam meam ex inferno inferiori*; non quòd *Dauid* in infernum deſcenderit, ſed quia deſcendiſſet, niſi Diuina miſericordia fuiſſet præſeruatus; & *D. Dion. de Diu. Nom. c. 8.* aſſignat duplicem modum ſaluationis creaturarum; primum quia omnia creat, & conſeruat; ſecundum, quia eripit à malis præſeruando, ne cadant in nihilum; & hunc appellat *liberationem*. *Item Diu. Bern. ſerm. 22. in Cant.* appellat Chriſtum *Redemptorem Angelorum*, quia tenuit eos, ne caderent in peccatum; & habetur *Epheſ. 1. Propoſuit inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in Cœlis, & quæ in terra ſunt: & ad Coloſſ. 1. Pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in Cœlis, ſiue quæ in terris &c*; nomine autem eorum, quæ ſunt in Cœlis, ſignificat Angelos, quia homines tunc in Cœlis non erant; & *S. P. Aug. lib. de diligendo Deo c. 12.* ait: *Etiam ea, quæ te protegente non commiſi, totum à te dimiſſum deputandum eſt*; dimiſſio autem, ſeu remiſſio eſt effectus redemptionis; ergo etiamſi B. Virgo non peccauerit *in Adam*, adhuc potuiſſet dici redempta, quia à tali peccato præſeruata fuiſſet.

Reſp. *Salm. dub. 3. S. 9. n. 113.* periculum euidens mortis æquiualere debito, ideo *ex his locis* colligitur ad redemptionem ſatis eſſe habere debitum incurrendi malum.

69 Sed hæc reſponſio non ſatisfacit; poſſet enim inferri: Ergo ſatis fuit ad hoc, vt B. Virgo

fuerit

fuerit redempta; fuiſſe in periculo proximo peccandi *in Adamo*; & non requiritur, quòd actu in illo peccauerit; nec quòd habuerit debitum ortum ex peccato.

70 Reſp. igitur *cum noſtro Luſit.* diſt. ant. Ad rationem redemptionis latè ſumptæ, conc; ſtrictè, vt eſt redemptio Chriſti Domini deſcripta *in Scripturis*, neg; redemptio enim Chriſti, vt loquuntur *Scripturæ*, eſt *remiſſiua peccati*, remiſſio autem peccati ſupponit peccatum commiſſum; eſt *reconciliatiua*, ideo ſupponit inimicitiam, quæ non eſt per peccatum futurum, ſed præteritum; eſt *iuſtificatiua à contradictorio*, idèſt ab iniuſtitia; peccatum autem futurum non reddit hominem iniuſtum; vt diximus *ſup. n.* 52. Vnde ad prob. dicitur, quòd quanuis admittatur poſſe dici latè redemptionem à peccato futuro; non tamen ſequitur poſſe dici redemptionem ſtrictè in eo ſenſu formaliter, in quo *Scripturæ* loquuntur de redemptione Chriſti Domini. Vel ad 1. reſp. *Dauid* in pœnam peccati præteriti contraxiſſe debitum incurrendi pœnam mortis per *Goliath* inferendæ; & ideo rectè dicitur ab illa pœna fuiſſe redemptum; & ſi dicatur non poſſe *ex Scripturis* in illo aſſignari peccatū, ob quod incurreret debitum pœnę mortis; reſp; quòd licèt non poſſet *ex Scripturis* aſſignari peccatum perſonale, attamen non ſequitur, quòd in illo non fuerit, licèt occultum; & dato, quòd non fuerit; fuit tamen peccatum originale, cuius pœna eſt mors. Ad aliud dicitur, quòd *plures Interpretes* exponunt de peccato adulterij, & homicidij, quod vocatur infernus inferior; quia peccatum magis torquet remordendo cōſcientiam, quàm infernus viſibilis comburendo. Vel ſi intelligatur de inferno, qui eſt locus pœnarum; dicitur, quòd talis redemptio ſupponit peccatum, per quod factus fuerat reus inferni; vnde redemptio licèt non ſupponat actualem conſecutionem pœnæ; ſupponit tamen actualem contractionem peccati, per quam contrahitur reatus ad pœnam; nam Chriſtus Dominus redemit nos ab inferno, quia redemit nos à debito conſequendi pœnam æternam contracto per peccatum mortale. Ad *D. Dion.* dicitur ipſum loqui de conſeruatione rerum, ne abeant in nihilum; talem autem conſeruationem non eſſe propriè redemptionem manifeſtum eſt, aliter poſſet dici Deum redemiſſe creaturas inanimatas, & naturas irrationales. Ad *D. Bern.* dicitur *cum S. P. Aug. in Enchir.* Chriſtum fuiſſe Redemptorem Angelorum, nō quia pro illis mortuus ſit, ſolùm enim pro mortuis mortuus eſt, vt ait *Apoſt*; ſed quia mortuus eſt pro hominibus, qui inſtaurarunt ruinas Angelorum replendo ſedes eorum, qui ceciderunt; & hoc ſignificatur per illud *Epheſ.* 1. Per illud verò *Coloſſ.* 1. innuitur, quòd inimicitia, quæ orta fuerat inter Angelos ſanctos, & homines per peccatum, ſublata fuit redimendo homines à peccatis; hoc etenim ſatis fuit, vt fieret amicitia, & pax inter homines exiſtentes in terris, & Angelos ſanctos exiſtentes in Cœlis. Ad *D. P. Auguſt.* dicitur, quòd ratione peccatorum commiſſorum incurrerat debitum committendi alia peccata; vnum enim peccatum permittitur in pœnam alterius; vnde rectè poteſt dici dimitti hoc debitum.

71 Obijc. 7. Deus potuit, & decuit præſeruare Virginem matrem à peccato *in Adam*, & à debito illud contrahendi in ſe ipſa; ergo illam ſic præſeruauit; quæ enim redundant in honorem B. Virginis, Deum feciſſe fatendum eſt. 2. Non repugnat Deum ita diſpoſuiſſe ſua decreta, vt electio Matris fieret ex meritis Chriſti, quanuis non eſſet de numero eorum, qui peccauerunt *in Adam*. Propter hoc *Aduerſarij* laborant in diſponendo ordine decretorum Diuinorum vnuſquiſque effingendo ordinationem eorum ſecundùm ſuum placitum, & impugnando ordinationem factam ab alijs, vt videri poteſt *apud noſtrum Gibb. diſp. 23. dub. 3. §. 3. & 5*; ergo in tali caſu poſſet dici verè redempta.

Reſp. ad 1. fuiſſe à nobis *ſup.* propoſitum *n.* 29; ſed debere intelligi de facto ſeruatis *Scripturis*. Diſt. igitur ant. Potuit, & decuit ſeruato ordine redemptionis, qui de facto nobis innoteſcit *ex Diuinis Scripturis*, neg; ſecundùm alium ordinem, conc; ſed neg. conſ; nam poterat Deus creare ex nihilo corpus B. Virginis, nō ex carne *Adæ*; vel poterat illam facere non de ſemine viri, ſed de Spiritu Sancto, hoc enim in maiorem Virginis gloriam cedere videtur; quia nec eſſet orta in peccato, nec à peccatoribus nata; nec tamen ſequitur, quòd hoc fecerit; quia voluit, vt Verbum à peccatoribus naſcens omnium peccata deleret. Voluit ergo B. Virginem naſci de peccatoribus per ſeminalem propagationem libidine infectam; quam tamen in inſtanti ſuæ conceptionis purgauit à vi maculandi, vt nullam in propria perſona maculam traheret; & hoc ſolùm decuit, & potuit ſuppoſita tali ordinatione; Ad 2. diſtincto eodem modo ant. Poſſet dici redempta in ſenſu, quo de facto loquuntur *Scripturæ*, neg; in alio ſenſu, tranſeat.

72 Ex hoc magis euellitur *Aduerſariorum* ſcrupulus ſic. Ex eo, quòd B. Virgo orta ſit ex parentibus peccatoribus ſummæ eius puritati nullum præiudicium infertur; quia peccatum eſt extra perſonam B. Virginis, & puritas eſt in ipſa perſona; ergo ex eo, quòd peccauerit *in Adam*, non præiudicatur ſummæ eius puritati; quia non peccauit in ſe ipſa, & in propria perſona; ſed prout erat vnum, & idem *cum Adam*; quod peccatum nō tranſijt ad perſonam B. Virginis, quia in primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit præſeruata ab omni peccato, & ideo fuit præcluſa via, ne in illam peccatum intraret.

73 Obijc. 8. Minùs dedecet B. Virginem

committere peccatum veniale in ſe ipſa, quàm peccare *in Adam* mortaliter; ſed peccatum veniale ei denegamus propter ſummam illius puritatem; ergo & iſtud. 2. Omnia, quæ piorum aures offendunt, debent vitari; ſed aſſerere B.Virginem peccaſſe *in Adam*, fuiſſe in illo peccatricem, maculatam, immundam, Deo inimicam, Diaboli ancillam piorum aures offendit; ergo hoc non eſt dicendum.

Reſp. ad 1. neg. ma; quia peccatum proprium perſonale inficit propriam perſonam; cùm autem à perſona B. Virginis debeamus excludere omnem infectionem, vt eius ſummam puritatem ſaluemus; ideo debemus ei peccatum etiam veniale perſonale denegare. At verò peccatum *in Adam* cùm inficiat ſolam *Adæ* perſonam, & naturam ab ipſo communicandam; potuit autem ipſa natura in inſtanti conceptionis perſonæ ab ipſa propagatæ à peccati fœditate purgari; ideo poſſumus concedere B.Virginem *in Adam* peccaſſe abſque vllius fœditatis contractione in propria perſona. Ad 2. dicitur, quòd ſicuti ex eo, quòd debeamus abſtinere à prædicatione prædeſtinationis gratuitæ populo rudi, non ſequitur non dari prædeſtinationem gratuitam; ita à pari.

74 Obijc. 9. Inter alias reuelationes, quæ leguntur in quodam libro, cui titulus eſt: *Noua Apocalypſis auctore S. Amadeo in Bibliotheca Regia S. Laurentij Eſcurialis* aſſeruato, reperitur Angelum *Gabrielem* reuelaſſe, quòd *S. Andreas Apoſtolus* aſſiſtens tranſitui B.Virginis dixit: *Non tu mortua in Adam fuiſti. Et S. Thomas: Adæ peccato præuiſo non fuiſti cum alijs omnibus condemnata*; ergo idem.

Reſp. illas reuelationes non fuiſſe ab Eccleſia approbatas. *Bzouius anno* 18. *annal. Eccl. ad annum* 1471. illas reijcit. *Marracius* ait eſſe pias meditationes *ipſius Amedei*, non reuelationes; *Cornelius à Lapide in c.*1. *Apoc.* ait, quòd Angelus talia reuelans *fuit Scotiſta. Ita Salm*; qui referunt in eodem libro legi *S. Thomam* B. Virgini morituræ illud encomium dixiſſe; cùm tamen conſtet *S. Thomam* morti non fuiſſe præſentem; & poſt triduò tantùm aduenitſſe, cùm iam eſſet ſepulta; vt habetur *ex D. Dam. in off.* 4. *diei inf. oct. Aſſumpt*; ergo inter apocrypha ſunt reijcienda.

§. III.

Aſſeruntur aliquot quæſita.

75 QVæres 1; an B. Virgo habuerit fomitem peccati?

Illi, qui tenuerunt eam conceptam fuiſſe in peccato, dixerunt habuiſſe fomitem, qui tamen in prima ſanctificatione, quæ fuit in vtero *S.Annæ*, fuit ligatus; & in ſecunda ſanctificatione, quę fuit in inſtanti incarnationis, fuit prorſus extinctus. Nos verò dicimus fomitem non habuiſſe, quia fomes, vt docet *S. P. Aug. in Suppl. cont. Iul. lib.* 2. *c.* 71; *& Trid. ſeſſ.* 5. *de pecc. orig. can.*5; eſt effectus peccati originalis, eſt enim *ex peccato, & ad peccatum inclinat*; nam nomine *fomitis peccati* ſignificatur inclinatio ad peccatum, quæ idem eſt, ac concupiſcentia carnis aduerſus ſpiritum, quę cauſat difficultatem ad ſequendum bonum ex eo, quòd ad malum inclinat; ſed in B. Virgine non fuit peccatum originale; ergo neque fomes peccati.

76 Dices. *S. Dam. lib.*4. *de fide c.*15. ait, quòd Spiritus Sanctus purgauit B. Virginem, antequam conciperet Filium. Idem habet *Naz. catecheſi* 17.*in hom.Paſchali*; *D. Cypr. lib. de Cardinalib. Chriſti operib. c. de Natiuit*; *D. Ambr. in Luc. c.*1; *& Gloſ. ordinaria*.

Reſp. loqui de purgatione à ſordibus, quæ potuerunt B. Virgini competere per naturam; & à materialibus phantaſmatibus, quæ ei conueniebant ratione modi cognoſcendi; & à neſcientia myſteriorum, non autem à ſordibus, quæ proueniunt à culpa eo prorſus modo, quo diximus *to.*3. *q.*6. *de Ang.ar.*1. §.1; ita enim fuit purgata, vt eius mens nō eſſet occupata erga res huius vitæ; ſed ſoli vitæ contemplatiuę addicta.

77 Quæres 2; an B. Virgo bis fuerit ſanctificata?

Reſp. affirmatiuè; primò enim fuit ſanctificata in primo inſtanti ſuæ conceptionis, vt dictum eſt; ſecundò in inſtanti incarnationis Verbi Diuini, cùm repleta fuit Spiritu Sancto. *Luc.* 1. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Rationem reddit *S. P. Aug. ſerm.* 9. *de temp.* inquiens: *Dignum planè erat, vt Regali onuſtanda partu priùs Cœleſtis Regis ſanctificaretur ingreſſu*. Attamen inter has duas ſanctificationes diſcrimen eſt; nam prima impedijt, ne reſultaret peccatum originale; ſecunda verò non excluſit peccatum, quia per quod intraret peccatum, non erat; ſed matris contulit dignitatem, quæ parere Filium debebat, qui venerat peccatores ſaluare à peccatis.

78 Quæres 3; an B. Virgo in primo inſtanti ſuæ conditionis fuerit ſanctificata per motum liberi arbitrij in Deum eo modo, quo homines adulti ſanctificantur; an verò ſine tali modo, quomodò paruuli ſanctificantur in baptiſmo?

Reſp. *noſter Gibb. diſp.*14.*dub.*2. ſanctificatam fuiſſe primo modo; nam talis ſanctificatio perfectior eſt, quàm ſecunda; quapropter *aliqui* dicunt fuiſſe priuilegium ſpeciale ſolius Chriſti Domini habere vſum liberi arbitrij in vtero Matris; vt videtur docere *S. Tho. hîc art.* 3. *in fine cap*; ſed B. Virgini debet tribui perfectior ſanctificatio, quàm reliquis puris creaturis; Angeli autem, & *Adam* in inſtanti ſuæ creationis fuerunt ſanctificati per vſum liberi arbitrij; ergo ſanctificata fuit per motum liberi arbitrij. Tum quia *S. Io. Baptiſta* fuit in vtero ſancti-

ꝺificatus per motum liberi arbitrij; habetur enim *Luc.* 1. *Exultauit in gaudio infans in vtero meo*; ſuper quod *S. P. Aug. lib.* 2. *de conſ. Euangeliſt. c.* 15. ait *S. Ioannem* in vtero nouiſſe Chriſtum; & ideo habuiſſe vſum rationis; ergo à fortiori hoc eſt tribuendum B. Virgini.

79 Quæres 4; an B. Virgo ex vi primæ ſanctificationis facta fuerit impeccabilis ſimpliciter ita, vt nec mortaliter, nec venialiter peccare potuerit?

Reſp. affirmatiuè. *Ita Fund. Doct. Aeg. hic diſt.* 3. *p.* 1. *q.* 1. *art.* 3. Eſt *contra Albigenſes, Caluinum, Brentium, & alios relatos à Caniſio lib.* 1. *de B. Virg. c.* 10. blaſphæmantes B. Virginem aliquando peccaſſe. Prob. tamen ex definitione *Conc. Claromontani ſub Vrbano II, & Trid. ſeſſ.* 6. *can.* 23; vbi ſtatuit nullum *poſſe in tota ſua vita peccata omnia etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei priuilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia*; quibus innuit totam Eccleſiam ſentire priuilegium non peccandi etiam venialiter B. Virgini fuiſſe conceſſum; *& S. P. Aug. de lib. de nat; & grat. c.* 36. ait; *quòd ei plus gratiæ collatum fuit ad vincendum ex omni parte peccatũ, quæ concipere, & parere eum meruit, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* Quibus verbis inſinuat rationem; nam gratia maternitatis eleuauit B. Virginem, vt conciperet, & pareret Chriſtum, quem certum eſt nullum prorſus habuiſſe peccatum; ergo ipſam ita eleuauit, vt nullum prorſus in ſe haberet peccatum; virtus enim perficit cauſam per ordinem ad effectum. Tum quia ſi non fuiſſet impeccabilis, non habuiſſet gratiam ad vincendum ex omni parte peccatum, ſed à peccato aliquando vinci potuiſſet. Tum quia ſi potuiſſet peccare, peccatum refuſum fuiſſet in dedecus Chriſti; habetur enim *Eccleſ.* 3. *Dedecus filij pater ſine honore*; ſed hoc eſt abſurdum; ergo & id, vnde ſequitur.

80 Dicunt *hæretici* B. Virginem in fide dubitaſſe, cùm dixit *Luc.* 1. *Quomodò fiet iſtud?* 2. A Chriſto fuit reprehenſa *Io.* 2. *Quid mihi, & tibi eſt, mulier? Matth.* 2. *Quæ eſt mater mea, & qui patres mei? Luc.* 2. *Quid eſt, quòd me quærebatis &c.*

Reſp. ad 1. B. Virginem non dubitaſſe, ſed admiratione defixam illa verba protuliſſe inquirendo, non dubitando. Ita *S. P. Aug. in qq. vet; & noui teſtam. q.* 73; *& alibi; & D. Ambroſ. lib.* 2. *in Luc. c.* 2. Ad aliud dicitur non fuiſſe reprehenſam in propria perſona, nihil enim reprehenſione dignum erat in illa, ſed reprehendiſſe curioſitatem adſtantium, qui miraculum expectabant. Vel dicitur reprehenſam fuiſſe, prout gerebat figuram *Sinagogæ*; vt exponit *Alcuinus*.

81 Quæres 5; an ſaltem habuerit potentiam proximam peccandi?

Reſp. negatiuè *contra Dur. in* 3. *d.* 3. *q.* 4; *& Vaſq. diſp.* 120. *c.* 2; & prob. Potentia proxima peccandi importat actum primum peccaminoſum exiſtentem in potentia, quæ poteſt peccare; ſed B. Virgo non habuit actum primum peccaminoſum; ergo nec potentiam proximam peccandi. Ma. *inf.* explicabitur *q.* 10. *art.* vbi reiectis modis, quibus inſufficienter explicatur potentia proxima peccandi, oſtendemus, in quo formaliter conſiſtat.

A R T. III.

Oſtenditur contra Iudæos Meſſiam veniſſe.

1 IIs, qui cęci ſunt, fruſtra oſtenditur lux, quę, quanuis ſit de ſe manifeſta, attamen ab illis negatur, quia nequit ab illis videri. Cordis cęcitatem iu pœnam peruicacis perfidiæ, qua noluerunt agnoſcere Saluatorem, incurrerunt *Iudæi*, quam antea prophetauerat *David pſ.* 68. *Obſcurentur oculi eorum, ne videant; & dorſum eorum ſemper incurua*; idêſt ne ſurſum cor habeant, vt lucem veritatis aſpiciant. Quapropter potiùs rogandus eſt Deus, vt eorum mentes illuminet, oculoſq; adaperiat; adeo enim manifeſta eſt veritas *Meſſiam* iam veniſſe, vt ſolis oculis neceſſe ſit ad credendum.

2 Prob. *à S. P. Aug. conc. cont. Iudæos, Paganos, & Arrianos à cap.* 11. ex impletione vaticiniorum. 1. *Iſaiæ* 7. habetur: *Ecce Virgo in vtero concipiet, & pariet Filium, & vocabis nomen eius Emanuel, quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus.* Sed B. Virgo Maria concepit, & peperit Filium, nec virginitatem amiſit, vt credit totus mundus; & Apoſtoli, ac Diſcipuli, qui fuerunt nati *ex Iudæis*, id prædicauerunt, & librorum monumentis conſignatũ reliquerunt; ergo *Meſſias* iam venit. 2. *Dan.* 9. *Cùm venerit Sanctus Sanctorũ, ceſſabit vnctio*; ſed vnctio inter *Iudęos* iam ceſſauit; quia nullus inter *Iudæos* modò vngitur Rex, aut ſummus Sacerdos; ergo iuxta veterẽ legẽ *Meſſias* iam venit. 3. *Dan.* 6. *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper Vrbem ſanctam tuam; vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia; & vngatur ſanctus ſanctorũ* &c. *Vſq; ad Chriſtum Ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt* &c. *Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt; & ciuitatem, & ſanctuarium diſſipabit &c. Et in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium.* Hanc prophetiam eſſe de *Meſſiæ* aduentu manifeſtum eſt; nomine enim *Meſſiæ* ſignificatur Saluator, qui delere debebat peccatum, & à peccatis homines redimere. Intuitu ergo precum *Danielis* abbreuiatæ ſunt hebdomades ſeptuaginta; quia anni ſolares facti ſunt anni lunares, qui ſunt vndecim die-

diebus minores annis ſolaribus; & iſtæ hebdomades erant annorum, non dierum iuxta illud *Leuit.25. Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum*. Numerus itaque annorum, qui fluere debebant ante *Meſſiæ* aduentum, eſt quadringentorum, & nonaginta annorum lunariũ; qui fluxerunt ab anno 20. *Artaxerſis*, à quo conceſſum fuit *Neemiæ* facultas reædificandi *Ieruſalem*, vſque ad Chriſti mortem *iuxta Chronographorum* ſupputationem. Congruit nomen *Meſſiæ*, qui eſt Chriſtus; congruit occiſio; congruit, quòd populus, ex cuius ſtirpe ortus fuit, eum negauit. Conſonat deſtructio ciuitatis, & ſanctuarij facta *per Titum*; tandem verificatur, quòd Chriſtus in medio hebdomadis paſſus fuit; ergo compertiſſimum eſt *Meſſiam* iam veniſſe, & hunc eſſe Chriſtum Dominum.

3 *Iſaiæ 2. Fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent. Venite, & aſcendamus in montem Domini, & ad domum Dei Iacob; & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius; quia de Syon exibit lex, & Verbum Domini de Ieruſalem*; & paulò poſt: *Proiecisti enim populum tuum, Domum Iacob*: vel vt habet alia verſio: *Dimiſit enim plebem ſuam, domum Iſrael*. Super quod *S.P. Aug. or. aduerſus Iudæos cap.8.* ait: *Hic vos agnoſcite*. Arguitur autem ſic. *Meſſias* debuit exire *de Ieruſalem*; & ad eum debuerunt conuerti omnes gentes, & populi multi; at ipſe proiecit, ac dimiſit domum *Iacob*, domum *Iſrael*; quod repetit *cap.5.* dicens: *Nunc oſtendam vobis, quid faciam vineæ meæ. Auferam ſepem eius, & erit in direptionem*; & paulò poſt: *Vinea enim Domini exercituum domus Iſrael eſt*; ſed Chriſtus Dominus eſt Verbum Domini, quod exijt *de Ieruſalem*, quia ex gente *Hebræa* natus eſt; ad eum conuerſi ſunt omnes gentiles, & multi populi, ac nationes; & dimiſit *Iudæos*; qui non crediderunt in eum, & qui erant populus, & plebs eius electa; ergo Chriſtus Dominus eſt verus *Meſsias*.

4 Proſequitur *S.P. Aug. ibid. cap.9. Malac.1. Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens; & munus*, vel (vt alia verſio habet) *ſacrificium non accipiam de manibus veſtris. Ab ortu enim Solis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus; & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*; vel, *ſacrificium mundum; quoniam magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus omnipotens*. Ex quo ſic. Tunc veniet *Meſſias*, quando voluntas Dei non erit ampliùs *in Iudæis*; & hoc erit, quando *à Iudæis* ampliùs non ſacrificabitur Domino, & quãdo Gentes ab oriente vſque ad occidentem magnificabunt nomen Domini; & in omni loco, vbique terrarum, & gentium ſacrificabitur, & offeretur ſacrificium mundum; ſed poſt Chriſti aduentum voluntas Dei ceſſauit eſſe *in Iudæis*, quia ei ſacrificare ampliùs non potuerunt; deſtructum enim fuit templum, & altare, extra quod ſacrificare eis fuit prohibitum; & Gentes vbique offerunt ſacrificium mundum, & hoſtiam puram, & immaculatam corpus, & ſanguinem agni Filij Dei in altaribus vbique locorum erectis; ergo verus iam venit *Meſſias*.

5 Conf. *ab eodem S.P. Aug. ibid. Iſaiæ 49.* dicitur: *Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ*. Ex quo ſic. Verus *Meſsias* cognoſcetur ab omnibus gentibus, quia debuit eſſe ſalus omnium exiſtentium in vltimis finibus terræ; ſed Chriſtus Dominus cognitus fuit à gentibus, & ſalus eſt omnium exiſtentium in finibus terræ; quia pro omnibus moriendo omnium peccata deleuit; ergo Chriſtus Dominus eſt verus *Meſsias*.

6 Idem probat *S.P. Aug. lib. de altercatione Eccleſiæ cum Synagoga*; ex quo hæc pauca decerpſimus. *Hierem.4.* dicitur: *Circuncidite vos Deo veſtro, & circuncidite præputium cordis veſtri; & Deut.30. Erit in nouiſſimis diebus; circumcidet Deus cor tuum, & cor ſeminis tui ad Dominum Deum tuum amandum*; cui concinit *Paulus Apoſtolus ad Coloſs. Circuncisi eſtis circunciſione non manufacta, non in expoliatione carnis, ſed in circunciſione Chriſti*. Super quæ *S.P. Aug. Ecce non carnis; ſed cordis circunciſio mandabatur; ſcilicet vt vitia cordis circuncideres, vt libidines deſecares, vt tunicam fornicationis ſcinderes*. Arguitur autem ſic. Tunc venire debuit *Meſſias*, quando vetus circunciſio, quæ fiebat in carne, debuit immutari, & fieri in corde; ait enim *Hierem. ibid. Renouamini inter vos nouitate; & Iſaias 42. Illa vetera tranſierunt, & ecce facta ſunt noua*; ſed Chriſtus docuit circunciſionem debere fieri in corde, vt teſtatur *Paulus* Chriſti Apoſtolus; ergo Chriſtus eſt verus *Meſſias*.

7 *Ioel. 2. Canite tuba in Syon, ſanctificate ieiunium, & induite orationem, aggregate pupillum, ſanctificate Eccleſiam, excipite maiores natu, colligite paruulos, & lactentes; procedat ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo*. Ex quo ſic. Tunc venturus erat verus *Meſsias*, quando egreſſurus erat *de Ieruſalem* nouus ſponſus, & noua ſponſa, & vxor illius; ſed per Chriſti aduentum egreſſus eſt *de Ieruſalem* nouus ſponſus, & noua ſponſa vxor illius; quia Chriſtus, qui ſponſus eſt, vt habetur *pſ.18. Tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo*; fuit ex gente *Hebræa*; & Eccleſia ei ſponſa eſt, quia ſpondet fidem ſe redditurum Domino ſaluatori; & vxor, quia conceptos filios per baptiſmum ſpiritu maritãte lauacro turgente producit; ergo Chriſtus eſt verus *Meſsias*.

8 *Deut. 28. Et erit pendens vita tua ante oculos tuos die, ac nocte; & pſal. 15. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum videre corruptionem; & Oſeæ 6. Viuificauit nos die tertia*. Diſcurritur ſic. Verus *Meſsias* debuit pendere die, ac nocte ante oculos *Ieruſalem*, debuit à mortuis ſuſcitari, & reſurgere die tertia, ac nos ſua reſurrectione viuificare; ſed Chriſtus

Domi-

Dominus pependit in cruce die, ac nocte ante oculos *Ieruſalem*, idèſt feria ſexta per diem, & per noctem vſque ad ſabbatum, in quo iuxta legem non licebat hominem in ligno pendere; & reſurrexit tertia die, ac reſurgendo nos ad vitam perduxit; ergo eſt verus Meſſias.

9 Concinit etiam *pſ.68. Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto; & pſal.21. Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea. Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*; quæ in Chriſti paſſione conſpiciuntur impleta.

10 Deinde reuincitur ex miraculis, quæ [illegible]it Chriſtus Dominus *in Iudæorum* conſpectu ita, vt & *ipſi Phariſæi*, inter quos *Nicodemus*, qui erat *Princeps Iudæorum*, vt habetur *Io.3.* videns illius prodigia confeſſus eſt verum *Meſsiam* inquiens: *Rabbi, ſcimus, quia veniſti à Deo Magiſter; nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. Sed de hoc vid. to. 4. q. 1. de fide art. 5. §. 3.*

11 At incaſſum effunditur ſermo, vbi non eſt auditus; & fruſtra obijcitur lux ante oculos cęcorum. Hanc *Iudæorum* cęcitatem prædixit *Iſaias 29. Erunt hi omnes ſermones, ſicut ſermones libri, qui ſignatus eſt, quem ſi dederis homini neſcienti literas ad legendum, dicit: Non poſſum legere; ſignatus eſt enim &c. Sed in illa die audient ſurdi ſermonem libri; & qui in tenebris, & in nebula ſunt, oculi cæcorum videbunt; & Hierem. 23. In nouiſſimo die cognoſcetis eum vos; & Dan. 12. Muni ſermones, ſigna librum vſque ad tempus conſummationis, quo adducantur multi, & impleatur cognitio, quoniam, cùm ſit diſperſio, cognoſcent omnia.*

12 Imò ex hac *Iudæorum* cęcitate, & incredulitate efficax argumentum deſumitur ad conuincendam eorum perfidiam. Inter alia ſigna euidenter demonſtrantia aduentum *Meſſiæ* afferunt *Prophetę* cęcitatem, & incredulitatem *Iudęorum*, qui credentibus omnibus gentibus omnium nationum cęcutienter increduli debuerunt remanere; adeoque lex veri *Meſſię* de populo electo, idèſt de populo *Hebraico*, ad populum acquiſitum, idèſt *ad Gentiles*, debuit transferri; ſed totus mundus nouit, & credidit in Chriſtum, quia ex omnibus nationibus conuerſæ ad eum ſunt gentes, ſolis *Iudæis* remanentibus cęcis, ipſum non cognoſcendo, & incredulis in eum non credendo; ergo etiam ex hoc euincitur Chriſtum eſſe verum *Meſſiam*.

13 Errores tandem *Iudæorum* redarguendi ſunt. Primus error eſt, quo putant Chriſtum non eſſe verum *Meſſiam*, quia legem à Deo datam non ſeruauit, ſed abrogauit; circunciſionem enim, non comeſtionem carnium immundarum, ſabbata, & neomenias, & dies eorum feſtos, pecorum ſacrificia, & Paſcha in oue, & azimis abſtulit.

Sed hanc mutationem legis quoad ceremonialia (nam quoad moralia manſit magis perfecta) prædixit *Hierem. 31. Ecce dies veniunt, dicit Dominus; & confirmabo ſuper domum Iacob teſtamentum nouum; non ſecundùm teſtamentum, quod conſtitui Patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti*; quibus verbis expreſsè traditur teſtamentum vetus eſſe immutandum in teſtamentum nouum, quod nobis tradidit Chriſtus Dominus. Ex quo magis euincitur *Iudæorum* perfidia. Ratio etiam id ſuadet. Etenim ſacramenta veteris legis erant vmbræ, & ſigna *Meſſiæ* venturi, & eorum, quæ à Chriſto erant inſtituenda; ergo adueniente *Meſſia* debuerunt illa ceſſare, & noua ſubrogari; ſicut ceſſat vmbra, cùm aduenit lux. Nec per hoc dicuntur illa euacuari, & caſſari, ſed impleri; quia adueniente figurato impletur, non caſſatur figura. De his autem figuris diſſerere longum eſſet; circunciſio nanque figurauit baptiſmum; non comeſtio carnium immundarum ſignificauit nō eſſe communicandum cum idololatris; ſabbata ſignificabant in Chriſto eſſe quieſcendum; neomeniæ, idèſt obſeruatio lunæ nouæ vitæ nouæ ſanctificationem; Agnus paſcalis Chriſti agni immaculati immolationem. *Vid. S. P. Aug. lib. 19. cont. Fauſt. c. 10.*

14 Secundus error eſt, quia putabant *Meſſiam* non eſſe Deum; quia Deus immortalis, impaſſibilis non poteſt mori, pati &c.

Sed contra; nam *pſ.* 44; qui apertiſſimè eſt de *Meſſia*, habetur, quòd Chriſtus nedum eſt homo, ſed etiam Deus. Homo quidem; quia dicitur: *Accingere gladio tuo ſuper fæmur tuum*; fæmur autem caro eſt, ex qua componitur homo. Deus verò, cùm ait: *Thronus tuus, Deus, in ſæculum ſæculi*; & pſ. 67; qui pariter agit de Chriſto: *Exurgat Deus, & diſſipentur inimici*; & *Iſaiæ 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabis nomen eius Emanuel, quod eſt interpretatum nobiſcum Deus; & pſ. 49. Deus noſter manifeſtè veniet; & Ioel. 1. Prope eſt dies Domini, & quaſi vaſtitas à potente veniet; & Malach. 3. Et ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominatur Dominus.* Potuit ergo Chriſtus ſecundùm naturam Diuinam, quam non amiſit, humanam aſſumendo, eſſe impaſſibilis; & ſecundùm naturam humanam aſſumptam paſſibilis.

15 Tertius error eſt; quia putant *Meſſiam* ſeſſurum fore ſuper ſolium *Dauid*, & illius Regnum reſtauraturum iuxta illud *Amos 9. In illa die ſuſcitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit*; ſed tabernaculum *Dauid* fuit euerſum *à Tito*; ergo donec fuerit denuo reædificatum, non veniet *Meſſias*.

Sed hoc intelligitur de Regno, ſeu de poteſtate ſpirituali, non de temporali; ſubdit enim *Propheta*: *Et omnes nationes eo, quòd inuocatum eſt nomen meum ſuper eos*. Inuocatio autem nominis Domi-

Domini pertinet ad poteſtatem ſpiritualem, vt conſtat. Hinc *Iſaiæ 9.* idem habetur: *Paruulus enim natus eſt nobis,& Filius datus eſt nobis; & factus eſt Principatus ſuper humerum eius; & vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis; ſuper ſolium Dauid, & ſuper Regnum eius ſedebit.* Conſtat autem poteſtatem temporalem non ſe extendere ad futurum ſæculum. *Et Dan. 7. Poteſtas eius erit poteſtas æterna, quia non auferetur; & Regnum eius non corrumpetur.* Poteſtas ergo *Meſſiæ* fuit ſuper ſolium, & Regnum *Dauid*, quia incepit dominari *Hebræis*, eoſque ad Eccleſiam vocare; & extenſa eſt ad omnes gentes, & nationes; vt impleretur,quod dictum fuerat *pſ.71. Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos Orbis terrarum.*

16 Quartus error eſt; quia putant aliqua eſſe *in Scriptura*, quæ nondum ſunt adimpleta; vt *Iſaiæ 11. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit; vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos &c.*

Reſp. hoc intelligendum eſſe ſpiritualiter, non materialiter; ſenſus enim eſt, quòd iracundi, & mites; barbari, & domeſtici; pauperes, & potentes in ſanctam ſocietatem, & fidei vnitatem aſſociabuntur; ſubijcit enim *ibid. idem Propheta: Adijciet Dominus ſecundò manum ſuam ad poſſidendum reſiduum populi ſui, quod relinquetur ab Aſſirijs, & ab Aegypto, & à Phetros, & ab Aethiopia, & ab Aelam, & à Senaar, & ab Emath, & ab Inſulis maris. Et leuabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſrael, & diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ. Et auferetur zelus Ephraim, & hoſtes Iuda peribunt. Ephraim non æmulabitur Iudam, & Iudas non pugnabit contra Ephraim; & volabunt in humeris Philiſtijm per mare &c.* Iſtæ ergo nationes, quia ad inuicem diſcordes, & aduerſæ, illorum animalium nominibus ſignificantur; quia per *Meſſiæ* aduentum in amicam redigendæ erant concordiam. Hinc *Gen. 49. Iacob* moriens vocat *Iudam* leonem, *Nephtalim* ceruum, *Beniamim* lupum &c; & in hoc ſenſu loquitur *Iſaias*.

17 Quintus error eſt; quia non credunt Deum habere Filium ſibi in Deitate æqualem.

Sed contra eſt; nam *Iſaiæ 66. Nunquid ergo qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? Ergo ego, qui generationes ceteris tribuo, nunquid ſterilis remanebo? Et pſ. 2. Filius meus es tu, ergo hodie genui te; & pſ. 100. Dixit Dominus Domino meo &c. Ante Luciferum genui te. Vid. S.P.Aug. de quinque hæreſib. c. 4.* Sed de hoc fusè diximus *to.2. de Trin. q.1. art.4. à nu. 26.*

18 Contra *Gentiles* autem prob. exiſtentia Verbi incarnati tum ex prædictionibus *Sibillarum*, quas latè refert *S.P.Aug. orat. cont. Iudæos, Paganos &c. à c.15*; tum ex motiuis euidentibus credibilitatis, de quibus diximus *to. 4. q. 1. de Fide art. 5. §. 3.*



QVAE-

QVÆST. V.

De assumptione naturæ humanæ ad personam Diuinam.

X cognitione causarum recta via transimus ad inquirendam notitiam actionis, quæ ab illis causis procedit; ac deinde termini, qui per illam producitur. De assumptione igitur humanæ naturæ ad vnitatem Diuinæ personæ est agendum, vt doctrinæ ordo seruetur.

ART. I.

In quo consistat vnio hipostatica?

1 ASserunt *Recentiores*, inter quos *noster Gibb; & Gonet inf;* vnionem posse tripliciter accipi. 1. Pro actione vnitiua, qua Trinitas Diuina naturam humanam cum persona Verbi efficienter coniunxit; & hæc potiùs dicitur vnitio, quàm vnio; & in hoc sensu vnio hipostatica est actio communis toti Trinitati, quæ cùm sit formaliter immanens, & virtualiter transiens, ideo est formaliter in Deo, & est quid increatum. 2. Pro vnione formali, qua Verbum,& natura humana formaliter vniuntur. 3. Pro relatione consurgente ex vnione formali, tanquam ex fundamento fundante talem relationem, qua natura humana realiter refertur ad personam Verbi, cui vnitur.

2 At *Fund. Doct;* & *D. Tho.* dupliciter solùm vnionem accipiunt; scilicet primo, & tertio modo; ille enim *in 3. dist. 5. p. 1. q. 1. art. 1. resolut. art. §. Respondeo* ait: *Vnio dicit actionem quandam, ex qua actione habet esse relatio quædam vnitorum ad inuicem. Hoc enim est vnire aliqua, coniungere illa, vel facere illa esse vnita, & coniuncta; ex qua factione resultat quædam relatio vnitorum ad inuicem.* Iste verò *in 3. dist. 5. q. 7. ar. 1.* ait: *Vnitio est quædam actio, vel passio, qua ex multis efficitur vnum, & hanc actionem sequitur hæc relatio, quæ est vnio; & 3. p. q. 2. art. 8. Vnio importat relationem quandam.* Ex quibus patet *Recentiores* excogitasse secundum modum sumendi vnionem, qui non fuit admissus *ab antiquis;* qui propterea docent illam relationem immediatè fundari in natura humana; & ideo nullum dari nexum medium inter ipsam, & Verbum.

3 Addit *Fund. Doct. ibid. §. Prima via. In Deo, & in quolibet agente per intellectum, & voluntatem est duplex actio; immanens, sicut est velle, & intelligere; & transiens, sicut est agere in effectu, vel operari in exteriorem materiam. Et si hæc volumus adaptare ad Deum, dicemus, quòd velle, & intelligere Dei est quid increatum, & sunt idem, quod ipse Deus; sed vnire ipsi Verbo naturam humanam, quantuncunque aliam à natura Diuina, est actio transiens in exteriorem materiam, vel est transiens in naturam aliam à natura Diuina; ideo oportet talem actionem, quia est actio transiens, esse quid creatum. Nec propter hoc tollitur veritas vnionis, quia verè ex tali actione transeunte, quæ competit toti Trinitati, humana natura est vnita.* Ex quo patet actionem vnitiuam, seu vnitionem esse formaliter actionem transeuntem in creaturam, non in Deo immanentem.

4 Insuper falsum est relationes distingui à suis fundamentis, vt diximus *to. 2. de Trin. q. 1. art. 5. nu. 11; & q. 5. art. 4. nu. 5;* sed quamuis hæc relatio distingueretur; attamen non tolleret immediatam vnionem cum Verbo, quia relatio ad vnionem sequitur. Dicitur autem *relatio vnitorum ad inuicem,* sed non eodem modo; quia, vt explicat *Fund. Doct. ibid;* natura humana refertur ad Verbum per relationem existentem in ipsa natura humana; Verbum verò refertur per relationem existentem in natura humana;non in se ipso; sicut obiectum scibile refertur ad scientiam per relationem existentem in ipsa scientia, non in se ipso eo prorsus modo, quo ignis dicitur calefacere lignum, non per calefactionem existentem in ipso igne, sed per calefactionem existentem in ligno; vnde in Verbo est relatio secundùm dici, quia dicitur relatiuè, & tamen in eo non est relatio.

5 An autem *Fund. Doct.* præter hanc relationem existentem in natura humana admiserit aliquem modum, resp. affirmatiuè; vt manifestè constat *ex locis cit. to. 1. de attr. in com. q. 2. art. 2. à nu. 3;* nam ex eo, quòd non subsistat per subsistentiam propriam, sed per subsistentiam Verbi Diuini, acquirit modum accidentis, quod non existit per existentiam propriam, sed per existentiam alienam; tum quia acquirit determinationem ad esse actuale, determinatio autem est modus; sicut determinatio ceræ est modus ipsius; tum quia sicuti ex eo, quòd vnitur propriæ existentiæ, dicitur habere modum existendi per se, idèst per suam existentiam; ita ex eo, quòd vniatur subsistentiæ Diuinæ, dicitur habere modum subsistendi per subsistentiam alterius.

6 Hic tamen modus non est ipsa vnio formaliter, seu ratio formalis vniendi ipsam naturam cum Verbo, quia resultat ex ipsa vnione; sicuti ex vnione sigilli cum cera resultat figuratio ceræ, quæ figuratio non est ratio formalis vniendi, seu vnio formalis, sed effectus illius; nam remanet figuratio in cera, etiamsi separetur sigillum; impossibile autem est remanente ratione

ratione formali vniendi, seu vnione formali extrema vnita non remanere, aliter daretur vnio absque eo, quòd extrema essent vnita, quod est implicatorium in terminis. Remanet ergo, quòd extrema vniantur se ipsis sine vllo nexu medio ab ipsis distincto. His explicatis, quæ non parum confusè supponuntur *à Recentioribus*.

7 Prima sententia vult vnionem hipostaticam esse aliquod modaliter realiter distinctum à persona Verbi, & à natura humana. *Ita Scot. in 3. dist. 1. q. 1. ar. 1, & ex nostris Gibb. hìc disp. 5. dub. 3;* apud quem *noster Bernardin; Alen. 3. p. q. 7. memb. 3. art. 1; Albert. in 3. dist. 2. art. 11; Dur. dist. 15. q. 2; Sua. disp. 8. sect. 2; Vasq. disp. 18. c. 3; Lorc. disp. 15; Less. lib. 12. de perfection. Din; Gran. tract. 4. disp. 2; Lug. disp. 11. sect. 1; Cabr. hìc art. 7. disp. 2. nu. 44; Taner. de Incarn. q. 3. dub. 4; & alij.* Quibus adduntur *Mastr. locis ab ipso cit. in 3. disp. 1. q. 2. à nu. 37; & ferè communiter omnes Scotista.*

8 Nostra tamen docet esse indistinctam ab extremis vnitis, imò nihil aliud esse, nisi extrema vnita. *Ita Fund. Doct. Aeg. hìc in 2. dist. 2. p. 2. art. 3;* vbi ait loquens de Christo Domino: *Fuit enim ibi duplex vnio, & secundùm nullam illarum duarum vnionum potuit ibi cadere medium aliquod. Primò enim fuit ibi anima vnita, tanquam forma, cum sua carne, tanquam cum materia; inter materiam autem, & formam nullum potest cadere medium, & talis vnio secundùm Phil. non habet causam, nisi motorem. Eo enim ipso, quòd caro, vel corpus est in potentia ad animam, tanquam propria materia ad suum actum, non requiritur ibi clauus, vel colla coniungens actum sua potentia, vel sua materia; sed eo ipso, quòd hoc dicit potentiam, & hoc dicit actum, fit ex eis vnum, tanquam ex potentia, & actu.* Mox addit: *Dicimus ergo, quòd sicut in vnione materia, & forma non cadit aliquod medium interpositum inter ea; sic in vnione natura, & suppositi non potest cadere aliquod medium interpositum. Et inf. Sciendum ergo, quòd ipsa vnio Verbi ad humanam naturam est quædam relatio temporalis competens Deo ex tempore; omnis autem talis relatio, vt communiter ponitur, est in creatura realiter, in Deo autem secundùm rationem. Propter quod talis vnio, vel talis relatio est in humana natura secundùm rem, in Deo autem secundùm rationem;* & in fine corporis: *Patet ergo, quomodò gratia vnionis, vel ipsa vnio, quæ est relatio, si accipiatur, vt medium, non erit medium, vt assumptionem praeueniens, sed vt assumptionem consequens, & vt causatum à tali assumptione.* Quibus tradit totam doctrinam à nobis allatam. Idem habet *D. Tho. vbis; noster Greg. Arim. in 1. dist. 28. q. 2. ad 17; Ger. Sen. in 1. dist. 7. q. 3. art. 1; Fulg. à Iud. in Log. disp. 2; & tota nostra Schola communiter. Ita etiam Caiet; Aluar; Naz; Io. à S. Tho; Gonet; & alij Thomistæ; quibus adduntur Rubion; Val; & alij quam plures.*

9 Vnica concl. Vnio hipostatica non superaddit aliquod medium distinctum modaliter personæ Verbi, & humanæ naturæ; sed est ipsa persona Verbi humanæ naturæ coniuncta.

Prob. 1. ex illo *ad Philipp. 2. Qui cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo.* Super quod S. P. *Aug. lib. 1. de Trin. c. 7.* in fine ait: *Ergo quia forma Dei formam serui accepit, vtrunq; Deus, & vtrunque homo; sed vtrunque Deus propter accipientem Deum, vtrunque autem homo propter acceptum hominem.* Ex quo arguitur. 1. Si vnio hipostatica importaret aliquod medium distinctum superadditum personæ Verbi, & naturæ humanæ, Apostolus nō definijsset incarnationem his verbis; quòd *forma Dei formam serui accepit*; sed nominasset duas res omnino disparatas; non enim nominauit illud tertium, per quod solùm explicatur incarnatio; atqui hoc est absurdũ, & contrarium *SS. PP; Expositoribus, & Theologis communiter;* qui firmiter tenent, & credunt his verbis definijsse plenè, & adæquatè incarnationem; ergo Vnio hipostatica non importat aliquod medium distinctum à persona Verbi, & humana natura. Ma; circa quam solummodò posset cauillari, prob. Quotiescunque aliquod tria importat; tunc duo solùm describens illud non describit adæquatè; sicuti quia triangulus essentialiter importat tres angulos, ex quibus constat; ideo describens tantùm duos angulos, non describeret triangulum; sed incarnatio *per Aduersarios* tria importat, nempe personam Verbi, naturam humanam, & medium distinctum, quo natura, & persona vniuntur; ergo describens tantùm personam, & naturam adæquatè non describeret incarnationem.

2. Ad hoc, vt Verbum accipiat in vnitatem personæ naturam humanam, non requiritur aliquod in Verbo receptum distinctum à Verbo, & à natura humana, tanquam medium coniungens Verbum cum natura humana; ergo adhoc, vt natura humana accipiatur à Verbo in vnitatem personæ, non requiritur in natura humana aliquod in ipsa receptum ab ipsa, & à Verbo distinctum, tanquam medium eam Verbo coniungens. Ant. conc. *ab Aduersarijs.* Prob. cons. Non minùs Verbum est verè vnitum naturæ humanę, quàm natura humana Verbo; sed Verbum vnitur naturæ humanæ absque eo, quòd in ipso sit aliquod ab ipso distinctum, per quod ei vniatur; ergo idem de natura humana dicendum.

10 Nec valet dicere; quòd sufficiat medium vniens esse in vno tantùm extremo.

Nam contra est. Medium æqualiter debet afficere, & vnire extrema; quia extrema dicuntur æqualiter vnita; non enim vnum dici potest alteri magis vnitum, & illud alterum minùs vnitum; sed ex eo, quòd medium sit in vno tantùm extremo realiter identificatum cum illo, & modaliter tantùm distinctum, æqualiter non

afficeret,

afficeret, & sibi vniret extrema, quia cum alio extremo, in quo non est, non identificaretur realiter; ergo medium vniens nequit esse in vno tantùm extremo. Tum quia nulla res potest reddi formaliter,& intrinsecè vnibilis per vnionem, quæ in illa non existit formaliter,& intrinsecè; sicut aliquod nequit reddi formaliter, & intrinsecè calidum per calorem, qui in illo formaliter, & intrinsecè non existit; sed vnum extremum nequit formaliter, & intrinsecè vniri, nisi sit formaliter, & intrinsecè vnibile; oppositum enim in terminis implicat; ergo vnum extremum nequit formaliter, & intrinsecè alteri vniri per vnionem, quæ non in illo, sed in altero tantùm existit. Tum quia vel illud extremum, in quo non ponitur intrinsecè vnio, est per se ipsum formaliter vnibile, vel non. Si primum; ergo idem dicendum de altero extremo, quòd nempe sit per se ipsum formaliter vnibile absq; eo, quòd in illo ponatur intrinsecè vnio; in tantùm enim illud est per se ipsum formaliter vnibile; in quantùm ordinatur ad aliud, tanquam perfectio illius; anima enim rationalis v. g. in tantùm est per se vnibilis corpori humano, non corpori equino, in quantùm essentialiter habet, quòd sit perfectio corporis humani, non equini; sed non minùs aliud extremum ordinatur ad illud, tanquam perfectibile ad perficiens; quia non minùs perficiens ordinatur ad perfectibile, & actiuum ad passiuum; quàm perfectibile, & passiuum ad perficiens, & actiuum; ergo eodem modo aliud extremum est per se ipsum formaliter, & intrinsecè vnibile.

11 Conf. *ex Fund. Doct. vbi sup.* Ad hoc, vt vnum alteri vniatur, sufficit, quòd vnum habeat rationem potentiæ passiuæ receptiuæ, & alterum actus receptibilis in illa; ait enim *Phil;* quòd adhoc, vt ex duobus fiat vnum per se, sufficit, quòd vnum habeat rationem potentiæ passiuæ, & alterum actus; ex eo enim, quòd vnum sit receptiuum, potest recipere aliud; & ex eo præcisè, quòd aliud sit receptibile, potest recipi in illo absque vllo aliquo medio; implicat autem recipere, & recipi sine vnione; sed vnum extremum est potentia passiua receptiua, & alterum est actus receptibilis per se, & secundùm suam essentiam; ergo vnum extremum potest alteri per se vniri absque vllo aliquo medio.

12 3. *Apostolus* comparat vnionem naturæ humanæ ad Verbum cum vnione vestis ad corpus; sed vestis vnitur corpori sine medio distincto; ergo *ex Apost.* natura humana vnitur personæ Verbi sine medio distincto.

13 Inst. hoc esse discrimen inter vnionem extrinsecam, qua vnum alteri extrinsecè vnitur; & intrinsecam, qua vnum alteri vnitur intrinsecè; quòd illa fit sine medio; quia est minor vnio, quàm intrinseca, quæ propterea medium requirit.

Sed euertitur hæc altera euasio. 1. Minùs requiritur ad vnionem eorum, quorum vnum est intrinsecè, & per se receptiuum alterius; quàm ad vnionem eorum, quorum vnum non est intrinsecè,& per se receptiuum alterius; manifestum etenim est, quòd ad hoc, vt vnum cum altero vniatur, sufficit, quòd sit capax illud per se, & intrinsecè recipere; ipsa nanque receptio intrinseca est formaliter vnio, vel non fit sine vnione intrinseca formali, vt constat; quod autem non habet hanc capacitatem intrinsecam, per ipsam non potest vniri, aliter vniretur per id, quod non habet; & ideo debet per aliud vniri; adeoque quod est capax recipiendi aliud intrinsecè, est per se ipsum capax, vt illi vniatur; & per cōsequens ad vnionem nihil aliud requiritur præter id, quod habet; illud verò, quod non est capax, requirit aliud, per quod extrinsecè fiat capax, quod non habet intrinsecè; sed ad hoc, vt vnum alteri extrinsecè vniatur, non requiritur aliquod medium distinctum; vt patet de veste, & corpore; ergo multò minùs hoc requiritur ad vnionem intrinsecam. Atqui natura humana est intrinsecè capax vniri personalitati Diuinæ, quia est capax intrinsecè, vt vniatur propriæ personalitati; & ideo etiam personalitati Diuinæ, quatenus gerit vicem personalitatis creatæ propriæ illius naturæ, & per hoc persona Diuina, vtpotè infinita simpliciter, continet eminenter omnem personalitatem creatam, & ideo potest munus illarum gerere terminando quancunque naturam creatam; ergo natura humana, & persona Diuina possunt se ipsis sine vllo medio vniri. 2. Ex his visibilibus, quæ cadunt sub sensum, iuxta documentum *Apostoli* arguere debemus inuisibilia, quæ non cadunt sub sensum; quia *omnis nostra cognitio ortum habet à sensu*, vt inquit *Phil;* sed vnio extrinseca, de qua est sermo, est visibilis; ergo ex ipsa debemus arguere vnionem intrinsecam. Atqui illa fit sine medio; ergo & ista.

14 Prob. 2. Seu magis explicatur *ex S. P. August. lib. 1. de Gen. ad lit. cap. 15.* docente: *Cùm dicimus materiam, & formam, vtrunque simul esse intelligimus.* Ex quo sic arguit *Fund. Doct. Aeg. vbi sup.* Ita se habet natura ad personam, sicut materia ad formam; sed positis materia, & forma se ipsis sine aliquo medio vniuntur; ergo & natura, ac persona. Ma. constat; quia sicut natura determinatur, & perficitur per personam; ita materia perficitur, & determinatur per formam. Prob. mi. Materia secundùm se ipsam absque vllo aliquo alio est capax recipere formam; & forma actuare materiam; ergo se ipsis sine aliquo medio possunt vniri, aliter se ipsis non possent recipere, & recipi; quod sine vnione est impossibile. Tum quia si se ipsis non vnirentur, earum vnio esset, sicut vnio lapidum in pariete, qui nō vniuntur, nisi medio cęmēto; ergo non vnirētur per se, sed per aliud, sicut vniuntur lapides; & sic nullum esset ens vnum per se.

15 Prob. 3. Potest natura creata à Deo sustentari in esse absque vllo medio distincto, quo sustentetur; ergo potest illi absque vllo medio vniri. Prob. ant. Potest natura creata à Deo produci sine vllo medio, per quod producatur; aliter Deus non esset causa immediata naturæ creatæ; ergo potest sine vllo medio à Deo sustentari in esse; quia sustentatio in esse nil aliud est, quàm continuata productio. Conf. claret; quia Deus non sustentat creaturam, nisi intimè se illi vniendo.

16 Prob. 4. *ex S. P. Aug. in Enchir. cap. 35.* docente: *Proinde Christus Iesus Dei Filius est, & Deus, & homo est. Deus ante omnia sæcula; homo in nostro sæculo. Deus, quia Dei Verbum; Deus enim erat Verbum; homo autem, quia in vnitatem personæ accessit Verbo anima rationalis, & caro; & cap. 40. In ipso exordio naturæ suæ, quo esse cæpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ vnitatem, vt idem esset Filius Dei, qui Filius hominis; & Filius hominis, qui Filius Dei.* Ex quo sic. *SS. PP.* communiter docent naturam humanam vniri cum natura Diuina per vnitatem Diuinæ personæ, vt patet *ex allatis textibus*; sed non licet admittere in incarnatione aliam vnionem præter illam, quam admittunt *SS. PP.*; ergo non licet in incarnatione admittere aliam vnionem distinctam ab vnitate personæ Diuinæ existentem in natura humana. Ma. explic. In tantùm Christus Dominus est vna tantùm persona, vt docet Fides *contra Nestorium*; in quantùm natura humana assumpta est in vnitatem personæ Diuinæ copulantis ipsam naturam humanam cum natura Diuina; ergo vnitas personæ Diuinæ est nexus copulans, & vniens naturam humanam cum natura Diuina; atque adeo natura humana vnitur naturæ Diuinæ per vnitatem personæ Diuinæ. Prob. mi. 1. In rebus fidei periculosum est elungari ab eo, quod docent *SS. PP*, qui sunt nostri Magistri, quos iubemur *à Scriptura*, & per consequens à Spiritu Sancto in ipsa loquente, nec non *à Concilijs* sequi; ergo non licet admittere aliam vnionem in incarnatione præter illam, quam docent *SS. PP. 2. ad hominem. Per Aduersarios* vnio coniungens extrema satis est, quòd sit in vno tãtùm extremo; quapropter admittunt vnionem distinctam solùm in natura humana, non in persona Diuina; asseruntque per illam sufficienter vniri etiam personam Diuinam; sed in persona Diuina est vnio coniungens naturam humanam cum natura Diuina; quia in persona Diuina est id, per quod natura humana vnitur cum natura Diuina; ergo præter vnitatem personæ Diuinæ vnientem naturam humanam cum natura Diuina non est admittenda alia vnio distincta in natura humana.

17 Conf. 1. Præter vnitatem, qua corpus, & anima v.g. sunt vna persona, non est admittenda alia vnio, qua caro vniatur personæ humanæ; quia per illam vnitatem, qua caro, & anima dicuntur vnus homo, seu vna persona, humana, caro, & anima intelliguntur vniri in illa persona, & illi personæ; sicut per idem vinculum vniens plures spicas in vnum manipulum intelliguntur omnes spicæ vniri in illo manipulo, nec requiritur aliud vinculum vniens vnã spicam in illo manipulo, & aliud vniens aliam &c; ergo præter vnitatem vnientem naturam Diuinam cum natura humana in eadem persona non est admittenda alia vnio in natura humana vniens ipsam cum natura Diuina in eadem persona; sed vnitas vniens naturam Diuinam cum natura humana est vnitas personæ Diuinæ; quia natura Diuina non est vnita naturæ humanæ, nisi in vnitate personæ Diuinæ; implicat enim, quòd vnio existens in natura humana vniat naturam Diuinam cum persona Diuina; aliter natura Diuina esset vnum cum persona Diuina per aliquod creatum, & ideo non esset vnum per se, sed per aliud; ergo implicat, quòd detur vnio in natura humana vniens naturam Diuinam cum natura humana.

18 Explic. magis. Quoniam duæ lineæ vniuntur in eodem puncto, qui est nexus ipsarum, implicat, quòd detur punctus distinctus vniens vnam ex illis lineis cum alia linea, sic enim non vniretur continuè, sed discretè; quia non esset idem punctus principium vnius, & finis alterius; ergo quia in eadem persona Diuina vniuntur duæ naturæ, implicat, quòd detur alia vnio vniens vnam naturam illi personæ; sic enim non esset vna persona illarum naturarum, sed duplex, vt blasphemabat *Nestorius*; sicut non esset vnus, & idem punctus terminans duas lineas, si duobus punctis vnirentur.

19 Conf. 2. Ex *Aduersariorum* doctrina non datur vnio vnionis, idèst vnio, per quam aliquid vniatur vnioni, per quam illud, cui vnitur, coniungitur cum alio extremo; aliter abiretur in infinitum; sed persona Diuina vnitur naturæ Diuinæ per suam vnitatem; ergo in natura humana nequit dari vnio, per quam vniatur vnioni, qua persona Diuina vnitur naturæ Diuinæ.

20 Obijc. 1. *Gibb. ex Scot.* Humanitatem esse substantialiter vnitam Verbo est aliqua formalitas in rerum natura, quæ non fuit antea; sed hæc formalitas non est ipsa entitas Verbi, & humanitatis; nam entitas Verbi fuit ab æterno sine vnione; & humanitas priùs saltem natura fuit producta, quàm vnita Verbo; ergo hæc formalitas est aliquod distinctum modaliter ab entitate extremorum vnitorum. 2. Natura humana pro priori naturæ producta, antequam Verbo vniretur, fuit indifferens, & indeterminata ad vnionem hipostaticam, vel ad non vnionem; ergo vt intelligatur, & sit pro posteriori naturæ vnita Verbo, necessarius est aliquis modus vnionis, quo determinetur, & eius indifferentia tollatur; quia si nullus talis modus superaddatur

naturæ

naturæ indifferenti, quo determinetur, manebit indifferens, & indeterminata, sicut antea.

Resp. ad 1. dist. ma. Est aliqua formalitas distincta ab extremis vnitis, neg; indistincta, conc; & sic ad mi. dicitur, quòd hæc formalitas non est ipsa entitas Verbi, aut humanitatis separatim sumpta, bene tamen coniunctim sumpta; & antea erat Verbum, non tamen erat vnitum. Ad 2. neg. supp. ant; nam prioritas naturæ dicit solam dependentiam causalitatis vnius ab alio, vt radius dicitur posterior natura ipso Sole, quia à Sole oritur, & dependet in esse; non autem dicit aliquod instans, in quo sit vnum, & non aliud; hæc enim est prioritas durationis, non naturæ, vt constat.

21 Obijc. 2. *idem*. Vnio præter extrema vnita connotat actionem vnitiuam causæ efficientis ipsam vnionem; ergo ad hoc, vt extrema sint formaliter vnita ex vi talis actionis, necesse est assignare aliquod vinculum ab extremis distinctum, quod sit effectus talis actionis; quia actio effectiua terminata ad aliquod positiuum est productiua alicuius entitatis; aliter effectiua non esset; sed non est effectiua entitatis Verbi, aut humanitatis, vt de se patet; ergo alicuius entitatis distinctæ ab entitate Verbi, & humanitatis, quæ non est, nisi vnio. 2. Deus potest velle humanitatem, & Verbum tali tempore coexistere absque eo, quòd vniantur; sicut potest velle coexistere *Petrum, & Paulum* absque eo, quòd sint vniti; ergo vnio importat aliquod distinctum à coexistentia extremorum. 3. Actio vnitiua est extrinseca humanitati, quia est actio formaliter immanens, & virtualiter tantùm transiens; ergo non potest reddere humanitatem intrinsecè, & permanenter Verbo vnitam. 4. Actio vnitiua non vnit formaliter personam Verbi humanitati, sed tantùm efficienter; ergo efficit aliquid, per quod formaliter vniuntur, quod non est, nisi modus vnionis. 5. Tota Trinitas est causa efficiens incarnationis; ergo aliquod supernaturale est de nouo productum, in quo formaliter consistit incarnatio. Atqui hoc nequit esse Verbum, vt patet; neque humanitas, quia hæc est naturalis; & non est idem humanitatem præcisè produci, ac fieri vnitam Verbo; ergo est aliquod distinctum à Verbo, & humanitate. 6. Omnis vera actio productiua est productio alicuius effectus; ergo omnis vera actio vnitiua est productio alicuius vnionis; nam omnis vera actio prędicamentalis debet esse productio alicuius rei. 7. Intelligi nequit, quomodò per aliquam actionem communicetur terminus formalis alicui extremo, cui antea communicatus non erat, nisi de nouo producatur aliquid, aut superaddatur, per quod fiat talis communicatio; aliter extrema manebunt communicabilia, & vnibilia, sicut antea erant, non vnita, & communicata.

Resp. hæc omnia fundari in falsa intelligentia actionis, de qua egimus satis *tom. 3. de creat. quæst. 1. art. 11; & q. 2. art. 2; & to. 3. de Trin. q. 3. art. 1.* Actio ergo efficienter productiua, vt *ibid.* dicebamus, nihil aliud importat formaliter, quàm communicationem ipsius existentiæ, per quam essentia transit extra causas, & ponitur in rerum natura; hoc enim est formaliter produci, vt constat. Dupliciter autem potest esse existentiæ communicari, vel per distinctionem realem ab esse existentiæ ipsius producentis, vt fit in productione cuiuslibet puræ creaturæ; vel per identitatem existentiæ ipsius producentis, cùm producens communicat propriam existentiam, vt per illam eandem, per quam ipse existit, existat etiam effectus, & si existentia producentis identificetur cum eius essentia, tunc communicando existentiam communicat etiam essentiam; vt factum est in incarnatione, quæ per hoc etiam explicatur. Ad 1. dist. ant. Importat actionem vnitiuam, quæ nihil aliud est, quàm communicatio existentiæ substantialis, per quam essentia creaturæ ponitur à parte rei extra suas causas, conc; quæ est aliquid superadditum ipsi existentiæ communicatæ, neg. ant; & cons; ad cuius prob. dicitur, quòd actio est productiua totius effectus, qui substantialiter non constat, nisi ex essentia, & existentia; non autem est productiua alicuius entitatis distinctæ ab essentia, & existentia effectus, vt probat arg; sic enim non produceret effectum, sed aliquod distinctum ab effectu; quia non produceret id, ex quo constat substantia effectus, quæ non constat, nisi ex essentia, & existentia. Propter hoc ait *Phil;* & cum illo *Fund. Doct. Aeg. sæpissimè*, quòd non producitur neque forma, neque materia, quæ sunt partes compositi physici, sed ipsum compositum; & sic dicendum de essentia, & existentia, quæ sunt partes suppositi, quòd scilicet neutra producatur, sed producitur solum suppositum, seu totum resultans ex suppositalitate, & natura; vnde per actionem effectiuam incarnationis producitur Christus, non aliquid aliud ab ipso. Ad 2. dist. ant. Deus potest velle humanitatem Christi reduplicatiuè existere non vnitam Verbo, neg; humanitas enim Christi, prout Christi est, essentialiter dicit vnionem cum Verbo; nam humanitas non vnita cum Verbo non est humanitas Christi, sed alterius hominis, si sit coniuncta cum personalitate creata; vel pręscindens à qualibet persona, si concipiatur sine omni personalitate. Humanitatem, quæ non est Christi Domini, transeat. Ad 3. dist. ant. Actio vnitiua, quæ est immanens, conc; quæ est transiens, neg; hęc enim nil aliud est, quàm communicatio subsistentiæ Diuinæ, quæ est intrinseca humanitati. Ad 4. dist. ant. Actio vnitiua, prout est ab efficiente, conc; prout recepta in humanitate, neg; sic autem est communicatio subsistentiæ, vt dictum est. Ad 5. conc. totum arg. Ad mi. Sub-

sum-

sumptam dicitur, quòd ens supernaturale productum à tota Trinitate in incarnatione nec est Verbum præcisè, nec humanitas, sed Christus Dominus, qui est complexum ex humanitate, & Verbo, à quo dicitur supernaturale. Sicut solùm totum physicum verè dicitur produci. Id autem, quod additur, neg; nam humanitatem produci est idem formalissimè, ac vniri Verbo Diuino; quia per talem vnionem humanitas ponitur extra suas causas, quod est formaliter produci. Ad *6. dist.* conf. Actio vnitiua est productiua alicuius vnionis indistinctæ ab extremis vnitis, conc; distinctæ, neg. Ad 7. neg. assumpt; nihil enim est magis intelligibile, quàm duo extrema posse inuicem vniri sine productione alterius entitatis ab illis distinctæ; per sensum enim videmus lapidem vniri lapidi sine productione alterius rei; aquam aquæ; & formam per artem extractam ab aliquo materiali statim vniri intrinsecè, si iuxta illam ponatur, absque alterius rei productione.

22 Obijc. 3. *idem*. Humanitas Christi per incarnationem propriè immutatur, vt docent *SS. PP; & DD. communiter*; Verbum enim vnitur humanitati non per mutationem sui, sed humanitatis; sed omnis vera mutatio fit, vel per receptionem formæ perficientis, aut deteriorantis; vel per amissionem alicuius intrinseci, quod antea erat in subiecto; ergo humanitas recepit nouam formam informantem, & perficientem; non enim in incarnatione amisit subsistentiam propriam, quia cum illa non fuit creata. Atqui forma informans, & perficiens non potuit esse subsistentia Verbi; implicat enim hanc recipi in subiecto, & informare; ergo debet esse modus vnionis à Verbo, & humanitate distinctæ. 2. Ex vi vnionis resultat relatio prædicamentalis naturæ humanæ ad personam Verbi; ergo debet assignari aliquod fundamentum se tenens ex parte humanitatis; at hoc nequit esse actio vnitiua, quia hæc est immanens in Deo; neque potest esse persona Verbi; quia hæc est terminus illius relationis, & ideo nequit illius esse fundamentum; neque natura humana; aliter quælibet natura humana diceret hanc relationem; ergo est modus vnionis.

Resp. ad 1. neg. mi. vniuersaliter sumptam; nam mutatio de qua loquimur, est *transitus de non esse ad esse*; sic natura humana mutata fuit in incarnatione; transiuit enim de non esse, sub quo erat in potentia merè obiectiua, ad esse actualis existentiæ, sub quo posita fuit per Verbi personam. Transitus autem ad esse, vel potest fieri ad esse creatum, quod est actus informans, vel ad esse increatum, quod est actus purè irreceptiliter terminans; & hoc secundo modo immutata est natura humana Christi Domini. Non autem *hic* sermo est de mutatione corruptiua, vt constat; quæ fit ex existenti ad non existens. Ad 2; quod vocat difficultatem, quæ *in Logica* agitur; quodnam scilicet sit fundamentum proximum relationis; an actio, vel esse; dicimus, pro nunc hoc omisso, talem relationem fundari in natura humana; nec sequitur quanlibet naturam humanam fundare talem relationem; quia certum est ad relationem præter fundamentum requiri rationem fundandi, quæ est actio vnitiua efficienter; cùm igitur quælibet natura humana non vniatur per actionem efficientem Verbo Diuino; ideo quælibet non fundat relationem ad Verbum, vt ad terminum illam suppositantem.

23 Obijc. 4. Illud, quod est indifferens, & indeterminatum, nequit determinari, nisi per aliquid receptum intrinsecè; sed natura humana antecedenter ad vnionem hipostaticam erat indifferens ad subsistentiam propriam, vel Diuinam; ergo non potuit determinari, nisi per aliquod receptum intrinsecè; atqui hoc receptum non potuit esse personalitas Verbi, *quæ* recipi nequit; neque relatio, quæ subsequitur; ergo est vnio.

Resp. hoc arg. probare personam Diuinā non posse immediatè terminare naturam humanam, quod est contra communem modū loquendi *SS. PP; & DD.* Dicitur ergo ad ma; quòd nullum indifferens potest determinari, nisi per aliquod receptum intrinsecè per informationem, vel per purissimam terminationem absque vlla informatione; constat enim ex ipso vocabulo; nam *terminare* formaliter est *determinare*; ex eo nanque, quòd Verbum Diuinum terminat naturam humanam ei communicando suam subsistentiam, iam natura humana remanet determinata ad subsistentiam Diuinam; sed Verbum ratione sui potest esse terminus naturæ humanæ, quia eius subsistentia, cùm sit simpliciter infinita, continet omnem subsistentiam creatam, & ideo potest præstare effectus cuiuslibet subsistentię creatæ; tum quia ita potest esse terminus, sicut est principium; est autem principium immediatum ratione sui; & ita immediatè ratione sui potest esse terminus; ergo Verbum ratione sui, & immediatè potest determinare naturam humanam. Tum quia subsistentia Verbi facit id, quod faceret subsistentia creata, dempta informatione, alijsq; imperfectionibus, quæ proprię sunt creaturis; gerit enim munus illius; sed subsistentia creata determinat naturam creatā per se ipsam, est enim actus illius; & *actus est, qui determinat secundùm Phil*; ergo idem de subsistentia increata. *Cetera obiectiones vid. in Physicis; & to. 1; 2; & 3. vbis;* & faciliter soluuntur ex dictis.

S. I.

§. I.

An vnio hypostatica facta fuerit mediante gratia; an sit quid creatum, & accidentale?

24 QVanuis hæc tria discutiantur *in diuersis art. à Fund. Doct. Aeg;* de primo enim agit *dist.2.p.2.q.2.art.3;* de secundo *dist.5.p.1.q.1.art.1;* & de tertio *dist.6. p.4.q.1.art.3;* attamen ea simul coniungimus, quia colliguntur ex dictis *in sup. art.*

25 Quoad 1. nulla est his temporibus controuersia, quæ tamen fuit antiquitus; propter quod hæc difficultas reperitur nedũ *apud Fund. Doct;* sed etiam *apud D. Tho; & alios* eorum temporibus propinquos.

26 Quoad 2. potest esse sententia *eorum*, qui asseruut actionem vnitiuam esse formaliter in Deo immanentem, & virtualiter solùm transeuntem; prout enim est formaliter immanens, necessariò est quid increatum, quia in Deo nihil creatum potest reperiri; vnde vnio hipostatica, prout importat actionem efficienter vnitiuam, in *horum* sententia est quid increatum; prout verò dicit relationem fundatam in natura humana, est quid creatum. *Nos* verò, *& alij ferè omnes* docentes actionem vnitiuam, qua tota Trinitas efficienter vniuit naturam humanam cum Verbo Diuino, esse actionem ad extra, & ideo formaliter transeuntem in creaturas, dicimus vnionem hipostaticam nedum, prout importat relationem rationis, sed etiam prout importat actionem vnitiuam, esse formaliter quid creatum.

27 Quoad 3. *Dur. in 3. dist.6. qu.4; & Palud. q.1.art.2.* volunt vnionem hipostaticam esse accidentalem, non substantialem.

28 Vnica concl. Vnio hipostatica nec est facta mediante gratia habituali; nec est quid increatum; nec est quid accidentale.

Hæc concl; vt diximus, collig. ex dictis; nam vnio hipostatica importat vnionem naturæ humanæ cum suppositalitate Verbi, quatenus gerit vicem suppositalitatis creatę; sed hęc vnio est immediata, nec potest fieri per accidens medium; ergo non fit mediante gratia, quæ est accidens. Item hæc vnio, prout importat actionem vnitiuam, est actio totius Trinitatis; ergo est actio ad extra, & ideo formaliter transiens in creaturam, & quid formaliter creatum. Tandem hæc vnio dicit vnionem naturæ cum supposito, quæ, vt constat, est substantialis, non accidentalis. Sed probantur seiunctim singulæ partes.

29 Prob. 1. pars *ex Fund. Doct.* Gratia potest sumi tripliciter. 1. Pro actu Diuinæ voluntatis, quæ gratis, & non ex debito sua bona communicat creaturæ. 2. Pro ipsa vnione hipostatica, quæ est maximum beneficium, & gratia omnium gratiarum. 3. Pro dono habituali perficiente essentiam animæ; sed nullo horum modorum vnio hipostatica potuit fieri mediante gratia; non primo; quia actus Diuinæ voluntatis, quo tota Trinitas indiuisim decreuit incarnationem, est causa efficiens extrinseca vnionis hipostaticæ, vt patet; implicat autem, quòd aliquod extrinsecum sit medium intrinsecè vniens naturam effectus causati cum personalitate Diuina. Neque secundo; quia nihil potest esse medium ad se ipsum. Neque tertio modo, quo propriè sumitur gratia, de qua *hic* loquimur; quia gratia habitualis est accidens adueniens naturæ, eamque supponens completam in esse personali; ergo nequit esse medium vniens ipsam cum personalitate.

30 Conf. *ex S. P. Aug. in Enchir. cap.36.* docente: *Nunquid antea fuit homo, & hoc ei singulare beneficium præstitum est, vt singulariter promereretur Deum? Nempe ex quo homo esse cepit, non aliud cepit esse, quàm Dei Filius;* & mox. *Vt quemadmodum est vna persona quilibet homo, anima scilicet rationalis, & caro; ita sit Christus vna persona, Verbum, & homo.* Ex quo sic. 1. Gratia habitualis est debita humanæ naturæ Christi Domini, tanquam proprietas debita Filio Dei, qui non potest non esse gratus Deo; ergo essentialiter supponit Christum secundùm naturam humanam esse Filium Dei naturalem, quod nequit esse, nisi per vnionem hipostaticam, & ideo hanc vnionem supponit, tanquam proprietas illius; & per consequens nequit esse medium illius, quod necessariò illam antecedit. 2. Ita Deus, & homo sunt vna persona Christi; sicut anima rationalis, & caro sunt vnus homo; vt habetur *in Symb. D. Athan;* sed anima, & caro ita sunt vnum, vt excludant omne medium; ergo & Deus, & homo. Vid. alias rationes in *sup. art.*

31 Dices. 1. Illud, quod excedit vires naturæ, fit per gratiam; sed vnio hipostatica est huiusmodi; ergo fuit facta per gratiam. 2. Vnio animæ beatæ ad Deum fit per gratiam consummatam; ergo à fortiori vnio hipostatica, quæ est maior vnione beatifica.

Resp. *Fund. Doct.* dist. ma. Fit per gratiam; idest gratuitò, non ex debito, conc; per gratiam habitualem, neg. Ad 2. neg. cons; nam vnio secundùm fruitionem est vnio secundùm operationem perfectam, quæ supponit principium radicale perfectum; at vnio hipostatica est vnio secundùm naturam, quæ essentialiter est immediata; & ex hoc magis prob. concl.

32 Prob. 2. pars concl. 1. Omnis actio Dei ad extra est formaliter transiens in creaturam; in hoc enim distinguitur actio Dei ad extra ab actione ad intra; quòd hæc manet in natura Diuina, illa transit in naturam creatam; sed actio transiens in creaturam est creata, sicut manens

nens

nens in Deo est increata; quemadmodum enim nihil creatũ potest dari in Deo; ita nihil increatum potest esse in creatura, quæ secundũ omne, quod est receptum in ipsa, creata est; ergo vnio hipostatica, etiam prout importat actionem efficienter vnitiuam, est quid creatum. 2. Implicat, quòd detur aliquod increatum extra Deum; ex eo enim, quòd est extra Deum, est creatum; sed actio efficienter vnitiua est extra Deum; ergo est aliquid creatum. 3. Actio vnitiua mutationem, & nouitatem importat; facit enim humanam naturam transire de non esse ad esse; sed omne id, quod mutationem, & nouitatem importat, est quid creatum, quia Deus est incapax mutationis, & nouitatis; creatura verò essentialiter dicit transitum de non esse ad esse, & ideo mutationem, & nouitatem; ergo idem. 4. Vnio hipostatica est quid temporale, non enim fuit ab æterno; aliter Christus non venisset in plenitudine temporum, quia fuisset ab æterno; sed omne temporale est creatum; quia omne increatum est æternum; ergo idem.

33 Dices. 1. Actio vnitiua importat actum Diuinæ voluntatis, quæ est causa rerum; sed hic est increatus; ergo & illa. 2. Actio vnitiua importat quid medium inter Deum, & creaturam; ergo nec est Deus, nec creatura. 3. Vnio importat vnitatem, qua est vna persona Diuina; ergo est quid increatum.

Resp. ad 1. dist. ma. Importat actum Diuinæ voluntatis præsuppositiuè, conc; formaliter, neg; sic enim importat actionem transeuntem ad extra. Ad 2. neg. ant; actio enim vnitiua non est medium inter extrema, sed est id, quo extrema immediatè vniuntur. Ad 3. dist. ant. Vnio, prout dicit actionem efficienter vnitiuam, neg; prout dicit id, in quo natura humana, & Diuina vniuntur, conc.

34 Prob. 3. pars concl. 1. *ex Concil. Ephes. can. 13. Ex Virgine natum est sacrum corpus, cui substantialiter est vnitum Verbum; & V. Syn. Gen. art. 5. can. 4. Qui non confitetur Filium Dei carni substantialiter vniri, anathema sit; & Lat. sub Martino I. consultat. 5. c. 6.* definitur *Christum in duabus, & ex duabus naturis existere substantialiter vnitis; & c. 8.* hæc vnio appellatur *substantialis*. 2. ratione *Fund. Doct.* Vnitas personæ est substantialis, non accidentalis; persona enim est prima substantia, quia est substantia indiuidua, quæ est maximè, & principaliter substantia; sed natura humana vnitur Verbo in vnitatem personæ Diuinæ, vt docent communiter SS. PP; & *Concil. contra Nestorium*; ergo vnio naturæ humanæ cum Verbo est substantialis, non accidentalis. 2. Vnio accidentalis plurium substantiarum importat pluralitatem suppositorum; sed vnio naturæ humanæ cum Verbo Diuino non importat plura supposita, vt docet fides *contra Nestorium*; ergo non est accidentalis; sed substantialis. Prob. ma. Quamuis vnio accidentis cum substantia importet vnitatem suppositi, quia accidens non est capax constituere suppositum, cùm sit proprietas sequens suppositum iam constitutum; attamen vnio accidentalis vnius substantiæ cum alia substantia importat pluralitatem suppositorum, vt patet in aceruo lapidum, qui importat plura entia per se, & per consequens plura supposita; quia sicuti substantia, cui alia accidit, est ens per se; ita altera, quæ accidit, est ens per se, & non potest illi inhærere per veram, & realem inhærentiam, aliter esset verum accidens reale, non substantia, vt constat; ergo idem. 3. Id, in quo natura humana vnitur cum Verbo, est substantiale, non accidentale; ergo talis vnio est substantialis, non accidentalis. Ant. patet; quia natura humana vnitur cum Verbo in vnitate personæ Diuinæ, quæ est substantialis, quia in Deo nullum datur accidens. Conf. prob; quia vnio substantiarum dicitur substantialis, cùm fit in aliquo substantiali; vt quia forma, & materia vniuntur in existentia substantiali, eorum vnio dicitur substantialis; at verò quia vnus lapis vnitur cum altero lapide secundùm quantitatem, quę est accidens, ideo eorum vnio est accidentalis. 4. Vnio naturæ humanę cum propria personalitate est substantialis; ergo & vnio cum personalitate Diuina, cui non vnitur, nisi prout gerit munus, & vices personalitatis creatæ; atqui munus personalitatis creatæ est vnire substantialiter, non accidentaliter; ergo idem. 5. Ea, quæ vniuntur accidentaliter, nequeunt substantiuè prædicari de toto; *vt paries est albedo*; sed natura humana prædicatur substantiuè de Verbo, vt *Verbum est homo*; ergo non vnitur accidentaliter, sed substantialiter.

35 Dices. 1. *Apost. ad Philipp.* 2. comparat vnionem hipostaticam vnioni vestis cum corpore; *habitu inuentus vt homo*; sed hæc est accidentalis; ergo & illa. 2. Quod aduenit alicui iam completo in esse, aduenit accidentaliter; sed natura humana aduenit Verbo iam completo in ratione personæ; ergo idem. 3. Quod non est pars alicuius totius, non est substantialiter vnitum cum illo; quia substantialiter vnita sunt partes totius substantialis, vt constat; sed Verbum, & natura humana non sunt partes; ergo idem. 4. Accidens definitur, *quod adest, & abest præter subiecti corruptionem*; sed natura humana respectu Verbi est huiusmodi; ergo idem. 5. Quod est præter essentiam alicuius, ei accidentaliter vnitur; sed natura humana est huiusmodi; ergo idem.

Resp. ad 1. similitudinem vestis sumi *ab Apost.* ad significandum, quòd sicuti vestis non constituit corpus; ita natura humana non constituit personam Verbi; non tamen valet in omnibus; nam certum est naturam humanam assumi ad vnitatem personæ Diuinæ; non tamen vestis assumitur ad vnitatem personæ vestitæ.

Iuxta

iuxta hoc dist. ma. Comparat vnionem naturæ humanæ cum Verbo vnioni vestis, quatenus vestis non constituit personam, conc; quatenus accidentaliter vnitur, neg. *Vid. S.P. Aug. lib. 83. qq. q. 73.* Ad 2. *Fund. Doct.* dist. ma. Quod aduenit enti completo, nec recipitur in vnitatem personæ, conc; sed recipitur in vnitatem personæ, neg. Ad 3. neg. 2. pars mi; quòd scilicet natura humana non sit pars, quanuis Verbum, cui vnitur, sit totum; propter quod est compositio tantùm ex parte naturæ humanæ, non ex parte Verbi, vt *inf.* Ad 4. neg. mi; natura enim humana nequit separari à Verbo Diuino absq; dissolutione huius totius substantialis, quod est Christus; & hoc explicatur per definitionem accidentis. Vel *cum Fund. Doct. ad* 4. dist. ma. Quod non ingreditur vnitatem personæ, conc; quod ingreditur, neg; corpus enim aduenit animæ, & separatur absque corruptione ipsius animæ, & tamen quia ingreditur vnitatem personæ, quæ per animam; & corpus constituitur, non aduenit accidentaliter, sed substantialiter. Ad 5. eodem modo dist. ant. Quod est præter essentiam, & non ingreditur constitutionem alicuius personæ, conc; & ingreditur, neg; forma enim est præter essentiam materiæ, & tamen non aduenit accidentaliter, quia ingreditur constitutionem personæ.

36 Collig. ex dictis naturam humanam habere tantùm modum accidentis, quatenus non existit per existentiam propriam, sed per existentiam Verbi, vt *inf*; non tamen ex hoc sequitur vniri accidentaliter; sicut dicimus de differentia, quæ licèt habeat modum qualitatis, non tamen accidentaliter inhæret.

§. II.

An vnio hipostatica sit omnium maxima; & an differat ab assumptione?

37 PRimum, quod quæritur, potest dupliciter intelligi. 1. An vnio hipostatica sit maior omnibus vnionibus, quibus creaturæ Deo vniuntur; sex autem modis Deus vnitur creaturis, vt docet *Fund. Doct. dist. 4. p. 3. q. 1. art. 2. in resol. dub. lat. §. Possumus autem.* 1. Per præsentiam. 2. Per potentiam. 3. Per essentiam eo modo, quo diximus *to. 1. de Immensit. art. 5*; & hæ sunt vniones generales, quibus Deus omnibus rebus communiter vnitur. 4. Per gratiam, qua solis iustis vnitur; vt explicuimus *ibid. art. 6.* 5. Per gloriam, qua beatis vnitur. 6. Tandem per vnionem naturæ humanæ ad personam Verbi. 2. An vnio hipostatica sit maior quacunq; alia vnione tum substantiali, tum accidentali?

38 *Dur. in 3. dist. 5. q. 3. apud nostrum Gibb.* ait, quòd licèt vnio hipostatica sit omnium maxima ratione excellentiæ, & dignitatis; in ratione tamen vnionis minor est vnione ex materia & forma.

39 *Noster Gibb. hìc disp. 5. dub. 6; Gonet, & alij Thomistæ cum D. Tho;* vt refert etiam *Fund. Doct. hìc ad 1;* volunt vnionem hipostaticam esse maximam respectu termini communis, scilicet personæ Verbi, in qua vniuntur natura Diuina, & humana; non autem respectu extremorum, scilicet naturæ humanæ, & Diuinæ, quæ infinitè distant, & ideo minùs vniuntur.

40 Tandem *Fund. Doct. hìc dist. 5. p. 1. q. 1. art. 1. in resol. dub. 1. lat.* docet, quòd excepta vnione, qua tres personæ Diuinæ vniuntur in essentia Diuina, est omnium aliarum vnionum maxima; *& ad* 1. ait, quòd potest sustineri nedum esse maiorem ex parte termini, in quo vniuntur; sed etiam ex parte extremorum vnitorum.

41 Quoad 2. in titulo propositum *Fund. Doct. vbis. in resol. dub. 2. lat.* quinque differentias inter vnionem, & assumptionem assignat.

42 Vnica concl. Vnio hipostatica est minor vnione, qua tres personæ Diuinæ vniuntur in essentia Diuina; & est maxima omnium aliarum vnionum, quibus Deus vnitur creaturis, & quibus creaturæ distinctæ vniuntur inter se, nedum ex parte termini, scilicet personæ Verbi, in qua vniuntur natura Diuina, & humana, sed etiam ex parte extremorum vnitorum, scilicet naturæ Diuinæ, & humanæ; & multipliciter differt ab assumptione.

Prob. 1. pars concl. *à Fund. Doct.* 1. *ex D. Bern. lib. 5. de considerat. Ergo inter omnia, quæ vnum rectè dicuntur, arcem tenet vnitas Trinitatis, qua tres personæ vna substantia sunt. Secundò illa vnio præcellit, qua è conuersò tres substantiæ in Christo vna persona sunt.* 2. Triplici ratione sumpta ex doctrina *S.P. Aug.* allata *to. 1. de Simplic. Dei art. 1. nu. 6.* 1. Vnio Diuinarum personarum in essentia Diuina est per identitatem purissimam; vnio verò trium substantiarum in Christo, scilicet naturæ Diuinæ, animæ, & corporis est cum distinctione reali; ergo illa est maior ista; quia ibi est maior vnio, vbi est minor distinctio. 2. Hæc est cum compositione reali corporis cum anima, & naturæ humanæ ad Diuinam modo *inf.* explicando; illa verò est sine vlla compositione etiam rationis; ergo idem. 3. Diuinæ personæ prædicantur de natura Diuina in abstracto, & è contra; natura autem humana non prædicatur in abstracto de persona Diuina; maior autem prædicatio, sicut maior simplicitas, & identitas maiorem important vnionem; ergo idem.

43 Prob. 2. pars. 1. *ex S. P. Aug. in Enchir. c. 36.* in fine: *Gratia suscepit hominem tanta vnitate personæ, vt idem ipse etiam esset Filius hominis.* Ex quo sic. Vnio, qua plura vniuntur in identitate suppositi simpliciter simplicissimi, est maior omni

omni alia vnione; sed vnio hipostatica est huiusmodi; ergo est maior omni alia vnione. Ma. constat: nam maior est vnio duarum linearum in puncto anguli, quàm vnio discreta duarum linearum se punctis tangentium; & magis vna linea vnitur per indiuisibile alteri lineæ, quàm ei vniatur per partem diuisibilem; vnio enim immediata maior est, quàm mediata; vnio autem mediante parte diuisibili est mediata, & vnio in puncto est immediata; ergo vnio in identitate suppositi simpliciter simplicissimi est maior quacunque alia vnione. Mi. etiam nota est; natura enim humana, & Diuina vniuntur in identitate personæ Diuinæ; quatenus eadem persona Verbi suppositat naturam Diuinam, & humanam, & est terminus communis vtrique, sicut punctus est terminus duarum linearum anguli; & persona Diuina est simpliciter simplicissima, vt diximus *to.1. vbi s.*; & est simplicior quacunque personalitate creata; ideo vnio hipostatica est maior, quàm vnio cuiuscunque naturæ creatæ cum sua suppositalitate, & maior omni alia vnione, quæ non est in identitate personæ.

44 Prob. 2. *à Fund. Doct.* discurrendo de alijs vnionibus sic. Illa vnio est maior, quæ continet omnes alias vniones creaturæ ad Deũ, & substantiæ creatæ cum alia substantia creata; & super illas addit aliam vnionem; constat enim esse maiorem vnionem, qua aliquid vnitur decies, quàm qua vnitur quinquies; sed vnio hipostatica est huiusmodi; nam ex eo, quòd natura humana est vnita personę Verbi Diuini, sequitur, quòd Deus sit in natura humana per pręsentiam, potentiam, & essentiam; his etenim tribus modis Deus est in omnibus rebus; sequitur, quòd fuerit vnitus per gratiam habitualem, quæ connaturalis est vnioni hipostaticæ, vt *inf.* dicemus; tum quia omnibus iustis Deus vnitur per gratiam habitualem; & ideo à fortiori vniri debuit Christo Domino, qui fuit caput iustorum, per quod omnes alij iusti effecti sunt; tum quia ita fuit iustus, vt nec peccauerit, nec potuerit peccare; adeoque gratiam habitualem ita habuit, vt illam amittere non potuerit. Item in instanti suæ conceptionis fuit beatus secundùm partem rationalem, quia vnioni hipostaticæ quæcunque gratia debetur, adeoque etiam gloria, quæ est gratia consummata; tandem vnio hipostatica est vnio naturæ creatæ ad personam Diuinam, prout gerit vices personæ creatæ, seu prout continet virtualiter personam creatam; & ideo virtualiter continet vnionem naturę creatę cum subsistentia creata; ergo vnio hipostatica est maior omni alia vnione, qua creatura vnitur Deo, & qua vnitur natura creata cum personalitate creata.

45 Prob. 3. *ab eodem*. Illa est maior vnio, quæ importat maiorem intimitatem extremorum; nam extrema quò intimiùs, eò sunt magis vnita; sed vnio hipostatica importat maiorem intimitatem, quia importat vnionem cum Deo in natura Diuina, Deus autem est intimior creaturæ, quàm ipsa creatura sibi, vt docet *S.P.Aug. lib.3. Conf. c.6*, & quamuis etiam primæ quinq; vniones importent vnionem Dei cum creaturis, in illis tamen vnitur Deus tantùm secundùm operationem, non autem secundùm naturam; maior autem, & intimior est vnio secundùm naturam, quàm secundum operationem; quia natura est magis intima rei, quàm operatio; ergo idem.

46 Prob. 4. *ex eod.* Illa est maior vnio, quæ est substantialis, & magis opponitur separationi, quæ illam tollit; constat enim vnionem substantialem maiorem esse, quàm accidentalem, sicut substantia est maior accidente; & vnum oppositum magis intendi per exclusionem sui contrarij; sed vnio hipostatica est substantialis, quia est vnio in persona; ceteræ autem vniones Dei cum creaturis sunt per operationem, *vel* per accidentia; & magis opponitur separationi, quàm quęlibet alia vnio naturæ creatæ cum suo supposito; quia quælibet vnio naturæ creatæ cum supposito creato potest dissolui per destructionem suppositi creati, quod est simpliciter à Deo anihilabile; persona autem Verbi est simpliciter immutabilis, & indestruibilis; ideo ex hac ratione vnio naturæ humanæ cum persona Diuina magis opponitur separationi, quàm quęlibet alia vnio substantialis creata; quamuis enim per absolutam Dei potentiam Verbum posset dimittere naturam humanam, quam assumpsit, & sic ab illa separari; attamen non potest separari per destructionem ipsius suppositi Diuini, sicut potest separari natura creata à suo supposito creato; ergo idem.

47 Inst. *Gonet.* Inseparabilitas non est signum maioris vnionis, aliter intellectus esset magis vnitus animæ, quàm natura suæ personalitati; quod est falsum, quia hæc est vnio substantialis, illa accidentalis; ergo hæc ratio ruit.

Resp. hanc rationem non procedere de inseparabilitate, *vt sic*, prout est communis substantiæ, & accidenti; sed de inseparabilitate specifica, quæ competit tantùm substantiæ; & sensus est; quòd illa, quæ substantialiter vniuntur, sunt magis vnita, cùm vniuntur inseparabiliter; quàm quæ substantialiter, & separabiliter vniuntur; & in hoc sensu ratio vim habet, & rectè probat.

48 Prob. 3. pars concl. Illa est maior vnio ex parte extremorum, qua extrema dicuntur magis vnita; vnio enim est forma denominans vnitum; & quò maius est denominatum, eò maior est forma denominans, vt quò magis est album, eò maior est albedo; sed extrema vnionis hipostaticæ magis denominantur vnita, quàm extrema cuiuslibet alterius vnionis; quia natura Diuina, quæ est Deus, est magis intima naturæ creatæ, quàm persona creata; & Deus magis

gis vnitur creaturæ per naturam, quàm per operationem, & per accidentia supernaturalia, vt dictum est; ergo vnio hipostatica maior est omni alia vnione etiam ex parte extremorum. Tum quia maior distantia in esse entis non facit minorem vnionem; magis enim distant accidentia in esse entis à substantia, quàm vna substantia completa ab alia substantia completa; quia illa distant genere supremo, hæc verò conueniunt; & tamen maior est vnio accidentis cum sua substantia, quàm vnius substantiæ completæ cum alia substantia completa, vt constat; & ratio huius est; nam vnio sumitur ex intimitate, & contactu physico, non autem ex indistinctione entitatiua, quæ dicit indistantiam metaphysicam, ex hac enim sumitur identitas, non vnio; quæ dicit distinctionem vnitorum; aliter sequeretur, quòd Deus, qui magis distat à qualibet creatura, minùs esset vnitus creaturæ, quàm vna creatura sit alteri vnita, quod est manifestè falsum; quia Deus omni creaturæ vnitur per illapsum intimè tangendo eorum essentias; creaturæ verò non possunt tangere, nisi accidentia, quæ circunstant essentiam; vt diximus *to. 3. de Beat. q. 2. art. 2. §. 1*; ergo quanuis natura Diuina, & humana sint extrema infinitè distantia in esse entis, attamen sunt magis vnita in esse terminati à persona Diuina, quia illa est terminata per identificationem, hęc per assumptionem. Tandem si maior distantia entitatiua faceret minorem vnionem; sequeretur, quòd natura Diuina esset minùs vnita naturæ humanæ, quam accidens creatum substantiæ creatæ; quia natura Diuina magis distat à natura creata, cùm non sit in genere creato; quàm accidens creatum à substantia creata, quod clauditur cum substantia creata in genere creato; ergo natura Diuina, & humana vnirentur minùs, quàm per accidens. Atqui implicat vnionem substantialem, sicut est vnio naturæ Diuinæ cum natura humana, esse minorem vnione per accidens; ergo illa ratio nihil concludit; & ideo non improbat vnionem hipostaticam esse maiorem qualibet alia vnione etiam ex parte extremorum.

49 Cùm itaque arguitur: Quantò magis distant extrema, tantò minor est vnio; sed natura Diuina, & humana maximè distant; ergo earum minima est vnio.

Resp. dist. ma. Quantò magis distant in ratione tangentis, & contacti, terminantis, & terminati, conc; sed neg. mi. In ratione entis, neg.

50 Vrgebis iterum. Quantò maior est compositio, tantò minor est vnio, quia maior simplicitas facit maiorem vnionem, vt dictum est; quantò autem aliquod est magis compositum, tantò minùs est simplex; quia compositio opponitur simplicitati; sed in Christo est maior compositio, quàm in qualibet pura creatura; nam præter compositiones, quæ sunt in homine, qui est compositior qualibet creatura; animata enim sunt magis composita, quàm inanimata; & sensibilia, quàm vegetabilia, & rationale, quàm sensibile, cùm habeat plures potentias; præter has compositiones, inquam, reperitur in Christo vnio naturæ humanæ cum persona Diuina, quæ importat aliquam compositionem; ergo in Christo est minor vnio. 2. Illa est maior vnio, qua fit magis vnum; sed ex vnione materiæ, & formæ fit magis vnum; quia fit vnum in natura; ex vnione autem naturæ humanæ, & personæ Verbi non fit vnum in natura, sed tantùm in persona; ergo idem. 3. Ex vnione essentiæ Diuinæ cum intellectu Beatorum fit idem, ex vnione autem naturæ humanæ cum persona Diuina non fit idem, sed vnum; ergo illa est maior ista. 4. Maior est vnio eorum, quæ ex natura sua ad inuicem sunt vnibilia, quàm eorum, quæ naturaliter non sunt vnibilia; sed materia, & forma ad inuicem sunt vnibilia ex sua natura, quia vnum est actus, & aliud potentia ad actum; ergo idem.

Resp. ad 1; quòd *hic* non quærimus, an in Christo sint plures, vel pauciores vniones, quàm in qualibet alia creatura; sed an vnio hipostatica sit maior qualibet alia vnione siue existente in Christo Domino, siue in alia qualibet pura creatura; & dicimus, quòd vnio hipostatica est maior, quia vnum extremum illius est simplicissimum, & intimissimum alteri. Ad arg. in forma dist. ma. Quantò maior est compositio ex parte vtriusque extremi, tantò minor est vnio, conc; sed neg. mi; nam vnum extremum vnionis hipostaticæ in Christo Domino est persona Diuina, quæ est perfectissimè simplex, & in alijs vnionibus, quorũ extrema sunt ambo creata, vtrunq; extremum est compositius. Ex parte vnius extremi tantùm, neg; & in hoc sensu admittitur mi; nam in natura humana, quæ est vnum extremum, est maior compositio accidentalis, quàm in natura inanimata; quæ compositio dicit maiorem perfectionem, quia dicit pluralitatem perfectionum existentium in ipsa. Ad 2. neg. mi. Ad prob. insert. dicitur, quòd ex natura humana, & Diuina non fit vnum immediatè, sed mediante persona Diuina; quia scilicet fit vnum cum persona Diuina, quæ est idem cum natura Diuina; vnde sicut in vnione materiæ cum forma non sunt, nisi duo extrema realiter componentia; ita in vnione hipostatica non sunt, nisi duo extrema realiter distincta, scilicet persona, quæ est idem cum natura Diuina; & natura humana; cum hoc tamen discrimine, quòd persona Diuina est magis simplex, & intimior, quàm persona creata; ideo vnio hipostatica est maior vnio, quàm vnio substantiæ creatæ cum sua personalitate; vnde licèt natura humana, & Diuina non fiant vnum per compositionem, sicut fiunt vnum materia, & forma; quia tamen natura Diuina est idem cum persona Diuina, ideo minorem facit compositionem

positionem; nam in vnione materiæ, & formæ fit duplex compositio, scilicet materiæ cum forma; & naturæ, quæ coalescit ex materia, & forma, cum supposito creato; at in vnione hipostatica est vna tantùm compositio, scilicet naturæ humanæ cum persona Diuina, non autem naturæ humanæ cum natura Diuina, quia hæ duæ naturæ immediatè non vniuntur; vbi autem est minor compositio, est maior vnio eo modo, quo dictum est. Ad 3. dist. ant. Fit idem in esse intentionali, conc; in esse naturali, neg; nam vnio intentionalis est accidentalis, quia fit mediante lumine, quod est accidens; vnio verò hipostatica est substantialis, ideo hæc est maior illa. Ad 4. neg. ma; nam res magis vnitur cum maiori perfectiuo, simpliciori, & intimiori, ad quod non dicit naturalem, sed tantùm obedientialem inclinationẽ; quàm vniatur cum suo minori perfectiuo, compositiori, & non tam intimo, ad quod naturaliter inclinat. Hinc magis vnitur natura creata cum gratia, à qua recipit esse supernaturale, ad quam tamen non dicit naturalem inclinationem; quàm cum accidente naturali, à quo non recipit esse substantiale naturale, licèt ad illud naturaliter inclinet; vnio enim constituentium in esse est maior vnione accidentium esse iam constituto, vt constat.

51 Vltima tandem pars concl; quòd scilicet vnio differat ab assumptione, prob. *à Fund. Doct.* Vnio differt. 1. ab assumptione, quia illa se habet, vt quid communius; hæc verò, vt quid specialius; nam omnis assumens est vniens, seu omnis assumptio est vnio; non tamen è contra omnis vnio est assumptio, quia Deus vnitur omnibus rebus per præsentiam, potentiam, & essentiam, non tamen assumpsit omnes res in vnitatem personæ. Ratio autem huius est. Vnire potest esse vel ad se, vel ad aliud; & vnire ad se potest esse vel ad suæ personæ vnitatem, vel ad suam quantitatem; assumere verò nequit esse, nisi ad suæ personæ vnitatem; ergo assumere est quid specialius, quàm vnire. 2. Assumptio est quasi via ad vnionem, vnio verò est quasi terminus assumptionis; in quantùm enim res assumitur, ei vnitur; non tamen in quantùm vnitur, assumitur, vt dictum est. 3. Vniens sibi aliquod dicitur ei vnitũ; assumens tamen aliquod ad se nequit dici assumptum ab illo; quia assumens, vt assumens, dicit tantùm actionem, ideo nequit dici passiuè assumptum; at vniens dicit actionem, & passionem, quia dicit relationem, secundùm quam denominatur passiuè vnitum; quia tamen Verbum non dicit relationem realiter existentem in seipso, sed tantùm in natura humana, ideo denominatur passiuè vnitum, non per passionem existentem in ipso, sed in natura humana.

52 Collig. ex dictis vnionem hipostaticam esse maximum donum omnium donorum, & beneficium præstitum creaturæ omnibus alijs excellentissimum. Id docet *S. P. Aug. de præd. SS. c.15.* dicens: *Prædestinata est ista natura humana tanta, & tam celsa, & summa subuectio, vt quò attolleretur altiùs, non haberet; sicut pro nobis ipsa Diuinitas, quousque se deponeret humiliùs, non habuit, quam suscepit à natura hominis cum infirmitate carnis vsque ad mortem crucis.* Ex quo sic. Nulla est maior dignitas, quàm creaturam assumi ad personam Diuinam in esse naturali; quia nulla est dignitas maior dignitate personæ Diuinæ; sed per vnionem hipostaticam creatura assumitur ad personam Diuinam; ergo nulla est maior dignitas in creatura vnione hipostatica. Accedit, quòd vnio hipostatica, vt *sup.* dicebamus *cum Fund. Doct;* includit omnes alias vniones, quibus Deus confert sua dona creaturis; ergo est illis maius donum, & beneficium. Tum quia vnio hipostatica est opus summæ pietatis, & benignitatis, vt habet *idem Fund. Doct. dist. 3. p. 2. q. 2. art. 2. §. cum ergo; & dist. 4. p. 1. q. 1. art. 2;* dicitur enim *in Scriptura* opus Spiritus Sancti, *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est; & Spiritus Sanctus superueniet in te &c;* quia pietas, & benignitas attribuuntur Spiritui Sancto, sed opus summæ pietatis, & benignitatis est maius ceteris operibus, quæ *in Scripturis* non dicuntur opera summæ pietatis; ergo idem.

53 Dices. Visio beatifica nequit communicari creaturæ irrationali, cui tamen potest conuenire vnio hipostatica; ergo illa est maior ista.

Resp. neg. supp; non enim dignitas sumitur à natura creata, quæ hipostaticè assumitur, sed à persona Diuina assumente; vnde quanuis communicaretur creaturæ irrationali, adhuc esset dignior, & excellentior. Nec ex eo, quòd conueniat soli naturæ rationali, arguitur maior excellentia; quanuis enim hoc sit verum quoad ea, quæ ei receptiuè per informationem conueniunt; attamen non est verum quoad ea, quæ ei conuenire possunt merè effectiuè per terminationem; sic enim creatura irrationalis potest terminari ad aliquod dignius, quàm terminetur creatura rationalis; & in hoc sensu illa potest esse dignior ista.

A R T. I I.

An vnio naturæ humanæ sit facta in natura, vel in persona Diuina?

1 DVæ fuerunt hæreses circa rem præsentem, vt diximus *q. 1. art. 1. à n. 17. ad 20;* vbi *textibus Scripturarum* sufficienter reprobatæ fuerunt, & *in Concilijs* damnatæ. *Nestorius Patriarcha Constantinopolitanus* circa annũ Christi 428. negauit naturam humanam assumptam fuisse in vnitatem personæ Diuinæ, ac propterea in Christo esse duas personas, aliam purè humanam, quam genuit B. Virgo in tempore, quam

quam ob hoc *Christototon*, non *Theotocon*, idest Christi, non Dei genitricem dixit esse appellandam, vt refert *Fund. Doct. ex Conc. Chalced. in definit*; *& ex Constantinop. II. c.6*; *& ex D. Dam. lib.3. c.3*; & aliam Diuinam à Patre ante sæcula genitam. Voluit autem personam humanam Verbo vnitam fuisse accidentaliter tantùm. 1. Per summum affectum, quia inter has duas personas fuit summa amoris consensio. 2. Per inhabitationem, quia Verbum habitauit in illo homine, tanquam in templo. 3. Per operationem; quia in illo homine, tanquam in instrumento, operabatur miracula. 4. Secundùm dignitatem, ratione cuius poterat Deus vocari. *Vid. Conc. Ephes. to.2. Concilior. in appendice c.5*; *& to.5. c.1*; *& D.Cyrill. Alex. ep. ad Nestor*; *& altera ad Acacium*, *& Theodoret. lib.4. de Fabulis in Nestor.* licèt enim aliquando *Nestorio* consenserit, ipsum tamē postea *in Conc.Chalced.art.8.* anathematizauit; *& D. Dam. vbis.* Hanc hæresim docuit etiam *Theodorus Mopsuestiæ Episcopus*, qui in *V. Syn. Gen.* appellatur *Nestorij* Magister, vt colligitur *ex eadem V. Syn. c.2*; *& seq.*

2 Post 20. circiter annos *Eutyches Abbas in eadem Ciuitate Constantinopolis* tempore *Leonis I*; vt hæresim declinaret *Nestorij*, voluit naturam Diuinam, & humanam ita fuisse vnitas in vna Christi persona, vt humana conuersa fuerit in Diuinam ita, vt ante vnionem essent duæ naturæ, & post vnionem vna tantùm ex duabus effecta; & ideo dicebat Christi personam esse vtique ex duabus, non tamen in duabus naturis. Ita refertur *in ep. Leonis 50. ad Episcopos Galliæ*, *& ex Flauiano Archiep. Constantinop. in rescripto ad 8. ep.S.Leonis to.2. Conc*; *Boet. lib.de duabus naturis, & vna persona Christi cont. Nest*; *& Euthych*; *& ex Fund.Doct. inf*; *& ex Bellarm.to.3. de Christo c.2.*

3 *Dioscorus*, *& aliqui eius Discipuli* conati sunt moderari *Eutychetis* sentētiam dicendo naturam humanam conuersam non fuisse in Diuinam, sed ex natura humana, & Diuina, tanquam ex duabus partibus componētibus vnam naturam fuisse conflatam eo prorsus modo, quo ex carne, & anima hominis natura componitur. Ita refert *Fund.Doct. suppresso nomine*; & communiter *omnes alij* hoc testantur.

4 Sententia tamen omnium Catholicorum est vnionem hipostaticam factam fuisse de facto immediatè in persona Verbi Diuini, non in natura Diuina; quidquid sit, an de possibili potuerit fieri in natura Diuina immediatè, & mediante natura in persona, de quo satis diximus *q.1. art.9.* *Ita Fund. Doct. dist.5. p.1. q.1. art.2*; *& 3*; *& dist.6. p. 1. q.1. art.2*; *& sæpissimè alibi*; *Argent. dist.5. art.3*; *Gibb. disp.5. dub.1*; *& 2*; *& communiter omnes alij.*

5 Vnica concl. Vnio hipostatica facta non est immediatè ad Diuinam naturam, & mediante natura ad personam; sed immediatè ad personam, & mediante persona ad naturam. Hæc concl. est de fide; definita enim fuit *in Concilijs sup.* allatis; & habetur *in Symb. D. Athan. Qui licèt Deus sit, & homo; non duo tamen, sed vnus est Christus. Vnus autem non conuersione Diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Vnus non confusione substantiæ, sed vnitate personæ. Et S. P. Aug. in Enchir.c.35.* super illud *Io.1. Verbum caro factum est*; ait: *Deus, & homo est. Deus, quia Dei Verbum: Deus enim erat Verbum; homo autem, quia in vnitatem personæ accessit Verbo anima rationalis, & caro*; *serm.58. de Verbis Domin: Licèt vnam personam in Christo credamus, duas tamen substantias, idest naturas fatemur &c. Quæ tamen substantiæ non sunt confusæ, sed vnitæ, atque in vna, eademque persona inseparabiles, & in sua semper proprietate manentes. Idem repetit sæpissimè alibi. Vid. alios textus q.1. vbis.*

6 Ex quibus *contra Euoych.* sic arguit *Fund. Doct. vbis.* Quæ immediatè vniuntur, vnum efficiunt; sed natura humana efficit vnum cum persona, non cum natura Diuina; ergo natura humana immediatè vnitur cum persona, non cum natura Diuina. Prob. ma. Vnio est forma denominans vnum, sicut albedo album; ergo sicut repugnat, quòd detur albedo in subiecto absque eo, quòd detur album, quia esse album est effectus formalis albedinis ab ipsa realiter indistinctus formaliter; ita repugnat, quòd detur vnio in extremis absque eo, quòd detur vnum, quod est effectus formalis vnionis. Mi. est de fide; natura enim humana non est facta in incarnatione vna cum natura Diuina, sed est facta natura vnius, & eiusdem personæ habentis naturam Diuinam.

7 Conf. *ex eod.* Vnio substantialis vel fit per identitatem, vel per conuersionem, vel per cōmixtionem, vel per informationem; sed natura humana nequit immediatè vniri naturæ Diuinæ vllo ex his modis, benè tamen personæ; ergo natura humana non est immediatè vnita naturæ Diuinæ, sed personæ. Explic. ma. Vnio naturarum vel fit per identitatem eo, quia vna natura identificatur realiter cum alia; vt animalitas, & rationalitas in homine; vel per conuersionem vnius in aliam, vt cibus conuertitur in substantiam aliti; vel per commixtionem, vt cùm ex quatuor elementis fit vna natura mixti; vel per informationem, vt cùm forma informat materiam; præter istas autem vnitates nulla alia datur vnio substantialis, vt patet; nam vnio per per aggregationem ex pluribus substantijs non est substantialis, sed accidentalis, quia non est vnio per se, vt constat; tum quia vnio per aggregationem est in solis rebus materialibus, vt ait *Fund. Doct*; ergo quidquid substantialiter alteri vnitur, aliquo ex his modis vnitur. Prob. mi. Implicat naturam humanam fieri naturam Diuinam realiter, quia implicat naturam Diuinam mutari, ait enim *S. P. Aug. in Enchir. c.34.*

Ita

Ita quippe Verbum caro factum est à Diuinitate carne suscepta, non in carnem Diuinitate mutata; si autem realiter fieret, quòd realiter priùs non erat, procul dubio mutaretur substãtialiter realiter; quia mutatio est transitus de non esse ad esse. Neque per conuersionem naturæ Diuinæ in naturam humanam, aut naturæ humanæ in naturam Diuinam ob eandem rationem, conuersio enim est mutatio. Neque per commixtionem, quia mixtio est *alterabilium miscibilium vnio*; miscibilia autem alterabilia constant ex materia, quæ sola est capax alterationis; natura autẽ Diuina excludit omnem materiam, cùm sit actus purissimus. Neque per informationem; quia natura Diuina nequit esse materia, cùm sit actus purus, vt diximus; neque forma, quia forma dependet essentialiter à materia, tanquam ab alia comparte, ad quam dicit ordinationem. Ratione autem personæ potest natura humana vniri Diuinæ per identitatem, quatenus eadem persona Diuina potest substentare, & terminare vtranque naturam; ergo natura humana nequit immediatè vniri Diuinæ naturæ, sed tantùm personæ.

8 Explic. magis. Illud potest immediatè alteri vniri, quod cum illo potest fieri vnum; sed natura humana potest fieri vnum cum persona, non cum natura Diuina; ergo idem. Ma. patet; quia vnio ordinatur ad vnum; sicut entitas ad ens. Prob. mi. Persona Diuina potest consumere personam humanam, vt ait *Innoc*; idèst potest impedire, ne personalitas humana suppositet naturam humanam; cùm enim eminenter contineat personalitatem humanam, est nanque omnis personalitas, ideo potest efficere, quod efficere deberet personalitas humana; atque adeo impedire, ne illud agatur ab illa; & & sic personalitas naturę diuinę potest fieri personalitas naturæ humanæ in actu exercito illam suppositando; in quo sensu dicitur personalitas Diuina effici vnum cum personalitate humana; natura autem Diuina nequit destruere naturam humanam; quia vel destrueretur per conuersionem, vel per mixtionem, vt patet; ergo natura humana potest fieri vnum cum persona, non cum natura Diuina.

9 Sed quamuis hæc bene probent hanc conclusionem; videntur tamen aliam improbare, quam statuimus *qu.1. art.9*; in quo conclusimus naturam Diuinam potuisse immediatè terminare naturam humanam, & sic totam Trinitatem mediante natura Diuina incarnari; arguitur enim sic. Non potuit natura humana immediatè vniri personæ Diuinæ, nisi persona Diuina destrueret personam humanam, & esset in ipsa tantùm vna persona; ergo non potuisset natura humana immediatè vniri naturæ Diuinæ, nisi natura Diuina destruxisset naturam humanam, & esset in ipsa tantùm vna natura; sicut enim se habet persona humana ad Diuinam; ita natura humana ad naturam Diuinam. Atqui destructa natura humana non esset vnita, id enim, quod est destructum, non est; & quod non est, vnitum non potest esse, cùm vnitas sit passio entis sequens, & supponens ens; ergo ex hoc sequitur naturam humanam non posse immediatè vniri naturæ Diuinæ. 2. Non est assignabile illud vnum, quod resultaret ex vnione immediata naturæ humanæ, & Diuinæ; nam hoc non posset esse natura tertia ex illis conflata, sicut humanitas ex anima rationali, & carne; nec esset vnum per cõuersionem, aut commixtionem, aut aggregationem; hæc enim *hìc* improbata sunt; ergo non potuisset dari vnio immediata, quia nõ potuisset assignari vnum, implicat enim, quòd detur vnio absque eo, quòd detur vnum, vt dictum est.

Resp. *Fund. Doct. dist.1. par.2. quæst.1. ar.1. §. Ergo si quæratur*; quòd si natura Diuina, vt communis tribus personis Diuinis, assumpsisset naturam humanam, non esset facta vna natura cum natura humana, sed vnaquæque natura permansisset cum sua proprietate; quia vnaquęque terminata fuisset per subsistentiam absolutam ita, vt essent vnum in subsistentia, quia eadem subsistentia terminasset vtranque naturam; & sic subsistentia Diuina consumpsisset, idèst impedijsset subsistentiam creatam; & esset illud vnum, in quo natura Diuina, & humana vnirentur. Quamuis autem subsistentia non distinguatur à natura Diuina nec etiam virtualiter, distinguitur tamen secundùm munera, & hoc sufficit ad hoc, vt subsistentia habeat munus terminandi, non autem natura.

10 Inst. 1. Ergo ex hoc sequitur naturam humanam non posse terminari immediatè ad naturam Diuinam, terminaretur enim ad subsistentiam, non ad naturam. Atqui *Fund. Doct*; docet potuisse immediatè terminari ad naturam; ergo hæc responsio non cohæret cum eius doctrina. 2. Ratio allata *contra Eutychetem* probat, quòd natura humana debuit vniri cum persona, quia non potuit immediatè vniri cum natura; si autem potuisset vniri cum subsistentia absoluta, hæc ratio insufficienter probaret.

Resp. ad 1; quòd quando asserunt *DD.* naturam humanam non potuisse immediatè vniri naturæ Diuinæ, sumunt naturam Diuinam adęquatè, prout contradistinguitur à personalitate, quæ est quid relatiuum; & ideo sumunt naturam, prout complectitur etiam subsistentiam absolutam, quæ esset ratio terminans naturam humanam, vt diximus *quæst. 1. vbi sup*; non autem sumunt naturam, prout contradistinguitur à subsistentia absoluta. Ad 2. dicitur allatam rationem rectè impugnare *Eutychetis* doctrinam; probat enim naturam humanam non posse fieri vnum cum natura Diuina, prout est in Filio, ex quo infert fieri in persona; in Filio enim non est, nisi natura, & personalitas; vnde rectè ab exclu-

exclusione vnius arguitur ad inclusionem alterius; & aliunde nequit fieri vnio cum natura in ratione subsistentiæ communis; sic enim esset incarnata tota Trinitas, non solus Filius; quod non asserebat *Eutyches*.

11 Contra *Nestorium* autem admittentem solummodò vnionem metaphoricam, seu secundùm affectum; & realem accidentalem secundùm inhabitationem, & operationem satis dictum fuit *q.* 1. *vbis.*

12 Obijc. 1. *Eutych. Io.* 1. dicitur: *Verbum caro factum est*; sed Verbum fieri carnem est Verbum mutari in carnem; sicut aquam vinum fieri (*Io.* 2.) est aquam in vinum mutari; ergo vnio facta est per cōuersionē vnius naturæ in aliam. 2. *In Symb. D. Athan.* habetur: *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo; ita Deus, & homo vnus est Christus*; sed homo est per vnionem immediatam carnis, & animæ informantis carnem, & cum illa constituentis tertiam naturam; ergo à pari. *S. Cyrill. in Conc. Chalced. act.* 2. inquit: *Non oportet intelligere duas naturas in Christo, sed vnam naturam Verbi incarnati*. 4. *D. Dam. lib.* 3. *cap.* 12. ait *Christi carnem fuisse Deificatam*; quod significat conuersam fuisse in Diuinitatem.

Resp. ad 1. Verbum carnem factum fuisse accipiendo, & coniungendo carnem Diuinæ personæ; vt explicat *Apost. Philipp.* 2. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens*; accipere autem non est mutari in acceptum, vt constat de acceptione vestis, cui comparat *Apost.* susceptionem naturæ humanæ. Item quamuis *in Scriptura* aliquando *fieri* sumatur pro conuerti; aliquando tamen non ita sumitur; vt cùm dicitur: *Factus obediens* &c; non enim potest intelligi, quòd persona vertatur in obedientiam, sed quòd obedientiam acquirat; ita Verbum factum est caro per acquisitionem, & susceptionem carnis. Ad 2. iam diximus *cum Fund. Doct. quæst.* 1. *artic.* 2. similitudinem currere in hoc, quòd sicut anima rationalis, & anima in vna persona vniuntur; ita homo, & Deus in vna persona Verbi. *Ita D. P. Aug. ep.* 3. *ad Volus.* Ad 3. dicitur illa verba non esse *Cyrilli*, sed *Eutychetis*, & *Dioscori* relata à *D. Cyrillo*. Vel dicitur illa verba explicata fuisse in *V. Syn*; quòd scilicet in Christo non sint duæ naturæ personalizatæ à duplici personalitate. Ad 4. resp. *Fund. Doct.* carnem Christi fuisse Deificatam, quatenus fuit assumpta à Diuina persona, & Deitati coniuncta.

13 Obijc. 2. Ex eo, quòd duæ naturę vniuntur, fit tertia natura, etiamsi seruent suam proprietatem; vt patet de anima, quæ vnita carni seruat spiritualitatem, non enim fit corporea, & idem dicendum de carne; & tamen anima cum carne componunt naturam tertiam; & ratio est; quia forma, quæ importat differentiam specificam, mutat rem, cui additur; differentię enim sunt, sicut numeri, qui mutant eum, cui adduntur; ergo natura humana, & Diuina mutantur in vnam tertiam naturam. 2. Quoties vnum est potentius, ac fortius altero, si ei vniatur, conuertit illud in propriam naturam; vt si vna gutta vini proijceretur in mare, verteretur in aquam; ergo Diuina natura, quæ potentior, & fortior est humana, illam in se ipsam cōuertit.

Resp. ad 1. *Fund. Doct.* verum esse ant; quādo naturæ immediatè vniuntur per modū actus, & potentiæ, vt anima, & corpus; non autem quando solùm vniuntur in persona, vt in Christo. Ad rationem dicitur differentiam addi generi per modum actus, & potentiæ immediatè; non sic autem vnitur natura humana Diuinæ naturæ, vt dictum est. Ad 2. resp. valere solùm in alterabilibus; propter quod Angelus vnitus Cælo non conuertit Cælum in se ipsum.

14 Obijc. 3. *Iustin. Martyr. apol.* 2; *S. Ambr. lib.* 4. *de Sacram. cap.* 4; *S. Cypr. serm. de cœna Domini*, & *alij* aiunt, quòd Verbum caro ita factum est, sicut in Eucharistia panis fit corpus Christi; sed panis conuertitur; ergo idem.

Resp. *SS. PP.* nihil aliud velle, quàm quòd sicuti post incarnationem Verbum habuit verum corpus, & veram animam; ita post consecrationem hostia continet verum corpus, & sanguinem Christi.

15 Obijc. 4. *cum Nestorio Io.* 2. habetur: *Soluite templum hoc*; vbi non dixit: *Soluite me, sed templum*. 2. *In Symb.* dicitur quòd Verbum *factum est homo*; sed homo importat suppositum, seu personam; ergo assumpsit naturam, & personam. 3. Personalitas sequitur per se ad propriam naturam; sicut differentia specifica sequitur genus; ergo nequit assumi natura sine propria personalitate; sicut nequit assumi genus sine specie. 4. Personalitas importat dignitatem naturæ; ergo debuit assumi à Verbo; aliter assumpsisset naturam humanam sine sua dignitate. 5. Personalitas importat distinctionem naturæ à qualibet alia natura; sed natura humana Christi per se ipsam distincta est ab alijs naturis; ergo habet propriam personalitatem.

Resp. ad 1. nomine *templi* significari corpus suum, vt ait *ibid. Io*; simul cum anima assumptum ab ipso Verbo Diuino, in quo habitabat, sicut anima habitat in corpore, cui vnitur, absque tamen informatione, & per solam vnionem terminatiuam. Ad 2. dicitur, quòd *homo* primariò significat naturam humanam, & secundariò suppositum; vt diximus *quæst.* 1. *art.* 4. §. 1; & *inf.* §. 2. denuò dicemus. Dicitur ergo Filius Dei factus homo secundùm primarium, non secundarium significatum. Ad 3. dist. ant. Personalitas propria, vel gerens vicem proprię personalitatis, vt est personalitas Diuina; quæ gerit vicem personalitatis creatæ, conc; personalitas tantùm propria, neg. Quamuis autem personalitas ita se habeat ad naturam, sicut species

cies ad genus quantùm ad hoc, quòd sicut species contrahit genus; ita personalitas contrahit naturam; differunt tamen in eo, quòd differentia specifica identificatur realiter cum ratione generica, ideo vnum sine alio nequit assumi; at personalitas distinguitur realiter à natura, ideo potest realiter assumi natura sine personalitate propria eam cōtrahendo ad personalitatem alienam purè actiuè irreceptibiliter terminantem, gerentem vices propriæ personalitatis. Ad 4. neg. conf. Ad prob. infert. dist. Assumpsisset naturam sine propria dignitate ei cōferēdo dignitatem altiorem loco dignitatis inferioris, conc; ei non conferendo vllam dignitatem, neg. Verbum igitur dignificauit naturam humanam ei conferendo dignitatem personæ Diuinæ, quæ est dignitas infinita, & spoliando propria dignitate, quæ est finita simpliciter. Ad 5. dist. ma. Personalitas importat distinctionem indiuidualem cum subsistētia, conc; sine subsistentia, neg; nam accidentia specie, & genere diuersa in eodem composito differunt etiam numero, & tamen non habent distinctam personalitatem, vel suppositalitatem.

16 Obijc. 5. *pro eodem Nestorio*. Terminus actionis nequit actionem præcedere; sed persona Diuina præcessit actionem vnitiuam naturæ humanæ ad Verbum Diuinum; ergo non fuit terminus actionis vnitiuæ. Atqui terminus actionis vnitiuæ est personalitas, qua personalizata est natura humana; ergo personalitas naturæ humanæ non fuit personalitas Verbi Diuini, sed personalitas naturæ humanæ. 2. Omnis generatio terminatur ad suppositum; non enim generatur natura, sed suppositum; sicut non natura, sed suppositum generat; sed in Christo sunt duæ generationes, vna, qua generatur *à Patre sine matre ante omnem diem*; altera, qua *genitus est in tempore à Matre sine patre*; vt inquit *S. P. Aug. serm. 12. de temp*; ergo in Christo sunt duo supposita, seu personæ; persona enim non addit supra suppositum, nisi esse in natura intellectuali. 3. Si in Christo esset vna tantùm persona, quæ simul esset Deus, & homo, sequeretur Beatam Virginem genuisse Deum; sed cons. est falsum; ergo & ant.

Resp. ad 1. dist. ma. Terminus actionis, vt formaliter talis, nequit præcedere actionem, conc; materialiter, neg. Sic dist. mi. Persona Diuina, vt terminus actualis actionis vnitiuæ, præcessit actionem, neg; persona enim Diuina non terminauit actu naturam humanam, nisi per actionem vnitiuam; persona diuina, prout materialiter poterat habere rationem termini, cōc. Ad mi. subsumpt. eodem modo dicitur, quòd terminus actionis vnitiuæ est personalitas, vt actu, & formaliter terminans naturam humanam, non autem absolutè, vt personalitas est. Ad 2. *cum Fund. Doct.* dist. ma. Omnis generatio terminatur ad suppositum, tanquam ad terminum *qui*, conc; tanquam ad terminum *quo*, neg; quamuis enim suppositum sit principium, & terminus *qui* agendi, & patiendi, propter quod *actiones, & passiones sunt suppositorum*; attamen ratio formalis agendi, & patiendi est natura; & ideo Christus dicitur passibilis secundùm naturam humanam, & impassibilis secundùm naturam Diuinam; vt docet *S. P. August. serm. 58. de Verbis Domini*; cùm autem à ratione formali, quæ est specificatiua, sumatur distinctio, & multiplicatio, quæ sumitur ab eodem, à quo sumitur specificatio *secundùm Phil. 1. Met*; ideo ad multiplicationem naturæ multiplicatur generatio absque eo, quòd multiplicetur suppositum; hinc *idem Phil.* ait, quòd *generatio est via in naturam*, seu *opus naturæ*, vt ait etiam *D. Dam.* Ad 3. conc. seq. propter communicationem idiomatum, vt diximus *q. 4. art. 1. à n. 11.*

§. I.

An vnio hipostatica facta fuerit nedum in persona, sed etiam in hipostasi, supposito, & indiuiduo?

17 Aliqui *apud Mag. sentent. dist. 6*; & *apud Fund. Doct. ibid. par. 1. quæst. 1. art. 3. & S. Tho.* post damnationem hæresis *Nestorij* dixerunt Verbum non assumpsisse personalitatem humanam ita, vt quamuis in Christo non sint duæ personæ, vt volebat *Nestorius*, sint tamen duæ hipostases, duo supposita, & duo indiuidua. Dicebant enim, quòd anima rationalis, & caro ex eo, quòd vniantur ad inuicem, constituunt aliquam substantiam, quia constituunt aliquod compositum substantiale, quod potest congruè appellari suppositum, quod dicitur *homo*; & hoc suppositum assumptum fuisse Verbo, quod propterea dicitur assumpsisse *hominem*, vt loquuntur *Scripturæ, & SS. PP.* Non tamen assumpsit personam humanam; nam cùm persona supra suppositum dicat dignitatem, & cùm vnū suppositum, quando coniungitur digniori, non possit tribuere dignitatem, quæ semper sumitur à digniori; ideo asserunt suppositum, seu hipostasim humanam resultantem ex vnione animæ rationalis, & carnis non constituisse personam humanam; ac per hoc bene saluari à persona Diuina consumptam fuisse personam humanam; & sic non esse in Christo duas personas, sed tantùm duo supposita, hypostases, & indiuidua.

18 *Alij*, vt refert *idem Mag. apud Fund. Doct. ibid*; vt hanc opinionem reijcerent, nescientes saluare, quomodò anima rationalis, & caro vniri potuerint absque eo, quòd resultaret suppositum, hipostasis, & indiuiduum per se subsistens, dixerunt Verbum Diuinum assumpsisse animam, & carnem separatas, non vnitas ad inuicem.

19 Sen-

19 Sententia tamen catholica docet Verbum assumpsisse animam coniunctam carni, non tamen assumpsisse suppositum, hipostasim, aut indiuiduum per se subsistens humanum eo, quia ex vnione animæ, & carnis non resultat suppositum, hipostasis, aut indiuiduum per se subsistens, sed resultat tantùm forma totius, quæ dicitur humanitas, seu natura humana, quæ distinguitur à suppositalitate, hipostasi, & subsistentia; adeoque natura humana, seu humanitas assumpta est sine suppositalitate, hipostasi, & subsistentia. *Ita Fund. Doct. dist. 6. art. 1. per totum, & omnes alij communiter.*

20 *Fund. Doct. in resol. art.* fusè tradit pro explicatione nostræ sententiæ, quid significetur nomine personæ, suppositi, seu hipostasis, indiuidui, rei naturæ, particularis, & singularis. Breuiter tamen dicendum; quòd indiuiduum distinguitur in hoc à persona, supposito, & hipostasi; quòd indiuiduum importat aliquod cõmune omnibus prædicamentis, albedo enim, quantitas, substantia &c. sunt indiuiduę; persona autem, suppositum, & hipostasis important aliquod, quod directè spectat ad prædicamentum substantiæ tantummodò; important enim aliquod per se, & in se subsistens, quod conuenit soli substantiæ; accidens enim, quod diuiditur in alia nouem prædicamenta, non habet esse per se, & in se, sed in alio, & per aliud. Insuper hipostasis, & suppositum in hoc differunt à persona; quòd hipostasis, & suppositum significant generaliter omne per se, & in se subsistens; persona verò significat tantùm per se subsistens in natura intellectuali; nam lapis, planta, & brutum dicuntur quidem supposita, quia sunt aliquod per se, & in se existens; non tamen dicuntur personæ, vt constat ex communi vsu loquendi. Vnde persona, & suppositum differunt, sicut commune, & speciale; seu sicut aliquod conueniens cuilibet substantiæ per se existenti, & aliquod conueniens soli substantiæ intellectuali, quæ est species subalterna diuidens substantiam, *vt sic. Vid;* quæ diximus *to. 1. de subst. Dei qu. 2. art. 4. §. 2;* vbi exactè hanc rem pertractauimus.

21 Vnica concl. Verbum non assumpsit personam, nec hipostasim, seu suppositum, nec indiuiduum per se existens, sed tantùm naturam indiuiduam præcisa à propria personalitate, suppositalitate, seu hipostasi, ac subsistentia; & ideo in Christo non sunt duæ personæ, nec duo supposita, seu hipostases, nec duo per se subsistentia, sed tantùm duæ naturæ indiuiduæ suppositatæ per vnicam personalitatem, seu suppositalitatem Diuinam.

Prob. 1. *ex Conc. Ephes. cap. 4. Si quis voces illas, quæ in Euangelicis, & Apostolicis habentur literis, siue de Christo à Sanctis, siue ab ipso de se ipso dictas duabus personis, vel subsistentijs assignat &c. anathema sit; & ex Chalced. in definit. Haud quaquam naturarum differentiam vnione tollente, sed proprietatem potiùs vtriusque naturæ conseruante, quæ in personam vnam, & substantiam vnam concurrit; & ex Constantinop. II;* quod est *V. Syn. Si quis vnam subsistentiam Domini N. Iesu Christi sic intelligit, tanquam suscipientem plurimarum subsistentiarum significationem; & per hoc introducere conatur in mysterio Christi duas subsistentias, seu duas personas &c. Sed non confitetur Dei Verbum carni secundum subsistentiam vnitum esse; & propter hoc vnam eius subsistentiam, seu vna personam; & sic & sanctum Chalcedonense Concilium vnam subsistentiam Domini N. Iesu Christi confessum esse; talis anathema sit. Neq; enim adiectionem personæ, vel subsistentiæ suscepit; & S. P. Aug. de fide ad Petrum cap. 17. Duarum naturarum vnitas manet in Christo, secundùm vnam tamen personam &c. Deus enim Verbum non accepit personam hominis, sed naturam; & in Enchir. c. 65. In vnitatem personę accessit Verbo anima rationalis, & caro;* non potuisset autem accedere persona, quæ resultasset ex anima, & carne, nisi impedita, & pręuenta fuisset à persona Diuina; quia persona non indiget sustentari ab alio, sicut indiget natura. Ex quibus sic. 1. Subsistentia est de ratione essentiali personæ, suppositi, seu hipostasis, & indiuidui per se, & in se existentis; sed in Christo non sunt duæ subsistentiæ; ergo nec duæ personæ, nec duo supposita, seu hipostases, aut indiuidua per se existẽtia. Ma. constat ex dictis; nam persona, suppositum, seu hipostases, aut indiuiduum per se existens spectant directè ad rectam lineam prædicamenti substantiæ, quod autem ponitur in recta linea prædicamenti substantiæ, est substantia completa, non est autem completa, nisi per subsistentiam, quæ est vltimum complementum substantiæ; ergò subsistentia est de ratione essentiali personæ, suppositi, seu hipostasis, & indiuidui per se existentis. 2. In Christo Domino non sunt duæ personæ, aliter non esset vna, sed duplex persona; quod est *contra Scripturas* allatas *quæst. 1. art. 1. à num. 17;* ergo nec duo supposita, aut hipostasis, vel indiuidua per se existentia; nam suppositum, hipostasis, & indiuiduum per se existens in natura intellectuali est formaliter persona, quæ definitur *intellectualis naturę indiuidua substantia;* hæc autem tria sunt substantiæ indiuiduæ, vt patet; suppositum enim, seu hipostasis, & indiuiduum per se existens non dicuntur de accidente, cui hæc tria disconueniunt, quia ei non conuenit esse per se, & alijs supponi, ac substerni; & vtraque natura Verbi est intellectualis, vt claret; ergo ex eo, quòd *iuxta Concilia* non dentur in Christo duæ personæ, euidenter deducitur in ipso non dari duo supposita, duę hipostases, & duo indiuidua per se existentia.

22 Prob. 2. ratione, quam innuit *Fund. Doct.* Id, quod est existens in se, & per se, non potuit assumi

assumi à Verbo; sed suppositum, hipostasis, & indiuiduum existens in se importat aliquod existens in se, & per se; ergo non potuerunt assumi Verbo. Prob. ma. Assumi à Verbo est suscipi ad hoc, vt sustentetur per Verbum; nam quod assumitur à Verbo, assumitur, vt per ipsum Verbum sit in rerum natura, & ideo vt substentetur per Verbum; sed implicat aliquod existere in se, & per se; ac simul substentari in alio, & per aliud; hęc duo nanque sunt contradictoria; ergo id, quod est existens in se, & per se, non potest assumi à Verbo. Mi. constat; nam præter id, quod diximus in prob. 1. rationis; suppositum importat negationē essendi, & substentandi passiuè in alio, quę negatio nequit fundari, nisi in esse in se, & per se; quæ est ratio opposita rationi essendi in alio, & per aliud; ergo suppositum &c. importat aliquod per se existens. Ergo in Verbo non est, nisi vnica persona, vnicum suppositum, seu hipostasis, & indiuiduum per se existens.

23 Prob. 3. Si in Verbo esset duplex suppositum, natura humana nullo modo esset vnita naturę Diuinę; sed cons. est contra fidem; ergo & ant. Prob. ma. Natura humana nequit immediatè vniri naturæ Diuinæ; sic enim fieret vna natura ex humana, & Diuina; quod est impossibile, vt diximus *in sup. art*; nec potest vniri mediante propria suppositalitate; quia hęc dicit negationem essendi in alio, & ideo ei repugnat vniri cum alio; nam si vniretur, esset in alio, à quo suppositaretur, suppositum enim Diuinum suppositaret suppositum humanum, quod implicat in terminis; ergo natura humana nullo modo esset vnita naturæ Diuinę; quia nullus est alius modus, quo posset vniri, nisi per se ipsam, vel per propriam suppositalitatem.

24 Tandem si in Christo essent duo supposita, non possent ad inuicem prædicari; canis enim nequit dici equus, quia sunt duo supposita, quæ important negationem ad inuicem, ob quam nequeunt ad inuicem affirmari, aliter negatio esset affirmatio; sed cons. est contra fidem; quia Verbum dicitur homo, & homo Deus; & Verbum dicitur factum homo; ex eo autem, quòd vniantur duo supposita, vnum non dicitur factum aliud, vt constat; ergo in Christo non sunt duo supposita. *Vid. alias rationes allatas in sup. art; & q. 1. vbi s.*

25. Altera pars concl; quòd scilicet Verbum assumpserit naturam humanam indiuiduam, nō tamen subsistentem, prob. Verbum assumpsit naturam humanam signatam quantitate coniuncta materię, ex qua, & anima conflatur natura humana; sed indiuiduatio in rebus materialibus sumitur à materia signata quantitate in nostra sententia, & in aliena ab ipsis rebus; ergo Verbum assumpsit naturam indiuiduam. 2. Non assumpsit naturam, *vt sic*, sed naturam distinctam à natura quorunlibet aliorum hominum; sed hęc est indiuidua, particularis, & singularis; indiuiduum enim importat esse diuisum à quolibet alio, & indiuisum in se; sicut particulare importat esse partem naturæ; & singulare esse aliquod signatum, & determinatum; ergo Verbum assumpsit naturam humanam indiuiduam. Hinc *S. P. Aug. in Enchir. cap. 36.* ait, quòd natura humana *in vnitatem personæ vnici Filij Dei singulariter fuit assumpta*; non assumitur autem singulariter, nisi quod singulare est, & indiuiduum; *& D. Dam. lib. 3. cap. 9.* ait *Verbum assumpsisse naturam in athomo.*

26 Obijc. 1. *ex Boet. lib. de duab. naturis* docente: *Omnis substantia particularis secundùm proprietatem vocabuli potest dici hipostasis*; sed Verbum assumpsit naturam particularem, quę procul dubio est substantia; ergo assumpsit hipostasim; & ideo in ipso sunt duę hipostases, vna assumens, & alia assumpta. 2. Ita se habet hipostasis ad speciem, sicut species ad genus; sed vna species nequit esse sub duplici genere; ergo neque vna hipostasis sub duplici specie, seu natura; & ideo vna hipostasis Verbi nequit esse sub natura Diuina, & humana.

Resp. ad 1. *ex Fund. Doct.* dist. ma. Substantia particularis completa, quæ ponitur in recta linea prędicamentali, conc; incompleta, quæ ponitur ad latera, neg; & sic dist. mi. Ad 2. dist. ma. Si hipostasis constituatur per speciem, & species per genus, conc; si non constituatur, neg; hipostasis autem Diuina non constituitur per naturam humanam. Sicut enim hipostasis creata, quia non constituitur per naturas accidentales, potest esse in illis, quanuis pluribus; ita à pari. Vel dicitur; quòd sicuti si daretur species, quæ eminenter contineret omnes species, illa posset terminare omne genus; ita quia personalitas Diuina continet eminenter omnem personalitatem creatam, potest terminare omnem naturam. Ad arg. in forma dist. ma. Ita se habet hipostasis creata, conc; increata, neg; hipostasis enim creata ad speciem creatam se habet, vt determinatiuum particulare inadæquatum; sicut se habet species creata respectu generis. At verò hipostasis increata ob suam infinitatem ita terminat vnam naturam, vt aliam quoque potuerit terminare.

27 Obijc. 2. Suppositum dicitur per oppositionem ad naturam communem; suppositum enim est actus contrahens, & determinans naturam communem; sed in Christo sunt duæ naturæ contractæ, & determinatæ; ergo sunt duo supposita. 2. Vnio ad alterum non tollit rationem suppositi; nam manus, quæ est suppositum, vnitur brachio, quod pariter est suppositum; ergo suppositum humanum potest vniri supposito Diuino. 3. Suppositum est idem, ac *sub alio positum*; sed implicat personam Diuinam poni sub natura humana; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. ma. Suppositum dicitur

per

per oppositionem ad naturam communem, & si est eminenter multiplex, potest plures naturas determinare, conc; & in hoc sensu conc. mi. Secus, neg. Ad 2. neg. ant. Ad prob. infert. dicitur, quòd manus non est suppositum, sed pars suppositi, ideo non probat. Ad 3. dist. ma. Prout positum sub alio dicit inferioritatem, & indignitatem, neg; supposita enim Diuina ponuntur sub natura Diuina, & tamen non sunt quid inferius, & minùs dignum natura Diuina. Prout dicit simplicem terminationem naturę, conc; & in hoc sensu neg. mi.

28 Obijc. 3. Omne singulare est per se existens; in hoc enim distinguitur ab vniuersali, quòd hoc est tantùm in intellectu, illud à parte rei; sed Verbum Diuinum assumpsit naturam singularem; ergo assumpsit naturam per se existentem.

Resp. neg. ma; nam qualitates cuiuslibet compositi sunt singulares, & tamen existunt per existentiam compositi. *Sed de hoc inf.*

§. II.

An Verbum Diuinum assumpserit hominem?

29 Quæstio est de modo loquendi, quem maximè debemus in hac materia seruare. Igitur videnda sunt, quæ diximus *q. 1. ar. 4. §. 1*; vbi ostendimus, quòd hæc vox *homo* primariò, principaliter, & in recto importat naturam humanam; quæ est forma constituens, & denominans hominem; secundariò autem, materialiter, & ex consequenti importat suppositalitatem, quæ vltimò complet, & perficit naturam humanam. Si itaque consideretur hæc vox *homo* simpliciter, absolutè, & adęquatè secundùm omnia, quæ importat siue de formali, siue de materiali, significat aliquod totum resultans ex natura, & suppositalitate; si autem consideretur tantùm formaliter, & primariò inadæquatè, significat solam naturam humanam.

30 Ex huius fortè inaduertentia *Nestorius*, *& alij*, quos *sup.* reiecimus, videntes, quòd *Concilia*, *& SS. PP.* sæpissimè docent Verbum Diuinum assumpsisse hominem, lapsi sunt in sententias fidei cõtrarias *in Concilijs* postea damnatas, & *à SS. PP.* reiectas. Itaque

31 Vnica concl. Verbum Diuinum absolutè, & simpliciter non assumpsit hominem, sed naturam humanam.

Prob. 1. *ex Scripturis sup.* allatis *n. 5; & 21*; in quibus dicitur Verbum assumpsisse naturam, non personam humanam; & præcipuè *S. P. Aug. in Enchir.* explicans, quomodò Verbum assumpsit hominem, ait, quia *in vnitatem personæ accessit Verbo anima rationalis, & caro*. Ex quibus manifestè colligitur Verbum non assumpsisse hominem simpliciter secundùm omnia, quæ importat hæc vox *homo*, sed tantùm inadæquatè secundùm ea, quæ importat tantùm formaliter.

32 Arguitur autem sic. Suppositum aliquo modo importatur ab homine; nam suppositum est vltimus terminus naturæ hominis; homo autem aliquo modo importat ea, quæ pertinent ad eius naturam; sed Verbum Diuinum non assũpsit suppositum humanum; vt *sup.* probatum est; ergo non assumpsit hominem simpliciter. 2. Si homo non importaret aliquo modo suppositum, non posset vllo modo de illo prædicari; ideo nanque humanitas nequit de supposito prędicari, quia humanitas abstractè sumpta significat formam extra suppositum; non enim valet: *Sortes est humanitas*; sicut nec valet: *Verbum est humanitas*; quælibet nanque prædicatio importat aliquam vnitatem cum subiecto, aliter non posset per affirmationem vniri cum illo; sed homo prædicatur de supposito; valet enim: *Sortes est homo*; ergo homo importat aliquo modo ipsum suppositum; quia importat aliquam vnionem ad suppositum.

33 Dices. *Concilia*, *& SS. PP.* absolutè asserunt Verbum assumpsisse hominem; sed nos debemus sequi modum loquendi *Conciliorum*, *& SS. PP*; ergo Verbum absolutè assumpsit hominem. Ma. constat *ex Conc. Nic*; in quo dicitur: *Et homo factus est*; *& Alex. ep. ad Nestorium*, quæ est 10. *inter ep. Cyrilli*; habetur Verbum assumpsisse hominem; idem habet *Tolet. I; & XI. in confess. fidei; & VI. c. 1; & Francoford. ep. ad Episcopos Hispaniæ; & Adrianus ep. ad PP. prædicti Concilij; & S. P. Aug. lib. de agone Christ. c. 11. Filius Dei hominem suscepit; D. Hier. in c. 26. Matth; D. Dam. lib. 3. de fide c. 4; D. Anselm. de incarnat. c. 5; & hymnus Te Deum*: *Tu ad liberandum suscepturus hominem*.

34 Resp. *Lug.* prædictos *PP.* propriè esse locutos, quia tunc temporis hæc vox *homo* sumebatur pro concreto, & pro abstracto; at modò non esset propria locutio, quia inuenta est vox *humanitas* significans in abstracto.

35 Sed *Gonet* ostendit etiam tunc temporis fuisse in vsu hanc vocem *humanitas*, vt videri potest *apud Conc. VI. Tolet. c. 1; S. Cyrill. epist. ad Nestor. relata in Conc. Ephes; & Chalced. act. 1; S. Cypr. serm. de Natiuit; D. Dam. lib. 3. de fide c. 4*. Ait ergo *Gonet* impropriè esse locutos, non propriè.

36 Sed quis vnquam diceret, quòd vtens nominibus secundùm significatum primarium, formale, & principale impropriè loquatur; quamuis rem adæquatè non explicet? Sic impropriè loqueretur vtendo cæna ad significandam comestionem præscindendo à tempore vespertino; & sic de alijs. Hoc ergo non congruit *SS. PP; & DD.* sapientiæ, qui in hac re propriè loqui curare debuerunt.

37 Locuti ergo sunt propriè secundùm si-

gnificatum primarium præcisiuè, non verò adæquatè secundùm omne id, quod materialiter significat. Sic propriè loquitur dicens rationale esse discursiuum, quanuis non omnia explicet, quæ conueniunt rationali.

38 Quæres 1; an possit concedi, quòd natura Diuina facta est homo?

Resp. *Fund. Doct. dist.5. qu.1. art.2. dub.4. lit.* posse concedi secundùm sensum implicitum, & identicum, non autem secundùm sensum formalem explicitum.

39 Quæres 2; an sicut dicitur, quòd Deus factus est homo; ita possit concedi, quòd homo factus est Deus?

Resp. *Fund. Doct. dist.7. q.1. art.4;* quòd si ly *factus* sumatur impersonaliter, potest concedi; verum enim est, quòd in incarnatione factum est, vt homo sit Deus. Si autem sumatur passiuè, nequit concedi, quia illud, quod fit aliud, illud præcedit; non fuit autem homo priùs, quàm fieret Deus; sicut Deus fuit priùs, quàm fieret homo.

40 Quæres 3; an Christus possit dici homo Dominicus?

Resp. *Fund. Doct. vbis. art. 2;* quòd licèt S. P. *Aug. lib.83. qq.* id affirmauerit; attamen retractauit se, quia verbum *Dominicum* significat participationem dominij, seu rem, quæ est Domini; Christus autem est Dominus, non res Domini, nisi secundùm humanitatem.

ART. III.

An Verbum assumpserit naturam humanam subsistentem, & existentem subsistentia, & existentia creata?

1 Recentiores ita confundunt subsistentiam, personalitatem, & indiuidualitatem, vt non modicam hunc inuexerint obscuritatem. Et quanuis hæc obscuritas sufficienter expelli possit ex dictis *to.1. de Subst. Dei q.2. art.4.* §.2; vbi differentias harum trium formalitatum ostêdimus; attamen quoniam *Mastr.* omnia mouet, vt persuadeat subsistentiam consistere in negatiuo, ideo hoc priùs est discutiendum *in seq.* §.

§. I.

An subsistentia creata consistat in negatione?

2 Mastr. *hic disp.1. p.3. n.66; & seqq; & in Met. disp.11. q.3; & 4.* pluribus probat subsistentiam consistere in mera negatione; & semper supponit subsistentiam, & personalitatem non differre, sed idem prorsus significare. Asserit ergo subsistentiam supra naturam singularem addere solùm duplicem negationê actualis, & aptitudinalis communicationis, vt *quo*, seu dependentiæ ab alieno supposito, & in illa duplici negatione formaliter cõsistere; atque adeo eius effectum formalem esse reddere naturam actu, & aptitudine incommunicatam alieno supposito; & *ita passim solere politiores Scotistas rationem formalem personalitatis, & subsistentiæ explicare.* Hanc sententiam amplectuntur *quidam Neoterici* eadem confusione inuoluti.

3 Communis tamen sententia docet hæc tria non debere confundi, & subsistentiam non consistere in negatiuo, quia non importat formaliter, nisi existentiam substantiæ, quæ habet subsistere, idèst existere in se, & per se; adeoq; nec suppositalitatem cõsistere in negatiuo, quia importat subsistentiam indiuiduam; indiuidualitatem autem importare meram negationem. *Ita Fund. Doct. locis cit. vbis; & Quodl.2. q.23 & hic, & sæpissimè alibi.*

4 Not; quòd sicut ens in sui primaria diuisione secatur in substantiam, & accidens; ita existentia, quæ est actus, quo ens existit à parte rei extra suas causas, diuiditur in existentiam per se, & in se; & in existentiam in alio; sicut autem existentia in alio secundùm aptitudinem nequit esse mera negatio; quia accidens, quod est ens positiuum, constitueretur formaliter per meram negationem, quod repugnare notissimum est; ita à fortiori existentia aptitudinalis in se, & per se, quæ est ratio formalis cõstitutiua substantiæ, nequit esse mera negatio; nam substantia est ens magis positiuum, quàm accidens, eo, quia per se ponitur à parte rei, non per aliud, sicut ponitur accidens. Quòd autem existentia aptitudinalis in se, & per se sit ratio formalis constitutiua substãtiæ, ex eo probatur, quòd illa est ratio constitutiua substantiæ, per quam substantia contradistinguitur ab accidente; cùm membra diuidentia contradistinguantur ab inuicem, ideo debent formaliter constitui per rationes oppositas; vt patet de rationalitate, & irrationalitate; sed aptitudinalis existentia in se, & per se est ratio, per quam substantia opponitur accidenti; quod habet essentialiter aptitudinem ad existendum in alio, & per aliud; ergo existentia aptitudinalis in se, & per se est ratio formalis constitutiua substantiæ. Hoc non negat *Mastr.*; vt patet *n.*118; vbi ait inhærentiam opponi existentiæ per se, non tamen opponi subsistentiæ; quia existentia per se facit, vt substantia existat independenter à subiecto; subsistentia verò, vt sit incommunicabilis alteri supposito; quæ duo sunt valdè diuersa inter se.

5 Sed hoc est confundere subsistêtiam cum suppositalitate; certum enim est suppositalitatem reddere naturam incommunicabilem alteri supposito, quia est vltimus terminus claudens naturam. Quòd autem suppositalitas confundi non debeat cum subsistentia, prob.1. *Subsistentia ex S. P. Aug. lib.7. de Trin. cap.4. ad se dicitur*; & hic fuit

fuit consensus communis *SS. PP. Latinorum in Conc. Nic.*; qui propter hoc nolebant verti hoc nomen *Græcum hipostasis* latinè *subsistentia*; & ideo nolebant concedere *latinè* in Diuinis tres subsistentias, sicut *Græcè* concedebant tres hipostases eo, quia *apud Latinos* hoc nomen *subsistentia* significat aliquod ad se, & per consequens quid absolutum; nam subsistentia secundùm ethimologiam nominis idem est, ac *sub se sistentia*; vnde subsistere idem est, ac sub se existere, seu stare; existere autem, aut stare sub se contradistinguitur ab existere in alio, & sub alio, vt constat; ergo subsistentia idem est formaliter, ac existentia in se, & per se. Atqui incommunicabilitas alteri supposito est quid relatiuum; sicut innascibilitas in Diuinis relatiuè dicitur; ergo subsistentia non importat formaliter incommunicabilitatem alteri supposito, & per consequens differt à personalitate. 2. *In VII. Synod. act. 6.* habetur naturam per se existentem esse illam, *quæ non indiget altera, vt subsistat*; ergo per se existere, & subsistere idem est formaliter; aliter per se existens indigeret alio, quo subsisteret. 3. Habetur etiam *ex Phil. c. de prædicam. substantia*, quòd substantiæ primæ maximè competit subsistere; substantiam autem primam definit per ordinem ad subiectum, non ad suppositum dicens: *Substantia prima est, quæ neque est in subiecto, neque de subiecto dicitur*. Ex quo sic arguitur. Esse independenter à subiecto est formaliter esse in se, & per se; vt habet *Mastr. nu. 118. vbi s.* sed subsistentia formaliter importat esse independenter à subiecto; nam substantiæ primæ, cui formaliter, quia maximè, & principaliter, conuenit subsistere (vt ait *Phil.*) conuenit esse independenter à subiecto; quia conuenit non esse in subiecto, neque de subiecto dici, quod est non dependere à subiecto; dependentia nanque sumitur secundùm esse; ergo subsistentia formaliter importat esse in se, & per se; ergo nõ importat solam negationem actualem, & aptitudinalem communicabilitatis alteri, vt supposito. 4. Anima separata est subsistens in se, & per se, & tamen non est persona, vt fatetur *Scot. in 3. dist. 1. qu. 1. art. 3. §. Non asserendo apud Mastr. hic nu. 90*; ergo subsistentia non est idem, ac personalitas, & per consequens non importat formaliter incommunicabilitatem alteri, vt supposito, seu vt termino naturæ. Nec obstat, si dicatur, animam separatam habere tantùm subsistentiam partialem. Nam contra est; quia subsistentia partialis nõ datur, vt *alibi* ostẽsum est; nam per vnam, & eandem subsistentiam subsistit anima, & corpus, sicut existit per vnam existentiam; tum quia de ratione subsistentiæ partialis non est personalitas, vt dictum est; ergo neque de ratione essentiali subsistentiæ totalis; nam si darentur subsistentiæ partiales essent eiusdem rationis inter se, & cum subsistentia totali, eandem enim haberent denominationem; & ipsum totum non esset formaliter, nisi aggregatum ex partibus, non enim resultaret ex illis tertia essentia, sicut resultat ex partibus diuersæ rationis, quæ se habent per modum actus, & potentiæ, velut anima, & corpus, ex quibus resultat humanitas; aliter si ex pluribus subsistentijs partialibus resultaret vna essentia ab illis formaliter distincta, illa non esset subsistentia; sicut humanitas, quæ resultat ex anima, & corpore, non est corpus, aut anima; ergo illi subsistentiæ totali non competeret essentialiter, nisi id, quod essentialiter conuenit subsistentijs partialibus; sicuti quia partes quantitatiuæ v.g. aquæ, si vniantur, constituunt vnam aquam totalem; & sicuti partibus quantitatis aquæ essentialiter non conuenit, nisi extensio, vel diuisibilitas, vt *alijs* placet; ita toti aquæ quantitatiuè sumptæ non conuenit, nisi extensio, vel diuisibilitas, quia tales partes sunt eiusdem rationis inter se, & cum toto; ergo à pari. Tum quia implicat vltimum terminum rei esse diuisibilem, diuideretur enim in aliquas partes, quæ nòn sunt vltimæ; repugnat autem vltimum componi ex non vltimo, quia componeretur ex suo contradictorio; hinc terminus lineæ est punctus indiuisibilis, non pars diuisibilis; sed subsistentia *per Aduersarios* est vltimus terminus naturæ; ergo implicat esse diuisibilem in plures subsistentias partiales. 5. Essentia Diuina præcisis personis Diuinis est formaliter per se subsistens, & tamen non est persona; vt fatetur *Mastr. cum Scoto in hac disp. 1. q. 9. art. 1. nu. 304*; ergo de ratione essentiali subsistentiæ creatæ non est personalitas; nam quæ competunt essentialiter prędicatis analogicis communibus Deo, & creaturis, reperiuntur in Deo, & creaturis cum eadem ratione formali; vnde quia scientiæ, quæ est prædicatum commune Deo, & creaturis, competit esse *cognitionem rei per causam*; ideo competit scientiæ Dei, & scientiæ creaturæ; & quia scientię Dei non competit esse cum discursu, ideo optimè arguimus scientiæ creatæ non competere essentialiter discursum, sed tantùm materialiter, ratione subiecti, in quo est; ergo à pari quia subsistentiæ Diuinæ non competit personalitas formaliter essentialiter secundùm suum formalem conceptum; conceptus enim personalitatis etiam ex natura rei *per Mastrium* est extra conceptum subsistentiæ, qua subsistit natura Diuina præcisis personis; optimè arguimus subsistentiam essentiæ creatæ non includere in suo conceptu formali personalitatem, sed illam excludere plusquam ex natura rei, quia maior datur distinctio in creaturis, quàm in Deo. Plura alia docet *Mastr. in illo art. 1*; quæ possunt ipsum ad contradictionem vrgere; sed hæc satis, superque conuincunt subsistentiam non includere in suo conceptu formali personalitatem.

6 Subsistentia igitur nihil aliud est formaliter;

ter; quàm existentia, qua existit substantia, idèst existentia in se, & per se independenter ab alio, tanquam à subiecto.

7 Sed antequam explicemus, quid formaliter importet suppositalitas, videndum est, quid importet indiuidualitas; persona enim, vt dicitur in eius definitione, importat indiuidualitatem. Indiuidualitas ergo, vt diximus *to. 1. vbis. nu. 19*; importat formaliter incommunicabilitatem alteri; quia quod est commune, diuiditur in illa, quibus est commune, vt patet de genere, quod diuiditur in species, quibus est commune; & sic de specie respectu indiuiduorum; ergo quod est indiuiduum, non est commune; & quod non est commune, non est communicabile alteri, sed conuenit vni soli. Differt autem indiuidualitas à persona, & supposito, quòd illa conuenit substantiæ, & accidenti, hæc duo autem conueniunt tantùm substantiæ; & differt à subsistentia, quia illa est communicabilis proprio supposito, indiuidualitas autem est simpliciter incommunicabilis etiam proprio supposito; quia nihil est communicabile sibimetipsi; suppositum autem nihil aliud est, quàm subsistens incommunicabile, vt mox dicemus.

8 Personalitas igitur importat subsistentiam indiuiduam in natura intellectuali; definitur enim persona *intellectualis naturæ indiuidua substantia, seu subsistentia*; & differt à suppositalitate, quòd hæc conuenit omni naturæ substantiali, siue intellectuali, siue non.

9 Ex his deducitur personalitatem essentialiter importare aliquod positiuum simul cum negatiuo; importat enim subsistentiam, quæ est aliquod positiuum, quia est existentia in se, & per se, vt dictum est; & importat simul indiuidualitatem, quæ dicit puram negationem actualis, & aptitudinalis communicationis alteri supposito.

10 Vnica concl. Subsistentia, & personalitas non consistunt in aliquo purè negatiuo, sed in aliquo positiuo essentialiter importante negationem annexam.

Prob. 1. pars concl. *ex S. P. Aug. lib. 7. de Trin. c. 4.* docente: *Sicut enim ab eo, quod est esse, appellatur essentia; ita ab eo, quod est subsistere, substantiam dicimus. Absurdum est autem, vt substantia relatiuè dicatur. Omnis enim res ad se ipsam subsistit.* Ex quibus sic. 1. Implicat, quòd constitutiuum formale substantiæ consistat formaliter in purè negatiuo; sed subsistentia est constitutiuum formale substantię; ergo implicat, quòd subsistentia consistat formaliter in purè negatiuo. Ma. est per se nota; quia constitutiuum formale est idem formaliter, ac constitutum; implicat autem, quòd positiuum sit idem formaliter, ac purè negatiuum; quia implicat esse identificari cum puro non esse; ex quo deducitur positiuum non posse constitui per purè negatiuum. Mi. est in terminis *S. P. Aug.* doctrina; sicut enim esse specificum est constitutiuum formale essentiæ; ita subsistentia est constitutiuum formale substantiæ; *subsistere* nanque idem significat, ac *substare*, vt patet. Cum hoc tamen discrimine, quòd esse specificum identificatur realiter cum essentia; subsistentia verò in creaturis distinguitur realiter à substantia; ideo essentia constituitur formaliter per esse specificum; substantia verò constituitur formaliter per ordinem, siue per aptitudinem ad subsistentiam; iste tamen ordo, seu aptitudo nequit esse ad aliquod purè negatiuum; quia implicat etiam, quòd constitutiuum extrinsecum alicuius rei positiuæ sit aliquid purè negatiuum; repugnat enim, quòd obiectum extrinsecum v. g. potentiæ visiuę, quæ est ens positiuum, sit aliquod purè negatiuum. 2. Implicat, quòd aliquod absolutum consistat in aliquo purè relatiuo; sed subsistentia est aliquod absolutum; ergo implicat, quòd subsistentia consistat in aliquo purè relatiuo. Atqui incommunicabilitas alteri supposito est aliquod purè relatiuum; ergo implicat, quòd subsistentia consistat in incommunicabilitate alteri supposito. Ma. constat; quia absolutum, & relatiuum sunt duo genera formaliter primò diuersa, quæ propterea exigunt rationes formales essentiales diuersas; atque adeo essentia vnius nequit formaliter consistere in essentia alterius. Mi. traditur in terminis *à S. P. Aug.* docente quod *subsistentia ad se dicitur*; sed quod dicitur ad se, est absolutum, relatiuum enim dicitur ad aliud; ergo subsistentia est quid absolutum. Prob. mi. subsumpt. Quod est ad alterum, est relatiuum; sed incommunicabilitas est ad alterum; nihil enim dicitur incommunicabile sibi ipsi; ergo est relatiua. Tum quia communicabilitas est ad alterum; ergo & incommunicabilitas; nam communicabilitas, & incommunicabilitas negatiuè opponuntur, & negatiuè opposita pertinent ad idem prædicamentum, vt docet *idem S. P. Aug. lib. 5. de Trin. c. 7*; vbi probat innascibilitatem in Diuinis esse relatiuam, quia opponitur nascibilitati, quæ relatiua est, his verbis: *Sicut enim genitus non ad se ipsum dicitur, sed quod ex genitore sit; ita cùm dicitur ingenitus, non ad se ipsum dicitur, sed quod ex genitore non sit, ostenditur. In eodem tamen prædicamento, quod relatiuum vocant, vtraque significatio vertitur.*

11 Dices. *S. P. Aug.* loquitur de subsistentia increata, de qua aliter loquendum, ac de subsistentia creata; nam subsistentia increata realiter identificatur cum substantia; creata verò distinguitur.

Sed contra; quia loquitur vniuersaliter de omni substantia; ait enim: *Omnis enim res ad se ipsam subsistit; quantò magis Deus?*

12 Prob. 2. Existere in se, & per se non est aliquod merè negatiuum, sed positiuum; at subsistentia formaliter importat existere in se, & per se; ergo non consistit in aliquo merè negatiuo,

tiuo ; sed positiuo. Ma. patet; quia existentia in se, & per se dicit actum, quo creatura ponitur à parte rei extra suas causas, & quo existit in se, non in alio ; actus verò, quo aliquid ponitur à parte rei, est quid positiuum, aliter non poneret rem in esse ; ergo existentia in se, & per se est quid positiuum. Tum quia inaleitas, per quam accidens ponitur à parte rei, est quid positiuum, aliter accidens, quod constituitur per inaleitatem, constitueretur per negationem; ergo à fortiori existentia in se, & per se, quæ est id, per quod substantia habet esse in se, & per se, est quid positiuum, aliter substantia haberet esse in se per negationem. Tandem existentia in se, & per se importat ipsum esse; sed esse est quid positiuum, cùm sit id, per quod res, & omnia illius accidentia ponuntur in rerum natura ; ergo idem. Mi. probata est *nu.* 4; *&* 5; subsistere enim est idem, ac existere, aut sistere sub se, non sub alio ; & alijs substare; illud autem existit sub se, non sub alio, quod existit in se, & per se ; & hoc solùm potest alijs substare; & sic de alijs; ergo subsistentia formaliter importat existere in se, & per se. Tum quia subsistentia non importat incommunicabilitatem alteri, vt dictum est; ergo importat existentiam in se, & per se; nihil enim aliud assignatum est vsquenunc à *DD.*

13 Prob. 2. pars concl. Personalitas formaliter importat subsistentiam incommunicabilem alteri supposito in natura intellectuali ; sed subsistentia est aliquod positiuum, & incommunicabilitas est quid negatiuum ; ergo personalitas importat aliquod positiuum cum negatiuo. Ma. patet ex definitione personæ. Prima pars mi. probata est ; & 2. pars constat ex ipso nomine incommunicabilitatis, quod est negatiuum. 2. Suppositalitas, seu personalitas est terminus determinans naturam specificam ad hoc indiuiduum, non ad aliud ; sed terminus determinans naturam est quid positiuum habens adiunctam negationem ; ergo personalitas est quid positiuum habens adiunctam negationem. Ma. admittitur *ab Aduersarijs* asserentibus suppositalitatem creatam ita terminare propriam naturam, vt possit etiam alienam terminare. Prob. mi. Actus est quid positiuum, quia non actus est quid negatiuum ; sed omne, quod determinat, est actus *ex Phil.* asserente : *Actus est, qui determinat*; ergo terminus determinans est quid positiuum. Tum quia determinatio potentialitatis passiuæ non habetur, nisi per actum ; potentia enim passiua materiæ determinatur per formam, quæ est actus ; sic intellectus, & quælibet alia potentia passiua determinatur per suam actionem ; sed suppositum determinat potentialitatem passiuam naturæ specificæ, quæ præcisa suppositalitate est indifferens, & contrahibilis ad quodcunque suppositum illi conueniens, & ideo est in potentia passiua, vt contrahatur ad quodlibet suppositum ; ergo suppositalitas importat actum, & ideo quid positiuum. 4. Suppositalitas est perfectio, & complementum naturæ, quæ sine propria suppositalitate est imperfecta, & incompleta ; sed perfectio, & completio sumitur ab esse, quod est quid positiuum, sicut non esse est quid negatiuum ; ergo idem. 5. Personalitas, seu suppositalitas simul cum natura facit vnum substantiale per se, cui attribuuntur actiones, vt principio *quod* ; sed negatio non facit vnum per se substantiale cum natura, quod sit agens, vt *quod* ; quia negatio dicit non esse, & non esse nequit esse principium effectiuum ; *actio nanque sequitur ad esse* ; & sic ad non esse sequitur non actio ; ergo idem. Tum quia ex personalitate, & natura fit compositio realis ; sed negatio non componit cum subiecto, quia compositio realis fit solùm ex entibus, & ideo ex non entibus non fit compositio; *oppositorum enim opposita sunt rationes* ; ergo idem. 6. Ita se habet suppositalitas respectu naturæ substantialis, & personalitas respectu naturæ intellectualis ; sicut natura specifica respectu naturæ genericæ ; nam sicut genus per naturam specificam contrahitur ad vnam tantùm differentiam ; ita natura specifica per suppositalitatem, seu personalitatem contrahitur ad vnum tantùm indiuiduũ illius speciei ; sed natura specifica est quid positiuum ; ergo & suppositalitas, seu personalitas. 7. Suppositum substentat in esse naturam substantialem, & accidentia, quæ illi inhærent ; ergo nequit esse pura negatio, quæ cùm sit non esse, nequit in esse substentare ; nam substentare in esse est conseruare in esse; *conseruatio autem est continuata productio* ; at producere in esse repugnat negationi, quæ est non esse ; ergo idem. Nec potest dici, quòd substentat ratione naturæ, quæ est quid positiuum ; nam contra est; quia ipsa natura indiget substentari, & conseruari in esse à supposito ; ergo nequit esse ratio substentandi in esse se ipsam, & accidentia ; aliter ipsa non indigeret ab alio substentari ; sicut suppositum, quia est ratio substentans naturam, & accidentia in esse, non indiget substentari ab alio ; etenim *propter quod vnumquodque tale, & illud magis* ; vnde si suppositum est id, per quod alia substentantur in esse, multò magis per se ipsum in esse substentatur. 8. Ad suppositum datur per se motus ; quia suppositum est illud, quod generatur, & corrumpitur per se; sicut est illud, quod per se agit, & destruit ; sed ad puram negationem non datur per se motus, quia motus datur per se ad esse, non ad non esse ; in tantùm enim destruitur aliquod, in quantùm aliud generatur, quod non est, nisi suppositum, quia natura per se non generatur, nec corrumpitur, nisi ratione suppositi ; ergo idem. 9. Si personalitas diceret aliquod purè negatiuum, sequeretur, quòd Verbum in incarnatione suppleuisset meram negationem, quia suppleuit solam personalitatem ; sed conſ. est absurdum ;

quia

quia natura humana per Verbum non acquisiuisset esse in rerum natura; negatio enim nequit conferre alicui esse; ergo & ant. Sapientiùs ergo *Ganatius*, *& alij Scotistæ* his, alijsque rationibus persuasi tenent subsistentiam, & personalitatem importare aliquod positiuum.

14 Obijc. *Mastr.* 1. Si subsistentia creata importaret aliquod positiuum, posset assumi à Verbo; nam omne positiuum est in potentia obedientiali, vt assumatur à Deo; nam per potentiam obedientialem potest Deus facere, quidquid vult ex creatura, dummodò non implicet contradictionem, nulla autem potest assignari contradictio, ob quam quælibet entitas positiua non possit assumi; sed subsistentia non potest assumi ex communi sententia; ergo non est quid positiuum. 2. Si personalitas creata consisteret in aliqua entitate positiua, posset produci natura, & conseruari sine personalitate; sed hoc est magnum inconueniens; quia illa natura sic producta haberet negationem actualis, & aptitudinalis communicationis alieno supposito; ergo idem. Ma. autem prob; quia illa entitas positiua esset distincta à natura; ergo natura posset sine illa produci.

Resp. ad 1. *cum Fund. Doct.* neg. ma; id enim tantùm potest assumi à persona Diuina, quod per illam potest fieri subsistens in rerum natura; assumitur enim ad existendum, & subsistendum in persona Diuina; hic nanque est conceptus formalis assumptionis; sed implicat, quòd aliquod existens in se, & per se, ac ideo subsistens fiat existens in alio; imò nulla maior implicantia esse potest, quàm quòd existentia in se, & per se fiat existentia in alio, quod eueniret, si subsistentia in se, & per se posset assumi ad subsistendum in persona Diuina; sic enim subsisteret in se, & in alio; quod est non in se. Ad prob. insert. dicitur implicantiam manifestam esse assignatam; implicat enim aliquod existere, & non existere in se, seu existentiam in se non esse existentiam in se; si autem aliquod existens in se assumeretur ad existendum in persona Diuina, illud fieret non existens in se, quia fieret existens in persona Diuina. Ad 2. omittitur ma; si sermo sit de personalitate, quia potest produci anima rationalis separata, quæ non est persona, vt fatetur *Scot*; & sic nullum est inconueniens; & si est aliquod incongruum, ab ipso etiam debet solui, cùm ipse etiam doceat animā non esse personam, & tamen existere productam in rerum natura. Vel si sermo sit de subsistentia, neg. ma; quanuis enim subsistentia realiter distinguatur à natura; attamen nequit natura produci sine subsistentia, quia subsistentia est id, quo natura substantialis producitur in rerum natura; subsistentia enim nihil aliud importat, nisi existentiam in se, & per se, per quam solùm substantia poni potest à parte rei. Ad prob. dicitur nimis probare; probat enim ipsam naturam formaliter esse personalitatem; quia ipsa nec actualiter, nec aptitudinaliter potest coniungi alieno supposito, sed tantùm proprio, vel gerenti vices proprij suppositi. Personalitas igitur negat aptitudinem communicationis alicui supposito, siue sit alterum, siue sit proprium illius naturę; nam personalitas *Petri* facit, vt natura *Petri* non possit communicari cani, qui est suppositum naturę caninę, quæ est alia à natura humana; nec *Paulo*, qui est aliud suppositum proprium naturę humanæ. Quanuis ergo natura careat aptitudine, vt communicetur alieno supposito; attamen non est persona, quia est communicabilis supposito proprio; natura autem personata nec est communicabilis supposito proprio; non quidem illi, quod iam habet, quia ei est de facto communicata, & ideo nequit esse in potentia ad communicari; sicut sanus iam factus nequit dici sanabilis, quia non est in potentia ad sanitatem; nec alteri, quod non habet, quia habet adiunctam negationem illius.

15 Inst. *idem*. Si suppositum creatum importaret aliquod positiuum, sequeretur, quòd posset assumi à Deo natura creata retinens propriam personalitatem; nam quanuis ad illam entitatem positiuam consequeretur connaturaliter, & ex exigentia naturæ personatæ duplex negatio actualis, & aptitudinalis dependentiæ ab alieno supposito; attamen supernaturaliter posset impediri exclusio alieni suppositi, quia est effectus secundarius, qui potest à Deo impediri; sed cons. est falsum; vt dictum est *q. 1. ar. 7*; ergo & ant. 2. Licèt in sententia constituente suppositalitatem in merè negatiuo optimè sequatur, quòd si assumeretur natura retinens propriam personalitatem, natura dependeret, & non dependeret ab alieno supposito; attamen in sententia illam constituente in positiuo non sequeretur hæc contradictio; ergo hæc sententia teneretur assignare aliam contradictionem.

Resp. hoc arg. procedere ex ignorantia terminorũ, quid scilicet nomine *assumptionis* significetur; si enim percipiatur assumptionem nihil aliud esse, quàm susceptionem naturæ creatę ad subsistendum per suppositalitatem Verbi Diuini, statim apparebit contradictio *superiùs* allata. Ad 1. ergo neg. seq. Ad prob. insert. dicitur duplicem illam negationem modo explicato ita essentialiter sequi ad illam entitatem, vt nullo modo possit Diuinitus impediri; quia personalitas simul cum subsistentia, quæ est quid positiuum, importat essentialiter indiuidualitatem, quæ formaliter est quid negatiuum; & ideo negatio nequit impediri à Deo, aut præscindi; essentialia enim sunt immutabilia etiam respectu Dei. Ad 2. eodem modo neg. 2. pars ant; nedum enim personalitas, quę inuoluit essentialiter illam duplicem negationem; sed nec etiam subsistentia, quę consistit in purè positiuo, potest

assumi

assumi ob implicantiam allatam, & alias adductas *q.* 1. *vbis.*

16 Obijc. 2. *idem.* Non potest assignari causa efficiens, & materialis illius entitatis positiuæ, bene tamen negationis; ergo idem. Prob. ant. Causa efficiens negationis est agens supernaturale non vniens sibi naturam habentem talem negationem; materialis verò est natura singularis non commu nicata. Sed natura singularis nequit esse causa materialis subsistentiæ; quia subsistentia debet reddere naturam per se stantem, nulli alteri affixam; hoc autem nequit facere entitas positiua, quia ipsa esset alteri affixa, cùm sit modus, de cuius ratione est esse alteri affixus, adeoque non posset reddere aliam rem, nempe naturam per se stantem, nulli affixam; tum quia illa entitas communicaretur alteri, nempe naturæ; ergo non posset reddere ipsam incommunicabilem; tum quia illa entitas substentaretur in natura, & naturam substentaret; & sic daretur circulus vitiosus. Nec posset assignari causa efficiens; quia non posset esse ipsa natura, à qua, tanquam à causa, posset dimanare; ergo idem. 2. Posita duplici negatione absque vllo superaddito positiuo natura intelligitur personata, per se existens &c; ergo idem.

Resp. etiam hoc procedere ex confusione terminorum. Ad 1. dicitur, quòd causa materialis subsistentiæ est natura, & causa efficiens est agens extrinsecè producens, quod dat naturæ existentiam in se, & per se. Ad improb. dicitur subsistentiam indiuidualem, quæ est idem, ac personalitas, reddere naturam per se stantem nulli alteri supposito communicabilem, & sic subsistentia indiuidua est incommunicabilis alteri subsistentiæ indiuiduæ, non tamen est incommunicabilis naturę, quam suppositat, & ideo ipsam non reddit incommunicabilem sibi. Sic illa duplex negatio est incommunicabilis alteri supposito, non naturæ, quam afficit, & cui affigitur; & ideo esset eadem difficultas de ipsa; & sic illa negatio substentaretur in natura, quia non substentatur, nisi in fundamento, in quo est; & aliunde natura substentatur in supposito, in quo solùm subsistentiam acquirit; ergo eadem ratio debet solui ab vtraque sententia. Dicitur ergo suppositalitatem recipi in natura, tanquam in potentia passiua, quam actuat, & determinat; non tamen dicitur propriè substentari in esse à natura, quia ab illa non recipit esse, sed esse ei communicat; non enim est idem recipi, ac substentari; nam forma recipitur in materia, à qua non substinetur in esse, vt patet de anima rationali, quæ substinetur in esse etiam extra materiam. Ad 2. neg. ant; nam posita sola duplici negatione sine aliquo positiuo natura nec esset existens, nec subsistens, nec suppositata, nec in rerum natura; vt *sup.* habitum est.

17 Obijc. 3. Verbum assumpsit naturam cum omnibus suis prædicatis positiuis; sed non assumpsit subsistentiam; ergo subsistentia non est quid positiuum. 2. Compositum substantiale resultans ex anima, & corpore cum additione illius duplicis negationis absque vllo positiuo superaddito esset per se, & in se existens, & incommunicabile alteri supposito; ergo esset persona; & ideo persona nihil positiuum superaddit naturæ.

Resp. ad 1. dist. ant. Verbum assumpsit omnia prædicata positiua essentialia, quæ sunt constitutiua essentiæ, conc; quæ spectant ad constitutionem personalitatis, neg; sicut enim persona Diuina suppleuit personam creatam, quam non assumpsit, ita suppleuit omnia prædicata, quæ constituunt personam creatam. Ad 2. neg; quòd esset per se existens; existentia enim per se est idem formaliter, ac subsistentia, cui si superaddatur indiuidualitas, statim resultat persona, seu suppositum; quapropter sæpe docet *Fund. Doct;* quòd ex essentia, & existentia sit suppositum; sicut ex materia, & forma fit compositum. Quod tamen intelligendum est de essentia indiuidua; quia persona est *rationalis naturæ indiuidua subsistentia.*

18 Collig. ex dictis 1. effectum formalem subsistentiæ, prout à personalitate distinguitur, esse reddere naturam per se, & in se existentem; effectum verò formalem personalitatis, prout includit subsistentiam, & indiuidualitatem, esse vltimò complere naturam, eamque reddere incommunicabilem alteri. Prima pars, quæ est *contra nostrum Gibb. hìc disp.* 7. *dub.* 2; *& alios,* prob. ex dictis. Subsistentia formaliter importat existentiam in se, & per se; sed effectus existentiæ in se, & per se est reddere naturam formaliter existentem in se, & per se; ergo & subsistentiæ. *Vid. alia rationes à nu.* 4. *ad* 12. Secunda pars pariter deducitur ex dictis *à nu.* 13; quia personalitas importat in suo conceptu subsistentiam, & indiuidualitatem; sed subsistentia habet complere naturam; & indiuidualitas habet illam reddere incommunicabilem alteri; ergo idem, quod supra.

19 Obijc. *Gibb.* Priùs intelligitur natura posita extra causas per creationem, vel generationem, quàm subsistens, quia subsistentia conuenit rei iam productę; nam res supponitur priùs existens, quàm subsistens; creatio autem, & generatio ad existentiam terminatur, vt aiunt *Philosophi;* ergo effectus subsistentiæ non est reddere naturam existentem in se, & per se. 2. *D. Tho. hìc q.* 4. *art.* 2; *&* 3. docet, quòd *illud, quod assumitur, oportet præintelligi assumptioni; sicut illud, quod mouetur localiter, ipsi motui;* ergo idem. 3. In Diuinis essentia priùs intelligitur existens in se, & per se, quàm sit persona; ergo à pari.

Resp. ad 1. dist. ant. Priùs intelligitur prioritate causalitatis in genere causæ materialis eo modo, quo materia præsupponitur formæ, conc;

prioritate durationis, neg; Ad prob. dicitur subsistentiam conuenire rei iam productæ ita, vt producatur formaliter per ipsam; ipsa enim subsistentia est id, quo natura substantialis ponitur in rerum natura; non tamen ita, vt natura priùs supponatur in se, & per se existens, quàm subsistens; idem nanque supponeretur ante se ipsum. Creatio autem, & generatio substantiæ terminatur ad existentiam in se, & per se, & ideo ad subsistentiam. Ad 2. dicitur eodem modo assumibile præintelligi assumptioni in genere causæ materialis; exemplum autem de mobili valet tantùm in genere causæ materialis, quatenus mobile est causa receptiua motus; & in hoc sensu loquitur *S. Doctor*; non tamen valet in omnibus; quia mobile supponitur existens, & suppositatum; natura autē assumibilis non debet præsupponi, vt suppositata, & ideo nec vt existens. Ad 3. neg. cons; quia essentia Diuina pro priori emanationis ad proprietatem relatiuam constitutiuam personæ præsupponitur subsistens, habet enim subsistentiam absolutam; at natura humana ante subsistentiam non habet existentiam in se, & per se.

20 Colligi 2. existentiam, at subsistentiam substantiæ distingui, sicut gradus genericus, & specificus, eo modo, quo distinguitur ratio entis, *vt sic*, à ratione talis entis; ita enim se habet existentia, *vt sic*, respectu subsistentiæ; sicut ens, *vt sic*, respectu substantiæ, vt dictum est; sed differentiæ entis sunt tantùm modi ipsius, vt *alibi* diximus; ergo subsistentia est tantùm modus existentiæ, *vt sic*. Modus autem non distinguitur à re, cuius est modus, vt diximus *to. 1. de attr. in com. q. 2. art. 2; & 6.*

§. II.

Resoluitur Articulus.

21 Verbum Diuinum non assumpsisse naturam humanam subsistentem subsistentia creata est commune Catholicorum dogma definitum *in Concilijs* coactis *contra Nestoriū.* Controuersia est de sola existentia; an Verbum assumpserit naturam humanam existentem propria existentia creata, vel non?

22 Prima sententia vult Verbum assumpsisse naturam humanam existentem propria existentia creata; imò impossibile esse humanitatem Christi Domini existere in rerum natura per existentiam increatam Verbi Diuini. *Ita Scot. in 3. dist. 6. q. 1; Fab. ibid. disp. 14; Rada contr. 7. art. 3; Aretin. in 3. dist. 6. q. 3: & alij Scotistæ apud Mastr. hic disp. 1. q. 6. art. 1;* vbi *nu. 206.* refert etiam *D. Bon. in 3. dist. 5. art. 2. q. 1. Ita etiam Sua; Vasq; Gran; Amic; Arriag; Auersa, Hurt; Orland; Lug; & alij Nominales* non distinguentes in creaturis essentiam ab existentia.

23 Nostra tamen sententia docet Verbum assumpsisse naturam humanam nedum sine propria subsistentia, sed etiam sine existentia creata ita, vt natura humana non solùm subsistat, sed etiam existat per subsistentiam, & existentiam increatam Verbi Diuini exclusa prorsus subsistentia. & existentia creata. *Ita Fund. Doct. hic dist. 6. par. 3. q. 1. ar. 2;* & expressiùs *Quodl. 2. q. 2; & Quodl. 5. q. 3; & locis cit. to. 1. de subst. Dei q. 2. art. 1. §. 3;* vbi docet essentiam creaturæ realiter differre ab existentia. Ipsum sequitur *tota nostra Schola*. Hanc sententiam apertissimè docet *D. Tho;* & cum illo *omnes Thomistæ Capr; Caiet; Ferr; Med; Cabr; Godoy, Gonet hic disp. 8. art. 1; & alij.*

24 Vnica concl. Verbum Diuinum assumpsit naturam humanam sine propria subsistentia, & existentia creata; imò æquè simpliciter impossibile fuit ipsum assumere subsistentiam, & existentiam creatam, ac assumere personalitatem humanam.

Prob. 1. *ex VI. Syn. art. 11; & 13;* vbi *Sophron.* loquens de natura humana ait: *In illo itaq;* (idèst in Verbo) *& non in semetipsa habuit existentiam vnam;* quibus verbis nedum asserit naturam humanam habere existentiam in Verbo, sed etiam negat habere existentiam in se ipsa; sed existentia Verbi est increata; & existentia ipsi naturæ humanæ propria est creata; ergo concedit tantùm naturæ humanæ existentiam increatam, & negat creatam; adeoque Verbum assumpsit naturam humanam sine propria existentia creata.

25 Resp. *Mastr. ex Sua; Hurt; & Arriag. Sophronium* nihil aliud docere, nisi humanitatem eodem temporis momento, in quo esse cepit, fuisse Verbo vnitam; & sic habuisse existentiam vnam, idèst inuariatam; quia non habuit existentiam priùs separatam, & postea vnitam, sed semper vnitam.

Sed quàm distorta sit hæc explicatio, ex se ipsa apparet. Contra. 1. Ex eo, quòd *PP.* asserant in Christo esse vnam subsistentiam, non licet eos explicare, vt intelligant in primo incarnationis momento subsistentiam humanam vnitam fuisse subsistentiæ Diuinæ; & sic habuisse subsistentiam vnam, idèst inuariatam, quia natura humana non habuit subsistentiam humanam priùs separatam, & postea vnitam, sed semper coniunctam; ergo ex eo, quòd asserant in Christo fuisse existentiam vnam, non licèt eos interpretari, vt intelligant existentiam vnitam, non vnam; nam natura humana vnita est naturæ Diuinæ, & tamen non est vna natura cum illa. 2. *Sophronius* directè negat existentiam *in semetipsa;* & ideo esse in illa *existentiam vnam,* quia remota existentia creata remanet sola existentia Verbi; ergo allata expositio est omnino chimerica. 3. Ex eo, quòd natura Diuina, & humana vniantur, nequit dici, quòd sit vna natura;

ergo

ergo dicere esse vnam existentiam non est dicere duas existentias esse vnitas.

26 Conf. *ex eod. ibid.* docente de vtraque natura: *Esse & permanere vnum indiuisum sortitur*; & deinde; *Ex quibus esse vnum sortitur natura duplex, & vnum permanere seruabit*; sed esse, & permanentia, seu duratio in esse dicit existentiam, & existentiæ continuationem; nam *per Aduersarios* personalitas dicit solam incommunicabilitatem alteri supposito, vt dictum est *in sup.* §; quæ est mera negatio, & ideo nequit significari per esse, quod est quid positiuum; aliter non esse significaretur per esse; tum quia duratio in esse nihil aliud est, nisi ipsa rei existentia perseuerans; ergo duplex natura Christi Domini non habet, nisi vnam tantùm existentiam; at hæc nequit esse existentia creata; nam existentia increata est inseparabilis à persona Verbi, quia identificatur cum illa; & aliunde natura Diuina nequit existere per existentiam creatam; ergo est existentia increata; & per consequens Verbum assumpsit naturam humanam sine existentia creata. Tum quia *Sophronius* probat in Christo esse vnam tantùm personam ex eo, quòd in ipso duplex natura sortitur tantùm, & habet vnum esse; cùm enim persona coalescat ex natura, seu essentia, & esse; ideo ex eo, quòd in illo sit vnum tantùm esse actuale, arguit in ipso esse tantùm vnam personam; sed nomine *vnius esse* nequit intelligere esse essentiæ, ait enim, & de fide est, in Christo esse duplex esse essentiæ; neque esse subsistentiæ, aut personæ, vt dicunt *Sua; & Mastr*; aliter probaret idem per idem; ergo intelligit esse existentiæ.

Præterea expressè traditur *in V. Syn. anathematismo* 2. *Si quis dicit, aut sentit animam Domini præexistentem, vnitamque fuisse Dei Verbo ante incarnationem, & natiuitatem ex Virgine anathema sit*; *& anathem.* 3. *Si quis dicit, aut sentit priùs formandum esse corpus Domini nostri Iesu Christi in vtero Virginis Sanctæ, & deinceps vnitum esse ei Dei Verbum, atque animam, vt quæ priùs extiterit, anathema sit*. Sed sententia asserens Verbum assumpsisse humanitatem existentem, asserit animam, & corpus priùs natura extitisse, quàm Verbo vnirentur; ergo directè sentit *contra Concilium. Vid. inf. art.* 5. *nu.* 5. responsionem ad hoc, & solutionem.

27 Prob. 2; & redarguitur *Aduersariorum* doctrina *ex B. P. Aug. in Enchir. c.* 36. docente: *Nempe ex quo homo esse cepit, non aliud cepit esse, quàm Dei Filius; & hoc vnicus, & propter Deum Verbum, quod illo suscepto caro factum est, vtique Deus; & c.* 40. *In ipso exordio naturæ suæ, quo esse cepit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ vnitatem, vt idem ipse esset Filius Dei, qui Filius hominis; & Filius hominis, qui Filius Dei; & de Fide ad Pet. c.* 18. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites non carnem Christi sine Diuinitate conceptam in vtero Virginis, priusquam susciperetur à Verbo, sed ipsum Verbum Deum suæ carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Verbi incarnatione conceptam*. Ex quibus sic arguitur. In tantùm *per Aduersarios* admittitur existentia creata in natura humana; in quantùm natura humana est ens actuale existens ordine naturæ ante ipsam vnionem, & assumptionem; sed hoc est *contra SS. PP*; & parum tutum in fide; ergo & id, vnde sequitur. Ma. est doctrina *Scoti apud Mastr. nu.* 207. *vbi*; *& nu.* 209. ait *Scotum* hoc probare, ex eo, quòd humanitas Christi etiam, vt præscindit ab vnione ad Verbum, verè fuit producta à Matre, & à tota Trinitate; productio autem terminatur ad existentiam rei, adeoque etiam antecedenter, & præcisa vnione (hæc enim præcisio nequit esse, nisi antecedens, vt constat; quia non fuit simul cum vnione, quod repugnat, nec post vnionem, cùm natura humana post vnionem dimissa non fuerit) natura humana fuit existens. Prob. mi. Si pro aliquo instanti antecedente, vel pro aliquo priori quomodolibet sumpto natura humana fuisset existens ante assumptionem, & vnionem, pro illo priori illud existens in natura humana non fuisset Filius Dei naturalis; quia per solam vnionem ad Verbum natura humana acquirit filiationem Dei naturalem; solum enim Verbum est Filius Dei naturalis, & repugnat dari alium Filium Dei naturalem à Verbo diuersum; sed hoc est *contra SS. PP.* docentes in primo instanti conceptionis Christi Domini fuisse Filium Dei naturalem, vt patet *ex textibus* allatis *ex S. P. August*; in eodem enim instanti, quo Christus fuit Filius hominis, fuit Filius Dei; & ex alia parte recedere à *SS. PP; & Conciliorum* doctrina præsertim in hac materia, quæ magis est remota à nostra cognitione, quàm materia cuiuslibet alterius mysterij, est parum tutum in fide; ergo idem, quod supra. Tum quia si antecedenter ad vnionem natura humana esset existens, in ipso exordio naturæ creatæ ipsa natura non esset copulata Verbo Diuino, quia pro illo antecedente haberet exordium, esset enim existens, & non esset vnita; imò ipsa caro pro illo antecedente non fuisset concepta simul cum Diuinitate, neque caro fuisset formaliter concepta per vnionem, per susceptionem, & per incarnationem Verbi Diuini, supponeretur enim iam existens ante vnionem, susceptionem, & incarnationem; repugnat autem esse existens, & non esse conceptum; quia conceptio est initium existentiæ, vt notum est; sed hoc est *contra SS. PP*; & parum tutum in fide, quæ docet naturam humanam factam fuisse ex eo, quòd *Verbum caro factum est*; ergo idem.

28 Conf. *ex Fund. Doct. Quodl.* 2. *vbi*; Natura humana existens per propriam existentiam creatam esset existens in se, & per se; esset enim existens existentia, quæ competit substantiæ, quæ est existentia in se, & per se; in hoc nanque substantia differt ab accidente, quod existit in alio;

alio; sed existentia in se, & per se est formaliter subsistentia, vt ostensum est *in sup.* §; ergo natura humana pro priori ad vnioné esset subsistens; & ex alia parte esset etiam indiuidua, quia esset talis, non omnis natura; ergo esset subsistens indiuidua; tandem natura humana est intellectualis; ergo esset persona, quæ adæquatè constituitur ex subsistentia indiuidua naturæ intellectualis; & ideo Verbum Diuinum assumpsisset, quod est contra fidem.

29 Explic. magis. Ad hoc, vt anima separata, quæ est existens in se, & per se, & non est persona, vt fatetur *Scot.* nobiscum *contra Hug. de S. Vict*; fiat persona, sufficit, vt vniatur suo corpori absque vllo alio superaddito; tunc enim nemo potest negare tale compositum ex corpore, & anima existens in se, & per se non esse personam; sed anima Christi Domini esset existens in se, & per se, & esset vnita suo corpori, cum quo efficeret verum compositum physicum ante vnionem hipostaticam; ergo illud compositum verè esset persona; & sic Verbum assumpsisset personam, quod fides damnat. Tum quia anima separata existens in se, & per se eo, quia dicit ordinem essentialem ad suum corpus, nequit per quancunq; potentiam vniri alteri supposito, & ideo quia est existens in se, & per se, & dicit ordinem ad proprium corpus, est simpliciter incommunicabilis alteri supposito, etiãsi sit separata à proprio corpore, & non sit formaliter persona; sed anima Christi Domini esset existens in se, & per se, & diceret essentialiter ordinem ad proprium corpus; imò esset cum illo actu vnita; ergo esset essentialiter incommunicabilis alteri supposito. Atqui ratio, ob quam persona creata nequit assumi à Deo, est incommunicabilitas alteri supposito, quia, vt ait *Scot*; cum negatione communicabilitatis nequit poni forma positiua illi opposita, quia hæc tolleret talem negationem; ergo anima existens in se, & per se coniuncta cum proprio corpore non fuit assumibilis à Verbo Diuino, & ideo non fuit assumpta cum propria existentia.

40 Prob. 3. alia ratione *Fund. Doct.* sic. In hoc distinguitur natura creata à natura Diuina; quòd illa acquirit esse actuale, seu existentiam in supposito: hæc verò communicat esse actuale suppositis; sed implicat in terminis dicere, quòd natura creata acquirat esse actuale in supposito; & habeat esse actuale extra suppositum; ergo implicat in terminis dicere, quòd natura creata existat actualiter præciso supposito, aut præciso ordine essentiali ad proprium suppositum. Atqui natura humana Christi Domini est natura creata, non enim est natura Diuina; ergo implicat, quòd existat, nisi per existentiam suppositi, ad quod dicit ordinem, & per consequens per esse suppositi Verbi Diuini, ad quod fuit assumpta. Prob. ma. Natura creata in hoc distinguitur à natura Diuina, quòd est in potentia ad actu esse, vel non esse, seu ad existere, vel non existere in rerum natura; constat enim, quòd quælibet natura creata ex non actu existente fit existens, hoc autem est esse in potentia ad existentiam; & ex hoc arguitur euidenter distinctio realis naturæ creatæ à sua existentia, inquit *Fund. Doct. dist. 6. vbi s*; ideo nanque distinguimus materiam à forma, quia videmus materiam, quæ non erat actu sub vna forma, fieri sub illa; & sic quia videmus essentiam creatam modò esse sub existentia actuali, modò non esse, ideo realiter vtranque diuidimus; sed essentia Diuina semper est existẽs, quia est actus purissimus, cui repugnat esse in potentia ad aliquam actualitatem, aliter non esset actus purissimus simpliciter infinitus, non enim esset illa actualitas, ad quam esset in potentia; ergo in hoc distinguitur natura creata à natura Diuina, quòd illa acquirit esse, seu existentiam, ad quam erat in potentia passiua; hæc verò communicat esse, quia formaliter est suum esse. Atqui natura creata non acquirit existentiam, nisi cùm producitur in rerum natura; & non producitur per se, nisi suppositum; natura nanque producitur ratione suppositi, & in supposito; ergo natura creata per hoc differt à natura Diuina, quòd acquirit esse in supposito. Mi. constat; quia habere esse, & non habere esse in supposito sunt contradictoria. Diximus autem: *Vel per ordinem ad suum suppositum* propter animam rationalem; quæ potest creari à Deo etiam separata à suo corpore, non tamen absque ordine ad suum corpus, cum quo posset constituere suppositum, ad quod ita ordinaretur anima, vt per nullam potentiam posset ad aliud suppositum ordinari; anima enim *D. Petri* de facto nequit esse anima *D. Pauli* propter essentialem ordinationem, quam vnaquęque habet ad proprium suppositũ.

31 Prob. 4. *ex eod. hic, & sæpe alibi in hoc 3; & Quodl. 6. q. 3.* Natura non constituens suppositum existit tantùm per existentiam suppositi; sed natura humana Christi Domini non constituit suppositum; ergo existit per existentiam suppositi. Atqui repugnat, quòd existens per existentiam alterius habeat propriam existentiam; quia repugnat, quòd aliquod simul existat in se, ac per se, & in alio, ac per aliud; ergo repugnat naturam humanam Christi Domini habere propriam existentiam. Prob. ma. Ideo natura accidentalis non existit per propriam existẽtiam, & in se, sed per existentiam subiecti substantialis, & in alio, quia natura accidentalis non constituit suppositum substantiale, sed illi aduenit, & accidit iam constituto; natura verò substantialis per propriam existentiam existit, quia constituit suppositum substantiale, adeoque dicitur per se existere, quia est constitutiua in primo modo dicendi per se ipsius suppositi, quod per se dicitur existere; etenim sine natura substantiali nequit esse, nec intelligi suppositum;

sed

sed natura non cōstit uens suppositum habet modum naturæ accidentalis,cui conuenit non constituere suppositum; ergo natura non constituēs suppositum existit tantùm per existentiam suppositi. Mi. est de fide; nam si natura humana Christi Domini constitueret suppositum, vel constitueret suppositum creatum, vel Diuinum? Non primum; aliter in Christo essent duo supposita, quod fides reprobat *contra Nestorium*. Non secundum; repugnat enim suppositum Diuinum constitui per aliquod creatum, & temporale; quia suppositum Diuinumest simpliciter increatum, & æternum; ergo natura humana Christi Domini non cōstituit suppositum.

32 Conf. 1. *ex eod. Quodl. 2. vbis.* In hoc distinguitur pars à toto, quòd de ratione partis est existere in toto, de ratione verò totius est existere per se, & in se; sicut enim pars per se ordinatur ad entitatem totius, si sit pars essentialis, de qua tantùm loquimur, ipsa enim constituit simul cum alia comparte entitatem totius; ita ordinatur ad existentiam totius, quæ est actualitas, per quam totum ponitur in rerum natura; sed natura humana est pars suppositi, quia simul cum suppositalitate, quæ est altera pars, constituit suppositum; ergo natura humana essentialiter habet existere per existentiam suppositi. Atqui existentia, per quam existit suppositum Christi Domini, est tantùm increata, non creata; quia repugnat, quòd suppositum Diuinum existat per existentiam creatam; ergo natura humana Christi Domini tantùm existit per existentiam increatam suppositi Diuini, non per existentiam creatam; adeoque non habet propriam existentiam.

33 Conf. 2. *ex alia eiusdem doctrina*, quam fusè prosequitur *de Sacram. Altaris proposit. 26. & 27.* Natura humana Christi Domini habet modum accidentis; sicut enim accidens non constituit suppositum substantiale, sed illi aduenit iam constituto; ita natura humana non constituit suppositum Christi Domini, sed ab illo assumitur in vnitatem, vt docent communiter *SS. PP*; sed de ratione accidentium est existere per existentiam suppositi, cui inhærent; & licèt possint diuinitus existere separata à substantia, vt *in Sacramento Altaris*, in quo habent modum substantiæ, per quod probatur, quòd sicut accidentibus potest communicari modus substantiæ, qui est existere per se; ita naturæ humanæ Christi Domini, quæ est substantia, potest communicari modus accidentis, qui est existere per existentiam alterius; attamen dum actu inhærent, existunt solùm per existentiam substantiæ, cui adhærent; ergo natura humana Christi Domini existit tantùm per existentiam Verbi Diuini, adeoque propriam existentiam non habet.

34 Prob. 5. ratione communi. Si Verbum assumpsisset naturam humanam existentem, darentur in Christo Domino duæ existentiæ omnino disparatæ, quarum vna non esset potentia passiua perfectibilis per aliam; ergo ex ipsis non fieret vnum per se substantialiter, sed fieret aggregatum merè accidentale, vt est acervus lapidum; & ideo Christus Dominus non esset vnū per se substantialiter, sed esset aggregatum ex pluribus substantijs existentibus;quod est *contra Diuinas Scripturas, & SS. PP.* asserentes, quòd *Christus est vnus*, vt diximus *q. 1. art. 1. num. 17. contra Nestorium*; quod substantialiter debet intelligi, non accidentaliter, & per aggregationem; sic enim non reprobaretur *Nestorius*; nam duæ personę vnum per aggregationem dici possent, ergo Verbum non assumpsit naturam humanam habentem propriam existentiam. Ant. constat; in tantùm enim ex materia, & forma fit vnum per se; quia materia est potentia passiua ordinata ad recipiendam formam; & forma est actus ordinatus ad actuandam materiam; & in tantùm duo lapides non efficiunt vnum per se, in quantùm vnus non habet rationem potentiæ passiuæ receptiuæ alterius; & alter non habet rationem actus receptibilis in alio; sed existentia humana non esset potentia passiua receptiua existentiæ Diuinæ, quia potentia passiua receptiua existentiæ dicit non existentiam; nam potentia passiua dicit nō esse; ergo ex existentia Diuina,& humana non posset fieri vnum per se.

35 Dices. Existentia Diuina non habet rationem receptibilis in natura humana, aliter haberet rationem formæ; ergo ex hac ratione euincitur Christum non esse vnum de facto.

Resp; quòd licèt existentia Diuina non habeat rationem receptibilis per informationem, habet tamen rationem actuantis, & terminantis naturam humanam; & natura humana habet rationem puræ potentiæ passiuæ per ordinem ad existentiam; quod sufficit ad hoc, vt fiat vnum substantiale per se; quia non sunt duo entia in actu per se existentia.

36 Tandem reijcitur alia ratio *Aduersariorum*. Vna ex rationibus, qua probatur Verbum assumpsisse naturam existentem, est, quia essentia, & existentia in creaturis non distinguuntur realiter; quoties enim duo sunt realiter identificata, tunc vnum nequit assumi sine alio; sed hæc ratio falsa est, vt ostensum est *sup. n. 30; & fusè to. 1. vbis;* ergo est falsum, quod per illam probatur; ex antecedente enim falso falsa sequitur conclusio.

37 Obijc. 1. *Sua. Quidam Epiphanius in VII. Synod. act. 6.* distinxit naturam ab hipostasi; quòd natura dicit humanitatem existentem, hypostasis verò addit subsistentiam; & hæc sententia non fuit reprobata *à Concilio*; ergo Verbum assumpsit naturam existentem. 2. *In VI. Syn. act. 4. epist. Agathonis; & act. 11. in epist. Sophrony* habetur Verbum assumpsisse naturam humanam cum omnibus suis partibus, proprietatibus,

tatibus, & perfectionibus connaturalibus; sed existentia creata est perfectio connaturalis naturæ humanæ; ergo idem. 3. *D. Dam. lib. 3. de fide c. 3.* ait assumpsisse humanitatem in athomo, non priuatam sua existentia. 4. *Concilia, & SS. PP.* docent Verbum non terminasse naturam humanam per aliquod cōmune toti Trinitati, aliter tota Trinitas incarnata fuisset; sed existentia est communis toti Trinitati; ergo idem.

Resp. ad 1. omissis *aliorum* solutionibus neg. cons; non enim sequitur ex illo antecedente; sicut nanque si quis diceret accidens vnitum supposito in hoc distingui ab ipso supposito; quòd accidens dicit entitatem existentem, suppositam verò dicit subsistentiam, verum diceret, quia accidens in supposito verè existit, non tamen subsistit, quia non existit in se, & per se, sed per existentiam suppositi; suppositum autem existit in se, & per se, & ideo subsistit; & ita cùm dicitur humanitatem Christi Domini importare naturam existentem, hipostasim verò importare subsistentiam, verum dicitur; quia ad hoc, vt natura sit existens, sufficit, quòd habeat existentiam vel in se, vel per aliud; vel propriam, vel alienam; humanitas autem Christi habet existentiam suppositi Diuini, ideo est verè existens. Imò ex hoc probatur, non improbatur nostra sententia; nam ex eo, quòd natura non importat subsistentiam, quæ est existentia propria substantiæ, vt dictum est, euidenter infertur non habere propriam existentiam. Ad 2. dicitur Verbum assumpsisse naturam humanam cum omnibus suis partibus essentialibus, quia assumpsit carnem, & animam; & cum suis proprietatibus, quæ sequuntur essentiam, vt est risibilitas &c; & perfectionibus essentialibus; non autem assumpsit omnes perfectiones connaturales; quia subsistentia est perfectio naturalis naturæ humanæ, non enim est supernaturalis, & tamen certum est non assumpsisse subsistentiam, & ideo nec existentiam, quæ non distinguitur realiter à subsistentia. Ad 3. dicitur *D. Dam* nihil aliud asserere, quàm humanitatem Christi Domini non fuisse priùs coniunctam cum propria existentia, & deinde illa priuatam per assumptionem, vt aiebant hæretici, quos impugnabat; & hoc etiam probat nostram sententiam; ostendit enim in assumptione non interuenire propriam existentiam naturę humanæ. Ad 4. dicitur *Concilia, & SS. PP.* nihil aliud velle, quàm solam proprietatem relatiuam Filij immediatè terminasse naturam humanam; quia solus Filius est incarnatus; & hoc sufficit, ne tota Trinitas fuerit incarnata.

38 Obijc. 2. *Scot. apud Mastr. n. 207.* Si natura humana dimitteretur à Verbo, non oporteret, quòd sibi acquireret nouum esse per generationem, aut per creationem; & tamen sic dimissa non esset annihilata, nec ens in potentia, vt Antichristus; ergo haberet esse, per quod actualiter existeret, quod non esset nouum, quia non esset causatum per aliquam mutationem positiuam; & ideo esset illud idem, quod habebat, quando erat coniuncta Verbo; ergo habet in illo suam propriam existentiam. 2. Fundamentum relationis naturaliter præcedit relationem secundùm esse actuale existentiæ ita, vt fuudamentum supponatur præexistens relationi; sed vnio hipostatica importat relationem realem existentem in natura humana, vt docet etiam *Fund. Doct*; ergo natura humana præsupponitur existens vnioni hipostaticæ; sed hæc existentia nequit esse existentia Verbi; aliter illam haberet, antequam ei vniretur; ergo est existentia propria naturæ humanæ; & ideo Verbum assumpsit naturam humanam existentem, seu habentem propriam existentiam.

Resp. ad 1. *Fund. Doct. Quodl. 2. vbis.* neg. ant; si enim natura humana dimitteretur à Verbo, & ei non adderetur à Deo propria *existentia*, statim in nihilum abiret, à quo solùm extracta fuit per existentiam Verbi Diuini; nec esset in potentia, sicut Antichristus, quia Antichristus nunquam fuit à parte rei, natura autem humana dimissa aliquando fuisset; esset igitur, sicut res præterita, quæ aliquando fuit; & si deberet permanere in esse, deberet Deus per nouam actionem positiuam in illa producere existentiam propriam creatam; per quam solùm potest in esse durare. Ad 2. vel neg. ma; sufficit enim, quòd fundamentum præcedat relationem in genere causæ materialis receptiuę ipsius relationis; causa autem materialis non præsupponitur existens sub forma, quam recipit, aliter illam haberet, antequam illam reciperet. Sic creatura, si pro aliquo priori supponeretur existens, antequam haberet relationem ad Deum, pro illo priori esset independens à Deo, quod est absurdissimum. Ista ergo prioritas naturæ designat tantùm modum causalitatis, non autem importat existentiam præuiam; nam in eodem instanti, in quo existit forma, & materia, adhuc designatur modus causandi proprius ipsius materiæ, & modus causalitatis formæ, ad quam sequitur existentia, quæ est vltimus terminus productionis. Vel dist. mi. Vnio hipostatica actiuè sumpta importat relationem, neg; nam sic importat actionem vnientem naturam humanam cum Verbo Diuino; passiuè sumpta, conc; & quia actio præcedit passionem; ideo illa relatio pręsupponit naturam humanam iam vnitam cum subsistentia, & existentia Verbi; & ideo illam supponit iam existentem per existentiam Diuinam, non per humanam.

39 Obijc. 3. *Mastr.* Nomine existentiæ intelligitur entitas actualis essentiæ, per quam essentia constituitur à parte rei extra suas causas, & de non ente fit actu ens; sed natura humana, vt contradistincta à Verbo, est quędam actualis entitas, quam ipsa secum affert, nec à

Verbo

Verbo recipit; ergo natura humana in Verbo existit per propriam existentiam. Prob. min. Humanitas Christi, vt præscinditur ab vnione ad Verbum, verè fuit producta à Matre, & à tota Trinitate; sed productio terminatur ad existentiam; ergo humanitas Christi etiam, vt præscindit à Verbo, habet propriam existentiam. 2. *Concilia, & PP.* docent hoc mysterium factum fuisse per ineffabilem compositionem vnius personæ ex duabus naturis realibus, & actualibus, & vt sic inter se distinctis, quo loquendi modo indicant, quòd sicut Verbum habet suam actualem entitatem, in qua intrinsecè non includitur humanitas, nec aliquod creatum; ita humanitas suam habet actualem entitatem, in qua non includitur Verbum, nec aliquid increatum; ergo si actualis entitas humanitatis tota est creata, implicat, quòd constituatur in esse talis entitatis per existentiam increatam. 3. Existentia, & essentia in creaturis non distinguuntur realiter; sed Verbum assumpsit essentiam creatam; ergo & existentiam.

Resp. hæc procedere ex confusione essentiæ cum existentia, quas realiter debere distingui in creaturis iam diximus. Ad 1. dist. mi. Humanitas, vt contradistincta à Verbo, est entitas actualis in actu posita per existentiam Verbi, conc; per existentiam propriam, neg; nam accidens, vt contradistinguitur à subiecto, cui vnitur, est entitas actualis, non tamen existens per existentiam propriam, sed per existentiam subiecti. Ad prob. neg. ma; est enim *contra SS. PP; & Concilia, vt sup.* diximus. Ad 3. dicitur aliud esse, quòd duæ naturæ in Christo sint distinctæ, & inconfusæ; & aliud, quòd ambæ existant proprijs, & diuersis existentijs. Primum docent *Concilia, & SS. PP;* secundum reprobant, vt dictum est; docent enim humanitatem Christi fuisse conceptam, & productam in rerum natura per ipsam vnionem ad Verbum; & ideo docent fuisse factam existentē per Verbum; productio enim terminatur ad existentiam. Aliud est igitur, quòd humanitas habeat suam entitatem distinctā à Verbo; & aliud, quòd habet suam actualitatem, per quam posita est in rerum natura per se ipsam, non per Verbum. Primum verum est, quod docent omnes Catholici; secundum falsum, quod *PP.* reijciunt. Ad 3. neg. ma. *Vid. to. 1. vbi sup.*

40 Obijc. 4. *idem*. Productio habet pro termino rei existentiam *ex Phil. 5. Phys. t. 7;* sed humanitas Christi est producta; ergo eius existentia fuit producta. Atqui existentia Diuina nequit produci; ergo existentia producta in humanitate est creata. 2. Terminus creationis, & generationis est esse creatum; sed anima Christi est creata, & eius corpus est generatū; ergo terminus creationis animæ Christi, & generationis corporis est esse creatum. 3. Ex 2. *de an. 37. Viuere viuentibus est esse;* sed in Christo alia est vita creata, & alia increata; secus non fuisset verè mortuus, quia Christus non potuit priuari vita increata; ergo in Christo aliud est esse creatum, & aliud increatum.

Resp. ad 1. dist. ma. Productio habet pro termino, *qui* producitur, rei existentiam, neg; terminus enim *qui* est totum productum; pro termino, *quo* aliquod producitur, conc; qui terminus *quo* non est terminus formalis productionis, quia terminus formalis *quo* est forma, secundùm quam fit assimilatio inter agens, & patiens, vt diximus *tom. 2. de Trin. quæst. 3. art. 14;* sed est terminus materialis rei productæ, quia existentia terminat rem productam. Ad min. subsumpt. dicitur, quòd existentia non producitur, sed terminus *qui* producitur per communicationem existentiæ; ideo per communicationem existentiæ Diuinæ potest produci Christus, qui est terminus *qui* absque eo, quòd producatur existentia. Ad 2. eodem modo dist. ma. Terminus *qui*, neg; terminus *quo* rei productæ, conc. *Sed de hoc inf. art. 5. §. 1.* Ad 3. resp. *Fund. Doct. d. ft. 6. vbi sup. ad 4;* quòd viuere, & vita sumi potest pro ipso esse essentiali, in quo sensu anima dicitur vita corporis; & de hac vita loquendo Christus est mortuus, quia eius anima fuit separata à corpore.

41 Contra hoc vltimum instat *Mastr.* Vel hoc esse essentiale, in quo consistit vita creata Christi, est aliquid reale actuale extra nihil; vel non? Si primum; ergo habet esse existentiæ. Si secūdum; ergo nequit esse terminus generationis, qui debet esse realis actualis, & extra nihil.

Resp. esse aliquid reale per se ipsum, & actuale, seu extra nihil per existentiam increatam, per quam ponitur à parte rei extra nihil. Sicut accidens in subiecto est aliquod essentiale reale per se ipsum; & est actuale, & extra nihil, non tamen per propriam existentiam, sed per existentiam subiecti; ita philosophandum est de natura humana Christi Domini, quæ habet modum accidentis, vt dictum est.

42 Obijc. 5. *idem*. Existentia increata est communis tribus personis; ergo si per assumptionem natura humana esset vnita existentiæ creatæ, tres personæ Diuinæ essent incarnatæ. 2. Verbum assumpsit naturam indiuiduam, & singularem; sed existentia spectat ad singularitatem; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. cons; ad hoc enim, vt dicatur solus Filius incarnatus, sufficit, quòd natura humana terminata sit immediatè ad solam filiationem; certum enim est naturam humanam mediante personalitate Verbi vnitam esse naturæ Diuinæ, quæ est communis tribus personis; & tamen tres personæ non sunt incarnatæ; quia natura humana est vnita naturæ Diuinæ tantùm, prout est in Filio terminata per filiationem; at natura Diuina, prout terminata per filiationem, est in solo Filio, non in Patre, aut in Spiritu Sancto,

cto, ideo solus Filius est incarnatus. Ad 2. neg. mi; nam indiuidualitas, & singularitas conuenit etiam accidentibus, quib us non competit existentia per se.

43 Contra 1. instat *Mastr.* Ad hoc, vt natura dicatur formaliter subsistere, debet immediatè vniri subsistentiæ Diuinæ; ergo si non vnitur immediatè existentiæ, non potest per illam formaliter existere, ideo eget propria existentia. 2. Ideo essentia, prout in Filio, non est in Patre, quia prout in Filio, adæquatè terminatur; sed natura humana non terminatur adęquatè à Verbo; ergo terminaretur etiam ab alijs personis.

Ad 1. neg. ant; natura enim humana immediatè terminatur ad filiationem, quæ est proprietas personalis Filij; non ad subsistentiam, quæ est communis, vt *in seq. art.* Insuper quanuis homo mediante intellectu, & intellectione sit intelligens, attamen non sequitur, quòd non sit formaliter intelligens; ita à pari; vnde ob hanc etiam rationem neg. ant; & cons. Ad 2. neg. mi; vt diximus *q.* 1. *art.* 9.

44 Obijc. 6. Nulla perfectio Diuina potest actuare naturam creatam; ergo existentia Diuina non potest reddere existentem naturam creatam; nam reddere existentem est actuare, quia est reducere de potentia ad actum. Prob. ant. Actuatio creaturæ fit per actum actuantem potentiam; sed actus actuans potentiam passiuam dicit imperfectionem, quæ repugnat perfectioni Diuinæ; ergo idem.

Resp. dist. ant. Non potest actuare naturam creatam per informationem, conc; per simplicem terminationem, neg; de ratione autem existentiæ formaliter est esse tantùm terminum naturæ; quòd autem existentia creata informet, ei competit de materiali, prout est in creatura; vt patet de scientia, cui materialiter, prout est in creatura, competit esse formam accidentalem informantem, non autem, prout est in Deo.

ART. IV.

An Verbum immediatè terminet naturam humanam ratione subsistentiæ absolutæ, vel relatiuæ?

1 HÆc difficultas in nostra sententia admittente solam subsistentiam absolutam, vt probauimus *to.* 1. *de Subst. Dei q.* 2. *art.* 4. *§.* 3; & negante tres subsistentias relatiuas, vt ostendimus *to.* 2. *de Trin. q.* 6. *art.* 3; non habet locum; est enim de subiecto non supponente, quia supponit in Deo præter subsistentiam absolutam dari subsistentias relatiuas, quas nos non admittimus. Vt tamen declaremus, quænam ratio in Verbo sit immediatè terminatiua naturæ humanæ, non est omittenda.

2 Prima sententia vult naturam humanam immediatè, & primariò fuisse vnitam subsistentiæ absolutæ, secundariò verò, & mediatè personalitati relatiuæ Filij. *Ita Dur. in* 3. *dist.* 1. *q.* 1; vbi ait, quòd ad hoc, vt solus Filius dicatur incarnatus, non Pater, aut Spiritus Sanctus, sufficit, quòd natura humana secundariò terminata sit ad proprietatem relatiuam Filij, non autem ad proprietatem relatiuam Patris, aut Spiritus Sancti.

3 Secunda vult primariò, & immediatè terminatam fuisse ad subsistentiam absolutam, non quidem absolutè, & secundùm se, sed vt modificatam proprietate relatiua Filij, sic enim subsistentia absoluta est in solo Filio, non in Patre, aut in Spiritu Sancto, quia in Patre est subsistentia absoluta, vt modificata paternitate, quæ est proprietas relatiua constitutiua personæ Patris; & in Spiritu Sancto est, vt modificata spiratione passiua, quæ est proprietas constitutiua personæ Spiritus Sancti. *Ita Sot; Marsil; Victor; Med. hic q.* 3. *art.* 2; apud quē *alij.* Hanc sententiam ait *Gonet*, quòd tenētur sequi, qui non distinguunt realiter in creatis existentiam à subsistentia. Sed hanc obligationem non probat; quanuis enim nos asseramus existentiam tantùm virtualiter distingui à subsistentia, non tamen quoad modum loquendi hanc sententiam docemus; & illi, qui admittunt nobiscum distinctionem virtualem inter existentiam, & subsistentiam creatam, & aliunde admittunt in Diuinis tres subsistentias relatiuas virtualiter à subsistentia absoluta distinctas, possunt etiam sustinere naturam humanam immediatè terminari ad subsistentiam relatiuam æquè bene, ac *ipse Gonet*; quia persona Diuina non constituitur formaliter in ratione personæ per subsistentiam absolutam, sed per subsistentiam relatiuam in hac sententia, & ideo ad hanc potest immediatè terminari, non ad illam; sufficit enim virtualis distinctio.

4 Tertia vult terminari ad subsistentiam relatiuam. *Ita Sua; hic, Cabr; Caiet; Naz; Aluar; Nauarr; Ban; Ioan. à S. Thom; Gonet, Val; Vasq; & alij Iuniores.*

5 Nostra tandem docet terminari immediatè ad solam proprietatem personalem constitutiuam personæ Filij, scilicet ad filiationem, mediatè verò ad subsistentiam, & naturam Diuinam. *Ita Fund. Doct. locis cit. n.* 1. *vbi si & alij ibid. cit; & in* 3. *sent. dist.* 1. *p.* 1. *q.* 1. *art.* 3; *&* 5; *& dub.* 1. *lat*; vbi ait; *Natura humana immediatè est vnita personæ Filij, & mediante persona Filij est vnita ad naturam Diuinam in Filio*; ex quibus verbis apparet ipsum loqui de personalitate, vt contradistinguitur à natura; cùm medium distinguatur ab extremis; & ideo asserens naturam humanam vniri naturæ Diuinæ mediante persona, sumit personam, vt virtualiter distinctam à natura Diuina, aliter non acciperet eam, tanquam medium, vt constat; *& dist.* 5. *p.* 1. *qu.* 1. *art.* 3; vbi explicans, quid sit proprietas personalis constituens personam Filij, ait, quòd est, pro-

proprietas incommunicabilis alijs personis, nempe relatio filiationis. Idem tradunt *SS.PP*; *& antiqui DD. ferè omnes*.

6 Not. *ex Fund. Doct. dist.* 5. *vbis*; quòd licèt ad constituendam personam requiratur natura intellectualis, subsistentia, & indiuidualitas, vt constat ex ipsa definitione personæ allata *à Boetio*, & communiter recepta; quia tamen indiuidualitas propriè non sumitur in Diuinis, indiuidualitas enim dicit indiuisionem naturæ in se, & diuisionem eiusdem naturæ à quolibet alio indiuiduo habente eandem naturam specie, vel genere, vt patet in creaturis; ideo loco indiuidualitatis ponenda est incommunicabilitas; nam incommunicabilitas, & communicabilitas propriè reperiuntur in Diuinis; natura enim Diuina est propriè communicabilis, & proprietas personalis incommunicabilis. Igitur ad hoc, vt hoc nomen *persona* generaliter sumatur, prout conuenit omnibus suppositis, siue Diuinis, siue Angelicis, siue humanis, debet in eius definitione loco *indiuidua* poni *incommunicabilis subsistentia*. Sicut enim quia *natura rationalis* cõuenit soli homini; ideo ad hoc, vt persona accipiatur communiter, prout conuenit etiam Angelis, & Diuinis personis; ideo loco *rationalis* ponitur *intellectualis natura*; ita à pari. Tandem quia substantia propriè loquendo dicitur à substare accidentibus; propter quod *S. P. Aug. lib.* 7. *de Trin. c.* 5. docet, quòd in hoc sensu *Deus non propriè dicitur substantia, quia nulli substat*; nullum enim accidens est in Deo; & ideo loco *substantia* ponitur *subsistentia*, quæ importat existere in se, & per se, quod nullam importat imperfectionem; quapropter persona communissimè sumpta definitur *intellectualis natura incommunicabilis subsistentia*.

7 Hæc tria tamen non concurrunt ad constituendam personam eodem modo; natura enim concurrit tantùm materialiter, & vt quid contrahibile, quia plures sunt personę in eadem natura, vt constat; subsistentia verò, vt aliquod habens esse in se, & per se independenter ab alio, tanquam à subiecto; & incommunicabilitas, vt aliquod independens ab alio, tanquam à supposito, & ideo vt distinguens realiter ab alio supposito. Itaque solum esse, quòd reddit incommunicabile alteri supposito, erit constitutiuum formale vltimum Diuinæ personæ, quia illam distinguit realiter ab alia persona; sed hoc esse est esse relatiuum proprium vni tantùm personæ; ergo sola relatio propria est constitutiuum formale vltimum Diuinæ personæ; vt diximus *to.* 2. *vbis. art.* 1. Relatio autem non inuoluit in suo conceptu formali subsistentiam, quia *subsistere dicitur ad se*; vt docet *S. P. Aug. vbis. c.* 7; de quo fusè *in sup. art. à nu.* 10. dictum est; ergo relatio supponit tantùm subsistentiam. Quæ propterea concurrit ad constituendam personam tantùm præsuppositiuè, vt contrahibilis, non vt quid differentiale vltimum. Hoc euidenter colligimus etiam ex creaturis; nam anima rationalis separata est subsistens, & tamen non est persona; coniuncta verò corpori, cui adiacet esse indiuiduale, per quod indiuiduatur, statim constituitur persona illud totum, quod ex ipsis resultat; ergo indiuidualitas est vltima ratio formalis signans, caracterizans, & distinguens naturam ab alijs suppositis; adeoque est vltima ratio differentialis constitutiua personæ. *Vid. vbis. art.* 1; *&* 3.

8 Vnica concl. Verbum Diuinum immediatè terminat naturam humanam, non ratione subsistentiæ absolutè, vel relatiuè acceptæ, sed ratione solius relationis filiationis, à qua tantùm desumitur vnitas personalis.

Prob 1. *ex Symb. D. Athan. Vnus omnino, non confusione substantia, sed vnitate persona*; *& S. P. Aug. in Enchir. c.* 35. *In vnitatem personæ accessit Verbo anima rationalis, & caro*. Hoc habent passim *Concilia* relata *art.* 2. *nu.* 1; *&* 2. Arguitur autem sic. 1. Per illud solùm, per quod Filius distinguitur realiter à Patre, & Spiritu Sancto, immediatè terminatur humana natura; sed per solam filiationem Filius distinguitur realiter à Patre, & à Spiritu Sancto; ergo per solam filiationem immediatè terminatur humana natura. Hoc arg. tam euidens est, vt à nullo queat negari; præmissæ nanque nulla indigent probatione; ma. enim sic explicatur. Si natura humana terminaretur immediatè per Diuinam naturam, vel per aliquod commune tribus Diuinis personis, non esset maior ratio, cur diceretur incarnatus Filius, quàm Pater, aut Spiritus Sanctus, ex eo nanque, quòd creatio sit immediatè à natura Diuina, tanquam à principio *quod* creationis; & à Diuinis personis mediatè, quatenus scilicet identificantur cum Diuina natura, creatura non dicitur magis creari à Patre, quàm à Filio, & à Spiritu Sancto, sed dicitur ab omnibus simul creari iuxta illud Christi Domini *Io.* 5. *Pater vsque modò operatur, & ego operor*; nec vllo modo potest produci ab vna persona, non ab alia etiam de potentia absoluta, quia repugnat aliquam personam Diuinam non esse identificatam cum Diuina essentia, quæ est principium *quod* immediatum creationis; ergo si natura humana immediatè terminaretur à natura Diuina, vel ab aliquo communi omnibus tribus personis, terminaretur ab omnibus tribus personis ita, vt neque per potentiam absolutam posset terminari ab vna tantùm persona, quia repugnat per quancunque potentiam aliquam ex personis Diuinis non identificari cum Diuina essentia, & ideo repugnat aliquam personam Diuinam non terminare mediatè naturam humanam; eodem modo nanque Deus est principium, & terminus creaturarum iuxta illud *Apoc.* 1. *Ego sum Alpha, & Omega*. Mi. est. de fide; nam personæ Diuinæ per solas relationes distin-

distinguuntur, vt docent *Concilia*, & nouissimè *Flor*; quod sæpe repetit illud *S. P. Aug. Essentia continet vnitatem, relatio verò multiplicat Trinitatem*. Atqui subsistentia siue absolutè, siue relatiuè accepta non est formaliter, & secundùm munus explicitum relatio filiationis, quia subsistentia secundùm suam rationem formalem explicitam importat esse in se, & per se, vt probatum est *in sup. art*; relatio verò dicit esse ad aliud; ergo natura humana non terminatur immediatè à subsistentia siue absolutè, siue relatiuè sumpta.

9 2. *Concilia, & SS. PP. communiter* docent vnionem naturæ humanæ factam fuisse immediatè in vnitate personæ Diuinæ; sed subsistentia siue absolutè, siue relatiuè accepta distinguitur secundùm conceptum explicitum ab vnitate personæ Diuinæ; ergo subsistentia absolutè, vel relatiuè sumpta non est ratio immediatè terminans naturam humanam. Ma. est de fide; habetur enim in terminis *apud Concilia, & SS. PP*; *& in Symb. D. Athan.* mox allato. Prob. mi. Conceptus formalis vnitatis personalis est incommunicabilitas alteri personæ; per hanc enim vltimò constituitur persona, vt dictum est; conceptus autem subsistentiæ siue absolutè, siue relatiuè sumptæ est esse, subsistentia enim formaliter dicit *sistentiã sub esse*; sed sistentia sub esse, & non communicari alteri supposito sunt diuersi conceptus, vt constat; quia sistere sub esse est quid positiuum, non communicari quid negatiuum; item sistere sub esse est per ordinem ad illud, quod est sub illo esse; illud enim solùm dicitur sistere sub illo esse, quapropter bene inquit *S. P. Aug*; quòd *subsistentia ad se dicitur*; non communicari verò alteri supposito est per ordinem ad aliud, seu ad illud suppositum; ergo subsistentia siue absolutè, siue relatiuè accepta distinguitur secundùm conceptum explicitum ab vnitate personæ Diuinæ.

10 Dices. Quanuis hoc bene probet de subsistentia absoluta, vt absoluta est, & etiam vt est modificata per relationem filiationis; attamen non probat de subsistentia relatiua, quæ est constitutiua personæ Diuinæ, & ideo est distinctiua, atque adeo potest terminare naturam humanam absque eo, quòd illam terminent Pater, & Spiritus Sanctus.

Sed contra est. 1. Subsistentia relatiua formaliter non datur, vt ostensum est *to. 2. vbis.* 2. Gratis admissa adhuc immediatè non terminaret; quia non est vltimum differentiale constitutiuum personæ Diuinæ, à quo habetur vnitas personalis, seu incommunicabilitas; ergo secundùm illam non desumeretur terminatio immediata naturæ humanæ, quæ iuxta *Concilia, & SS. PP.* desumitur formaliter secundùm vnitatem personæ, seu secundùm vnitatem personalem. Prob. ant. Sicut se habet subsistentia absoluta per ordinem ad suppositum absolutum; ita subsistentia relatiua per ordinem ad suppositum relatiuum; sed subsistentia absoluta non est id, per quod formaliter habetur vnitas personalis, seu incommunicabilitas alteri supposito; nam anima separata est subsistens, & tamen non est persona, nec est incommunicabilis supposito, aliter non posset communicari propriæ personalitati; suppositalitas autem est simpliciter incommunicabilis, & alteri supposito, & proprio supposito, quia est etiam incommunicabilis sibi ipsi; ergo subsistentia relatiua gratis admissa non est id, à quo formaliter desumitur vnitas personæ, & ideo immediatè non terminat naturam humanam. 3. Subsistentia relatiua, seu forma hipostatica, qua constituitur persona Filij, præsupponitur ad relationem filiationis, vt putat *Gonet de Trin. disp. 11. art. 3. §. 2*; ergo nequit esse ratio immediatè terminans naturam humanam; nam ratio immediatè terminans *secundùm Concilia, & PP.* est formaliter ipsa relatio filiationis, vt relatio est; quia relatio tantùm, *vt relatio*, distinguit; & natura humana non terminatur immediatè, nisi ad id, quod formaliter, & primariò distinguit. Tum quia id, quod præcedit relationem, est absolutum; nam præter relationem non datur, nisi absolutum; sed illa subsistentia præcedit relationem, vt ait *Gonet*; ergo est absoluta.

11 Conf. *ex Conc. Tolet. VI.* docente: *Solus Filius assumpsit humanitatem in eo, quod est proprium Filij*; idem habet *Tolet. XI. in confess. fidei.* Ex quo sic. Illud, quod est proprium Filij, est relatio filiationis; sed natura humana immediatè vnitur ei, quod est proprium Filij; ergo immediatè vnitur relationi filiationis. Explic. ma. Quanuis relatio in Diuinis habeat plura munera, scilicet munus proprietatis personalis, generationis actiuæ in Patre, & generationis passiuæ in Filio &c; attamen ratio distinctionis realis habetur à sola relatione, vt relatio est, seu vt exercet munus relationis; quia actio, vt actio est, non distinguit; nam vt actio est, est quid absolutum; quapropter dicere, vt actio est, importat actum essentialem, vt tenet etiam *Gonet contra Scotum*; & sic dicendum de passione, vt est esse intellectum; sed illud solùm, per quod Filius distinguitur à Patre, est proprium Filij; ergo id, quod est proprium Filij, est relatio filiationis. Mi. est certa; nam si natura humana non vniretur Filio secundùm id, quod est proprium Filij, vniretur secundùm id, quod est commune Filio cum Patre, & sic etiam Pater esset incarnatus.

12 Tandem quanuis vnitas, quæ est passio entis, importet ipsum ens, non autem meram negationem, aliter non esset passio, quia nulla mera negatio est passio, quæ importat aliquod fluens per dimanationem à subiecto, vt diximus *to. 1. de Vnit. Dei art. 1*; attamen quia vnitas importat entitatem modificatam à duplici negatione,

gatione, ideo virtualiter diſtinguitur ab ente, cui ſuperadditur; ergo quanuis vnitas perſonalis non ſit mera negatio, quia importat eſſe perſonale cum duplici negatione; attamen quia importat eſſe ſubſiſtentię modificatum à duplici negatione, diſtinguitur ab ipſa ſubſiſtentia, cui ſuperadditur, & quam vltimò terminat, & reddit incommunicabilem alteri ſuppoſito. Atqui natura humana vnitur immediatè vnitati perſonali, vt docent *Concilia*, *& SS. PP*; ergo vnitur immediatè eſſe relatiuo, quod importat negationem communicabilitatis, & conſtituit vnitatem perſonalem; non autem ſubſiſtentiæ relatiuæ, quæ ſecundùm ſuum munus præſupponitur ad eſſe relatiuum, & per conſequens præſupponitur ad vnitatem perſonalem. Tum quia relatio ſecundùm munus relationis importat eſſe *ad*, quod eſt eſſe relatiuum, per quod vltimò terminatur perſona Diuina, & diſtinguitur ab alijs, & redditur illis incommunicabilis; ſed natura humana immediatè vnitur ei, per quod vltimò terminatur perſona Verbi, & per quod diſtinguitur ab alijs perſonis, & redditur illis incommunicabilis; ergo natura humana immediatè vnitur relationi, prout habet munus relationis, non prout habet munus ſubſiſtentiæ relatiuæ, quæ præcedit relationem, vt dicunt *Aduerſarij*.

13 Dices perſonas Diuinas vltimò terminari à relationibus, prout habent munus ſubſiſtentiæ relatiuæ, non prout habent munus relationis; & ideo naturam humanam terminari ad relationem, vt habet munus ſubſiſtentiæ relatiuæ, non prout habet munus relationis.

Sed neg. aſſumpt; ſi enim perſonæ Diuinæ non conſtituerentur formaliter per relationes, vt habent munus relationis, non eſſent formaliter relatiuæ, quia nihil denominatur formaliter relatiuum, niſi à relatione ſecundùm munus relationis; nam licèt eadem entitas in Diuinis habeat munus abſoluti, & relatiui; attamen non denominatur abſoluta ſecundùm munus relationis, nec relatiua ſecundùm munus abſoluti; ſic enim confunderentur rationes formales, & denominationes ab illis deſumptæ; ergo ſi perſonæ Diuinæ non conſtituerentur formaliter per relationes ſecundùm munus relationis, ſed ſecundùm munus ſubſiſtentiæ præſcindendo à munere relationis, iam non eſſent formaliter relatiuæ, nec relatiuæ formaliter denominarentur, ſed tantùm eſſent ſubſiſtentes, & tales denominarentur; & eſſent tantùm materialiter relatiuæ, quatenus munus relationis eſſet coniunctum in eadem formalitate cum munere ſubſiſtentiæ, ad quod ſubſequeretur. Sed hoc eſt *contra SS. PP*; *& DD.* doctrinam aſſerentium perſonas Diuinas eſſe formaliter relatiuas, & conſtitui formaliter per relationes, in quo diſtinguuntur à ſuppoſitis creatis; ergo conſtituuntur formaliter per relationes, vt habent munus relationis.

14 Tum quia ſi natura humana vniretur alicui prædicato Verbi Diuini, quod non eſſet formaliſſimè relatio filiationis, non vniretur formaliter Filio, vt Filius formaliter eſt; quia Filius non dicitur Filius, niſi per relationem filiationis, vt relatio eſt, ſicut Pater non eſt Pater, niſi per relationem Paternitatis, vt relatio formaliter eſt, & ideo ſecundùm munus relationis; ergo Filius formaliter, vt Filius, non eſſet incarnatus, ſed ad ſummum eſſet incarnata perſona Diuina, quæ per ſubſequentem relationem poſtea denominatur Filius; quemadmodum enim ſi natura humana immediatè vniretur ſubſiſtentiæ abſolutæ, quæ ſubſequenter eſt modificanda relatione filiationis, non diceretur formaliter incarnatus Filius, vt concedunt *Aduerſarij*, quia ratio ſubſiſtentiæ abſolutæ præcedit relationem filiationis; per quam formaliter conſtituitur Filius; ita à pari. Sed dicere non eſſe formaliter, & immediatè incarnatum Filium eſt directè *contra Diuinas Scripturas* docentes Filium eſſe incarnatum; habetur enim *Iſaiæ 9. Filius datus eſt nobis*; *& Rom.* 8. *Deus Filium ſuum mittens*: *& ad Gal.* 4. *Miſit Deus Filium ſuum*; ergo *Aduerſarij* non ſeruant modum loquendi *Diuinarum Scripturarum*, & ideo eorum ſententia non eſt ſubſtinenda.

15 Obijc. 1. *Dur.* Per illud formaliter Verbum terminat naturam humanam, per quod terminat dependentiam humanitatis; ſed hanc terminat ratione Diuinæ naturæ; quia omnis creatura dependet à Deo ratione naturæ, non ratione perſonæ; nam dependet à Deo, vt vnus, non vt trinus eſt; ergo terminat naturam humanam ratione naturæ, non ratione perſonalitatis. 2. Si Verbum ratione filiationis terminaret naturam humanam, ſequeretur, quòd, vt homo ſubſiſtens, referretur ad Patrem, vt ad ſuum correlatiuum; quia vt homo ſubſiſtens, conſtitueretur per filiationem, per quam refertur ad Patrem; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant.

Reſp. ad 1. diſting. ma. Per quod terminat dependentiam humanitatis in ratione aſſumibilis, & terminabilis, conc; ſed neg. mi; in ratione creabilis, neg. Ad 2. neg. ſeq. Ad prob. inſert. diſt. Vt homo ſubſiſtens, conſtitueretur per filiationem reſultantem ex communicatione eiuſdem naturę cum Patre, neg; natura enim humana non eſt eadem, ac natura Diuina, quam habet Pater; & ideo ſecundùm naturam humanam non refertur ad Patrem, vt ad ſuum correlatiuum reale; quia Pater non dicit relationem realem ad creaturas; conſtitueretur per filiationem, ad quam eſt aſſumpta natura humana, ſecundùm quam Filius factus eſt homo, & habet naturam diuerſam à Patre, conc.

16 Obijc. 2. Quanuis principium *quo* generandi in Patre ſit natura Diuina, quæ eſt communis tribus perſonis; attamen non ſequitur, quòd tres perſonæ Diuinæ generent; ergo

quanuis natura Diuina sit terminus *quo* terminans naturam humanam, nequit dici, quòd omnes personæ Diuinæ illam terminent.

17 Resp. *noster Gibb*; quòd licèt nõ sequeretur tres Diuinas personas terminare; sequeretur tamen aliud absurdum; quòd scilicet Verbum non terminaret humanitatem in eo, quod est proprium Filij, quod est *cont. Concilia*.

Sed hæc responsio euertit rationem allatam *num.* 8; quam tradit etiam *ipse Gibb*; ideo est dimittenda.

18 Resp. *Gonet* disparitatem esse, quia generare est agere, quod requirit principium actiuum, quod non est relatio, sed natura Diuina; at verò terminare non est agere, ideo id, quo fit terminatio, non est natura, sed relatio, quę habet rationem puri termini.

Sed hoc non soluit; quærit enim arg; cur essentia Diuina, vt modificata paternitate, quanuis communis tribus personis Diuinis, sit principium *quo* generandi, & non constituat generantes omnes Diuinas personas; natura verò, vt modificata filiatione, terminet naturam humanã ita, vt constituat terminantes omnes personas? 2. Hęc responsio probat essentiam Diuinã non posse vllo modo esse terminuũ naturæ humanæ, quod repugnat doctrinæ allatæ *q.* 1. *ar.* 9.

19 Resp. igitur neg. cons; & disparitas est; quia ad hoc, vt persona Diuina denominetur generans ad intra, requirit formaliter respectum propositum, qui est paternitas, hæc enim constituit principium *quod* generans; cùm autem paternitas nequeat esse in alijs personis, in quibus est respectus oppositus, ideo essentia Diuina nequit illas denominare generantes. At verò ad terminandam naturam ad extra non requiritur respectus propositus formaliter, sed tantùm materialiter, quatenus identificatur cum essentia; ergo terminaret formaliter per aliquod cõmune, & quatenus omnes personæ sunt idem, ac per consequens omnes personæ terminarent. Sicuti enim quanuis natura Diuina, vt in Patre, creet iuxta illud: *Pater vsque nunc operatur*; attamen quia paternitas non concurrit formaliter, vt constituens principium *quod* creationis, sed tantùm identicè, vt est idem cum natura Diuina, ideo omnes tres personæ dicuntur creare; ita quanuis natura, vt in Filio, immediatè terminaret naturam humanam; quia tamen filiatio concurreret tantùm identicè ad terminandum, quatenus est idem cum natura; ideo omnes personæ terminarent.

20 Obijc. 3. Paternitas intimiùs vnitur, quia identificatur, cum essentia Diuina, quàm humanitas, quæ non identificatur; & tamen ex eo, quòd paternitas vniatur cum Diuina essentia, non sequitur, quòd paternitas vniatur cum filiatione; ergo ex eo, quòd natura humana immediatè vniatur cum natura Diuina, non sequitur, quòd vniatur cum Diuinis personis. 2. Verbum per illud immediatè vnitur humanitati, quod priùs illi tribuit; sed hoc est esse subsistentiæ; nam priùs illi tribuit, quod priùs continet in se; essentialia autem sunt priora notionalibus; ergo idem. 3. Verbum terminat, quatenus gerit vicem suppositi creati; sed suppositum creatum terminat immediatè per subsistentiam absolutam; ergo & Verbum.

Resp. ad 1. iam dictum fuisse. Neg. igitur cons; nam paternitas ita vnitur essentiæ Diuinę, vt sit terminus formaliter oppositus filiationi, ideo nequit vniri cum filiatione; at verò natura humana ita vniretur cum natura Diuina, vt nullam oppositionem haberet ad Diuinas personas, ideo cum illis vniretur. Ad 2. dicitur, quòd si arg. valeret, concluderet Verbum vniri in ratione entis, *vt sic*, quæ est prima ratio infinita in omni re. Neg. igitur mi; nam priùs illi tribuit vnitatem personalem, ad quam assumitur; & mediante ipsa vnitate tribuit illi subsistentiam, quę cum personalitate identificatur. Ad 3. neg. mi; nam suppositum creatum priùs dat esse incommunicabile, quod est ratio differentialis constitutiua suppositi, vt dictum est.

Inst. Quanuis natura humana vniatur mediatè naturæ Diuinæ, non tamen dicitur mediatè vniri personis Diuinis, aliter Pater, & Spiritus Sanctus essent saltem mediatè incarnati; sicut ex eo, quòd natura humana sit mediatè vnita naturæ Diuinæ, dicitur mediatè incarnata; ergo à pari.

Resp. neg. cons. ob eandem rationem; natura enim humana immediatè vnita filiationi vnitur mediatè Diuinæ naturæ, quia filiatio non opponitur naturæ Diuinæ; at verò natura humana vnitur filiationi, quæ opponitur alijs personis, & ideo illis nullo modo vnitur.

21 Obijc. 4. Effectus formalis primarius personalitatis est dare esse subsistens; hinc *Theologi cum SS. PP.* asserunt humanitatem esse assumptam ad subsistentiam Diuinam, quod de assumptione immediata est intelligendum; ergo natura humana immediatè terminata est ad subsistentiam relatiuam.

Resp. dare esse subsistens esse effectum non vltimum, & differentialem personalitatis, vt dictum est; vltimum autem esse dare esse vnum, & incommunicabile. Cùm autem *Theologi* aiunt humanitatem immediatè assumptã esse ad subsistentiam Diuinam, loquuntur de personalitate integraliter, & adæquatè accepta secundùm omne illud, quod includit; includit enim subsistentiam, sed absolutam, non relatiuam, vt dictum est. *SS. PP.* autem præsertim *Græci* nomine *subsistentiæ* intelligebant personalitatem; non enim volebant vertere hipostasim nomine personæ, vt dictum est *to.* 1. *vbis.* Nos autem *hìc* sumimus subsistentiam secundùm suam propriam rationem, quam habet *apud Latinos*, non quam habuit *apud Græcos*. Additur *Concilia*, *Symbol. D. Athan.*

D. Athan. in tot. Concilijs approbatum, & ferè *omnes SS. PP.* explicare naturam humanam assumptam fuisse in vnitatem personæ Diuinæ, & hoc ab eis intelligi nomine *subsistentiæ*.

ART. V.

An eadem actione creata sit anima, productum sit corpus Christi Domini, & vtrunque vnitum Verbo Diuino?

1 HÆresis fuit *Origenis* sentientis animas omnes rationales creatas fuisse, antequam infunderentur in corpora; & per consequens etiam animam Christi Domini præextitisse ante incarnationem, & natiuitatem ex Virgine. *Theodorus Mopsuestiensis, Nestorius, & alij* relati *in V. Syn.* voluerunt priùs productam fuisse personam humanam, & postea vnitam fuisse personæ Verbi Diuini. Fertur etiam *Eutychianos* sensisse humanitatem priùs tempore fuisse productam, & postea assumptam à Verbo. Consequenter *hi omnes* tenuere diuersis actionibus creatam fuisse animam, & corpus Christi Domini, ac assumptam fuisse eius humanitatem à Verbo. Damnati fuerunt *in V. Syn*; vt *inf.*

2 *Catholici omnes* concorditer fatentur creationem animæ Christi Domini, productionem carnis, & vnionem vtriusque ad Verbi personam fuisse in eodem instanti temporis; sed disputant, an hæc facta sint vnica actione, vel pluribus? Loquuntur autem de actione, prout est actio indiuisa totius Trinitatis inseparabiliter operantis ad extra incarnationem; & actiuè, prout talis actio dicitur vnitio actiua extremorum; non autem passiuè terminatiuè, prout dicitur vnio eorundem extremorum.

3 Prima sententia vult creationem animæ rationalis, generationem corporis, & assumptionem humanitatis ad personam Verbi esse tres actiones realiter distinctas, adeoque actionem assumptiuam, seu incarnandi esse merè vnitiuam humanitatis ad Verbum; non verò productiuam eiusdē humanitatis. Referuntur *Alen; Dur; Sua; Amic; Auersa, Arriag; Becc; Rada; Gonet hìc disp. 6. art. 4*; vbi ait hanc sententiam communiorem esse *in schola D. Tho; Mastr. hìc disp. 1. q. 1. q. 4. art. 2; & alij.*

4 Nostra tamen conformiùs ad modum loquendi *SS. PP; & Conciliorum* docet vna, & eadem actione realiter indistincta creatam fuisse animam, productam carnem, & vnitas inter se ac ad personam Verbi; quanuis natura vnum aliud præcedat. *Ita Fund. Doct. hìc dist. 2. par. 2. art. 2*; vbi docet, quòd per actionem non fit, nisi totū, partes autem fiunt ratione totius *ex Phil. 1. Phys. & art. 4.* Hoc docet etiam *D. Thom. 3. p. quæst. 6. art. 5; & in 3. dist. 2. q. 2. art. 3; Gabr. hìc art. 11. disp. 2; Caiet; & alij.*

5 Vnica concl. Vna, & eadem actione totius Trinitatis actiuè operantis mysterium incarnationis creata est anima Christi, productum corpus, & natura humana ex corpore, & anima conflata assumpta fuit, & vnita ad Diuini Verbi personam.

Prob. 1. *ex V. Syn. anathematismo 2.* docente: *Si quis dicit, aut sentit animam Domini præexistentem, vnitamque esse Deo Verbo ante incarnationem, & natiuitatem ex Virgine, anathema sit; & anathem. 3. Si quis dicit, aut sentit priùs formatum esse corpus Domini nostri Iesu Christi in vtero Virginis sanctæ, & deinceps vnitum esse ei Dei Verbum, atque animam, vt quæ priùs extiterit, anathema sit.* Idem docet S. P. *Aug; seu Prosper ex S. P. Aug. lib. de fide ad Petrum cap. 16. Nullatenus dubites non carnem Christi sine Deitate conceptam in vtero Virginis, priusquam susciperetur à Verbo, sed ipsum Verbum Deum suæ carnis acceptione conceptum; ipsamque carnem Verbi Dei incarnatione conceptam; & S. Fulg. lib. de Incarn; & grat. c. 3. Ipsa acceptio carnis conceptio est Virginis; & S. Leo ep. 11. ad Iulian. Natura nostra non sic assumpta est, vt priùs creata, postea assumeretur, sed vt ipsa assumptione crearetur.* Ex quibus arguitur. Asserere animam, & corpus Christi Domini extitisse præcedenter ad incarnationem, seu assumptionē humanitatis ad Verbum est directè contra definitiones allatas; sed sententia opposita asserit animam, & corpus Christi Domini extitisse præcedenter ad incarnationem, seu assumptionem humanitatis ad Verbum; asserit enim animam, & corpus fuisse producta per aliam actionem distinctam ab actione incarnatiua, assumptiua, & vnitiua humanitatis ad Verbum, productio autem terminatur ad existentiam, vt constat; & hoc præcedenter ad actionem vnitiuam, quia actio vnitiua simpliciter, non productiua extremorum, supponit extrema iam existentia, aliter esset vnitiua extremorum actu non existentium, quod implicat; ergo sententia opposita est directè contra definitiones allatas.

6 Resp. *Aduersarij communiter* facilem esse solutionem; *Concilium* scilicet, *& SS. PP.* loqui de simultate temporis, non autem de simultate naturæ, quæ potest esse cum diuersitate actionum, quarum vna aliam præcedat præcedentia naturæ, non temporis; & hoc colligi *ex nostro D. Fulg;* qui *loc. cit.* subdit: *Non est igitur aliquod interuallū temporis existimandū inter concepta carnis initium, & concipiendæ Maiestatis aduentum.*

Sed facilior est huius euasionis reiectio, qua euidenter prob. nostra sententia. 1. *Idem Concilium cap. 4.* statuit: *Vnitio enim per compositionem in mysterio Christi non solùm inconfusè ea, quæ conuenerunt, conseruat, sed neque diuisionem suscipit.* Ex quo sic. Conseruatio est continuata productio, vt *communiter* dicitur; sed *Concilium* asserit actionem vnitiuam conseruare omnia, quæ conuenerunt ad constituendum Christum; ergo manifestè asserit actionem vnitiuam omnia ea produxisse; & per consequens apertè loqui-

tur

tur de simultate actionis, non autem de sola simultate temporis. Præterea *Concilium* inquit actionem vnitiuam, qua conseruantur omnia, quæ concurrerunt ad constituendum Christum, non admittere diuisionem; ergo manifestè loquitur de simultate actionis; actio enim quæ diuisionem non suscipit, simultanea est, & identica, quia per eam omnia producuntur. 2. *SS.PP.* docent animam, & corpus Christi assumptione fuisse producta, & creata; imò ipsam assumptionem fuisse creationem; ergo euidenter docent assumptionem, & creationem non esse actiones distinctas; quæ enim distinguuntur inter se, implicat, quòd affirmentur ad inuicem; cùm distinctio definiatur *negatio vnius de alio*; & identificatio *affirmatio vnius de alio*; atqui *SS. PP.* affirmant expresè de assumptione creationem animæ, & conceptionem corporis; ergo docent assumptionem, creationem, & productionem esse vnam, & eandem rationem realiter indiuisam. *D. Fulg.* autem infert illas actiones esse simul tempore, quia per identitatem sunt simul; pugnat enim, quòd ea, quæ identificantur realiter, in diuerso tempore existant.

7 Prob. 2. ratione *Fund. Doct. & D. Thom.* quam insinuat etiam *idem Conc. vbi s.* Sola multiplicatio termini totalis *qui* multiplicat actionem productiuam illius; sed Christus est vnus tantùm terminus totalis *qui* productus per creationem animæ, productionem corporis, & vnitionem humanitatis ad Verbum; ergo est vna tantùm actio, qua creata est anima, productum corpus, & humanitas ad Verbum vnita. Ma. patet; quia ab eo sumit actio multiplicationem, à quo sumit specificationem; cùm specificatio, vnitas, distinctio &c. *secundùm Phil. 1. Met.* ab eodem sumantur; & ratio est, quia vnitas, & multiplicitas sequuntur esse, cùm sint passiones sequentes ad ens; esse autem principaliter, & per se competit toti, quia solùm totum per se existit, partes autem existunt in toto, & ratione totius; ordinantur enim ad totum, & quod ordinatur ad aliud, est ratione illius, non ratione sui; ideo ab eo sumitur vnitas, & multiplicatio, à quo sumitur specificatio; sed actionis specificatio sumitur à termino totali *qui*; secus tot essent actiones productiuæ alicuius totius, quot sunt partes illius; & sic cùm in continuo sint infinitæ partes, infinitæ actiones producerent continuum; ergo sola multiplicatio termini totalis *qui* multiplicat realiter actionē productiuam illius. Mi. est de fide; habetur enim *in Symb. D. Athan. Non duo tamen, sed vnus est Christus*; & *sup.* probata est *contra Nestorium*. Tum quia potentia specificatur, & multiplicatur solùm ab obiecto totali; ergo & actio; ista enim tria, scilicet potentia, actio, & obiectum, quod est terminus, ad quem per actionem tendit potentia, se habent per ordinem.

8 Conf. euertendo rationem *Aduersariorū*. Ex eo, quòd materia, & forma realiter distinguantur; & materia prioritate naturæ præcedat formam, non deducitur, quòd in prima rerum productione materia, & forma sint productæ à Deo diuersis actionibus; ergo à pari. Ant. quoad 1. part; materiam scilicet, & formam realiter distingui, est *apud omnes* indubium. Materiā verò prioritate naturę præcedere formam prob. à *Beatiss. P. Aug. lib. 1. de Gen. ad lit. c. 15.* docente: *Sed quia illud, vnde fit aliquid, etsi non tempore, tamen quadam origine prius est, quàm illud, quod inde fit.* Idem habet 12. *Conf. c. 12.* Quod enim fit ex aliquo, supponit illud aliquo modo prius, aliter fieret ex nihilo, non ex aliquo, quia nihil supponeret, ex quo fieret; forma autem fit ex materia, quia est materialis, quanuis simul cum illa creetur; si enim non fieret ex materia, non esset, nec dici posset materialis; ergo materia prioritate naturæ præcedit formam; nec hoc negat *Gonet cum Thomistis*. Tandem quòd ex his non deducatur materiam, & formam productas fuisse diuersis actionibus, fatentur *iidem Thomistæ in Phys.* vbi aiunt materiam non habere existentiam distinctam ab existentia formæ, quia actione diuersa non producitur; & ideo inconsequentiæ arguendi sunt, qui *hic* tenent sententiam oppositam. Tum quia actio, qua Deus produxit simul materiam, & formam; quia *Dei perfecta sunt opera*; non produxit solam materiam, ex qua postea eductæ sint formæ elementorum, vt diximus *t. m. 3. in Hexam. art. 5. nu. 6*; sed vtranque simul creauit vnica indiuisibili actione explicata nobis *in Scriptura* per illud *Fiat*; per quod non dixit: *Fiat materia lucis, materia Firmamenti, materia luminarium*; sed dixit; *Fiat Lux: Fiat Firmamentum: Fiant Luminaria*; quibus verbis significatur nedum materia, sed etiam forma; ergo vna, & eadem actione fecit materiam, & formam, quanuis prioritate naturæ materia formam præcesserit. Tum quia sicut materia præcedit formam in genere causæ materialis, & ideo illa est prior, quia est causa illius in illo genere; ita forma in genere causæ formalis pręcedit materiam, quia in tali genere exercet suam causalitatem in illam; sed præcedentia, qua forma præcedit materiam prioritate originis, seu causalitatis, aut naturæ, nequit sumi penes existentiā; implicat enim aliquod simul esse prius, & posterius secundùm eandem rationem; & forma secundùm existentiā esset posterior materia, quatenus materia existeret prius, quàm forma, prout forma est illius effectus; & secundùm existentiam esset posterior materia, quia existeret priùs, quàm materia, vt illius causa; adeoque secundùm eandem rationem existentię simul esset prior, & posterior; ex quo rectè infertur præcedentiam formæ non desumi penes existentiam, sed penes causalitatem; ergo à fortiori idem dicendū de præcedentia materiæ, cui minùs competit

petit

petit existentia, cùm sit potentia passiua; quàm formæ, quæ est actus; & per consequens ex hoc nequit deduci materiam, & formam esse productas distinctis actionibus. Cons. infertur ex paritate rationis; sicut enim materia, & forma, quæ sunt partes compositi physici, non sunt productæ distinctis actionibus, sed per vnicam tantùm actionem, per quam productum est ipsum compositum physicum; & sicuti per illam actionem partes huius compositi fuerunt vnitæ inter se, & supposito, quod ex illis fuit constitutum; aliter illa actio non produxisset compositum, quia compositum essẽtialiter importat partium distinctarum vnionem, vt dicitur in eius definitione; ita per vnicam, & eandem actionem, per quam productus fuit Christus Dominus, productæ sunt partes illius, nempe anima, & corpus; & vnitæ fuerunt inter se, & vnitæ supposito Verbi Diuini.

9 Idem dicendum est de creatione Angeli; cùm enim eius natura distinguatur realiter ab eius personalitate, non posset Deus creare Angelum vnica actione, sed triplici, quarum vna crearet naturam, altera personalitatem, & tertia vnionem vtriusque; quod quàm sit alienum à ratione, de se est manifestum.

10 Imò sequeretur, quòd cùm personalitas in Diuinis personis virtualiter distinguatur à natura Diuina; sequeretur, inquã, personã Diuinã non produci, nisi productione virtualiter triplici; quarum vna terminaretur ad communicandam naturam; altera ad producendam personalitatem; & tertia ad vniendam personalitatem cum natura; sicut enim se habent partes alicuius totius realiter distinctæ ad actionem realem, qua producuntur, vt distinctæ; ita plures rationes virtualiter distinctæ ad productionem, qua producuntur, vt virtualiter distinctæ; sed illæ, quia producuntur, vt realiter distinctæ, exigunt triplicem actionem realiter distinctam; ergo istæ, quiâ producuntur, vt virtualiter distinctæ, exigerent triplicem actionem virtualiter distinctam; quod à nullo diceretur.

11 Prob. 3. *ex Fund. Doct. vbi s. art. 4.* Si in priori naturæ produceretur natura humana per actionem distinctam, pro illo priori haberet existentiam, implicat enim produci, & non habere existentiam, quia produci est duci extra causas per existentiam actualem in se ipso; sed non haberet existẽtiam Diuinam; nam pro illo priori adhuc non esset vnita personæ Diuinæ, per quam vnionem solùm potest existere per existentiam Diuinam; ergo haberet existentiam creatam. Sed Verbum assumendo naturam humanam nihil destruxit de facto coniũctum cum illa; quia assumptio fuit actio perfectiua, non corruptiua, & tantùm impeditiua subsistentiæ creatæ, ne resultaret, non autem destructiua illius de facto iam positæ; vt communiter docent *SS. PP; & DD;* ergo natura humana mansisset cum existentia creata. Atqui hoc non tenet *Gonet*; & contra alios fusè probatum est *in sup. art;* nam si Verbum assumpsisset naturam existentem, assumpsisset suppositum; ergo vnica tantùm fuit actio, qua creata fuit anima, productum corpus, & assumpta humanitas ad Verbum. *Vid. in sup. art.*

12 Tandem actio assumptiua, & vnitiua humanitatis ad Verbum vocatur factiua, non tantùm vnitiua; nam *Io. 1.* dicitur: *Et Verbum caro factum est; & in Symb. Nican. Et homo factus est*; quem modum loquendi passim habemus *in Scripturis, & apud SS. PP;* ergo sententia asserens actionem assumptiuam non esse factiuam, est contra modum loquendi *Diuinarum Scripturarum, SS. PP; & DD;* sed asserere non esse productiuam, est asserere non esse factiuam; quia producere importat actionem causæ efficientis, & ideo idem est, ac facere, quod idem sonat, ac efficere; & efficere formaliter dicit actionem causæ efficientis; ergo asserere actionem assumptiuam non esse productiuam, sed merè vnitiuam extremorum iam antea productorum, est contra modum loquendi *Diuinarum Scripturarum, SS. PP; & DD.*

13 Obijc. 1. *Mastr.* Humanitas Christi habet propriam existentiam creatam; ergo fuit priùs producta, quàm assumpta; & ideo assumptio non est productiua humanitatis, sed simpliciter vnitiua; atque adeo danda est alia actio, per quam producta fuit humanitas. Prob. ant. Priùs est rem existere per propriam existentiam, quàm vniri alteri distincto; ergo priùs est humanitatem existere, quàm vniri Verbo; sed existentia, qua humanitas existit, antequam vniatur Verbo, non est existentia Verbi; ergo est existentia creata, quam habet humanitas. 2. Eadem humanitas singularis poterat à Deo produci, & conseruari absque eo, quòd vniretur; item potest à Verbo dimitti absque eo, quòd abeat in nihilum, etiansi nullum esse ei superaddatur; ergo non fuit producta per eandem actionem, per quam fuit assumpta; aliter non posset Deus eam conseruare dimissam, quia conseruatio est *continuata productio*; & ideo si non continuaret assumptionem, illam non conseruaret. 3. *ex Amic.* Incarnatio succedit productioni subsistentiæ creatæ, sicut Verbum succedit subsistentiæ creatæ, & stat loco ipsius, quia gerit vices illius; sed productio subsistentiæ creatæ distinguitur à productione naturæ creatæ; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad prob. neg. ant; nam in prima rerum conditione non fuit priùs creata materia, quàm forma; neque priùs fuit creata subsistentia Angeli, quàm natura Angeli, quas certum est distingui realiter; sed simul fuisse creatas, & vnitas; nam si natura Angeli fuisset priùs creata, quàm sua subsistentia, iam illa fuisset existens in se, & per se ante subsistentiam,

non enim potest illi cõuenire existentia in alio; & ideo esset subsistens ante subsistentiam; quia subsistentia nihil aliud est formaliter, quàm existentia in se, & per se; vt diximus *in sup. art.* Ad 2. neg. ant; implicat enim, quòd natura creata producatur in esse, & conseruetur sine existentia in se, & per se, & quæ est existentia illi propria; existentia autem in se, & per se est formaliter subsistentia, vt dictum est. Ad 3. neg. mi; natura enim substantialis non producitur, nisi per subsistentiam, per quam solùm ponitur actu extra suas causas in rerum natura.

14 Obijc. 2. *Lug.* De facto concedendus est aliquis ordo prioritatis, & posterioritatis inter humanitatem, & vnionem hipostaticam; ergo & inter actiones, quibus producta est humanitas, & vnio hipostatica; nam idem ordo concedendus est actionibus, qui conceditur earum terminis. Prob. ant. Humanitas tam quoad partes singillatim sumptas, quàm secundùm se totam est prior natura vnione hipostatica; nam vnio hipostatica succedit vnioni, quæ habita fuisset per propriam subsistentiam, & ideo cum eodem ordine, quo posita fuisset propria subsistentia; hæc autem fuisset posterior natura humanitate; ergo idem.

Resp. dist. ant. Concedendus est aliquis ordo prioritatis, & posterioritatis in genere causæ materialis, & formalis, sicut conceditur inter potentiam passiuam, & actum, conc; in genere causæ efficientis ita, vt vna efficienter producatur ante aliam, neg. Ad prob. dicitur humanitatem præcedere subsistentiam in genere causæ materialis eo prorsus modo, quo materia præcedit formam. Sicuti quanuis materia præcedat formam in genere suo, quia recipiens præcedit receptum; attamen materia, & forma per vnam, & eandem actionem producuntur ab efficiente, & in hoc genere simul se habent; ita à pari.

15 Obijc. 3. Implicat, quòd vna, & eadem actio terminetur ad esse substantiale, & accidentale, quia actiones essentialiter distinguuntur per terminos *ex 5. Phys*; sed actio productiua humanitatis est verè, & propriè substantialis; actio verò vnitiua humanitatis cum Verbo est essentialiter accidentalis, quia terminatur ad puram relationem; ergo idem. 2. Implicat, quòd vna, & eadem actio terminetur ad esse naturale, & supernaturale; quia actio naturalis exigit terminum naturalem, supernaturalis verò supernaturalem; & ideo eadem actio nequit esse naturalis, & supernaturalis quoad essentiam; sed humanitas est naturalis, & vnio hipostatica est supernaturalis quoad essentiam; ergo idem. 3. Implicat aliquod esse naturale, & supernaturale; substantiale, & accidentale etiam secundùm diuersas rationes; nam substantialitas, & accidentalitas; naturalitas, & supernaturalitas sunt differentiæ intrinsecæ rei; quæ nequeunt terminari ad eundem terminum, aliter actiones non distinguerentur per terminos.

Resp. ad 1. dist. ma. Implicat vnam, & eandem actionem terminari ad esse substantiale, & accidentale æquè primò, tanquam ad duos terminos primarios specificatiuos, conc; non æquè primò, sed tanquam ad vnum terminum primarium specificatiuum, & alterum secundarium, neg; sicut enim idem actus scientiæ Dei terminatur ad obiectum primarium, & secundarium; ita eadem actio productiua terminatur ad substantiam, tanquam ad terminum primarium; & ad accidentia, tanquam ad terminos secundarios, qui producuntur ratione substantiæ, & per existentiam illius existunt. Ad mi. dicitur, quòd quanuis actio assumptiua habeat modum actionis accidentalis, quatenus non producit substantiam existentem in se, & per se per propriam existentiam, sed existentem per existentiam alterius; est tamen secundùm rem substãtialis, quia terminatur ad substantiam; nec relatio *realis* resultans in humanitate est terminus, sed aliquid resultans in termino; quia terminus totalis, *qui* terminat, & specificat talem actionem, est Christus, qui est substantia, non accidens. Ad 2. dist. eodem modo. Terminetur ad esse naturale, & supernaturale, tanquam ad specificatiuum formale, primarium, & immediatum, conc; tanquam ad rationes materialiter imbibitas in aliqua ratione superiori illis communi, neg; nam actio Dei formaliter, & immediatè tendit in ens, vt ens, & ab ente, vt ens, specificatur; quia tamen ens continet sub se naturale, & supernaturale, tanquam modos differentiales inferiores, à quibus non specificatur; ideo eadem actio tendit in ens naturale, & supernaturale. Sicut enim actio visiua nequit specificari ab albedine, & nigredine, quæ sunt rationes oppositæ; attamen potest specificari à colore, *vt sic*, qui continet albedinem, & nigredinem; & ideo potest tendere in vtranque; ita à pari. Ad 3. neg. assumptum; nam complexum ex intellectu, & lumine gloriæ est naturale secundùm entitatem intellectus; & supernaturale secundùm entitatem luminis ita tamen, vt entitas naturalis intellectus sit potentia passiua receptiua eleuabilis; & lumen sit forma, & actus eleuans ad supernaturalitatem. Sic natura humana est potentia passiua determinabilis, & eleuabilis ad vnitatem suppositi Diuini; ipsum autem suppositum Diuinum est actus terminans, & eleuans; & sicuti per eandem actionem potest Deus creare intellectum cum lumine; quia sicuti potest donare creaturæ lumen gloriæ post creationem creaturæ; ita potest illud concreare in intellectu creaturæ in primo instanti creationis; vt de facto concreauit in intellectu Christi Domini; qui in primo instanti suę creationis vidit Deum intuitiuè; ita potuit per eandem actionem creare Christi humanitatem, & illam assumere ad persona-

sonalitatem Verbi. Nec illa actio terminatur ad diuersos terminos totales, quia vnus Christus est terminus totalis, sed ad diuersos terminos, veluti partiales, à quibus non sumitur specificatio, & multiplicatio actionis, vt dictum est.

16 Obijc. 4. Ex eo, quòd aliquod alteri vniatur, non intelligitur ex vi illius vnionis produci, sed supponitur productum per aliam actionem; vt anima rationalis supponitur producta per creationem, antequam vniatur corpori; nam vnio animæ ad corpus est generatio, quæ differt à creatione, vt constat; ergo idem.

Resp. neg. ant; nam anima rationalis producitur in corpore, non extra corpus; & ex eo, quòd producatur in corpore, producitur, vt vnita corpori; quia ad vniendum actum cum potentia sufficit, quòd simul ponantur, se ipsis enim immediatè vniuntur. Ad id, quod additur de differentia generationis, & creationis, dicitur, quòd generatio dicitur respectu creaturæ, non respectu Dei; non enim dicitur Deus generare creaturam, sed creare; vnde per eandem actionem, qua Deus creauit materiam, ab antiquo perseuerantem creat animam; quia illa actio terminatur ad totum suppositum hominis, quod est terminus totalis illius actionis. *Vid. to. 3. de Creat. q. 2. art. 1*; vbi diximus actionem, siue qua creat ex nihilo, siue qua administrat materiam à se creatam, esse formaliter creationem; quia per ipsam producit materiam, & formam.

17 Dices hoc probare actionem ex parte Dei esse vnam, qua omnia etiam successiuè producit; non autem ex parte creaturæ, quæ simul non producitur cum alia creatura; & ideo per diuersam actionem producitur; *hic* autem esse sermonem de actione ex parte creaturæ.

Resp. neg. assumptum; nam actio Dei etiam per respectum ad creaturam specificatur, & multiplicatur solùm per terminos totales, qui tantùm propriè dicuntur produci; termini autem totales sunt supposita, non partes suppositorum; quia sola supposita dicuntur per se produci, partes verò non producuntur, nisi ratione suppositorum; ergo actio Dei etiam ex parte creaturæ non multiplicatur, nisi ad multiplicationem suppositorum; cùm autem in Christo non sit, nisi vnum suppositum, quanuis in ipso sint plures partes, ideo per vnam tantùm actionem producitur in tempore, de qua productione solùm sermo est in præsenti.

18 Obijc. 5. *Gonet.* Distinctio realis, & specifica actionum sumitur ex distinctione specifica terminorum; vt docet *D. Tho. 1. p. q. 77. art. 1*; sed creatio animæ, generatio humanitatis, & assumptio habent diuersos terminos; nam terminus formalis creationis animæ est ipsa anima, quæ ex nihilo educitur; terminus formalis generationis est humanitas; & terminus assumptionis est subsistentia Verbi, vt communicata naturæ humanæ; & hi tres termini specificè distinguuntur inter se, vt constat; ergo idem. 2. Actio assumptiua est altioris ordinis, quàm actio creatiua animæ rationalis, & productiua humanitatis; nam actio assumptiua pertinet ad ordinem hipostaticum, & supernaturalem, actio verò creatiua, & productiua sunt ordinis naturalis; ergo actio assumptiua nequit esse eadem cum actione creatiua, & productiua; nam quanuis B. Virgo per modum causæ principalis concurrat ad productionem humanitatis Christi; non tamen concurrit etiam instrumētaliter ad vnionem hipostaticam, vt diximus *q. 4. art. 1*; si autem assumptio, & productio essent vna actio, B. Virgo non potuisset cóncurrere ad productionem humanitatis, & non ad assumptionem; ergo idem. 3. Assumptio non est actio creatiua, quia creatio est ex nihilo, assumptio verò est ex præsupposito subiecto, nempe Verbo Diuino, & humanitate; ergo idem. 4. Creatio animæ Christi est eiusdem rationis cum creatione animæ nostræ; sed creatio animæ nostræ non est assumptio; ergo nec creatio animæ Christi.

Resp. ad 1. dist. ma. Ex distinctione specifica terminorum totalium, conc; veluti partialium, neg. Cùm igitur anima, humanitas, & subsistentia constituant vnum terminum totalem, qui est Christus; ideo constituunt vnam tantùm actionem ex parte Dei, cui repugnat agere, vt causa partialis, quæ essentialiter importat imperfectionem, cùm indigeat consortio alterius concausæ, sine qua nequit producere effectum. Ad 2. dist. ant. Actio assumptiua est altioris ordinis, quàm actio creatiua simplex, conc; quàm actio creatiua, quæ est simul assumptiua, neg; nam quanuis visio beata sit altioris ordinis, quàm scientia naturalis, per quam videntur res naturales; attamen possunt res naturales videri per visionem beatam, non quidem in se ipsis, sed prout continentur in Deo; & illa visio beata est simul visio Dei, & rerum naturalium in Deo; ita quanuis actio simpliciter creatiua sit inferioris ordinis, & per ipsam non assumatur creatura ad Diuinam personam; attamen actio assumptiua simul est creatiua, quatenus natura, quæ creatur, creatur vnita Diuino supposito. Ad id de B. Virgine dicitur, quòd B. Virgo egit per actionē Dei, quatenus fuit productiua, non quatenus fuit assūptiua; actio enim Dei, quanuis vna tantùm realiter, attamen habuit tria munera, scilicet assumendi, creandi, & producendi; B. Virgo autem participauit tantùm munus producendi humanitatem, non autem munus creandi, & assumendi; sicut cognitio Dei, quanuis vna, est tamen quiditatiua, & comprehensiua; & tamen Beati participant illā, vt quiditatiua est, non vt comprehensiua; ita à pari; & quanuis actio B. Virginis sit distincta ab assumptione, non tamen probat actionem Dei creatiuā animæ Christi distingui ab assumptione;

ptione; de quo tantùm procedit quæstio; non enim quærimus, an assumptio differat ab actione B. Virginis; sed an Deus per eandem actionem produxerit animam, humanitatem, & vniuerit ad Verbum? Ad 3. dicitur eodem modo; nam assumptio non est actio tantùm creatiua, sed simul creatiua humanitatis, & vnitiua ad Diuinum suppositum. Ad 4. dist. ma. Creatio animæ Christi secundùm munus creationis est eiusdem rationis cum creatione animæ nostræ, conc; secundùm quodlibet munus, neg; habet enim munus assumptionis, per quod differt à creatione animæ nostræ. Imò potest retorqueri; nam sicut creatio animæ nostræ habet vnire animam nostram supposito creato; ita creatio animæ Christi, quæ habet supplere vices suppositi creati per suppositalitatem increatam, habet illam vnire supposito Diuino; & in hoc differt à creatione animæ nostræ.

§. I.

Quinam sint termini actionis assumptiuæ?

19 Etiam *hìc* sermo est de actione ex parte solius Dei consideratæ, sicuti locuti sumus *in sup. art*; nam si sermo fit de actione generatiua ex parte ipsius Virginis, certum est terminum formalem esse naturam humanam, secundùm quam fit assimilatio inter generantem, & genitum, vt dicemus; ad quam generationem B. Virgo tantùm concurrit subministrando materiam, vt diximus *q. 4. art. 1.*

20 Duplex terminus assignatur communiter in omni productione substantiali. Vnus est terminus totalis, & adæquatus, qui adæquatè respondet actioni, & illam terminat, seu ad quem vltimatè ordinatur actio. Alter est formalis, & inadæquatus, qui est ratio formalis constituens terminum totalem eo, quia terminat naturam, & simul cum illa constituit effectum productum per illam actionem. Circa terminum totalem, & adæquatum actionis assumptiuæ nullum est dissidium; sed tota controuersia est circa terminum formalem inadæquatum, qui est constitutiuus termini adæquati, & totalis. Quotiescunque enim aliquis effectus componitur ex pluribus, quorum vnum est potentiale, indifferens, & terminabile; & ex altero, quod est actuale, determinatum, & terminatiuum; tunc necessariò dicendum, quòd vnus tantùm est terminus determinans alterum, & constituens ipsum totum in ratione termini totalis. Circa hoc igitur quæstio est, & non modica confusio *inter Recentiores*.

21 Prima sententia creata terminum formalem esse ipsam vnionem, qua Verbum Diuinum copulatur humanitati. *Ita Mastr. hìc disp. 1. q. 4. art. 2. à nu. 167*; apud quem *Faber*, *Rada*, *Bellutus*. Refertur etiam *Sua. hìc disp. 8. sect. 3; & ex nostris Gibb. hìc disp. 5. dub. 7; noster Bernardinus, & alij. Sua. tamen, Lorc; & Lugo*, vt notat *Gibb*; voluerunt, quòd si assumptio consideretur sub ratione communicationis, terminus formalis est subsistentia Diuina, quæ humanitati communicatur. Si verò sub ratione vnitionis, terminus formalis est vnio. Tandem si sub ratione incarnationis, terminus formalis est caro, seu humanitas.

22 Secunda vult terminum formalem assumptionis esse humanitatem. *Ita Vasq. 1. p. disp. 62. c. 3; & 3. p. disp. 18. c. 2*; cui fauet *Lorc. disp. 16. n. 7; & nonnulli Recentiores Thomistæ*, vt refert *Gibb.*

23 Tertia vult terminum formalem esse subsistentiam Diuinam; prout connotat vnionem humanitatis, tanquam conditionem necessariam. *Ita Caiet. hìc act. 8; Med. ibid; Aluar. disp. 13; Naz. art. 8. controu. 2; Val. punct. 5; Philipp. à SS. Trin; Gonet, & alij.*

24 Nostra tandem docet terminum formalem assumptionis esse personalitatem Verbi Diuini, quatenus gerit vicem personalitatis creatę. *Ita Fund. Doct. locis cit. in hac q. art. 3; & 4; & alij ibid. relati.*

25 Not. hoc esse discrimen inter creationem, & generationem; quòd creatio habet pro obiecto, seu termino ipsum esse rei, creatio enim tendit in ens, vt ens, vt docent *Fund. Doct; & S. Tho; & alij*; vnde creatio rectè dicitur *via ad esse*: Generatio verò habet pro obiecto, seu termino naturam; definitur enim *origo viuentis à viuente in similitudinem naturæ principio coniuncto*; hinc *Phil.* vocat generationem *viam in naturam; & D. Dam. opus naturæ*; pro quo *vid. to. 2. de Trin. q. 3 art. 2; & 10.* Quanuis autem ratio formalis, qua actio creatiua attingit creaturas, sit esse, *vt sic*; attamen peruenit vsque ad esse personale, quod est vltimum claudens naturam creaturæ; propterea dicitur *Sap. 8. Attingit à fine vsque ad finem fortiter*; idest à ratione vniuersalissima entis, *vt sic*, vsque ad rationem personalem; quæ sunt duæ rationes claudentes, tanquam fines, essentiam creaturæ; cùm enim vniuersale nequeat poni à parte rei, nisi per rationes indiuiduales particulares; ideo creatio, per quam ponitur creatura à parte rei, attingit etiam rationes personales, quę sunt particulares. Igitur sicut natura est terminus generationis eo, quia generatio est *via ad naturam*, terminus enim propriè dicitur per respectum ad viam, qua ad illum tenditur; ita esse personale est terminus creationis, quia per creationem tenditur ad esse, quod est obiectum, & terminus illius.

26 Vnica concl. Terminus totalis actionis assumptiuæ est Christus Dominus; terminus autem formalis, si actio assumptiua sumatur, prout est vnitiua, est vnitas personalis Verbi Diuini, prout gerit vicem personalitatis creatæ; si verò suma-

sumatur, prout est creatiua, est esse personale eiusdem Verbi Diuini, ad quod esse sequitur vnitas personalis, tanquam passio.

Prob. 1. *ex Symb. D. Athan. Qui licèt Deus sit, & homo; non duo tamen, sed vnus est Christus. Vnus autem, non conuersione Diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Vnus omnino non confusione substantiæ, sed vnitate personæ.* Ex quo sic arguitur. Terminus totalis alicuius productionis est illud totum, quod est vnum per vnionem partium, ex quibus coalescit; sed Christus est vnus per vnionem partium, scilicet animæ, & carnis, ad personam Diuinam; ergo Christus est terminus totalis assumptionis; ex quo probata manet 1. pars concl. Præterea id, in quod aliud conuertitur, est terminus formalis illius conuersionis; vt cùm aqua conuertitur in vinum, vinum est terminus formalis illius conuersionis, quia motus conuersionis desinit in vino, & incipit ab aqua; ergo id, ad quod aliud assumitur, est terminus formalis illius assumptionis; ita enim discurrendum est de assumptione, sicut de conuersione seruatis differentijs vtriusque, quòd scilicet in conuersione id, quod conuertitur, mutatur in illud, in quod conuertitur; in assumptione autem id, quod assumitur, non mutatur in illud, ad quod assumitur, sed solùm ab illo terminatur, & accipitur in vnitatem personæ ipsius assumentis; atqui persona Diuina est illud, ad quod assumitur natura humana; ergo vnitas personæ Diuinæ est terminus assumptionis, quatenus est actio vnitiua; ex quo probata manet 2. pars concl. Tandem ille est terminus formalis assumptionis, quatenus est actio creatiua, ad quem vltimò tendit actio creatiua; sed esse personale est huiusmodi, habito enim esse personali cessat fieri ipsius actionis creatiuæ, cùm nullum aliud esse substantiale remaneat producẽdum in illo composito; ergo esse personale est terminus formalis assumptionis, quatenus est actio creatiua; & sic probata manet 3. pars concl.

27 Insuper S. P. *Aug. in Enchir.* ait: *In vnitatem personæ accessit Verbo anima rationalis, & caro.* Ex quo sic prob. 2; & 3. pars concl. Illud, ad quod natura humana accedit per actionem assumptiuam, est terminus formalis actionis assumptiuæ; sed esse personale Verbi Diuini est illud, ad quod natura humana accedit per actionem assumptiuam, quatenus creatiua est; & vnitas personalis est illud, ad quod eadem natura humana accedit in vnitatem per actionem assũptiuam, quatenus vnitiua est; ergo esse personale Verbi Diuini est terminus formalis assumptionis, quatenus creatiua est; & vnitas personalis eiusdem Verbi est terminus formalis eiusdem assumptionis, quatenus vnitiua est. Ma. constat; terminus enim *ad quem*, de quo sermo est in præsenti, in hoc differt à termino *à quo*; quòd sicut iste est ille, à quo recedimus; ita ille est, ad quem accedimus. Mi. satis explicata est; nam actio, quatenus creatiua, est via ad esse, vltimum autem esse, ad quod tendit creatio, & ad quod natura substantialis creata accedit per creationem, est esse personale; quia habito esse personali; nullum aliud esse substantiale remanet acquirendum à natura creata; & quatenus vnitiua, tendit ad vnitatem personæ Diuinæ, ad quam assumit naturam humanam; vt dictum est *ex Concilijs, & SS. PP; ac DD*; ergo esse personale Verbi est id, ad quod natura humana accedit per actionem assumptiuam, quatenus creatiua est; & vnitas personalis eiusdem Verbi est id, ad quod eadem natura humana accedit in vnitatem per actionem assumptiuam, quatenus vnitiua est.

28 Conf. In hoc distinguitur creatio à generatione, quòd generatio dicit tendentiam in naturam; creatio verò dicit tendentiam in esse, vt dictum est; quatenus verò creatio est assumptio ad esse personale proprium ipsius assumentis, dicit tendentiam in esse personale assumentis, cui vnit naturam, quæ creatur; sicuti quatenus est creatio simplex, dicit tendentiam in esse suppositale proprium naturæ, quæ creatur, & quæ illi esse vnitur; sed ex eo, quòd generatio tendat in naturam, terminus formalis generationis est natura, quia terminus formalis est ille, secundùm quem fit assimilatio formalis inter gignentem, & genitum, quæ non fit, nisi secundùm naturam, vt diximus *to. 2. vbi s. art.* 14; sicut enim terminus formalis actionis visiuæ est color, quia actio visiua formaliter tendit in ipsum; ita à pari; ergo ex eo, quòd creatio assumptiua tendat in esse personale proprium ipsius assumentis, terminus formalis illius est esse personale personæ assumentis.

29 Præterea quotiescunque duo vniuntur, quorum vnum habet rationem indifferentis, & indeterminati; & alterum habet rationem determinãtis, & limitantis; tunc illud solùm, quod habet rationem determinãtis, & limitãtis, habet rationem termini, & aliud habet rationem determinabilis; sed natura humana ita vnitur supposito Diuino, vt ipsa secundùm se præciso supposito habeat rationẽ indeterminati, & indifferentis, vt terminetur ab hoc, vel illo supposito; proprio, vel alieno; suppositum autem Diuinum habet rationem determinantis, & limitantis; ergo solum suppositum Diuinum habet rationem termini actionis assumptiuæ. Prob. ma. Nihil potest determinare aliud, & limitare, nisi sit in se ipso determinatum, & limitatum; implicat enim, quòd indifferens in eo, quòd indifferens, determinet, & limitet; sed quod est in se determinatum, & limitatum, habet rationem termini, quia terminus, seu limes sonat idem, quod terminans, & limitans; ergo quod habet rationem determinantis, & limitantis, habet rationem termini. Mi. de se nota est; quia nomine suppo-

suppositalitatis significatur vltimus terminus determinans, ac limitans naturam; natura verò est determinabilis, & limitabilis à proprio supposito, vt patet in puris creaturis; & ab alieno, vt patet in incarnatione; ergo hæc habet rationem indifferentis, & terminabilis; illud verò rationem determinantis, & limitantis.

30 Roboratur magis. Ille est terminus formalis *quo*, qui est ratio formalis proxima constituens terminum totalem *qui*; sed solùm esse personale Diuini Verbi, quatenus gerens vices suppositi creati, est huiusmodi; ergo est terminus formalis *quo*. Ma. constat; eodem enim modo philosophandum est de termino formali, & totali, quo philosophamur de obiecto formali, & totali; cùm obiectum sit terminus actionis à potentia elicitæ; sed obiectum formale est illud, quod obiecto materiali est ratio proxima terminandi actionem elicitam à potentia; vt mobilitas est ratio formalis proxima constituens corpus obiectum totale Philosophiæ; ergo terminus formalis est ratio formalis proxima constituens terminum totalem *qui*. Prob. mi. Esse personale Verbi Diuini, quatenus gerit vicem suppositi creati, præstat id, quod præstaret suppositum creatum; sed suppositum creatum constituit terminum totalem *qui*; ergo & suppositum Diuinum, quatenus gerens vicem illius. Tum quia illud constituit terminum totalem *qui*, quod determinat naturam humanam; sicut illud constituit obiectum totale, quod determinat obiectum materiale, vt diximus de mobilitate; sed esse personale determinat naturam humanam; ergo constituit terminum totalem *qui*.

31 Deinde reijcitur prima sententia. 1. Terminus formalis *quo* nequit esse ipsum totũ compositum; quia totum compositum est terminus totalis *qui*, & terminus *qui* nequit confundi cum termino *quo*; sed vnio importat totum compositum; quia vnio non est, nisi partes vnitæ, vt diximus *sup. art.* 1; ergo vnio non est terminus formalis *quo*. Ma. constat; mi. fusè probata est *vbis.* 2. Terminus formalis *quo* debet esse vnum ex ipsis extremis vnitis; sicut obiectum formale est pars formalis determinans obiectum materiale, quod est pars materialis; sed vnio non est vnum extremum, quia nexus est extremorum, & nexus non est extremum, aliter idem necteret se ipsum; ergo idem. 3. Terminus formalis habet rationem actus determinantis partem potentialem determinabilem, vt dictum est; sed vnio non est huiusmodi, vt constat; ergo idem.

32 Reijcitur secunda. Natura humana est determinabilis per suppositalitatem Diuinam, vt gerentem vices suppositalitatis creatæ; ergo implicat habere ratione termini; quia implicat terminabile passiuum actiuè terminare. 2. Si natura humana haberet rationem termini formalis actionis Dei, sequeretur, quòd natura humana actiuè terminaret personalitatem Verbi, quæ passiuè terminaretur à natura humana; sed cons. repugnat; implicat enim enim personalitatem Diuinam habere rationem potentiæ passiuæ, cùm sit actus purissimus; & est contra modum loquendi *Diuinarum Scripturarum, Conciliorum*, *SS. PP*; *& DD.* communiter asserentium, quòd Diuinum suppositum actiuè terminat naturam humanam, non è contra; ergo & ant. repugnat. 3. Actio Dei est creatiua animæ Christi; sed terminus creationis non est natura, aliter non differret à generatione, vt dictum est; ergo idem.

33 Tertia denique, quia confundit subsistentiam cum personalitate, & solis abutitur terminis, ideo secundùm rem docet nostram sententiam; abusionem autem terminorum fusè reiecimus *art.* 3. §. 1.

34 Obijc. 1. contra 1. part. concl. Terminus totalis *qui* assumptionis debet esse aliquod creatum; sed Christus non est aliquid creatum; ergo non est terminus totalis *qui* assumptionis. Prob. ma. Terminus totalis *qui* assumptionis est aliquid factum in tempore; diximus enim actionem assumptiuam esse simul creatiuã; sed quod fit in tempore; à Deo creatur; ergo terminus totalis *qui* assumptionis debet esse aliquid creatum. Prob. mi. Omne, quod est creatum, denominatur formaliter creatura, quæ dicitur ab actione creatiua, vt constat; sed Christus non est creatura, quia creatura existit per existentiam creatam; Christus autem existit per existentiam increatam; ergo non est quid creatum.

Resp. *cum Fund. Doct. d. st.* 11. *p.* 1. *q.* 1. *art.* 2; *& q.* 2. *art.* 1. dist. ma. Terminus totalis debet esse aliquod creatum secundùm naturam humanam, conc; secundùm suppositum, neg. Ad prob. dist. eodem modo. Terminus totalis debet esse aliquid factum in tempore secundùm naturam humanam, conc; dicitur enim *Io.* 1. *Verbum caro factum est*; *& ad Gal.* 4. *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere*; *& in Symb. Et homo factus est*; idèst Verbum, seu Filius, qui est persona Patri coæterna, assumendo humanitatem in tempore factus est homo. *& S. P. Aug. de Fide, & Symb. cap.* 4. super illud *Prou.* 8. *Dominus possedit me*, vel vt legit alia versio, *creauit me in initio viarum suarum*; ait. *Eadem Sapientia, quæ de Deo genita est, dignata est etiam in hominibus creari; & de fide ad Petrum c.* 45. *Secundùm humanitatem verè ipse creatus est*; quibus expresè docet Christum secundùm humanitatem tantùm esse creatum, & creaturam. Eodem modo dist. mi. Christus non est aliquid creatum secundùm naturam humanam, neg; secundùm naturam, & suppositum Diuinum, conc. Ad prob. dicitur, quòd Christus absolutè, & simpliciter nequit dici creatura, quia absolutè, & simpliciter appellat etiam suppositum Diuinum, quod est increatum. Tum quia Christus abso-

absolutè, & simpliciter est Deus homo; Deus autem non est creatura; ideo absolutè dici nequit creatura.

35 Obijc. 2. cont. 2. part. concl. *Gibb. cum Sua.* Terminus formalis debet esse productus ab actione, quam terminat; vel saltem debet intrinsecè attingi; sed personalitas Verbi non producitur ab actione assumptiua, vt patet; nec intrinsecè attingitur; quia non vnitur intrinsecè per vnionem se tenentem ex parte Verbi; aliter Verbum mutaretur; ergo personalitas Verbi nō est terminus formalis actionis assumptiuæ. 2. Si personalitas Verbi esset terminus formalis assumptionis, sequeretur, si Verbum assumpsisset naturam Angelicam, assumptionem illam esse eiusdem speciei cum assumptione humanitatis; haberet enim eundem terminum formalem; sed conf. est falsum; nam ex illis assumptionibus resultarent composita specie diuersa, nempe homo, & Angelus; ergo falsum est ant.

Resp. ad 1. neg. ma; nam etiam in creatione puræ creaturæ esse actuale, quod est terminus formalis creaturæ, propriè loquendo non producitur, sed producitur essentia per esse, quia essentia per existentiam extrahitur à nihilo; & quanuis etiam ipsum esse creaturæ sit productum, vt *quo*; cùm sit ratio, qua essentia creata ducitur extra nihil; & cùm illud esse antea non fuerit, necesse est, vt etiam ipsum producatur ex nihilo; attamen hoc materialiter se habet ad rationem termini formalis, quatenus scilicet est proprium creaturæ; nam ratio formalis constitutiua termini formalis est esse id, quo essentia ponitur in rerum natura; quòd autē hoc sit temporale, vel æternum, merè materialiter se habet ad rationem termini formalis; quia siue sit æternum, sicut est esse personale Diuinum gerens munus esse personalis creati; siue sit temporale, sicut est esse personale proprium creaturæ; attamen per ipsum semper ponitur natura creata extra nihil; & ideo terminus formalis essentiæ creatæ formaliter præscindit ab esse creato, & increato, cùm possit per vtrunque constitui. Ad 2. neg. seq; nam esse personale Diuinum eo, quia est infinitum, continet eminenter omne esse suppositale creatum; & prout gerit vicem personalitatis humanæ, distinguitur secundùm diuersitatem munerum à se ipso, prout gerit vicem personalitatis Angelicæ: sunt enim hæc diuersa munera, vt patet; & hoc sufficit ad constituenda diuersa specie supposita; sicut enim omnipotentia, quanuis sit vnum virtualiter attributum, attamen quia continet eminenter esse creaturarum specie differentium, potest illas specie distinctas producere; ita à pari.

36 Obijc. 3. Terminus formalis est ille, qui constituit formaliter terminum totalem, vt dictum est; sed humanitas constituit Christum in specie hominis; ergo est terminus formalis illius.

Resp. dist. ma. Qui constituit terminum totalem per modum actuantis, & determinantis partem potentialem, & materialem, conc; vt patet de ratione formali constitutiua scientiæ. Qui constituit per modum potentiæ materialis, determinabilis, & actuabilis, neg; hoc modo natura humana constituit Christum in specie hominis; personalitas autem Verbi, prout gerit vicem personalitatis creatæ, constituit hominem per modum actuantis, & determinantis ipsam naturam hominis ad hanc numero personam.

37 Inst. Personalitas Verbi se habet per modum substentantis humanitatem; ergo se habet per modum materiæ, cuius est proprium substentare formam.

Resp. dist. ant. Per modum actiuè substentantis, conc; passiuè recipientis, neg; sicut enim proprium est materiæ passiuè recipiendo substentare formam; ita proprium est formæ actiuè substentare materiam in esse; nam sicut ideo materia substentat formam materialem, quia destructa materia forma statim abit in nihilum; ita forma substentat materiam, quia ablata forma materia desinit esse.

38 Quæritur; quinam sit terminus *à quo* assumptionis?

Resp. esse non esse, seu carentiam esse personalis Verbi in natura humana; quia terminus *à quo* opponitur termino *ad quem*; & sicut terminus *à quo* ipsius formæ, quæ in generatione est terminus *ad quem*, vt *sup.* diximus, est non esse formæ; ita terminus *à quo* esse personalis Verbi, quatenus gerit vicem personalitatis humanæ, est non esse personale eiusdem Verbi in natura humana.

§. II.

An Christus sit verè, & propriè compositus?

39 Resoluimus hanc difficultatem *tom. 1. de simpl. Dei art. 6*; vnde non est opus *hic* immorari, ne eadem ex superfluo repetamus. Solùm aliqua sunt addenda, quæ tradit *Fund. Doct. hic dist. 6. par. 3. quæst. 1. art. 3*; vbi de hac mirabili compositione pertractat.

40 Ait igitur §. *Dicemus ergo*; quòd Christus, qui iuxta *Symb. D. Athan.* est *perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens; sed sic subsistit tanquam quoddam totum, & quoddam compositum ex huiusmodi partibus, quòd non dependet à natura humana, nec ab eius partibus; nec constituitur in esse personali Verbi per naturam humanam, nec per eius partes; quia ista sunt imperfectionis. Attamen sic subsistit in natura humana, & in eius partibus, quòd tam natura humana, quàm eius partes substentantur in persona Verbi;*

Verbi; quia non constituunt personam aliquam, nec habent per se esse tam humanitas, quàm eius partes; sed habent esse in persona Verbi. Est ergo Christus Dominus quoddam compositum per se ex partibus, quæ sunt anima rationalis, & corpus; quæ partes non constituunt ipsum suppositum Christi; & in hoc distinguitur ab alijs suppositis, quæ sunt purè creata; quia illa constituuntur ex partibus in ratione vnius per se, & per consequens in ratione totius, & suppositi, quod essentialiter importat vnum per se coalescens ex partibus; Christus verò componitur per assumptionem partium in vnitatem suppositi Diuini; quod propterea non componit cum illis vnum per se resultans ex ipso supposito Diuino, & humanitate, quæ componitur ex anima, & corpore; & ideo compositio non desumitur ex ipso supposito Diuino, quod non est pars simul cum alia parte constituens aliquod tertium; nec est aliquod compositum constitutum ex partibus; adeoque non dependet ab illis; quia dependentia sumitur penes causalitatem; vnde cùm suppositum Diuinum non causetur ab humanitate, quia per illam non constituitur in ratione vnius per se; ideo non dependet ab illa; hæc enim dependentia imperfectionem importat, quæ nequit competere Diuino supposito. Quoniam tamen humanitas est vera pars potentialis, quæ assumitur ad vnitatem suppositi Diuini, per quod existit, & substentatur in esse; ideo facit veram, & propriam compositionem cum illo; quia verè, & propriè cum illo ponitur, vt in illo existat, & substentetur; quod sufficit ad veram, & propriam rationem partis verè, & propriè componibilis cum alio; natura enim humana, quæ cum propria suppositalitate creata verè, & propriè componit, nihil aliud habet, quàm esse potentiam passiuam, quæ ponitur cum propria personalitate, per quam existit, & substentatur. Nam quòd propria personalitas sit actus informans naturam, hoc facit solùm, vt ipsa personalitas sit pars componens cum natura; & ideo non facit, vt natura sit componibilis cum personalitate; per aliam nanque rationem redditur componibilis potentia, & per aliam actus; cùm actus, & potentia inter se opponantur. Igitur cùm personalitas Diuina non habeat rationem actus informantis naturam humanam, non habet rationem partis, sed totius assumentis in propriam vnitatem ipsam naturam humanam; & ideo non habet rationem passiuè componibilis cum natura humana; & per consequens Christus Dominus est verè, & propriè compositus ratione solius naturæ humanæ assumptæ ad vnitatem suppositi Diuini, non verò ratione suppositi Diuini; vt dicebamus *to. 1. vbis.*

41 Vnica concl. Christus Dominus est verè, & propriè passiuè compositus ratione solius naturæ humanæ assumptæ ad Diuinum suppositum, non ratione suppositi Diuini.

Prob. 1. *ex auctoritatibus* adductis *to. 1. vbis.* in quibus dicitur Christus crucifixus, mortuus &c. ratione solius naturæ humanæ; ergo eadem ratione potest dici verè, & propriè compositus.

42 Dices consequentiam non deduci, quia compositio essentialiter importat plura simul vnita, vt dicitur in eius definitione; & ideo implicat cōponi solùm ratione vnius partis. At crucifixio importat passionem, quæ potest competere vni tantùm naturæ; ideo paritas non valet. 2. Compositio vera importat duo, quorum vnum habet rationem potentiæ informabilis; & alterum actus informantis.

Ad 1. iam responsum fuit *vbis.* Additur, quòd etiam crucifixio Dei hominis essentialiter importat duo, nempe naturam Diuinam, & humanam; nam si non haberet naturam Diuinam, non diceretur Deus crucifixus; & si non haberet humanam, nō esset esset homo crucifixus; & tamen quanuis importet duo, dicitur tantùm crucifixus ratione solius naturæ humanæ; & in hoc consistit paritas. Præterea compositio requirit duo, quorum quodlibet est componibile, si sit compositio ex parte vtriusque, ex qua constituitur aliquod vnum totum ex istis resultans, vt est compositio puræ creaturæ, conc; quorum vnum tantùm est componibile, si sit compositio, ex qua non constituitur vnum suppositum, sed qua vnum assumitur in vnitatem alterius, neg; & sic ad 2; sola enim compositio, quæ constituit aliquod vnum per se, requirit duo, quorum vnum habeat rationem actus informantis, & alterum potentiæ informabilis; non verò compositio, quæ assumit aliquod in vnitatem alterius suppositi, quæ est vnitas per se, & secundùm se tota.

43 Ex his apparet, quòd hæc concl. porbari potest etiam ex auctoritatibus *Conciliorum, & SS. PP.* toties adductis, in quibus dicitur naturam humanam assumptam fuisse in vnitatem suppositi Diuini; & ideo illud suppositum, ad quod assumpta fuit natura humana, esse vnum per se, non tamen constitutū in ratione suppositi ex natura humana, sed præsuppositum ad assumptionē illius; ergo illud non est pars componens simul cum natura humana aliquod vnum; ergo Christus Dominus nō est passiuè compositus ratione illius, sed ratione solius naturæ humanæ, quæ admittitur ad vnitatem illius, & per illam subsistit, & substentatur; ob quam rationem dicitur componere etiam in pura creatura, vt dictum est; quanuis in creatura habeat etiam informari, quod non habet in compositione ad Verbum; & in hoc consistit excellentia huius admirabilis compositionis, in qua natura humana dicitur assumi ad per se vnum, nō informari; terminari à per se subsistente; nec constituere vnum suppositum per se subsistens; quanuis enim natura humana verè constituat Christum,

qui

qui essentialiter constat ex persona Verbi, & humanitate; non tamen constituit suppositum Verbi, sed illud præsupponit constitutum per filiationem Diuinam, & ad illud tantùm assumitur. *Vid.* alias rationes allatas *tom.* 1. *vbi sup.*

44 Obijc. *noster Gibb*; qui sentit *cum Gonet*, *& alijs relatis vbis.* In rebus creatis ex natura, & supposito fit vera, & propria compositio, quæ etiam in Angelis admittitur; sed personalitas Verbi vnitur naturæ creatæ per modum personalitatis; ergo ex personalitate Verbi, & natura humana fit vera, & propria compositio, & ex illis resultat persona verè, & propriè composita. 2. Personalitas Verbi supplet defectum personalitatis creatæ; sed ex personalitate creata, & natura humana consurgeret vera, & propria compositio; ergo ex personalitate Verbi, & natura humana fit vera, & realis cõpositio. 3. Quod perfectè supplet defectum alicuius extremi per se ordinati ad faciendum vnum per se, debet simul cum alio extremo verè, & propriè constituere vnum per se; sicut constitueret illud, cuius defectum supplet; sed personalitas Verbi perfectè supplet defectũ personalitatis creatæ, quæ per se ordinatur ad constituendum vnum per se simul cum natura creata; ergo personalitas Verbi simul cum natura humana constituit vnum per se. Prob. ma. Si non constitueret vnum per se, constitueret vnum tantùm per aggregationem; ergo non suppleret munus personalitatis creatæ, quæ habet constituere vnum per se, non per aggregationem.

45 Resp. hæc parum congruere doctrinæ *Conciliorum, & SS. PP*; *ac DD.* communiter docentium naturam humanam assumi in vnitatem personæ Diuinæ, non autem ita vniri personæ Diuinæ, vt cum illa constituat suppositum. Etenim quod assumitur ad vnitatem alterius, non constituit cum illo vnitatem; vt accidens, quod assumitur ad existentiam subiecti, non constituit existentiam illius, aliter existeret per se; sed natura humana *iuxta Conciliorum, & SS. PP*; *ac DD.* doctrinam assumitur ad vnitatem personæ Diuinæ ad hoc, vt persona Diuina per se existat in natura Diuina, & humana; & sit vna persona in vtraque natura; ergo natura humana non constituit simul cum personalitate Diuina Christi personam. Tum quia implicat, quòd natura creata constituat personam Diuinam etiam, vt gerentem vicem personalitatis creatæ, quia nõ gerit vicem personalitatis creatæ, nisi vt Diuina est; cuius solùm est proprium continere personalitatem creatam; sed persona Christi est Diuina; quia, vt docent *Concilia, & PP*; natura humana vnita est immediatè personę Diuinæ; ergo implicat personam Christi constitui per naturam humanam; & ideo personalitas Verbi simul cum natura humana non constituit Christi personam; vt docet *Fund. Doct. vbis. cum Concilijs, ac SS. PP*; à quibus deuiare videntur *isti Recentiores*.

46 Ad 1. igitur *cum Fund. Doct.* dist. mi. Personalitas Verbi vnitur naturæ creatæ per modum personalitatis demptis imperfectionibus proprijs personalitatis creatæ, conc; cũ imperfectionibus, neg; vniri autem cum alio per modum componibilis passiuè, & cum alio constituere tertium sunt imperfectiones propriæ personalitatis creatæ, à quibus absoluitur personalitas Diuina geres vicem personalitatis creatæ. Ad 2. eodem modo dist. ma. Supplet defectũ personalitatis creatæ communicando ei subsistentiam, quã natura creata in supposito tantùm acquirit, in quo nulla est imperfectio, quia est pura communicatio suæ perfectionis, conc; per modum passiuè componibilis, & constituentis cum natura humana aliquod tertium, neg. Ad 3. similiter dist. ma. Quod perfectè supplet defectum alicuius extremi quantùm ad perfectiones, & imperfectiones illius, conc; sed in hoc sensu neg. mi; nam persona Diuina non supplet imperfectiones, nec potest supplere. Quod supplet solùm quoad perfectiones, neg. Ad prob. neg. ant; nullo modo enim personalitas Diuina simul cum natura creata cõstituit vnum, & ideo nec per se, nec per accidens; sed simpliciter assumit naturam humanam ad sui vnitatem, quæ est vnitas per se; inter assumere autem ad vnitatem, & constituere vnitatem cum alio maxima distantia intercedit, quia natura humana simul cum personalitate creata constituit vnum per se, non tamen dicitur assumi ad vnitatem personæ creatæ, aliter ipsam supponeret, non constitueret. Assumere ergo ad personam non est constituere; vt dictum est. *Alias obiect. vid. to.* 1. *vbi sup.*

Quæres; an debeat concedi personam Christi post incarnationem esse compositam, vt ait *D. Dam. lib.* 3. *c.* 3; *&* 4.

Resp. *Fund. Doct. dist.* 6. *par.* 3. *qu.* 1. *art.* 3; *& p.* 4. *q.* 1. *art.* 1. affirmatiuè; nam propter communicationem idiomatum id; quod competit naturæ, debet dici de supposito; at naturę humanæ competit esse cõpositam personæ Verbi; ergo debet dici de persona Verbi, quòd ratione humanæ naturæ sit composita. Imò magis composita, quàm quælibet persona creata; quia præter compositiones personæ creatæ ex anima, & corpore, ex actu, & essentia, ex natura, & supposito, ex substantia, & accidentibus, inuoluit etiam compositionem ex natura humana cum Diuina, quam non importat persona creata, ita tamen, vt compositio formaliter se teneat tantùm ex parte naturæ humanæ, vt dictum est.

ART. VI.

An sanguis, & alij humores fuerint assumpti à Verbo?

1 HÆresis fuit *Cerdonis*, *& Marcionis* asserentium Christum non habuisse verum corpus, sed tantùm phantasticum, & putatiuum; & consequenter non habuisse verum sanguinem, & veros humores, qui solùm in vero corpore reperiuntur. Hos secuti sunt *Lucanus*, *& Apelles Manichæi Prodianitæ*, *Priscillianistæ*, *& noui Manichæi in Gallia* damnati *ab Alex. III. c. cùm Christus de hæretic*; *& in Concil. Alex. ep.10. Cyrill; Ephes. can.2; & 5; Chalced. act.2. in 2. confess. fidei, Carthag. IV. c. 2; & Lat. sub Innoc. III*; vt refertur *in c. firmiter de Summa Trin.* Hi tamen nihil expresse dixerunt de sanguine, & alijs humoribus, sed ex illorum doctrina tantùm infertur negasse. De quo *vid. q.1. art.1. n.10.*

2 *Aliqui Caluinistæ*, inter quos *Osiander*, dixerunt sanguinem à Christo effusum mox euanuisse, & corruptum fuisse; ex quo *Germanus Bauarus* infert in Eucharistia realiter non esse Christi sanguinem, vtpotè corruptum. Consequenter etiam isti debuerũt asserere sanguinem non fuisse à Verbo assumptum, quia *quod semel assumpsit, nunquam dimisit*; vt communiter tenetur *cum D. Dam. lib.3. de fid. c.27.* Reijciuntur autem *ex ps.15. Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*; *& ex Trid. sess.13. c.2*; vbi definit sub speciebus panis esse verum corpus, & sanguinem Christi ex connexione, quam habet sanguis ad corpus Christi Domini; *& ex alijs textibus inf.* adducendis. Omissis itaque his hęreticis.

3 *Dur. in 4. dist.10. q.1. n.19; Gabr. lect.53. in Canonem* dixerunt sanguinem non fuisse immediatè vnitum personæ Verbi, sed tantùm remotè, quatenus erat in carne Christi, quæ erat vnita Verbo; ex quo sequitur sanguinem habuisse propriam subsistentiam creatam. Idem tribuitur *Abulen. paradox.2. c.40; & 43; & Franc. de Ruuere Ord. S. Franc. Vicario*, qui postea fuit *Card. S. Petri ad Vincula*, & tandem Summus Pontifex *Sixtus IV.*

4 Sed isti duo senserunt solùm sanguinem Christi in triduo mortis sparsum in terra separatum fuisse nedum à corpore, sed etiam à Verbo; ac propterea indignum fuisse cultu Latriæ; vt refert *Spondanus to.2. ad ann.1462.* Hæc opinio orta est *Barchinonæ*, vt colligitur *ex p.p. Directorij Inquisitorum q.10. n.1*; cùm enim quidam in concionando dixisset Christi sanguinem in passione effusum à Diuinitate fuisse separatum, *Nicolaus Roselli Ord. Præd. Inquisitor* doctrinam illam damnauit, quam damnationem decreto *Clem. VI.* confirmatam asserit *Syl. in Rosa aurea tract.3. q.31*; vbi ait se hoc decretum vidisse. Sed iterum concionante *Iacobo de Marchia in Ecclesia Cathedrali Brixiensi serm. de die Paschæ* idem prædicatum fuit; propter quod orta est magna quęstio *inter PP. Prædicatores*, *& Minores*; cùm autem controuersiæ finis imponi non posset, res delata fuit ad *Pium II*; qui accitis Theologis coram Cardinalibus punctum disputari præcepit; postquam disputationẽ *Pium*, *& plerosq; Cardinales* in sententiã *PP. Prædicatorum* iuisse testatur *Spondanus*; eam tamẽ noluisse definire, ne multitudo *PP. Minorum* exasperaretur, quorum prædicatio erat necessaria *contra Turcas*, in quos expeditio facta fuerat; biennio tamen post *Anconæ* 1464. die ante obitum, vt pacem poneret inter duos hos Ordines, constitutionem edidit nulli licere *PP. Minorum* sententiam hæreticã vocare, donec per Sanctam Sedem definiretur. Hęc *Spondanus.* Cùm autem *PP. Prædicatores* vrgerent decretum *Clem. VI*; *Franc. de Ruuere in m.s*; (vt refert *Franc. Collius Mediolan. lib. de Sang. Christi*, *& Lugo hìc disp.14. sect.1. n.3.* ait asseruari *in Biblioth. Collegij Romani*) inquit processum *Barchinonæ* compilatum esse valde suspectum, neque in illo vllam literam, aut determinationem Summi Pontificis apparere, quam profectò, si extaret, *PP. Prædicatores* instanter quæsiuissent, & protulissent, si Pontifex pro eorum opinione determinasset. Hæc refert *Lugo sect.7. n.103.* Apparet ergo *Franciscum de Ruuere* solùm sensisse sanguinem Christi in triduo fuisse à Verbo separatum, non autem non fuisse assumptum, dum erat Verbo coniunctum. Hanc sententiam secutus est *Mairon in 4. dist. 43. q.1*; *Ric. in 3. dist. 2. art.2. q.1. ad 2.*

5 *Caiet. hìc qu.5. art.2; & qu.54. art.2; Sylu. vbi sup; Ban.1. de Gen. c.4. q.8. art.5; Aluar. hìc disp. 28; Naz. hìc, Compl. de an. disp.6. q.1. n.6; Gonet hìc disp.9. art.7. §.1; & alij* distinguunt sanguinem in nutrimentalem, qui nondum est perfectè decoctus, & perfectus; & hunc dicunt non esse animatum, & per consequens non fuisse assumptum à Verbo, quia non pertinet ad veritatem naturæ; & in sanguinem vitalem perfectè decoctum, qui est animatus, & spectat ad integritatem corporis humani, & hunc aiunt fuisse à Verbo assumptum, & substitisse per subsistentiam Diuinam.

6 Vltima tandem sententia docet totum sanguinem fuisse à persona Verbi assumptum, & per eius subsistentiam terminatum. Collig. *ex Fund. Doct. de celebr. Missar. p.2.* docente: *Corpus dupliciter potest accipi; vno modo generaliter, & sic omne palpabile est corpus, & hoc modo ipse sanguis est corpus &c. Alio modo specialiter, & vt distinguitur contra sanguinem, & sic sanguis non est corpus, licèt contingat sanguinem corpori sic accepto naturaliter esse coniunctum.* Ex quo deducit, quòd sub specie panis est sanguis per concomitantiã, quia sanguis est connexus cum corpore. Addit, quòd si in triduo mortis Christi quis consecrasset,

set, fecisset verum sacramentum; sub speciebus tamen panis fuisset solum corpus, non anima, & sanguis; & sub speciebus vini fuisset solus sanguis, non anima, & corpus; quia tunc ista tria erant separata. Si autem sanguis non esset immediatè vnitus Verbo, sed solùm mediante carne, tunc separatus à carne non fuisset sacramentum, quia non fuisset cum Deitate coniunctus. Eandem sententiā docet *noster Gibb*; apud quem *Bernardin. in m.s; & ex alijs Albert. Magn. de Sacrif. Missæ; Capr. in 2. dist. 15. art. 3; & in 4. dist. 10. q. 2. art. 3; Sot. in 4. dist. 10. q. 1. art. 2; Val. q. 5. punct. 1; Sua. disp. 15. sect. 6; Vasq. disp. 36. c. 4; & 5; Cabr. q. 5. art. 2. disp. 1. n. 17; Lyran. in c. 9. ad Hebr; Lug. vbi s; & alij ferè omnes communiter.*

7 Notat *noster Gibb.* iuxta communem *Medicorum* sententiam ex cibo decocto immediatè fieri chylum, qui est quædam massa alba in ventriculo existens, quæ ampliùs decocta vertitur in chymum, qui est quidam succus existens in jecore, vel in hepate. Ex chymo deriuantur quatuor humores principales, scilicet sanguis, qui defertur ad venas; pituita, seu flegma, quæ manet in ventriculo, & circa intestina; flaua bilis, seu cholera, quæ manet in vesicula fellis, quæ sita est in caua parte jecoris; & melancolia, seu atra bilis, quæ ad lienem, seu splenem deriuatur. Præter istos quatuor humores primarios dantur alij secundarij, qui generantur ex sanguine; nam portio sanguinis delata ad extrema venarum capillarium præparatur ad nutritionem; & vocatur nomine communi sanguinis; deinde hæc eadem recipitur in poris, & incipit dealbari; & appellatur *ros*; qui magis decoctus, & purificatus nuncupatur *cambium*; demum cùm in carnem conuertitur, dicitur *gluten*.

8 Ait *Gibb. Caietanum* nomine *sanguinis nutrimentalis* intellexisse chylum, aut chymum, qui adhuc non est pars corporis humani, cùm non sit perfectè decoctus, nec dispositus ad recipiendam formam viuentis. Sed *Lugo* asserit nomine *sanguinis nutrimentalis à D. Tho. Quodl. 5. q. 3. art. 5.* intelligi eum sanguinem, qui deputatur nutritioni; qua quia non egent corpora gloriosa, ideo non resurgent cum eo sanguine. Sanguis autem deputatus nutritioni est verus sanguis, seu est humor factus ex vero sanguine, vt dictum est; ideo nomine *sanguinis nutrimentalis* nequit significari chylus, aut chymus.

9 Insuper ex eo, quòd sanguis non sit animatus, non infertur non fuisse terminatum à Verbo Diuino; quia corpus Christi in triduo non fuit animatum, aliter non fuisset mortuum, & tamen fuit terminatum à Verbo; quidquid igitur sit de hoc, quod *ad animasticos* pertinet. Tum quia quanuis dicatur sanguis esse inanimatus, potest sustineri, quòd informatur eadem forma, qua informatur caro; nam certum est animam rationalem, cùm virtualiter contineat formam inanimem, vegetatiuam, & sensitiuam, posse informare tantùm secundùm munus formę inanimatæ, sicut informat pedes, & manus tantùm secundùm munus animę vegetatiuę, & sensitiuæ; pes enim, & manus sentiunt, & vegetant, non autem intelligunt; ergo sic dicendo saluatur etiam sanguinem, quantunuis inanimatum, assumptum fuisse; quod asserendum pariter est de capillis, vnguibus, alijsque partibus inanimatis; vnde si ex eo, quòd partes animentur ab anima Christi, infertur eas hipostaticè vniri Verbo Diuino, quod assumpsit carnem viuam, vt docet *S. P. Aug. serm. 1. de temp*; & ideo assumpsit totam carnem animatam; eadem ratione potest probari assumpsisse omnes partes informatas ab eadem anima etiam secundùm munus formæ inanimatæ; quia assumpsit totam animam, & totum illud, quod informatur ab anima.

10 Meliùs ergo dicendum, quòd Verbum assumpsit omnia ea, quæ faciunt ad integritatem naturalem hominis, & continuantur cum carne, & intrinsecè animæ adhęrent per informationem; sicut enim quanuis animæ accidentia non constituant intrinsecè hominis essentiam, aliter accidentia non essent; attamen quia faciunt ad integritatem, siue ad perfectionem integralem animæ, quæ sine illis careret suis potentijs ad operandum; ideo Verbum nedum assumpsit animam, sed etiam animæ accidentia mediante ipsamet anima; ita quanuis aliqui humores non sint partes essentiales carnis, quam Verbum assumpsit; quia tamen faciunt ad integritatem ipsius carnis vel illam seruando, vel nutriendo &c; ideo assumendo carnem illos pariter assumpsit. Non enim assumpsit carnem purè homogeneam, idèst solas partes carnis essentiales præcisè, sed assumpsit carnem ætherogeneam, idèst habentem partes diuersæ rationis; quia assumpsit corpus organicum, quod constat ex partibus diuersæ rationis; assumpsit enim carnem, quæ est subiectum animæ rationalis, quod non est, nisi corpus organicum. Diximus *partes continuatas cum carne* propter lacrimas, sudorem, saliuam, & alia excrementa, quæ non sunt partes hominis constituentes integritatem ipsius, sed discontinuatæ, & quibus proiectis nihil deperit substantiæ hominis.

11 Diximus sanguinem quater purificari, antequam conuertatur in substantiam aliti; scilicet in venis capillaribus, in poris, in quibus fit *ros, cambium, & gluten*; omnis autem purificatio est separatio à fæcibus, & superfluitatibus, in quibus sanguis relinquit rubedinem, cùm ipsa substantia sanguinis alba remaneat. Ex hoc potest deduci maculas rubeas relictas in præputio, clauis, cruce, ceterisque instrumentis esse superfluitates ipsius sanguinis, ipsamque substantiam fuisse à Verbo Diuino reassumptam.

12 Tandem *Martyrologium Romanum 9. Nouembris*, *Baronius anno 765*; *D. Athanas. lib. de passione imaginis Dominicæ c.7*; *D. Tho. hic qu. 54. art. ad 3*; *& alij* referunt, quòd sanguis ille, qui in quibusdam Ecclesijs asseruatur, & colitur, non fluxit è corpore Christi, sed miraculosè scaturijt ex quadam Christi imagine *à Iudæis Beryti in Syria* percussa, qui deinde ad varias Ecclesias fuit transmissus. Eadem historia refertur *in VII. Syn. Gen. act.4*; *& habetur to.3. Conc.* iussu *Pauli V.* editorum; vnde *D. Tho.* concludit nullum alium sanguinem Christi Domini in terris reperiri, *nisi illud, quod in ara altaris per manus Sacerdotum quotidie spiritualiter efficitur*. Ex quo apparet parum concordare *cum D. Thoma*, qui asserit sanguinem nutrimentalem in terris remansisse, absolutè enim *S. Doctor* ait nullum sanguinem remanere præter illum, quem efficit Sacerdos in Missæ Sacrificio; quod non verificaretur, si remaneret sanguis nutrimentalis.

13 Vnica concl. Totus sanguis Christi Domini fuit assumptus à Verbo nedum quando fuit coniunctus cum corpore, sed etiam quando in triduo fuit separatus; adeoque in resurrectione corpori fuit reunitus totus secundùm substantiam, quamuis eius superfluitates remanserint in terris cruci, clauis, alijsque instrumentis annexæ; & idem dicitur de alijs humoribus primarijs, & secundarijs, & spiritibus animalibus, ac vitalibus ex sanguine deriuatis; dentibus, vnguibus, & capillis.

Prob. de sanguine generaliter. 1. *ex Clem. VI. in extr. Vnigenitus de pænit; & remissionib.* asserente: *Quem in ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficiebat, sed velut quoddam profluuium noscitur effudisse*. Ex quo sic arguitur. Si totus sanguis non fuisset assumptus a Verbo, quælibet gutta non esset Verbo vnita; illa enim portio sanguinis, quæ non esset assumpta, non esset vnita Verbo; vnio enim assumptionem supponit, vt diximus *art.1. §.2. n.51*; & per consequens illæ guttæ componentes illam portionem non essent vnitæ, nec sufficeret quælibet ex illis ad redemptionem totius generis humani, sufficientia nanque sumitur ex vnione ad Verbum; sed conf. est *contra textum* allatum; ergo & ant.

14 Resp. 1. *noster Gibb. hunc textum* posse intelligi de vnione mediata ad Verbum, non de immediata; ad participandam enim infinitatem valoris sufficit vnio mediata ad Verbum, vt constat de actibus liberis voluntatis humanæ Christi Domini, qui sunt valoris infiniti, etiansi vniantur tantùm mediatè, vt *omnes* fatentur; vniuntur enim tantùm mediante voluntate creata, in qua recipiuntur. 2. *Alij* dicunt sanguinem vniri Verbo ratione humanitatis, quia scilicet humanitas Verbo vnitur.

Sed contra est; nam vnio potest dupliciter dici mediata: 1. Prout importat subsistentiam creatam mediam, qua mediante vnitur subsistentiæ Verbi tantùm extrinsecè, vt vestis vnita fuit mediatè Verbo Diuino. 2. Prout importat rationem, per quam vnitur. Primo modo nequit intelligi *textus* allatus; quia hic modus non dicit propriè vnionem personalem, de qua loquitur Pontifex, quia per solam vnionem personalem potest participari infinitas, quatenus scilicet vnitur supposito infinito; duæ autem subsistentiæ non queunt vniri in vna persona, vt *sup.* dictum est. Secundo modo verò non tollit immediatam vnionem cum subsistentia Diuina; sic enim vniuntur accidentia, quæ vniuntur mediante substantia, seu mediante natura humana; & hoc modo vniũtur actus liberi voluntatis humanæ, qui nedum vniuntur mediante voluntate, sed etiam mediante natura humana, qua mediante vnitur etiam ipsa voluntas. In hoc sensu etiam caro vnitur Verbo, vt dicemus *in seq. art*; & tamen non fit vnionem non esse immediatam immediatione excludente subsistentiam creatam. Constat autem, quòd sola mediatio importãs subsistentiam creatam mediam tollit assumptionem; adeoque vestis corporis Christi non dicitur assumpta, nec accidentia ipsius vestis, quia important subsistentiam, & existentiam creatam mediam; assumptio autem debet esse in vnitatem existentiæ, & subsistentiæ, per quam solùm assumptum infinitatem acquirit, quia existentiam, & subsistentiam Verbi acquirit, quæ est infinita; ergo Pontifex dicens quamlibet guttam sanguinis propter vnionem ad Verbum habere infinitatem valoris, expressè loquitur de vnione in esse subsistentiæ ipsius Verbi, à qua solùm potest infinitatem recipere; vnio autem in esse subsistentiæ idem est, ac assumptio; & ideo loquitur de vnione, quæ est assumptio. Tum quia loquitur de vnione, qua sanguis vnitur in toto, non enim loquitur de vnione extrinseca, sicut est vnio, qua vnitur vestis; sed vnio, qua partes vniuntur in toto, est vnio in subsistentia, quia partes non subsistunt, nisi per subsistentiam totius; & vnio in subsistentia est assumptio, vt constat; ergo loquitur de assumptione. Ad 2. dicitur eodem modo; nam licèt sanguis vniatur Verbo mediante humanitate, quia tamẽ mediante ipsa recipitur in vnitatem subsistentię ipsius Verbi Diuini, quia subsistit per subsistentiam, per quam subsistit humanitas, & humanitas subsistit per subsistentiam Verbi; ideo sanguis est assumptus à Verbo; nam licèt qualitates vniantur subiecto mediante quantitate, attamen dicuntur assumi in vnitatem numericam subiecti, quia recipiuntur in existentiam illius; ita à pari.

15 Præterea *in Conc. Chalced. act. 2. in ep. 8. Cyrilli ad Nestorium* dicitur, quòd *Verbum caro factum est, nihil aliud est, quàm quòd carnem, & sanguinem assumpserit*; quæ interpretatio approbata

bata est etiam *in Conc. Ephes. c.12; & in VI. Syn. act.8.* dicitur: *Sicut factus est in assumptione carnis, & sanguinis; ita quoque mansit, quod erat Deus; & D. Naz. in tract. de fide Nicæna ratione* 50; & habetur *in actis Liberij c.5. to.1. Conciliorum*, ait Deum factum esse hominem *carneum, ossa, sanguinem, sensum, & animam habentem.* Eodem modo loquuntur, *plures SS. PP. in ijsdem Concilijs Ephes; Chalced; & Alex.*

16 S.P.*Aug. in Enchir. c.34.* super illud *Io.1. Verbum caro factum est*; inquit nomine carnis totum à parte significari; *nam nihil naturæ humanæ in illa susceptione fas est dicere defuisse*; sanguinem autem spectare ad naturam humanam compertum est; *& de fide, & Symb. c.2. Vt totum hominem suscipere dignaretur in vtero Virginis, maternum corpus integrum inhabitans, integrum deferens*; Sicut ergo integrum corpus B. Virginis, quod inhabitauit Verbum, constabat etiam ex sanguine, ita integrum corpus, quod in ea suscepit, ex sanguine etiam componebatur; *& de fide ad Petrum c.14. Sicut de Deo Patre plenum, perfectúq; hominem &c; quod ipse Filius euidenter ostendit de sua carne dicens: Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habent, sicut me videtis habere*; Sicut ergo nomine carnis significantur etiam ossa, quia ossa pertinent ad perfectionem, & plenam integritatem hominis; ita nomine carnis assumptæ significatur etiam sanguis, sine quo perfecta, & plena integritas hominis non haberetur; notum enim est sanguinem esse partem integrantem hominem. Idem repetit *de Agone Christ. c.11; & sæpissimè alibi*; quibus verbis nobis tradit rationem, quæ sic efformatur. Corpus humanum organicum includit etiam sãguinem, tanquam partem, ex qua simul cum carne, ossibus, neruis &c. componitur; sed Verbum assumpsit corpus humanum organicum cum omnibus partibus, ex quibus componitur, & conseruatur; ergo assumpsit etiam sanguinem. Prob. Corpus humanum organicum essentialiter constat ex pluribus partibus, cùm sit corpus etherogeneum, idèst constans ex partibus diuersæ rationis; in hoc enim distinguitur à corpore homogeneo, quod constat ex partibus similaribus, hocèst eiusdem rationis; cùm nanque corpus organicum sit subiectum formæ viuentis, quæ habet diuersas potentias, quibus potest diuersas operationes habere; ideo corpus organicum essentialiter importat diuersitatem partium formantium diuersa organa, in quibus solùm possunt fieri diuersæ operationes, vt constat; quia in oculo nequit fieri, nisi visio; in aure, nisi auditio &c; sed sanguis est vna ex partibus componentibus corpus organicum; quia vnumquodque fit ex eo, ex quo conseruatur, cùm conseruatio sit *continuata productio*; corpus autem organicum conseruatur per nutritionem, quæ non fit, nisi per sanguinem; & ideo sanguis est vna pars constituens organum, in quo anima potest exercere operationem potentiæ nutritiuæ; ergo corpus humanum organicum includit etiam sanguinem &c. Prob. mi. Nomine carnis, quam assumpsit Verbum, non significatur sola caro, prout distinguitur ab alijs partibus componentibus corpus organicum; aliter nomine carnis non significarentur etiam ossa, quod est contra illud Christi Domini: *Spiritus carnem, & ossa non habent, sicut me videtis habere*; sed significatur totum corpus, quod distinguitur ab anima, & ab anima informatur; & in quo anima potest exercere omnes operationes omnium suarum potentiarum ei naturaliter inhærentiũ; sicut enim nomine animæ rationalis, quam assumpsit Verbum, non significatur sola substantia animæ sine suis naturalibus potentijs, quæ inseruiunt ei ad operandum; aliter nullam operationem propriam animę potuisset habere; sic nomine carnis significantur omnia, quæ concurrunt ad constituenda omnia organa, in quibus potest anima operari; ergo Verbum assumpsit corpus humanum organicum cum omnibus partibus, ex quibus componitur, & conseruatur. Tum quia Verbum plenè, & perfectè assumpsit naturam humanam; sed plenitudo, & perfectio naturæ humanæ fit ex omnibus, quæ naturaliter competunt animæ rationali, & ex ijs, quæ integrant totum corpus humanum; ergo assumpsit totum corpus humanum cum omnibus partibus, quæ illud constituunt.

17 Conf. *ex Trid. sess.13. c.3.* statuente: *Corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub vtraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit non ampliùs moriturus, inter se copulantur.* Ex quo sic arguit *Fund. Doct. vbis.* Sanguis est pars naturaliter connexa cum carne, seu corpore; sed Verbum assumpsit omnes partes corporis naturaliter cõnexas; ergo assumpsit & sanguinem. Ma. habetur *ex Conc.* docente sanguinem reperiri sub speciebus panis per concomitantiam; quanuis enim ex vi verborum fiat sub illis speciebus solum corpus, dicitur nanque in consecratione panis: *Hoc est corpus meum*; attamen quia vna pars cum alia naturaliter connectitur in Christo; ideo sanguis per concomitantiam ponitur sub specie panis; quod non esset verum, si sanguis pars non esset; & pars expressè dicitur *à D. Tho. vbis; & etiam à Phil. 1. de hist. animalium c.1*; & ratio est, quia simul cum carne, & cæteris partibus integrat corpus; & sine ipso corpus viuere non posset, extingueretur enim calor naturalis, qui ab ipso fouetur, & conseruatur; tum quia corpus non nutriretur, nec restauraretur substantia deperdita, & ideo viuens citò interiret. Prob. mi. 1. Si Verbum non assumpsisset omnes partes corporis Christi naturaliter connexas, posset dici, quòd aliqua pars corporis Christi non esset pars hominis Dei, & ideo non esset pars Christi, qui essen-

essentialiter est homo Deus; nam in tantùm vna pars est hominis Dei, in quantùm est pars integrans naturam humanam à Deo assumptam; sed in casu non esset assumpta; ergo non esset pars hominis Dei. 2. Verbum assumpsit totum illud, quod debebat terminare subsistentia creata, aliter non suppleuisset perfectè subsistentiam creatam; sed omnes partes corporis naturaliter connexæ terminatæ fuissent à subsistentia creata; ergo Verbum assumpsit omnes partes corporis naturaliter connexas.

18 Vrgetur. Omne illud, quod Christus post resurrectionem sustulit in Cælum, fuit assumptum à Verbo in vnitatem personæ; sed sanguis fuit à Christo sublatus in Cælum; ergo fuit assumptus à Verbo in vnitatem personæ. Prob. ma. Si quæ partes non fuerunt in Cælum sublatæ, maximè illæ, quæ non pertinent ad integritatem naturalem corporis humani, & ideo non componunt humanitatem, sed sunt omnino disconnexæ, superfluæ, vel deseruiunt solùm vsui huius vitæ mortalis, vt sunt cibus, sudor, lacrimæ, sputa, & ceteræ partes excrementiæ; aliter si non assumpsisset partes, quæ spectant ad naturalem perfectionem corporis humani, assumpsisset in Cælum corpus imperfectum, quod est inconueniens; sed omnes partes, quæ spectant ad naturalem compositionem, & perfectionem corporis humani, fuerunt assumptæ à Verbo in vnitatem personæ; sicut enim assumendo animam assumpsit omnia accidentia, quæ sunt perfectiones illius accidentales; ita à fortiori assumens corpus debuit assumere omnes partes substantiales illius, & consequenter accidentia ei propria, aliter plenè, & perfectè ipsum non assumpsisset; ergo omne illud, quod Christus post resurrectionem sustulit in Cælum, fuit assumptum à Verbo in vnitatem personæ. Mi. traditur *à Conc*; & prob; aliter si in corpore Christi in Cælis existente non esset sanguis, sub speciebus panis modò sanguis non esset per concomitantiam; quia modò non esset connexus cum corpore Christi, cuius oppositum statuit *Conc*.

19 2. Pars concl; quòd scilicet totus sanguis fuerit assumptus, prob. ijsdem rationibus. 1. Quælibet pars sanguinis simul sumpta componit totum sanguinem; sed Verbum assumpsit quamlibet partem sanguinis simul; ergo assumpsit totum sanguinem. Ma. patet; sicut enim quælibet pars aquæ simul efficit totam aquam; & quilibet homo collectiuè est idem, ac omnis homo; & signo *omnis*, quod significat totum discretum, correspondet *totus*, qui significat totum continuum; ita à pari. Prob. mi. *extr. Vnigenitus*, vbi dicitur vnam guttam sanguinis satis fuisse ad redemptionem generis humani ob vnionem ad personam Verbi; sed si non assumpsisset totum sanguinem, non verificaretur de illis guttis, quæ assumptæ non fuerunt; ergo assumpsit quamlibet guttam sanguinis. Tum quia si non assumpsisset totum sanguinem, non possemus agnoscere, quænam fuisset sufficiens ad redemptionem generis humani; quod derogaret venerationi, & cultui ipsius sanguinis; sicut si quælibet actio Christi Domini non fuisset sufficiens ad satisfaciendum pro peccato, sed aliqua tantùm v. g. illa, qua mortem pertulit, derogaret valori aliarum actionum, quæ non haberentur in eo pretio, in quo haberetur tolerantia crucis; & quia actio refunditur in personam; ideo persona Christi minùs haberetur in pretio, prout substinens flagella, quàm prout tolerans mortem, quod est absurdissimum; ergo pariter æquè absurdum est, quòd non quælibet sanguinis gutta habeatur in pretio; atqui pretium accipit ex vnione ad Verbum; ergo quælibet gutta sanguinis, & per consequens totus sanguis vnitus fuit Verbo. 2. Locutio indefinita in materia necessaria æquiualet locutioni vniuersali; vt docent *Logicalis*; sed materia fidei est necessaria ad salutem, quia sine tota ipsa salus haberi non potest *iuxta Symb. D. Athan: Quam nisi quisque integram, inuiolatamque seruauerit, absque dubio in æternum peribit*; ergo locutio indefinita in materia fidei æquiualet locutioni vniuersali, seu integrali, qua significatur totum; atqui *Concilia, & SS. PP.* indefinitè docent Verbum assumpsisse sanguinem; & hæc doctrina est in materia fidei; quia definierunt hoc esse de fide; ergo hæc locutio significat Verbum totum sanguinem assumpsisse. Tum quia ex eo, quòd asserant Verbum assumpsisse carnem, non licet asserere non assumpsisse totam carnem, sed tantùm partem carnis; ergo ex eo, quòd asserant assumpsisse sanguinem, non licet exponere, quòd solùm partem sanguinis assumpserit. 3. Totus sanguis pertinet ad integritatem, plenitudinem, & perfectionem hominis, cùm sit pars integralis, & naturalis corporis organici; sed Verbum assumpsit omnem partem facientem ad integritatem, plenitudinem, & perfectionem hominis, aliter assumpsisset humanitatem imperfectam, & ideo non esset homo æquè perfectus, ac alij homines; quod est contra *Symb. D. Athan. Perfectus Deus, perfectus homo* & contra doctrinam *SS. PP.* asserentium assumpsisse plenam, & perfectam humanitatem; ergo idem. 4. Totus sanguis effusus à Christo Domino ex vi verborum consecrationis ponitur in calice; dicitur enim: *Hic est calix Sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; sed sanguis, qui vi consecrationis ponitur in calice, est assumptus à Verbo, habet enim vim remissiuam peccatorum, quæ nequit competere puræ creaturæ non assumptæ à Verbo, cùm vis remissiua habeat valorem infinitum, qui nequit desumi, nisi à supposito infinito; ergo Verbum totum sanguinem assumpsit.

20 Addimus, quòd sanguis nutrimentalis gene-

generatur ex vera substantia sanguinis, est enim sanguis magis purificatus, vt *sup.* diximus, ad hoc, vt nutritioni præparetur; sed ille, ex quo generatur, est assumptus; ergo & iste. Tum quia statim, ac cibus substantialiter mutatur, incipit subsistere per subsistentiam Verbi Diuini; nam tunc incipit subsistere per subsistentiam Diuinam, cùm desinit esse sub propria subsistentia creata; desinit autem esse sub propria subsistentia creata, cùm mutatur substantialiter; quia in tali mutatione deperdit subsistentiam, quam antea habebat; & incipit esse sub subsistentia Diuina, quia incipit esse sub subsistentia corporis Christi, quod subsistit per subsistentiam Diuinam, fit enim pars nutrimentalis corporis Christi; sed quilibet verus sanguis est mutatus substantialiter ex cibo, quia non fit, nisi per corruptionem substantialem cibi; ergo quilibet verus sanguis est assumptus à Verbo.

21 Ab hoc nō discrepant *Caietani Sectatores*; contendunt enim chylum in venis Meseraicis attractum, antequam recipiatur in hepate, in quo aiunt Medici fieri sanguinem; vel in corde, vt vult *Phil*; habere aliquam similitudinem sanguinis, quia habet colorem sanguineum, non autem esse verum sanguinem; vt ait *Gonet*. §. 1. *vbis*. Sed in eo discordant, quòd chylum, vel in chylo dicunt esse sanguinem nutrimentalem, quem Medici verum sanguinem magis decoctum, & purificatum, vt nutritioni deseruiat, appellant. Nec *S. Tho.* illis suffragatur dicens; *Non totus sanguis nutrimentalis, idest qui ex cibis generatur, pertinet ad veritatem naturæ humanæ.* Non suffragatur, inquam; nam non ait: *Qui ex cibis immediatè generatur*; sed simpliciter *generatur*; quod bene intelligitur de generatione mediata; non enim immediatè ex cibo nutritur caro, vt tenet etiam *D. Tho. in libris de anima*; & ideo sanguis nutrimentalis proximè non generatur immediatè ex cibo, sed ex chylo; ex quo priùs generatur sanguis vitalis, & ex hoc sanguis nutrimentalis. Nec aliud docet *S. Tho*; quàm hunc sanguinem nutrimentalem non mansisse in corpore glorioso Christi Domini, quia natura corporis gloriosi nutrimento non eget; quod bene saluatur dicendo totum sanguinem mansisse in illo, quamuis non sub forma nutrimentali; quia sub hac forma non fuit necessarius. Fuit ergo totus sanguis sub forma sanguinis vitalis; nam ille, qui post vltimam digestionem fuit nutrimentalis, transijt in substantiam carnis; & alter mansit sub forma sanguinis vitalis; & quoniam nulla alia digestio subsecuta fuit post vltimam, quia mors illam impedijt; ideo nullus alius sanguis nutrimentalis generatus fuit; & per consequens nullus sanguis nutrimentalis in corpore Christi glorioso remansit; non quòd eum dimiserit in terra, sed quia totus transierat in carnem; adeoq; assumendo totum sanguinem vitalem effusum, totum sanguinem reassumpsit. Ex quo apparet *Caietanum, & alios* tantùm in nomine dissentire.

22 Prob. 3. pars concl; quòd scilicet sanguis Christi etiam in triduo mortis hipostaticè vnitus remanserit. 1. *Ex Clem. VI. vbis*; qui loquens de sanguine in ara crucis effuso, & per consequens separato à corpore ait vnam guttam *propter vnionem ad Verbum* fuisse sufficientem ad redemptionem totius generis humani; ergo in triduo, in quo mansit separatus à corpore, fuit Verbo hipostaticè vnitus. 2. *Cum Fund. Doct.* Si quis in triduo consecrasset calicem, fuisset in illo sanguis cum Diuinitate per cōcomitantiam, vt docet *Trid*; fuisset enim verum Sacramētum; quia *Luc. 22.* dixit Christus Dominus indefinitè: *Hoc facite in meam commemorationem*; non autem excepit triduum suæ mortis; ergo Verbum Diuinum in triduo remansit vnitum suo sanguini, aliter per concomitantiam non fuisset sub speciebus vini; *& Io. 6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus; qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*; quibus verbis loquitur separatim de carne, & sanguine; ergo sicut in triduo manducans carnem Christi sub specie panis haberet in se Christi Diuinitatem, quia Christi Diuinitas vnita erat carni; ita bibens sanguinem eius haberet in se eius Diuinitatem, quia erat vnita sanguini. Nec est audiendus *Franc. de Ruuere Card. S. Petri ad Vincula* dubitans; an illo triduo consecraretur validè, & afferens pro parte negante *Glos. in c. timorem de consecr. dist. 2*; resp. enim *Glosam* loqui per figuram Synecdochem, idèst nomine sanguinis non poni sub speciebus vini totus Christus in triduo, quod verissimum est; postquam enim dixit formam datam esse, vt hoc fieret tantùm post resurrectionem, & ideo solum Christum potuisse ante resurrectionem consecrare, & ob hoc in triduo non cantari Missam, subdit; *Et intelligo per Synecdochem.* Ceterùm *communiter DD*; inter quos *Fund. Doct. vbis; & D. Tho. 3. p. q. 76. art. 1. ad 1*; docent potuisse validè consecrari; quia habens legitimam potestatem supra debitam materiam proferendo debitam formam verum confecisset Sacramentum. Præterea si quis in triduo communicatus fuisset particula consecrata ante triduum, & bibisset sanguinem consecratum; tunc recepisset verum sanguinem, & verum Christi corpus, & per vtrunque habuisset in se Diuinitatem iuxta verba allata Christi Domini; & viuificatus fuisset, quia habuisset in se suppositum Verbi, quod est vita; non enim communicans viuificatur per animam, & vitam naturalem Christi Domini, sed per personam Diuinam producentem effectiuè gratiam habitualem, quæ est vera vita animæ; & sic soluitur dubium, propter quod *Glosa* de hac re adeo leui dubitauit. 3. Sanguis est vera pars corporis Christi reassumenda

post resurrectionem, vt diximus; ergo non debuit à Verbo dimitti in triduo; non enim ob aliam rationem caro non fuit dimissa; ergo à pari de sanguine. 4. *SS.PP*; inter quos *D.Dam. vbi s*; asserunt, quòd Verbum insolubiliter vnitum est ei, quod assumpsit; *& quod semel assumpsit, nunquam dimisit*; quod *Theologi communiter* explicant de partibus spectantibus ad integritatem, & perfectionem hominis; sed semel assumpsit sanguinem, qui est pars naturalis hominis, vt ostensum est; ergo illum nunquam dimisit; & prob. euidenter ex illo *ps.* 15. *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*; quod nequit intelligi, nisi de partibus corporis, quod solum est corruptibile; vnde cùm sanguis sit pars non minima corporis, etiam de sanguine est accipiendum; sed corruptio est *transitus* de esse ad non esse; ergo sanguis Christi in eius morte non transijt de esse, quod habuit in supposito Christi, ad non esse in supposito Christi; & per consequens ei mansit vnitus. 5. Sanguis effusus à Christo Domino fuit remissiuus peccatorum iuxta illud *Matth.*26. *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; *& Hebr.* 9. *Sine sanguinis effusione non fit remissio*; fuit iustificatiuus *Rom.* 5. *Iustificati in sanguine ipsius*; fuit pretium redemptionis oblatum ad propitiandum nobis Deum Patrem *Rom.*3. *Per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quam proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*; sed peccata non remittuntur, nisi ratione Diuinitatis, quæ sola potest principaliter peccata remittere; sic ratione solius Diuinitatis effectiuè principaliter iustificat; & tandem non est pretium redemptionis, nisi quatenus habet valorem infinitum, quem tantùm habere potest per coniunctionem ad Diuinitatem, quæ sola est infinita; ergo sanguis Christi effusus mansit hipostaticè personæ Verbi vnitus. 6. *Cum D. Tho.* Sicut se habet vnio gratiæ habitualis cum anima; ita vnio hipostatica Verbi cum anima, & corpore secundùm omnes eius partes accepto; quia sicut gratia vnitur animæ ipsam eleuando ad filiationem adoptiuam, ita vnio hipostatica vnitur animæ, & corpori vtrunque eleuando ad filiationem Dei naturalem; assumit enim vtrunque in vnitatem personæ Vnigeniti Filij Dei; sed vnio gratiæ habitualis cum anima nequit dissolui, nisi per peccatum mortale, quod solum est mors animæ, & ideo potest solùm separare animam à gratia, quæ est vita ipsius, vt docet *S. P. Aug. serm.*5. *de Verbis Domini*; ergo vnio hipostatica cum anima, & cum corpore nequit dissolui, nisi per peccatum, quod fuit impossibile in Christo; atqui dissolutio à sanguine est dissolutio à corpore, quia sanguis est vna ex principalibus partibus corporis; & quod dissoluitur à parte alicuius totius, dissoluitur partialiter à toto; & non est ratio, cur non possit eodem modo dissolui ab alijs partibus, cùm eodem modo eis vniatur; & sic non esset ratio, cur Verbum non esset separatum etiam à carne, si esset separatum à sanguine; ergo Verbum non fuit separatum à sanguine effuso.

23 Dices hanc vltimam rationem nimis probare; probat enim omnes partes corporis debuisse semper remanere vnitas Verbo, quod est falsum; nam partes, quæ per continuam actionem agentium naturalium resoluuntur, non remanserunt vnitæ, quia fuerunt destructæ; constat enim in omni corpore humano per continuam actionem caloris naturalis aliquas partes resolui, quæ reparantur per nutritionem; ergo hæc ratio nihil probat.

Resp. hanc rationem probare partes corporis Christi, quæ non destruuntur per resolutionem naturalem, sed manent, debere hipostaticè esse vnitas Verbo Diuino, quod semper debet esse coniunctum toti corpori, & per consequens omnibus partibus, quę sunt in corpore, cùm partes vnitæ non sint, nisi corpus; non autem debere manere vnitum partibus, quæ resoluuntur, & non sunt ampliùs partes, quia non sunt, sed loco earum vniri illis, quæ succedunt; sicut enim loquimur de subsistentia creata, quæ successiuè terminat partes per nutritionem adiunctas, & dimittit eas, quæ vi caloris naturalis resoluuntur; hoc enim exigit natura huius mortalitatis, cuius aliqua pars semper deperit, & quam induit Verbum Diuinum carnem sumendo; ita loquendum de Verbo Diuino, quod supplet munus subsistentiæ creatæ. Imò sicuti quia natura animæ rationalis exigit, vt habeat aliquos actus liberos, qui non durant, sed euolant; ideo Verbum Diuinum illos terminauit amissibiliter; ita à pari.

24 Prob. 4. pars concl. 1. *ex Innoc. III. c. in quadam de celebr. Missar. tit.* 41. dicente: *Cùm ad compositionem humani corporis quatuor elementa concurrant, videlicet terra, aqua, aer, & ignis; & ad vegetationem eiusdem corporis quatuor humores consimiles conueniant, videlicet sanguis, cholera, flegma, & malencolia, vt veritatem humani corporis expressiùs demonstraret, vnum ex illis, & vnum ex istis Ioannes expressit; nempe aquam, & sanguinem* subdit *Glos.* Ex quo sic. Verum corpus humanum constituitur vegetans ex primis quatuor humoribus, quæ sunt sanguis, cholera, flegma, & melancolia; sed Verbum assumpsit verum corpus humanum vegetans; ergo assumpsit etiam quatuor primos humores enumeratos. Ma. est in terminis ipsius Pontificis; ait enim *conuenire ad vegetationem*, idèst simul venire ad constituendum corpus vegetans, sicut materia, & forma conueniunt ad constituendum compositum; & licèt non dicat hos quatuor humores esse *de compositione corporis humani*, vt obijcit *Lugo*, cui non placet hæc auctoritas, quanuis irrationabiliter; attamen ait conuenire ad vegetationem, quia sine ipsis corpus non

non vegetaret; & ideo constituunt corpus viuum; quod deficiente aliquo ex his humoribus ex integro statim emoritur, vt concorditer asserunt Medici. Mi. est de fide, quæ docet Christum assumpsisse corpus viuum, idèst habens animam; & traditur *à S. P. Aug. serm.* 15. *de temp; & sæpe alibi*. 2. *S. P. Aug. ep.* 146. docet *naturam carnis quatuor humoribus temperari*; quando enim è vena extrahitur sanguis, videtur immixtus illis humoribus; cùm enim sanguis sit calidus, & humidus, sicut aer; flegma, seu pituita frigida, & humida, sicut aqua; cholera, seu flaua bilis calida, & sicca, sicut ignis; & melancolia frigida, & sicca, sicut terra; ideo corpus non est temperatum perfectè, nisi habeat in se istos quatuor humores; sed Verbum assumpsit corpus perfectè temperatum; quia temperies facit ad perfectionem hominis; ergo assumpsit etiam hos quatuor humores. 3. Isti quatuor humores spectant ad integritatem, & perfectionem naturalem corporis humani, quia sine illis corpus humanum viuere nequit; sed Verbum assumpsit omne illud, quod spectat ad integritatem, & perfectionem naturalem corporis humani; quia assumpsit perfectum, & plenum hominem, vt docent *D. Athan; & S. P. Aug;* ergo idem. 4. In eo instanti, in quo desinit esse substantia cibi; tunc substantia, in quam mutatur cibus, transit ad subsistendum per subsistentiam Verbi; tunc enim desinit subsistere per subsistentiam creatam, per quam subsistebat cibus; & incipit subsistere per subsistentiam, per quam subsistit illud compositum, in quod recipitur; substantia enim cibi, cùm transmutatur, transit in substantiam aliti, & ideo transit ad subsistendum per subsistentiam aliti; *Philosophi* nanque *communiter* non distinguunt, nec assignant, nisi substantiam alimenti, & aliti; subsistentia autem aliti, qui est Christus, est subsistentia Verbi Diuini, vt docet fides; sed quatuor primi humores non sunt ampliùs substantia cibi, quia sunt transmutati in aliam substantiam; ergo iam existunt per subsistentiam Verbi, & ideo assumpti sunt à Verbo.

25 Prob. 5. pars concl. iisdem rationibus, quibus probata fuit 3; & 4. pars; nam *ros, cambium, & gluten* sunt formaliter substantia sanguinis magis purificata, & nutritioni proximè disposita; sic spiritus animales, & vitales nihil aliud sunt, quàm tenuissima substantia ex purissimo, & defæcatissimo sanguine efformata; sed substantia sanguinis est assumpta à Verbo, vt probatum est; ergo & substantia horum humorum. Tum quia id, per quod proximè nutritur corpus, est debitum naturaliter corpori, vt viuat; sine nutritione nanque in hac vita mortali corpus nequit viuere; sed humores secundarij sunt huiusmodi, vt patet; ergo sunt naturaliter debiti, & connexi in hac vita cum corpore; sed Verbum assumpsit omne naturaliter vnitum cum corpore; ergo idem. Humores autem vitales è corde per arteriam decurrunt ad vitam tuendam; animales verò è cerebro per neruos excurrunt ad exercendas operationes sensitiuas; ergo spectant ad integritatem humanæ naturæ, & ideo à Verbo assumpti fuerunt, aliter non assumpsisset totum id, quod ei necessarium erat ad viuendum, & sentiendum; & ideo assumpsisset corpus imperfectum, quia non assumpsisset omnes perfectiones naturales illius. Tandem Verbum assumpsit omne illud, quod informatur ab anima rationali, aliter non assumpsisset totum corpus; sed illi humores informantur ab anima rationali, non quidem secundùm gradum intellectiuum, sed secundùm gradum vitæ, dicuntur enim vitales, quia crescunt secundùm omnes positiones loci; ergo idem.

26 Prob. 6. pars concl. 1. *cont. Vasq. hic disp. 36. nu. 34. ex D. Ambr. lib. de Incarn. Dominicæ Sacram. c. 6; & D. Athan. ep. ad Epitect*; quam refert *D. Epiphan. hær.* 77. docentibus hæreticos asserentes naturam Diuinam conuersam fuisse in naturam humanam consequenter debuisse asserere conuersam fuisse in carnem, capillos, & sanguinem, & ossa; ergo supponunt etiam capillos, & ideo etiam dentes, & vngues intrinsecè componere, & integrare naturam humanam, non tanquam partes essentiales, sed integrales. Nec obstat *Vasq.* asserens *hos SS. PP.* totum id retulisse ex sententia hæreticorum, qui hoc etiam asserebant. Non obstat, inquam; nam *isti PP.* arguunt ducendo hæreticos ad absurdum, & inconueniens; non enim referunt, sed reijciunt eorum sententiam. 2. Dentes, vngues, capilli, & pili sunt partes naturaliter connexæ cum carne inseruientes pluribus actionibus hominis, & facientes ad ornatum illius; nam dentes inseruiunt nutritioni, terunt enim cibum, vt faciliùs digeratur; vngues puliunt pellem, ne putrescat; capilli tegunt caput, ne aeris humiditate inficiatur &c; & sine istis homo non esset formosus, sed deformis, & ideo illi pars integralis deficeret; sed Verbum assumpsit omnes partes naturaliter connexas cum corpore humano; assumpsit enim plenum, totum, & perfectum hominem excepta personalitate, subsistentia, & existentia creata; vt docent *D. Ath; & S P. Aug. vbis*; ergo assumpsit etiã dentes &c. 3. Dentes, vngues, capilli &c. sublati fuerunt in Cœlum à Christo Domino; ergo fuerunt assumpti à Verbo, vt *sup.* diximus. 4. Vel in sacramento ponuntur ex vi verborum dentes, barba, capilli &c; vel ponuntur per concomitantiam; vel nullo modo ponuntur? Si primum; ergo sunt partes componentes corpus; nam ex vi verborum ponitur solum corpus, hocèst partes componentes corpus; Verbum autem assũpsit corpus, & ideo omnes partes ipsius, ac propterea etiam dentes &c. Si secundum; ergo fuerunt assumpti à Verbo; quia vt docet *Trid. vbis*

quæ

quæ ponuntur per concomitantiam, habent naturalem connexionem cum corpore,& ideo connectuntur etiam in subsistentia, qua subsistit corpus, & quæ est subsistentia Verbi. Tertium dici nequit; esset enim maxima deformitas, si Christus poneretur caluus, imberbis &c; tum quia ita ponitur in sacramento, sicut est in Cœlo &c. *Vid. alias* rationes *sup.* allatas.

27 Obijc.1. *Dur.* cont.1. part. concl. Sanguis non est pars naturæ humanæ; ergo non fuit assumptus à Verbo. Prob. ant. Omnis pars naturæ humanæ debet esse informata ab anima, quæ est forma totius corporis; sed sanguis non informatur ab anima, quia non viuit; nam sanguis *ex Phil. lib.* 8. *de partib. animalium* est alimentum; alimentum autem non viuit, quia cibus non viuit; ergo non est pars. 2. Inter Deum, & naturam assumptam datur communicatio idiomatum; sed inter sanguinem, & Verbum non est communicatio idiomatum; non enim Verbum dicitur effusum in terram, sicut dicitur sanguis; ergo idem. 3. Partem sanguinis dimisit in terris; ergo idem. 4. Partes debent continuari, & connecti; sed sanguis non continuatur; ergo idem. 5. *S. P. Aug. ep.*146. interrogatus, an corpus Christi nunc habeat ossa, & sanguinem, respondet habere carnem, & ossa, & sanguinem tacet afferens illa verba: *Spiritus carnem, & ossa non habent, sicut me videtis habere*; ergo signum est eum sensisse nunc in Christo non esse sanguinem, & ideo non fuisse assumptum, quia *quod semel assumpsit, nunquam dimisit*.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad prob. dist. ma. Debet esse informata ab anima secundùm gradum intelligendi, neg; secundùm gradum vegetandi, vel essendi, vel intelligendi, conc; & neg. mi. iuxta hanc distinctionem. Ad illud de alimento dicitur sanguinem esse alimētum iam transmutatum de substantia cibi, & ideo iam assumptum, vt dictum est *sup*; cibus autem non est transmutatus substantialiter; & ideo manet sub propria subsistentia creata. *Alij* negant ma; concedunt enim in eodem viuente plures formas partiales subordinatas animæ rationali, quæ formæ partiales cōstituunt diuersas partes eiusdem corporis. *Ita noster Gibb*; apud quem *noster Lusit. lib.* 2. *de glor. corp. q.*7. *art.*2. *nu.*5; *D. Bon*; *Ricc*; *Scot*; *Capr*; *Abul*; *Sua*; *Vasq*; *& alij*. Ad 2. dist. ma. Inter Deum, & naturam assumptam totalem, vel quæ aliquo modo potest denominari homo concretè, datur communicatio idiomatum, conc; quia communicatio idiomatum desumitur penes concreta, vt *superiùs* diximus; valet enim: *Deus est homo*; *& è contra*; non autem penes abstracta; quia non valet: *Deus est humanitas*; ideo ratione solius concreti *homo*, *& Deus* possunt idiomata communicari; & quanuis anima non sit totum concretum, quod est homo; & idem de corpore mortuo; attamen potest dici Deum descendisse ad inferos ratione animæ, & iacuisse in sepulcro ratione corporis; quia anima separata sortitur denominationem hominis iuxta communem vsum loquendi; quod dicitur etiam de corpore separato; dicitur enim: *S. Petrus est in Cælo*; *S. Petrus est in sepulcro*, ratione solius animæ, & corporis separatim. At verò pars integralis non sortitur denominationem totius, quia est pars minùs principalis; quapropter non dicitur: *Manus, vel pes est homo*; & tamen manus, & pes sunt assumpti à Verbo; ergo etiam sanguis, qui est pars corporis organici humani; cùm non sit pars principalis hominis, sicut est corpus & anima (sanguis enim constituit corpus, quod est pars hominis) non prædicatur de Verbo, licèt fuerit assumptus à Verbo. Ad 3. iam dictum est *sup.* Neg. ant; nam in terris non remanserunt, nisi fęces sanguinis. Ad 4. dici potest aliam esse continuationem partium solidarum, quæ immobiliter vniuntur; aliam verò partium fluidarum, quæ mouentur; & ad hanc sufficit, quòd semper aliqua pars disiunctiuè sit connexa; quod videmus in ipso sanguine, quanuis enim sit continuus in se ipso; attamen semper partes mouentur, & modò vna connectitur cum ista, modò cum alia, non tamen ex hoc motu discontinuantur, quia semper manent connexæ vel secundùm hanc partem, vel secundùm aliam. Continuatur ergo sanguis cum carne, quia semper aliqua pars sanguinis vel hæc, vel illa vnitur cum carne, quousque separetur à carne. *Alij* dicunt ad vnionem integralem partium corporis sufficere contiguitatem, hæc enim sufficit ad exercendas suas operationes. *Ita Gibb.* Ad 5. dicitur *S. P. Aug. in illa ep.* noluisse satisfacere curiositati inquirentium, ne causam daret alia sciscitandi; subdidit enim: *Fortassis enim accepta occasione sanguinis, vrgebit nos molestior perscrutator, & dicet: Si sanguis, cur non & pituita? Cur non & fel flauum, & fel nigrum?* Ipse autem detinebatur grauissimis quæstionibus contra hæreticos, & ideo non æquè ferebat distrahi ad istas curiositates. Ex his tamen verbis deducitur docuisse sanguinem fuisse assumptum; nam si sensisset sanguinem non fuisse asſnmptum, respondisset negatiuè, & sic finita esset quæstio etiam de alijs humoribus; at quia affirmatiuè respondere debebat, sic enim solùm dedisset occasionem alia percunctandi; ideo dixit standum esse verbis Christi Domini, & nihil aliud curiosè inquirendum. Ceterùm *alibi* expressè docuit assumptum sanguinem; quia ait assumptum fuisse plenum, perfectumque hominem.

28 Obijc. 2. Verbum assumpsit vnam speciei naturam; sed sanguis non est eiusdem speciei cum carne; ergo idem. 2. Sanguis in pura creaturà subsistit per propriam subsistentiam distinctam à substantia carnis; nam si sanguis separetur à carne, nulla videtur in eo mutatio, ideo existit per eandem subsistentiam, per quam subsi-

subsistebat vnitus; ergo & in Christo; atqui subsistentia, qua in Christo subsistit caro, est subsistentia Verbi; ergo subsistentia, qua subsistit sanguis, est subsistentia creata; & ideo non fuit assumptus ad subsistentiam Diuinam.

Resp. ad 1. dist. ma. Vnam specie naturam totalem, quæ coalescit ex pluribus partibus diuersæ speciei, conc; secus, neg; aliter non assumpsisset ossa, & neruos; imò non assumpsisset corpus, sed animam tantùm, quia corpus genere differt ab anima. Ad 2. neg. ant. Ad prob. insert. dicitur, quòd etiam caro, & ossa separata à corpore non videntur immutata, imò nec etiam corpus separatum ab anima, quia habent accidentia eadem specie, & tamen certum est per separationem immutari.

29 Obijc. 3. *Card. S. Petri ad vinc. Ex Lactantio* ita se habet sanguis ad corpus, sicut oleũ ad lumen, cuius est pabulum; sed oleum nullo modo est pars luminis; ergo nec sanguis. Tum quia vna pars nequit nutriri ex alia parte; ergo idem. 2. Homo potest viuere sine sanguine; nam cùm infans generatur, nullum habet sanguinem; quia sanguis gignitur solùm in hepate, vel in corde per appositionem alimenti, quod in illo instanti generationis nequit fieri, implicat enim, quòd hepar, vel cor in eo instanti, in quo generatur, operetur, *cùm operari sequatur ad esse*; ergo sanguis non est pars hominis. 3. Sanguis est alimentum; sed alimentum debet esse diuersum ab alito; quia idem conuerteretur in se ipsum; ergo idem.

Resp. ad 1. paritatem currere quantùm ad hoc, quòd scilicet sicut ex oleo nutritur lumen, ita ex sanguine nutritur caro; disparitatem tamen esse, quia oleum non fit oleum in lumine per transmutationem substantialem, sicut ex cibo fit sanguis in corpore per trãsmutationem; ideo sanguis est pars corporis, non oleum luminis; omnes autem similitudines habent adiunctas plures dissimilitudines, vt constat; aliter non essent similitudines, sed identitates, si in nullo differrent. Ad aliud dicitur vnam partem non nutriri ex alia simili, bene tamen ex dissimili apta ad nutritionem. Ad 2. neg. ant; nam in eo instanti, in quo introducitur anima in corpus pueri in ventre matris, iam ipsum corpus habet in se sanguinem, & spiritus animales, & vitales, sine quibus nequit viuere, non genitos in corde, vel in hepate infantis, sed matris, & à matre deriuatos in fœtum. Ad 3. dist. ma. Sanguis est alimentum iam transmutatum in partem aliti, conc; non transmutatum, vt cibus, neg. Ad mi. dicitur carnem, & ossa, & neruos esse alita, quæ distinguuntur à sanguine; & totum corpus dici alitum secundùm has partes tantùm, non secundùm sanguinem; & ideo non implicat idem totũ ætherogeneum secundùm diuersas partes dissimiles dici alitum, & alimentum.

30 Obijc. 4. *Gonet* cont. 2. part. concl. Sanguis purè nutrimentalis non est de integritate humanæ naturæ; ergo non est Verbo hipostaticè vnitus. Prob. ant. Quod non est actu, sed tantùm in potentia pars humanitatis, non est de integritate illius; sed sanguis nutrimentalis est huiusmodi, est enim purum alimentum; ergo non est de integritate humanitatis.

Resp. neg. ant. Ad prob. neg. mi; quamuis enim sanguis nutrimentalis sit in potentia ad fieri carnem, ossa &c; attamen est actu pars humanitatis. Ad illud de alimento dictum est *sup.* esse alimentum iam transmutatum ex substantia cibi, & ideo pertinere ad substantiam aliti.

31 Obijc. 5. cont. 3. part. concl. 1. Sanguis extractus in circuncisione amisit vnionem ad Verbum, quia per separationem iam non erat ampliùs pars illius suppositi. Sicut ipsa caro pręputij abscisi, quod reseruatur *in Lat. Basilica*; idem dicitur de sanguine effuso in horto, & de quauis gutta casu extracta à corpore Christi; ergo idem dicendum de sanguine in cruce effuso. Vnio hipostatica tantùm debebatur partibus, quandiu constituebant vnam numero naturam; sed sanguis effusus non constituebat vnã naturam, quia constituebat tantùm, vt vnitus; ergo idem. 3. Sanguis effusus diu mansit pulueri immixtus, coagulatus, & desiccatus; ergo fuit mutatus substantialiter, & ideo non mansit vnitus.

Resp. ad 1. posse idem dici de carne; nam si casu aliqua pars carnis fuisset abscissa, amisisset vnionem; ergo tota caro amisit vnionem; sicut enim à parte sanguinis arguitur ad totum sanguinem, ita à parte carnis ad totam carnem. Dicitur ergo, quòd sicuti partes carnis, quæ per continuam actionem, & repassionem deperditæ sunt, non manserunt vnitæ, quia humanitas in fine vitæ futura erat integra sine illis; at verò partes omnes eiusdem humanitatis in fine vitæ debuerunt remanere vnitæ, quia sine illis humanitas integra non fuisset; hoc enim est de ratione corporis mortalis; ita sine illis guttis sanguinis, quas Christus effudit ante finem vitæ, integra futura erat humanitas, & ideo illæ dimissæ fuerunt à Verbo; at sine illis guttis sanguinis, quas effudit in fine vitæ, integra non fuisset humanitas; & ideo debuerunt remanere vnitę, & reassumi ad corpus. Ratio est; quia etsi ante vitæ finem perdebantur aliquæ guttæ sanguinis, poterant tamen aliæ generari, & subintrare ad constituendam integritatem humanitatis; hoc autem non potuit fieri in fine vitæ, post quem non potuit esse ampliùs nutritio, & generatio noui sanguinis; & ob hanc disparitatem neg. cons. Ad 2. dicitur eodem modo probari corpus separatum, & animam non mansisse vnitam, quia sic separata non constituebant vnam numero naturam, quam solùm constituebant, vt vnita. Neg. ergo ma; nam partes debuerunt

manere vnitæ, quia debuerunt reassumi ad corpus. Ad 3. dicitur illos tres dies non fuisse integros, & ideo non potuisse tam breui tempore corrumpi; vel dicitur præseruatum fuisse *iuxta psal.* 15; *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*.

31 Dices non posse negari aliquas guttas sanguinis in cruce effusi in terris mansisse; nam *Pius II. ad Abbatem S. Mariæ Xantonen. Diœcesis* scribit fidei non repugnare partem aliquam sanguinis in memoriam passionis fuisse in terris relictam; & *Platina* refert *Leonem III. Mantuam* profectum sanguinem illum approbasse; quod confirmat *Baron. anno* 804.

Resp. hoc inquirere, an Christus resurgens reassumpserit totum sanguinem effusum in cruce? *S. Tho. vbi sup. & Quodl.* 5. *art.* 5; *Turrecrem. in cap. innitat dist.* 2. affirmatiuè respondent. *Vasq; Sylu; & Lugo* aiunt negari non posse aliquas particulas sanguinis remansisse in sudario, sindone, spinis, flagellis, cruce &c. Iuxta primam sententiam dici potest illas maculas sanguinis fuisse fœces ipsius deponendas in purificatione ipsius sanguinis, cùm trāsijsset in nutritionem, substantiam verò fuisse reassumptam, vt *sup.* diximus. Iuxta secundam dici potest illas guttas sāguinis, quæ remanserunt, fuisse, quæ debebant deperdi per actionem caloris, si Christus superuixisset, & ideo non fuisse de integritate humanitatis. Vel fuisse illum sanguinem, qui destinatus erat nutritioni Christi superuiuentis; & quia tunc non erat ampliùs necessaria nutritio post mortem, ideo fuisse dimissus, tanquam superfluus humanitati, adeoque verificari totum sanguinem sumpsisse, qui erat de integritate ita tamen, vt fuerit dimissus superfluus in solo instanti reassumptionis illius, qui erat necessarius integritati. *S. Thomam* verò posse explicari, quòd nihil sanguinis Verbo hipostaticè vniti remanserit in terris; sic enim non habetur, nisi ille, qui spiritaliter efficitur à Sacerdote; non verò nihil sanguinis à Verbo dimissi.

33 Sed quæres iterum; an Christus resurgens reassumpserit alios humores?

Resp. *S. P. August. ep.* 146. alios humores ex natura sua vergere ad corruptionem, ideo Christum sine illis resurrexisse, quia incorruptibilis simpliciter resurrexit; adeoque si eos reassumpsit, non reassumpsit illos formaliter secundùm munus, quod habent, sed tantùm materialiter secundùm substantiam præciso munere corruptibilitatis.

34 Obijc. vlt. cont. tres vltimas partes concl. Sequeretur nouam vnionem, & separationem in dies fuisse factam; cùm præcidebantur vngues, cadebant capilli, proijciebatur pituita &c; sed hoc videtur absurdum; ergo idem.

Resp. hoc posse vrgeri de resolutione partium deperditarum vi caloris naturalis, & partium acquisitarum per nutritionem; sicut ergo nullum absurdum est in istis; ita nullum in illis; & sicut istæ resoluebantur non ampliùs reassumendæ, ideo separabantur à Verbo; ita dicendum de istis. Insuper quia illis aliæ succedebant, ideo sine illis erat integrum, & perfectum corpus. Ad id de pituita dicitur non esse propriè pituitam, quæ non proijcitur, sed excrementum pituitæ, sicut saliua, lacrimæ, sudor &c. sunt pura excrementa, & ideo nunquam fuerunt vnita.

ART. VII.

De ordine assumptionis.

1 Quoties plura ordinantur ad vnum, ne detur confusio inter ea, debet dari ordo, qui opponitur confusioni. Postquam itaque explicauimus ea, quæ à *Verbo* fuerunt assumpta, quærendum est de ordine, qui inter illa consistit. Quadrupliciter autem potest considerari ordo. 1. Per respectum ad partes inter se. 2. Per respectum partium ad totum. 3. Per respectum totius ad alia. 4. Per respectum ad tempus. De ordine tertio modo accepto diximus *artic.* 1. §. 1; vbi ostendimus vnionem hipostaticam esse immediatam, ac propterea factam non fuisse mediante gratia habituali. Item de ordine quarto modo locuti sumus *art.* 5. Superest agendum de ordine primo modo; an scilicet Verbum assumpserit carnem mediante anima, & animam mediante spiritu; & secundo modo; an assumpserit totum mediantibus partibus, vel è contra? Quæ breuiter resoluemus, nullum enim patiuntur dissidium *apud Auctores*, nisi fortè circa modum explicandi.

2 Notat *Fund. Doct. hic dist.* 2. *par.* 2. *art.* 1. medium aliud esse necessitatis, aliud congruitatis; siue aliud simpliciter, aliud secundùm quid; aliud secundùm aptitudinem, aliud secundùm actum; aliud secundùm potentiam Dei absolutam, aliud secundùm potentiam ordinariam. Hic non loquimur de medio necessitatis, simpliciter secundùm actum, aut secundùm potentiam absolutam; constat enim carnem in triduo remansisse assumptā separatim ab anima rationali, & de potentia absoluta potuisse Verbum assumere naturam inanimem. Loquimur ergo de medio congruitatis, secundùm quid, seu ex suppositione, quòd assumpserit naturam humanam, & secundùm aptitudinem, & de potentia ordinaria.

3 Vnica concl. Verbum assumpsit de congruo carnem mediante anima, & animam mediante spiritu; & ordine constitutionis, resolutionis, & causalitatis assumpsit totum mediantibus partibus; ordine verò intentionis, perfectionis, & operationis assumpsit partes mediante toto.

toto. *Ita Fund. Doct. vbis. art.1; & 2; Gibb. disput.10; & omnes communiter.*

4 Prob. 1. pars concl. 1. *ex Conc; & SS. PP;* inter quos S. P. *Aug. ep. ad Volus. Ipsa tamen magnitudo virtutis Diuinæ sibi animam rationalem, & per eandem etiam corpus humanum, totumque omnino hominem coaptauit; & lib. 10. de Ciu. Dei c.29. Quid ergo incredibile est, si aliqua vna intellectualis anima modo quodam ineffabili, & singulari pro multorum salute suscepta est; corpus verò animæ cohærere, vt homo totus, & plenus sit? Vid. alios PP. & Conc. apud Vasq.* Ratio est. Illud assumptum est à Verbo mediante alio, quod à Verbo recepit subsistentiam mediante alio; assumptio enim est per ordinem ad subsistendum; sed caro recepit subsistentiam à Verbo mediante anima; nam materia tantùm recipit esse suppositale mediante forma; quia priùs natura debet poni in aliqua specie per formam, quàm ponatur in aliquo supposito illius speciei; sicut enim prius est rem poni in genere, quàm in specie; ita prius est rem poni in specie, quàm in indiuiduo; magis enim vniuersalia dicuntur priora, quàm minùs vniuersalia; & minùs vniuersalia, quàm particularia; ergo caro assumpta fuit mediante anima. 2. Verbum assumpsit carnem viuam, vt docet fides *contra Arrianos* asserentes assumpsisse carnem sine anima; sed caro non viuit, nisi per animam; ergo Verbum assumpsit carnem per animam, seu mediante anima. 3. Illud immediatiùs vnitum est Verbo, quod est Verbo magis propinquum; & illud mediatè vnitur, quod est magis remotum; sed anima est propinquior Verbo, quia spiritualis est, caro autem materialis, & ideo remotior; ergo caro vnita fuit Verbo mediante anima.

5 Prob. 2. pars concl. *ex S. P. Aug. lib. de fide, & Symb. c.2. Cùm homo non distet à pecore, nisi rationali spiritu, qui mens etiam nominatur, quomodò sana est fides, qua creditur, quòd id nostrum susceperit Dei Sapientia, quod habemus commune cum pecore; illud autem non susceperit, quod illustratur luce sapientiæ, & quod hominis proprium est? Idem docet de agone Christ. c.18. Per spiritum animam, & per animam corpus suscipiente; & c.19; & sæpe alibi; & lib. 12. de Gen. ad lit. c. 7.* docet spiritum posse sumi. 1. pro corpore spiritali, quod habebimus post resurrectionem. 2. pro corpore subtili, vt sunt spiritus vitales existentes in corde, qui pulsant, & mouent omnia membra; & spiritus sensitiui existentes in cerebro, qui specialiter ad sentiendum inseruiunt; & spiritus nutritiui existentes in hepate, qui nutritionem operantur; & spiritus generatiui existentes in semine, qui generationi deseruiunt. 3. pro quacunque anima siue sensitiua, siue rationali. 4. pro virtute imaginatiua; vt 1. *Cor. 14. Spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est;* vbi *Glos.* ait nomine spiritus significari imaginatiuam. 5. pro mente; vt *Ephes. 4. Renouamini autem spiritu mentis vestræ.* 6. pro ipso Deo; vt *Io. 10. Spiritus enim est Deus. Hic* autem sumit spiritum pro mente, vt patet *ex allatis textibus.* Arguitur autem sic. Docet fides *contra Apollinarem* Verbum assumpsisse animam habentem mentem; ergo assumpsit animam mediante spiritu, seu mente; quia ordine naturæ priùs vnita fuit anima menti, quàm Verbo; aliter pro illo priori Verbum non assumpsisset animam habentem mentem, sed sine mente. 2. Assumere animam mediante spiritu est assumere animam simul cum mente ita, vt priùs natura sit anima, quæ est prior suis proprietatibus, & postea mens, & tandem vnio ad Verbum; sicut assumere carnem mediante anima est priùs natura esse carnem in genere causæ materialis, deinde animam, & postea assumptio; sed Verbum assumpsit animam cum mente; ergo assumpsit animam mediante spiritu.

6 Collig. ex his *cont. Sua; Cabr; & Tann. apud Gibb.* carnem priùs natura vnitam fuisse animæ, & animam menti, quàm Verbo; quia caro non fuit vnita Verbo, nisi mediante anima, & anima mediante mente, & vnum extremum priùs vnitur medio, quàm alteri extremo; vt patet.

7 Prob. 3. pars concl. Illud priùs natura est assumptum, quod prioritate naturæ aliud præcedit; sed partes præcedunt totum ordine constitutionis; quia constituentia sunt priora constituto, cùm illius sint causæ; & ordine resolutionis, quia totum resoluitur in partes, sicut conclusiones in principia; & ordine causalitatis, quia partes sunt causa totius; ipsum autem totum præcedit partes ordine perfectionis, quia totum, & perfectum idem est; & ordine intentionis, quia priùs intenditur id, quod perfectius est; & ordine operationis, quia operationes attribuuntur toti, non partibus; ait enim *Phil. 1. de an. Anima non intelligit, sed homo per animam;* ergo partes ordine constitutionis, resolutionis, & causalitatis priùs fuerunt assumptæ, quàm totum; & totum ordine perfectionis, intentionis, & operationis priùs, quàm partes. Atqui illud, quòd priùs assumitur, est medium ad assumendum posterius; ergo ordine constitutionis, resolutionis, & causalitatis totum fuit assumptum mediantibus partibus; ordine verò perfectionis, intentionis, & operationis partes mediante toto.

8 Obijc. 1. Si caro vniretur Verbo mediante anima, non esset Verbo immediatè vnita; sed cons. est falsum; aliter in triduo caro non remansisset vnita Verbo; ergo & ant. 2. Si caro esset priùs vnita animæ, quàm Verbo, in illo priori resultasset persona humana, quæ resultat ex carne, & anima; sed hoc est falsum; ergo & illud.

Resp. ad 1. neg. mi. Ad prob. insert. neg. assumpt; nam tale medium est solùm congrui-

tatis, non necessitatis; sicut enim congruum est mulierem pulcram eligi in matrimonium Regis; si tamen turpis fieret, non solueretur matrimonium; ita à pari. Ad 2. neg. ma; nam prioritas naturæ stat sine existentia, & subsistentia; materia enim dicitur prior forma; & tamen nec existit, nec subsistit pro illo priori; nam existentiæ prioritas sumitur secundùm durationem; quæ est prioritas temporis, non naturæ.

9 Quæres; an anima priùs natura vnita fuerit Verbo, quàm carni?

Resp. *Gibb.* affirmatiuè; aliter in illo priori naturæ fuisset affecta propria subsistentia. Sed hoc est falsum, vt diximus de materia. Resp. ergo priùs vnitam fuisse carni in ratione formæ quia Verbum asumpsit animam in carne; priùs verò fuisse vnitam Verbo in ratione subsistentiæ, quam non habuit, nisi à Verbo.

QVÆST. VI.

De prædestinatione, & filiatione Christi.

ISSOLVTIS quæstionibus, quæ circa substantiam mysterij incarnationis controuertuntur, ad eas declarandas, quæ spectant ad eius attributa, seu proprietates, progredimur. Quoniam autem prædestinatio pertinet ad causam finalem, quæ est prima inter causas extrinsecas, de ipsa primo loco est agendum.

ART. I.

An Christus sit prædestinatus ad filiationem Dei naturalem?

1 DVbitandi occasio sumpta est ex *Apost. Rom.* 1. docente: *De Filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis &c;* idêst Filius Dei, prout est homo, quia prout *factus est ex semine Dauid*, est homo; nam prout Deus, non est factus *iuxta Symb. D. Athan. Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus;* prædestinatus fuit ad filiationem Dei, non adoptiuam, sed naturalem; quia *prædestinatus est in virtute*, seu potentia æquali cum Patre; & per consequens in eadem natura, quæ est idem, ac Patris potentia; adeoque Christus, vt homo, prædestinatus fuit, vt per vnionem ad personam Filij, cui naturaliter competit natura Diuina, esset Filius Dei naturalis. Hinc ortum est dubium, quomodò Christus possit dici prædestinatus ad filiationem Dei naturalem, constat enim, quòd illud, quod prædestinatur, debet esse separatum ab eo, ad quod prædestinatur; nam prædestinatio est directio, seu transmissio alicuius in vltimum finem, in quem dirigi, aut transmitti non posset, nisi ab eo distaret, & esset separatum; vt constat de sagitta, quæ non distaret à scopo, sed illi esset vnita; & si scopus sagittæ esset pars, non posset dirigi, & destinari in scopum, aliter idem dirigeretur in se ipsum. Ob hanc rationem Deus est omnium prædestinator, quia dirigit omnes creaturas intellectuales in se ipsum; attamen nequit esse prædestinatus, quia ipse nequit dirigi in se ipsum à se ipso. Nec dici potest, quòd *Aposto.* loquatur de prædestinatione solius naturæ humanæ, quæ realiter distat à Filio Dei, adeoque potest ad vnionem cum illo destinari; nam *Apost.* loquitur expresè de Christo, qui est quid complexum ex Filio Dei, & natura humana, adeoque importat vnionem naturæ humanę cum Filio Dei; tum quia Christus, vt homo, includit suppositum Filij, & naturam, vt diximus *in sup. q;* ineptè autem diceremus rem includentem terminum ordinari, & dirigi in terminum. Hoc est, quod dicunt *Auctores*, quòd subiectum prædestinatum debet esse distinctum, & separatum à termino; vnde cùm terminus prædestinationis Christi sit filiatio naturalis Dei; & subiectum, nempe Christus, includat, & inuoluat filiationem Dei naturalem, videtur ineptè dici Christum prædestinatum fuisse ad filiationem Dei naturalem. Quare.

2 Prima sententia vult Christi prædestinationem ordinatam fuisse ad declarationem, seu manifestationem filiationis Dei, non verò ad ipsam filiationem. *Ita aliqui à D. Tho.* suppresso nomine allati.

Sed hæc sententia reijcitur. 1. Ex eo, quòd Christus Dominus clarificauerit, & manifestauerit nomen Patris hominibus; vt *Io.* 17. *Ego te clarificaui super terram &c. Manifestaui nomen tuum hominibus;* non dicitur Pater prædestinatus; ergo prædestinatio non consistit in clarificatione, seu declaratione, & manifestatione filiationis, aliter ob eandem rationem deberet etiam consistere in declaratione, & manifestatione paternitatis. 2. Prædestinatio est per ordinem ad gloriam essentialem, definitur enim *præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro;* sed declaratio, & manifestatio filiationis non est gloria essentialis Christi, sed accidentalis, quia est purè externa; ergo idem. 3. Prædestinatio est

eſt per ordinem ad aliquod æternum ſimpliciter increatum; ſed declaratio eſt manifeſtatio eſt facta in tempore; ergo idem. 4. Prædeſtinatio eſt gratia facta prædeſtinato per ordinem ad vitam æternam eiuſdem; ſed declaratio, & manifeſtatio filiationis nõ eſt huiuſmodi; quia Chriſtus adhuc ſine hac declaratione, & manifeſtatione habuiſſet vitam æternam; ergo idem.

3 Secunda vult Chriſti prædeſtinationem fuiſſe ordinatam ad virtutem miraculorum; ait enim *Apoſt. in virtute. Ita Caiet. hic q. 24. art. 1.*

Sed hæc quoque improbatur iiſdem rationibus. 1. Ex eo, quòd multi ſancti ordinati fuerint ad virtutem miraculorum, non dicuntur prædeſtinati; quia multi habentes gratiam miraculorum damnati ſunt; ergo nec ex eo, quòd Chriſtus Dominus ordinatus fuerit ad virtutem miraculorum, dicendus eſt prædeſtinatus. 2. Prædeſtinatio eſt per ordinem ad gloriam eſſentialem; ergo idem; & ſic de alijs. Additur. Noſtra prædeſtinatiò non eſt ordinatio ad virtutem miraculorum; ergo nec prædeſtinatio Chriſti Domini; nam prædeſtinatio noſtra eſt conformis prædeſtinationi Chriſti Domini; vt docet *Apoſt. Rom.* 8; vbi loquens de hominibus prædeſtinatis ait: *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui*; ſuper quod *S.P. Aug. de dono perſeu. c.* 14. ait: *Nullum illuſtrius noſtræ prædeſtinationis exemplar, quàm Mediator Dei, & hominum Chriſtus Ieſus*; imago autem debet eſſe ſimilis prototypo, & exemplar exemplato.

4 Tertia vult prædeſtinationem Chriſti ordinatam fuiſſe primariò ad gloriam animæ, & ſecundariò ad filiationem Dei naturalem. Tribuitur *Altiſiodor; Dur; Scot; Lorc; & alijs.*

Sed hæc ſententia diſcedit à verbis *Apoſtoli* docentis Chriſtum prædeſtinatum fuiſſe Filium Dei; anima autem nõ eſt Filius Dei; quia Filius Dei dicit ſuppoſitum Diuinum, quod nõ importat anima; ergo eſt abijcienda. 2. Quod habet rationem vltimi finis, nequit eſſe ſecundariò intentum; nam *quod eſt vltimum in executione, eſt primum in intentione*; repugnat autem primum in intentione eſſe ſecundariò intẽtum, quia primum in intentione eſt primariò intentum, & implicat primariò intentum eſſe ſecundariò intentum; quod autem habet rationem vltimi finis, eſt vltimum in executione; aliter non eſſet finis vltimus, quia non terminaret vltimò executionem; ideo quod habet rationem vltimi finis, nequit eſſe ſecundariò intentum; ſed filiatio Dei naturalis habet rationem vltimi finis; aliter haberet rationem medij ad vltimum finem, & ſic eſſet creatura, quę ſola habet rationem medij ad Deum, qui ſolus eſt vltimus finis creaturæ; ergo filiatio Dei nequit eſſe ſecundariò intenta. 3. *Cum Beatiſs. P. Aug. lib. 1. de lib. arb. c.* 9. Præponere nobiliori ignobilius eſt peruerſa ordinatio; ſed gloria animæ Chriſti eſt ignobilior filiatione Dei naturali; quia gloria animæ Chriſti conſiſtit in actu viſionis, & amoris beatifici, qui eſt aliquod creatum, filiatio autem Dei naturalis eſt quid increatum; increatum autem eſt nobilius ſimpliciter creato; ergo præponere gloriam animę Chriſti filiationi Dei naturali eſt peruerſa ordinatio; quæ Deo repugnat. Atqui intendere primariò gloriam animæ Chriſti, & filiationem Dei naturalem ſecundariò eſt præponere gloriam animæ Chriſti filiationi Dei naturali; quia primariò intentum præponitur ſecundariò intento; primarium enim priùs ponitur in intentione, quàm ſecundarium, vt conſtat; ergo intendere primariò gloriam animæ Chriſti, & ſecundariò filiationem Dei naturalem eſt peruerſa ordinatio, quæ Deo repugnat.

5 Noſtra tandem ſententia docet Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum ad filiationem Dei naturalem, vt ad finem vltimum primariò intentum. *Ita Fund. Doct. hic diſt. 7. p. 2. q. 1. art. 1; & diſt. 10. p. 3. q. 1. art. 2; Gibb; & communiter noſtra Schola.* Idem docet *D. Tho. cum omnibus Thomiſtis teſte Gonet hic diſp. 24. art. 1; Vaſq; Sua; Val; Lugo, & alijs.*

6 Sed quanuis *iſti Auctores* concordent in concedendo filiationem Dei naturalem eſſe terminum *ad quem*, ſeu vt loquitur *Fund. Doct. in hac diſt. 7. vbi ſ. art. 3. §. His itaque iuxta Grammaticos*, appoſitum prędeſtinationis Chriſti; maxima tamen diſcordia eſt inter eos in aſſignando ſubiecto, ſeu ſuppoſito, quod ad filiationem Dei fuit prædeſtinatum.

7 *Caiet. vbi ſ.* ait ſubiectum prædeſtinatum ad filiationem Dei naturalem eſſe Verbum incarnatum in communi, prout abſtrahit à Verbo incarnato per vnionem veram ſubſtantialem hipoſtaticam, & à Verbo incarnato per vnionem accidentalem per affectum, & per gratiam; incarnatum autem, *vt ſic*, præciſiuè ſumptum non includit filiationem Dei naturalem, & ideo ad illam rectè dicitur prædeſtinari.

At hoc reijcitur. 1. Ille, qui prædeſtinatus eſt, eſt hic Chriſtus, *qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem*; vt docet *Apoſt. vbi ſ*; ſed hic Chriſtus non eſt Verbum incarnatum, *vt ſic*, prout præſcindit ab hac incarnatione, quę eſt vera; & ab incarnatione, quam admittebat *Neſtorius cum alijs*, quę eſt falſa; ergo ille, qui eſt ſubiectum prædeſtinationis, non eſt Verbum incarnatum, *vt ſic*. 2. Prædeſtinatio eſt prouidentia ſpecialis, quæ reſpicit ſingularia; ergo ſubiectum illius nequit eſſe quid vniuerſale. 3. Prædeſtinatio eſt gratia facta ſubiecto; ſed ſubiectum non eſſet hic Chriſtus in particulari; ergo non eſſet gratia facta huic Chriſto in particulari. 4. Subiectum prædeſtinationis puræ creaturæ eſt perſona particularis in indiuiduo, quia talis, & non alia perſona conſequitur gloriam in tempore; aliter prædeſtinaretur homo, *vt ſic*, homo

homo autem, *vt sic*, præscindendo à tali persona non consequitur gloriam; & sic prædestinatio non impleretur; sed etiam Christus in particulari consecutus est suam prædestinationem; ergo idem.

8 *Med;* & *Aluar;* volunt subiectum prædestinationis Christi esse Christum apprehensum à Deo, vt possibilem, non vt existentem.

At *hic* inquiritur, quid importet hoc nomen Christus, quod ponitur in hac propositione: *Christus prædestinatus fuit ad filiationem Dei naturalem*; siue hoc nomen concipiatur in esse possibili, siue in esse futuro, siue in esse actualis existentiæ; an scilicet importet suppositum Verbi Diuini, quod constituitur per filiationem; sic enim videtur non posse destinari ad filiationem, quia idem destinaretur ad se ipsum; & idem esset subiectum, & terminus prædestinationis. Ad hoc *hi Auctores* non respondent, ideo inutiliter omnino loquuntur.

9 *Sua. hic disp.50. sect.2; Lug. disp.32. sect.2. nu.11;* & *alij apud Gibb.* volunt subiectum prædestinationis Christi esse hunc hominem, quatenus dicit determinatam naturam humanam, & hanc, vel illam personalitatem vagè, Diuinam scilicet, vel humanam.

At hoc etiam improb. iisdem rationibus, quibus reiecta est *Caiet.* sententia; nam *Apost.* loquitur de illo subiecto, quod *factum est ex semine Dauid secundùm carnem*; illud autem procul dubio est suppositum Verbi Diuini determinatè, non vagè vel Diuinum, vel humanum; ergo hæc sententia discordat à verbis *Apostoli*; & sic de alijs rationibus, quæ probant prædestinatum fuisse hoc subiectum nedum in particulari, sed etiam determinatè. Tum quia implicat, quòd detur natura determinata, & illius suppositum non sit determinatum; natura enim determinatur per suppositum, per quod contrahitur; sicut genus determinatur per speciem; implicat autem, quòd aliquod indeterminatum determinet; ergo hæc sententia implicat in terminis.

10 *Vasq. hic disp.90. c.4.* ait hoc subiectum esse solam humanitatem præcisè, quæ distinguitur realiter à persona Verbi.

At hoc refellitur *à D. Tho. hic art. 1. ad 2.* Illud est subiectum prædestinationis, quod factum est Filius Dei, & potest denominari Dei Filius; ait enim *Apost.* loquens de eo: *Qui prædestinatus est Filius Dei*; sed natura humana non est facta Filius Dei; nec potest Dei Filius denominari; ergo subiectum prædestinatum ad filiationem Dei non est sola natura humana præcisè.

11 *Alij* suppresso nomine relati *ab Asturicen. apud Gonet* distinguunt in personalitate Christi duas rationes, nempe filiationis, & subsistentiæ; & asserunt subsistentiam priùs vniri humanitati, quam reddit subsistentem, & sic esse subiectum prædestinatum ad rationem filiationis.

At hoc reijcitur. 1. Subsistentia Verbi præcisa relatione filiationis est absoluta, & communis tribus personis, vt diximus *in sup. q. art.4*; ergo illud subiectum prædestinatum non esset Christus, quia Christus dicit personam Verbi, & naturam humanam; non autem dicit Deitatem, vt communem tribus personis, & naturam humanam. 2. Illud, quod est prædestinatum ad filiationem Dei, *ex Apost.* est, quod est *factum ex semine Dauid secundùm carnem*; sed hoc est persona Verbi, quæ est formaliter Filius Dei; non autem subsistens Diuinum, seu Deus subsistens præscindens à persona Filij; ergo idem. *Vid. rationes contra Caiet. allatas.*

12 *Cornelius à Lapide in c.1. ad Rom.* ait hoc subiectum esse hunc hominem, prout dicit concretum ex existentia, & humanitate, non autem prout dicit concretum ex subsistentia Verbi, & humanitate.

At hoc etiam exorbitat à verbis *Apost*; ille enim, *qui factus est ex semine Dauid secundùm carnem*, est Verbum subsistens in natura Diuina, vt docet fides; ergo idem. 2. Vel nomine *existentiæ* intelligitur existentia creata; vel Diuina? Non primum; quia existentia creata non datur in Christo, vt diximus *in sup. q*; tum quia etiam admissa adhuc non esset hic homo, qui est prædestinatus, quia non esset suppositum. Non secundum; vt diximus de subsistentia præcisa relatione filiationis.

13 Nos tandem *cum Fund. Doct. hic ad 1;* & *3; D. Tho. vbiq; Gibb;* & *omnibus Thomistis*; asserentibus subiectum esse subsistens in natura humana, qui à nobis non discrepant, nisi vocibus; dicimus subiectum prædestinationis Christi esse personalitatem Verbi Diuini, quatenus gerit vicem personalitatis humanæ creatæ, seu esse suppositum Verbi, prout terminat naturam humanam; & sic esse prædestinatum ad idem suppositum, prout terminat naturam Diuinam, secundùm quam rationem solùm habet rationem Filij; nam Filius formaliter constituitur ex eo, quòd ei vi suæ processionis formaliter communicetur natura Diuina; vt diximus *to.2. de Trin. q. 3. art. 10; pro cuius resol.*

14 Notanda est regula de modo loquendi in hoc sacrosancto Mysterio, quam tradidimus *q. 1. art.1. n.3. ex S.P. Aug. serm.58. de Verbis Domini: Licèt vnam personam in Christo credamus, duas tamen substantias, idest naturas fatemur; Diuinitatis scilicet, & humanitatis; assumptricis, & assumptæ, creatricis, & creatæ, quæ tamen substantiæ non sunt confusæ, sed vnitæ: atque in vna, eademque persona inseparabiles, & in sua semper proprietate manentes. Quapropter vnicuique substantiæ propria vtique aptanda sunt; idest infirmitates humanitati, quæ creata est; signa verò, & mirabilia Diuinitati, quæ creauit.* Ex quibus verbis colligitur, quòd natura humana est ratio formalis, ob quam dicuntur de supposito Verbi ea, quæ dicuntur de suppo-

ſuppoſito creato; quia ſuppoſitum Verbi non ſuppoſitat naturam humanam, niſi quatenus gerit vicem ſuppoſiti creati, & prout gerit hanc vicem, ſubit denominationes, quæ competunt ſuppoſito creato; propterea dicitur ſuppoſitum Verbi natum, paſſum, crucifixum, meruiſſe, ſatisfeciſſe &c; quæ non poſſunt competere ſuppoſito Verbi, niſi ratione humanitatis, in qua ſolùm potuit temporaliter naſci, pati, crucifigi, mereri, ſatisfacere &c; ſicut ratione naturæ Diuinæ dicitur æternaliter naſci, eſſe ſimpliciter impaſſibile, præmium tribuere, ſatisfactionem recipere &c. ita, vt idem ſuppoſitum, prout terminat has duas naturas, habeat has denominationes oppoſitas. Ita loquendum in caſu, quòd idem ſuppoſitum Verbi Diuini, prout terminat naturam humanam, ſit prædeſtinatum; & prout terminat naturam Diuinam, ſit prædeſtinans; non enim minorem, ſed maiorem infirmitatem propriam ſoli creaturæ ſonat pati, crucifigi, mereri, ſatisfacere &c; quàm prædeſtinari; ideo ſi ratione naturæ humanæ illa dicuntur de ſuppoſito Verbi Diuini, etiam iſtud à fortiori eſt dicendum.

15 Vnica concl. Suppoſitum Verbi, prout gerit vicem ſuppoſiti creati terminando naturam humanam in Chriſto, eſt ſubiectum prædeſtinatum ad filiationem Dei naturalem.

Prob. 1. vtraq; pars concl. 1. *ex Apoſt. vbi ſ.* Ille, qui factus eſt *ex ſemine Dauid ſecundùm carnem, prædeſtinatus eſt Filius Dei*, idèſt ad filiationem Dei naturalem; idem enim ſonat *prædeſtinatus eſt Filius Dei, ac prædeſtinatus eſt ad filiationem Dei*; ſicuti idem ſonat prædeſtinatus eſt beatus, ac ad beatitudinem; ſed ſuppoſitum Verbi, prout gerit vices ſuppoſiti humani, *factum eſt ex ſemine Dauid ſecundùm carnem*: habetur enim nedum *in hoc textu*, ſed etiam *Io. 1. Verbum caro factum eſt*; Verbum autem dicit ſuppoſitum eo modo, quo dicit Filius; ergo ſuppoſitum Verbi, prout gerit vices ſuppoſiti humani, prædeſtinatum eſt ad filiationem Dei naturalem. Ma; & mi. ſunt in terminis *ipſius Apoſtoli*, & conſeq. optimè infertur.

16 Deinde prob. 1. pars. Non minùs diſtinguuntur, & opponũtur inter ſe facere, & fieri; ſatisfacere, & ſatisfieri, quàm prædeſtinare, & prædeſtinari; ſicut enim facere independenter ab alio operante, & ſatisfieri pro offenſa peccati eſt proprium ſolius Dei; & fieri, ac ſatisfacere eſt proprium ſolius creaturæ; ita prædeſtinare eſt proprium ſolius Dei, & prędeſtinari proprium ſolius creaturæ; & non minùs repugnat idem facere ſe ipſum, & fieri à ſe ipſo; ac ſatiſfacere ſibi ipſi, & ſibi ſatisfieri à ſe ipſo; quàm prædeſtinare ſe ipſum, & prædeſtinari à ſe ipſo; eodem enim modo hæc important identitatem principij, ſubiecti, & termini; ſed hoc non obſtante ſuppoſitum Verbi, quatenus gerit vices ſuppoſiti humani, dicitur fieri; *Verbum* enim *caro factum eſt*; & quatenus terminat naturam Diuinam, dicitur facere; *Omnia per ipſum facta ſunt*: & ſic quatenus terminat naturam Diuinam, dicitur perſona læſa, & ei ſatisfieri; & quatenus gerit vices ſuppoſiti humani terminando naturam humanam, dicitur ſatisfacere; ergo ſuppoſitum Verbi, quatenus terminat naturam Diuinam, rectè dicitur prædeſtinare; & quatenus gerit vices ſuppoſiti humani terminando naturam humanam, rectè dicitur prædeſtinari; & ideo nõ obſtante identitate ſuppoſiti, prout terminat naturam Diuinam, poteſt eſſe ſubiectum huius propoſitionis: *Verbum prædeſtinat*; & prout terminat naturam hnmanam, poteſt eſſe ſubiectum huius propoſitionis: *Chriſtus prædeſtinatur*.

17 Reſp; *Vaſq. SS. PP. Græcos Chriſoſt; Oecumen; Orig; Theod.* loco *prædeſtinatus* legere *declaratus*; ergo ex auctoritate *Apoſtoli* non deducitur arg. efficax pro noſtra ſententia. 2. Illud participium *prædeſtinatus* refertur nedum ad Filium Dei, ſed etiam ad ea, quæ ſequuntur; & ideo facit ſenſum Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum, vt eſſet Filius Dei cum potentia, & virtute ad ſanctificandas animas, ad ſuſcitandos mortuos, ad patranda alia miracula. Ob hoc addit *Toletus* ſignificari ſolum Chriſtum inter alios ſanctos, qui ſunt filij Dei adoptiui, eſſe Filium naturalem; ergo nihil ex hoc concluditur.

Reſp. ad 1. *verſionem Græcam* habere: *Illo definito Filio Dei in virtute*; definire autem eſt deducere ad aliquem finem, quod eſt idem, ac deſtinare. Præterea *S. Irenæus lib. 3. c. 32; Hilar. lib. 7. de Trin; Epiphan. hær. 54; Athan. lib. 3. de aſſumpt. hominis, Ambr; & Aug; lib. de prædeſt. SS. c. 15.* vertunt *prædeſtinatus*, non *declaratus*. Hinc *D. Dion. de Diuinis Nom. c. 5.* ait, quòd licèt Verbum *Orizin* apud prophanos ſignificet declarare, *in Scriptura* tamen ſignificat *definire, conſtituere, & prædeſtinare*. Imò *Chriſoſt; & alij* ſcribunt *Oriſthendos*, quod vertitur *deſtinatus eſt*. Et licèt *verſio Siriaca* habeat: *Agnitus eſt filius Dei*; de hac tamen non eſt curandum, quia ſumpta eſt ex *verſione Græca*; tum quia *verſio Arabica* habet: *Filio Dei deſtinato*; & ferè omnes *SS. PP.* etiam *Græci* habent: *Prædeſtinatus*; habent enim: *Proориſthendos*. Ex hoc infert *Cornelius à Lapide Vaſquem* non ſequi *SS. PP.* & hoc eſſe violenter torquere verbum latinum *prædeſtinatus* ad verbum *præmonſtratus*. Ad 2. dicitur potentiam, & virtutem ſanctificandi animas, & patrandi miracula ſequi ex prædeſtinatione, tanquam effectus illius; ideoque facit ſenſum Chriſtum, quia prædeſtinatus eſt Filius Dei naturalis, habuiſſe potentiam, virtutem &c.

18 Item *S. P. Aug. tract. 105. in Io. c. 17.* inquit: *Quaſi verò quiſque regulam fidei fideliter tuens Filium Dei negaturus eſt prædeſtinatum, qui eum negare hominem non poteſt. Rectè quippe dicitur non prædeſtinatus ſecũdùm id, quod eſt Verbum, Deus*

Deus apud Deum; vt quid enim prædestinaretur, cùm iam esset, quod erat sine initio, sine termino sempiternus? Illud enim prædestinatum erat, quod nondum erat, vt sic suo tempore fieret, quemadmodum ante omnia tempora prædestinatum erat, vt fieret. Quisquis igitur Dei Filium prædestinatum negat, hunc eundem Filium hominis negat; & postquam attulit *hunc eundem textum Apost. Roman.*1. ad ostendendum Filium Dei esse prędestinatum, affert *textum Io. vbis. Clarifica me Pater apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam Mundus fieret*; quem locum sic exponit: *Illam claritatem, quàm habui apud te in prædestinatione tua, iam tempus est, vt apud te habeam etiam viuens in dextera tua*. Quibus verbis conuincitur *Vasq.* dicens *S. Patrem* loqui de homine in concreto pro abstracto, atque adeo intelligendum esse solam naturam humanam fuisse prædestinatam. Conuincitur, inquam, manifestè; nam *hìc* docet Filium Dei fuisse prædestinatum, quomodò loquitur etiam *Apost*; sed Filius Dei nequit sumi pro sola natura humana in abstracto, ipsa enim non est Filius Dei in recto; ergo loquitur de ipsa persona Filij, prout terminat naturam humanam; sic enim est Filius Dei. Formatur autem sic eius ratio. Negare Filium Dei factum esse in tempore filium hominis est contra fidem; sed negare Filium Dei esse prædestinatum est negare Filium Dei factum esse in tempore filium hominis; ergo negare Filium Dei esse prædestinatum est contra fidem. Ma. claret; habetur enim clarissimè *Io.*1. *Verbū caro factum*; *& in Symb. Nic. Et homo factus est*; *& ad Gal.* 4. *Cùm venit plenitudo temporis &c*; *& Matth.* 26. *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Cui respondit *Petrus*: *Tu es Christus Filius Dei viui*. Prob. mi. Illud, quod est factum in tempore, est prædestinatum ab æterno; quod enim à Deo fit, à Deo ordinatum est ab æterno, vt fieret; quia Deus æquè est Creator, & prouisor omnium rerum; & ex alia parte Deus nequit velle in tempore, quod ab æterno nolebat; ergo esse factum in tempore, & esse ordinatum ab æterno, vt fieret; dicuntur ad conuertentiam; atqui negare vnum ex ijs, quæ dicuntur ad conuertentiam, est negare etiam aliud; vt negare animal rationale est negare hominem, & è contra; ergo negare Filium Dei esse prædestinatum ab æterno est negare ipsum esse factum in tempore; & per consequens, qui negat Filium Dei esse prædestinatum, negat etiam ipsum esse factum in tempore.

19 Idem docet *de præd. SS. c.*15. *Prædestinatus ergo Iesus, vt qui futurus erat secundùm carnem Filius Dauid, esset tamen in virtute Filius Dei*; quibus verbis clarè tradit vtranque partem conclusionis; primam quidem illis verbis *Prædestinatus ergo Iesus*; *Iesus* enim non importat solam naturam humanam, sed complexum ex persona Verbi, & natura humana; ergo illud, quod est prædestinatum, seu subiectum prædestinationis non est sola natura humana, aut aliquid aliud à supposito Verbi Diuini, sed est ipsum suppositum Diuinum, prout terminat naturam humanam; & per consequens prout gerit vicem suppositi humani. Secundam verò tradit verbis sequentibus: *Vt qui futurus erat secundùm carnem filius Dauid, esset tamen in virtute Filius Dei*; illa nanque particula *vt* designat terminum formalem prædestinationis, quem dicit esse filiationem Dei naturalem; sicut cùm dicitur, quòd *Deus prædestinauit nos, vt consequamur gloriam*; illa particula *vt* appellat terminum nostræ prædestinationis, qui est gloria.

20 Deinde prob. hæc 1. pars rationibus, quibus impugnatæ sunt aliorum sententiæ.

21 Tandem prob. De ratione subiecti prædestinationis est, quòd non includat in suo conceptu formalissimo terminum prædestinationis, qui propterea dicitur *appositus*, seu *adiectus* subiecto; & quòd aliquo modo præcedat terminum; & quòd sit gratia facta subiecto; & ideo sit antecedēter ad omnia merita; & quòd fiat in tempore id, quod præordinatum est ab æterno; vt colligitur *ex Fund. Doct. dist.*7. *vbis. art.*1; 2; *&* 3; sed suppositū Verbi, prout terminat naturam humanam, & prout gerit vicem suppositi humani, non includit in suo conceptu formalissimo filiationem Dei naturalem, quia suppositum humanum formaliter, vt tale, non est filius Dei naturalis, & ideo nec suppositum Diuinum, prout gerit vicem suppositi humani, talem denominationem potest habere; quia prout gerit vicem suppositi humani, nequit accipere, nisi denominationes, quæ competunt supposito humano; & ideo prout gerit vicem suppositi humani, nequit formaliter denominari Filius Dei, sed tantùm materialiter, & identicè, quatenus scilicet idem suppositum Diuinum, quod terminat naturam humanam, terminat etiam naturam Diuinam; item natura humana prius ratione vnitur supposito Diuino, quàm vniatur naturæ Diuinæ, vt terminatæ per filiationem Diuinam, quia natura humana non vnitur naturæ Diuinæ, nisi mediante suppositalitate Diuina; & ideo complexum ex suppositalitate Verbi, & ex natura humana aliquo modo præcedit vnionem ad filiationem; item nulla præcesserunt merita in Christo, vt esset Filius Dei, ideo filiatio Dei est ei merè gratuitò concessa; tandem in tempore factum est, quod ordinatum fuit ab æterno; ergo suppositum Verbi, prout gerit vicem suppositi creati, est subiectum prædestinationis ad filiationem; & per hoc prob. etiam 2. pars concl.

22 Prob. vlteriùs sola 2. pars concl. *auctoritatibus*, & rationibus adductis; ratio enim principalis, ob quam *Aduersarij* negant filiationem Dei naturalem esse terminum formalem prædestinationis, est, quia putant idem suppositum non

non posse simul esse subiectum, & terminum; sed hoc licèt verificetur de subiecto simplici determinato, finito, & limitato, vt est suppositum creatum; attamen falsum est de supposito Diuino, quod, cùm sit infinitum simpliciter, habet eminenter continere omnia supposita, & ideo secundùm vnam rationem potest esse subiectum ordinatum ad aliud, tanquam ad terminum; ergo filiatio Dei naturalis potest esse terminus formalis prædestinationis Christi. 2. Ex eo, quòd puræ creaturæ immediatè vniantur Deo in esse intelligibili per visionem, & amorem beatificum, Deus est terminus formalis prædestinationis illorum; ergo ex eo, quòd Christus immediatè vniatur filiationi Dei naturali per vnionem hipostaticam, quæ est maior vnione intelligibili, filiatio Dei naturalis est terminus formalis prædestinationis Christi. 3. Id, quod est primariò intentum in glorificatione Christi est terminus formalis prædestinationis illius; nam obiectum, seu terminus formalis nedum est immediatus, sed etiam primarius, vt constat in alijs omnibus ordinatis ad suum specificatiuum, cuiusmodi sunt potentiæ, & habitus; terminus enim formalis se habet, vt forma, quæ est primus actus, & immediatus, à quo specificatur potentia passiua; sed filiatio Dei naturalis est primò intenta in prædestinatione Christi, vt docet *Apost*; *Qui prædestinatus est Filius Dei*; & ratio est; quia filiatio Dei naturalis est illud, quod est excellentissimum, & perfectissimum in Christo, quia est quid Diuinum per essentiam; illud autem, quod est excellentissimum, & perfectissimum, est intentum primariò, & ratione ipsius omnia alia intenduntur; quia intendere primariò minùs excellens, & secundariò excellentissimum est peruersa ordinatio, præfertur enim minùs dignum dignissimo; ergo filiatio Dei naturalis est terminus formalis prædestinationis Christi Domini. 4. Ille est terminus formalis prædestinationis Christi, quo magis clarificatus est Christus; clarificatio enim idem est, ac glorificatio; sed Christus clarificatus est per filiationem Dei; & ista clarificatio Mundo innotuit, cùm declaratus fuit Filius Dei; vt habet *Io. vbi s*; ergo idem. 5. Si non esset terminus formalis, maximè, quia includitur in subiecto, quod est Christus; sed hoc est falsum; vt *sup.* diximus; ergo idem. Tandem prob. reijciendo alias sententias, vt *sup.* dictum est.

23 Obijc. 1. *Dur.* Subiectum prædestinatum debet præcedere vel tempore, vel natura id, ad quod prædestinatur; & debet ad illud ordinari, tanquam ad meram gratiam, & beneficium; quia prædestinatio est *præparatio beneficiorum Dei &c*; sed Christus non præcedit tempore, vel natura filiationem Dei naturalem; cùm ipse Christus formaliter sit Filius Dei naturalis; nec filiatio est Christo debita ex gratia, & titulo beneficij merè gratuiti; quia naturaliter ei debetur; ergo non est prædestinatus ad filiationem Dei naturalem.

Resp. neg. mi; nam cùm dicitur: *Christus est prædestinatus Filius Dei*; tunc subiectum *Christus* sumitur pro supposito Verbi, quatenus gerit vicem suppositi humani, & in hoc sensu non includit filiationem Dei, quia suppositum humanum non importat formaliter esse Filium Dei; & ideo priùs aliquo modo natura humana vnitur supposito Diuino, quàm filiationi. Sic quod hoc complexum ex supposito Verbi Diuini, prout supplet vices suppositi humani, & ex natura humana ordinetur ad filiationem Dei naturalem, est pura gratia, & merum beneficium; tum quia nulla præcesserunt merita; tum quia non videtur repugnantia, quòd natura humana potuerit vniri supposito Verbi Diuini solùm, prout gerit vicem suppositi humani absque eo, quòd vniretur eidem supposito etiam, secundùm quod terminat naturam Diuinam formaliter, & prout gerit munus suppositi Diuini; potuisset enim vniri tantum materialiter identicè, non formaliter. Sicut quanuis Deus sit simul substantia, & spiritus sine vlla distinctione etiam virtuali, quia hæc duo prædicata pertinent ad eandem lineam prædicatorum essentialium; attamen potest communicari creaturæ, prout habet rationem substantiæ, non prout habet rationem spiritus; vt constat in productione substãtiæ corporeæ; ergo à pari quanuis in Verbo ratio suppositi, & filiationis sint idē etiam formaliter virtualiter; attamen prout habet continere eminenter suppositum humanum, posset formaliter terminare naturam humanam absque eo, quòd illam terminaret, prout habet rationem Filij; ideo quòd hoc complexum ex supposito Diuino gerente munus suppositi humani, & ex natura humana ordinetur ad filiationem Dei, est mera gratia, & beneficium.

24 Inst. Quæ spectant ad constitutionem rei, non cadunt sub eius prædestinatione; sed filiatio spectat ad constitutionem Christi; nam Christus est quid compositum ex Filio Dei, & ex natura humana; ergo filiatio non cadit sub prædestinatione Christi. Tum quia subsistere in duabus naturis pertinet ad constitutionem Christi; sed subsistere in natura Diuina importat filiationem; ergo idem.

Resp. dist. mi. Filiatio pertinet ad constitutionem Christi, vt est formaliter prædestinatus, conc; & in hoc sensu neg. ma; nam gloria pertinet ad constitutionem beati, vt beatus est, & tamen est terminus prædestinationis illius. Filiatio pertinet ad constitutionem Christi formaliter, vt est quid complexum ex supposito Verbi gerente vices suppositi creati, & ex natura humana, neg. Ad aliud dicitur, quòd subsistere in duabus naturis formaliter pertinet ad constitutionem Christi, vt est prædestinatus ad filiationem; nam si Christus non esset prædestinatus

natus ad filiationem, non terminaretur ad filiationem, cui communicatur natura Diuina ex vi processionis; & ideo non existeret formaliter in natura Diuina, sed tantùm materialiter, quatenus idem suppositum realiter existeret in vtraque natura. Dist. igitur mi. Subsistere in natura Diuina formaliter importat filiationem formaliter, conc; materialiter, neg.

25 Obijc. 2. Filius Dei non posset dici prædestinatus, quia Filius Dei non est factus; ergo neque Christus; aliter propter communicationem idiomatum etiam Filius Dei posset dici prædestinatus.

Resp. dist. ma. Filius Dei, prout supplet vices suppositi humani, non est prædestinatus, neg; prout gerit vices suppositi Diuini, conc. Hæc distinctio sumitur *ex S.P. Aug. vbi s.* docente Filium Dei, prout est Deus apud Patrem æternaliter, non esse prædestinatum; bene tamen prout in tempore factus est homo. Ad prob. infert. dicitur eodem modo; quòd licèt non concedatur simpliciter Filium Dei esse factum; conceditur tamen Filium Dei factum esse hominem.

26 Obijc. 3. Esse Filium Dei naturalem non est gratia facta humanitati, quia humanitas non dicitur filia Dei; neque personæ Christi, quia persona Christi intrinsecè est Filius Dei; ergo nullo modo conuenit Christo esse Filium Dei ex gratia; & per consequens prædestinari ad filiationem. 2. Homo fit in tempore id, ad quod est prædestinatus ab æterno; prædestinatio enim est actus efficax, & practicus; sed hic homo, qui est Christus, non dicitur factus in tempore Filius Dei; quia licèt concedatur hæc propositio: *Deus in tempore factus est homo*; non tamen conceditur hæc altera: *Homo in tempore factus est Deus*; & ideo nec debet concedi, quòd hic homo, qui est Christus, in tempore sit factus Filius Dei, quia Filius Dei est Deus; ergo Christus non est prædestinatus ad filiationem Dei naturalem.

Resp. ad 1. prædestinationem ad filiationem Dei esse gratiam factam complexo ex supposito Verbi gerente vicem suppositi creati, & ex natura humana, vt dictum est. Ad 2. neg. mi; nam Christus, prout dicit supradictum complexum, factus est in tempore Filius Dei. Ad prob. infert. resp. *Fund. Doct. d. st. 7. 1b s. art. 1. ad 3*; quòd licèt non concedatur, quòd *in tempore homo factus est Filius Dei*; quia id, quod fit aliud, debet præexistere illi; quapropter bene dicitur: *homo fit Musicus*; non tamen *Musicus fit homo*; homo autem non præexistit Filio Dei, quia Filius Dei est æternus, & homo temporalis; attamen bene dicitur *homo prædestinatus est Filius Dei*; quia prædestinatio è contra se habet; illud enim, ad quod prædestinamur, præexistit nobis, quia illud est æternum, nos verò temporales. Ideo cùm dicitur, quòd id fit in tempore, ad quod prædestinati sumus ab æterno; ly *fit* sumitur, prout est idem, ac actu est; & in hoc sensu *S. P. Aug. lib. 1. de Trin. cap. 13.* ait: *Talis fuit illa susceptio carnis in Christo, quòd Deum faceret hominem, & hominem Deum*; quod est intelligendum neutraliter, inquit *Fund. Doct.*; idèst factum est, vt homo sit Deus, seu Filius Dei.

A R T. II.

An Christus, vt homo, sit Filius Dei naturalis?

1 HÆresis fuit *Elipandi Archiepiscopi Toletani, & Felicis Episcopi Vrgelitani*, qui vixerunt eo tempore, quo *Hispania* gemebat sub potestate *Maurorum*; docentes Christum, vt hominem, esse Filium Dei adoptiuum, & extraneum; non proprium, & naturalem. Instante *Carolo Magno* damnati fuerunt *in Conc. Francofordiensi* præsidentibus *Adriani Papæ* Legatis, ab eodem Papa *ep. ad Episcopos Hispaniæ* confirmato; & licèt *huius Concilij* gesta hæreticorum opera diu fuerint celata; attamen *Surij* studio inuenta fuit *epist. Adriani ad Episcopos Hispaniæ*, quæ conspicitur inter *Decretales* inserta; *ep. Concilij ad eosdem Episcopos Hispaniæ*; *& liber sacrosyllabus* approbatus *in eodem Conc*; quæ omnia fuerunt *to. 3. Conciliorum* inserta.

2 Hos hæreticos fuisse *Nestorianos* ferè omnes testantur vno excepto *Vasq.* coniecturis leuissimis ducto; & colligitur *ex eod. Conc. in ep. ad Episcopos Hispaniæ*: *Nonnè olim eadem hæresis vestra in Nestorio ab Vniuersali sancta Ecclesia refutata etiam, & damnata est? & in libro sacrosyllabo: Non duo Filij vt (sicut illi errando existimant) adoptiuus sit Filius hominis, & sine adoptione Filius Dei.* Ex quibus apparet hos hæreticos sensisse in Christo fuisse duos filios, & per consequens duas personas, quarum vna est Filius Dei, altera verò Filius hominis; & istam dixisse Filium Dei adoptiuum. Nec officit, quòd *Conc.* eorum hæresim *nouam* appellet; & quòd *Elipandus in sua confess.* vnam tantùm in Christo personam videatur fateri; vt obijcit *Vasq.* Non obstat primum; quia nouam hæresim dicit quantùm ad adoptionem, *Nestorius* enim de adoptione mentionem non fecit; sed veterem quantùm ad duplicitatem personæ; vnde *in Sacrosyllabo Concilium* eos vocat *nouos hostes Ecclesiæ, sed veternosa fæce perfidiæ pollutos.* Concilium ergo cogendum fuit ad extirpandam vocem adoptionis nouiter inuentam; non ad excludendas duas personas, quæ *in tot Concilijs* iam fuerant exclusæ. Nec secundum; quia quælibet *Hæreticorum confessio* subdola, & suspecta habenda est; vt fuit *confessio Pelagij in Conc. Palest. teste S. P. Aug. lib. de Grat. Christi cap. 1; & sæpe alibi*; vnde cùm fatetur *Elipandus* vnam personam, suspicari potuit ipsum locutum fuisse de vnitate morali secundùm

dùm affectum, vt loquebatur *Nestorius*; secus *Conc.* cum non appellasset *Nestorianum*.

3 Ferè *omnes Theologi* asserũt *hoc Conc.* damnasse sententiam asserentem Christum, vt hominem, esse Filium Dei adoptiuum nedum in sensu *Nestorij* concedentis duplicem personalitatem, sed etiam supposita sententia catholica confitente vnam tantùm personam cum duplici natura ita, vt non liceat ampliùs asserere Christum secundùm humanitatem esse Filium Dei adoptiuum. Habetur expressè *in ep. Concilij ad Episcopos Hispaniæ*; vbi dicitur: *Hæc testimonia ideo posuimus, vt cognoscatis Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum in vtraque natura esse, & vnigenitum, & primogenitum, non adoptiuum, sed magnum Deum.* Idem habetur *in Sacrosyllabo*: *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei, non adoptiuus, sed verus, non alienus, sed proprius; de eo subiecit: Dabit ei Dominus sedem Dauid Patris eius*; constat autem, quòd Christus non est natus ex Maria Virgine, nec est filius *Dauid*, nisi secundùm humanitatem; & secundùm hanc ait *Conc.* non esse filium adoptiuum. *Hìc* autem loquitur in sensu *Scripturæ*, quam refert, non in sensu *Nestorij*. Tum quia si non damnaret etiam supposita vnitate reali personæ, solùm damnaret puram hæresim *Nestorij*, quia merè damnaret sententiam asserentem duas personas in Christo; non autem damnaret sententiam asserentem adoptionem; nam Christus secundùm humanitatem esset verè filius adoptiuus; sed hoc est expressè contra principale intentum *illius Concilij*, quod coactum fuit ad reijciendam adoptionem à Christo Domino secundùm humanitatem; vt patet etiam *ex ep. Adriani vbis. Inter cætera reijcienda de adoptione Iesu Christi secundùm carnem. Hoc supp.*

4 Prima sententia vult, quòd vna, & eadem persona Christi secundùm Diuinam naturam est Filius Dei naturalis, & secundùm naturam humanam filius adoptiuus. Ita *Dur; Bassol; & Scot;* qui tamen oppositum censet probabile; licèt *Mastr.* conetur eum vindicare asserens *Scotum* hanc sententiam reliquisse, vt minùs probabilem. Quam sequitur *Franc. Castillo*, apud quem *alij*. Excusantur autem *isti auctores*, quia scripserunt, cùm gesta *Concil. Francofordiensis* latebant.

5 Secunda vult esse Filium Dei non adoptiuum, nec naturalem, sed proprium, ac propterea non esse Filium solius Patris, sed totius Trinitatis; putàt enim filiationem Christi, vt homo est, fundari in gratia habituali; dici autem propriam, quia fundatur in vnione hipostatica; in tantùm enim filiatio est propria, in quantùm ante infusionem gratiæ habitualis dabatur vnio hipostatica, quæ est dispositio de congruo ad ipsam gratiam; & quia gratia *per Scotum* non constituit sanctum, nisi moraliter, idèst secundùm Diuinum beneplacitum; ideo illa filiatio est moralis, non physica, quanuis proprietas ipsa sit physica. *Ita Mastr. hìc d. sp. 2. q. 5. art. 1; vbi num. 122.* sic explicat *cum Belluto* suam sententiam. Refert etiam *Bernal, & alios*.

6 Tertia docet esse Dei Filium naturalem, & proprium, qui non distinguitur à naturali. *Ita Fund. Doct. hìc dist. 10. par. 2. quæst. 2. art. 3; Argent; Basil. Legion; Gibb; & omnes nostri. Item S. Thom; & Thomistæ; & omnes alij communiter.* Sed diuiduntur in modo explicandi.

7 Alij volunt esse filium naturalem tantùm analogicè, & impropriè, non autem vniuocè cum filiatione Diuina fundata in æterna generatione; quia filiatio Christi, vt homo est, fundatur in vnione naturæ humanæ ad suppositum Filij, per quod completur natura humana in ratione suppositi; & ex hac vnione habet ius ad bona Dei, & est hæres, vt habetur *Hebr. 1. Quem constituit hæredem vniuersorum*; non enim est hęres, vt Deus; sed vt homo. Et quoniam per vnionem sanctificatur natura; & sanctificatio est à tota Trinitate; ideo hæc filiatio sumitur à sanctitate; & Christus, vt homo, est filius totius Trinitatis; ac eodem modo Pater, aut Spiritus Sanctus, si incarnatus fuisset, esset filius per eandem sanctitatem. *Ita Sua. disp. 49. sect. 1; & 2;* & parum differt *Vasq. disp. 89. cap. 14; & alij*.

8 *Alij* censent esse verè, & propriè Filium Dei naturalem eo, quia Christus, vt homo, procedit à Deo *viuens à viuente in similitudinem naturæ*, quia homo habet naturam similem Deo, non quidem in specie athoma, sed quantùm sufficit ad veram generationem; *& principio coniuncto*; quia in Christo Deitas coniungitur cum natura humana. *Ita Hurt. disp. 83; & alij*.

9 *Alij* putant esse Filium Dei naturalem, in quantùm *homo* importat complexum ex supposito Verbi Diuini, & ex natura humana; & quatenus importat suppositum Verbi per communicationem idiomatum, homo dicitur Filius Dei. *Ita Lorc; Ragusa, & alij.* Vnde in hac sententia dicitur Filius Dei tantùm materialiter identicè, in quantùm suppositum terminans naturam humanam est idem, ac Filius Dei; sicut dicitur omnipotens, æternus, creator &c. Omissis autem pluribus alijs modis explicandi.

10 Nostra tandem sententia docet Christum Dominum, vt homo est, esse Filium Dei naturalem formaliter assumptiuè terminatiuè, non verò formaliter constitutiuè; & ideo esse Filium solius Patris, non totius Trinitatis ita, vt sit Filius Dei, quatenus natura humana assumitur in eandem vnitatem personalem, per quam constituitur Filius, & Verbum Diuinum, à qua vnitate personali terminatur formaliter, quia ad illam fuit formaliter prædestinata, vt diximus *in sup. art;* & ideo compositum ex vnitate personali Filij Diuini, & ex natura humana dicitur Filius Dei naturalis per illam eandem filiationem, per quam Verbum in Diuinis dicitur

Filius Patris; non autem dicitur Filius formaliter constitutiuè, quasi natura humana constituat Christum Filium eo, quia natura humana non constituit suppositum Christi, sed supposito Christi aduenit, quia assumitur in eius vnitatem, vt loquuntur *omnes SS. PP. communniter*; atque adeo filiatio, quæ ab æterno terminabat naturam Diuinam, assumens ad se in tempore naturam humanam Christi Domini illam terminauit; & vna, eademque sicut denominauit ab æterno Filium naturalem ipsum Verbum; sic denominauit Filium Dei naturalem ipsum Christum; at cum hoc discrimine, quòd filiatio resultauit ex communicatione naturæ Diuinæ, quę simul cum ipsa constituit personam Verbi; at non ..sultauit ex vnione naturæ humanæ, quia illam assumendo terminauit tantummodò, quapropter Christus, vt homo, est dicendus Filius naturalis Dei assumptus, non genitus. Sic explicandus, & intelligendus est *Fund. Doct. dist. 7. par. 2. quæst. 1. art. 3; Argent; & Basil. Legion; & D. Thom; & alij*, qui idem videntur asserere, licèt rem ita clarè non explicent.

11 Vnica concl. Christus, vt homo, non est Filius Dei adoptiuus, sed naturalis solius Patris, non totius Trinitatis, formaliter assumptiuè terminatiuè, non autem formaliter constitutiuè ita, vt in quantùm homo, dici debeat Filius Dei naturalis assumptus, non formaliter genitus.

Prob. 1. pars concl. 1. auctoritate *Concil. Francofordiensis, & Adriani Papæ*; illud enim expresſè statuit Christum secundùm vtranque naturam dicendum non esse filium adoptiuum; iste verò ait: *Inter cętera reycienda de adoptione Iesu Christi Filij Dei secundùm carnem*; ex quibus verbis apparet eum loqui de adoptione secundùm naturam humanam, quæ nomine *carnis* significatur, & ideo prout homo est. *Idem Elipandus in sua confess.* asserit se dixisse Christum filium adoptiuum solùm secundùm humanitatem, non secundùm Diuinitatem; *& S. P. Aug. de Verbis Domini serm. 51. Cęteri ergo omnes Sancti filij Dei sunt gratia, solus ille natura*; & mox: *Sed nos filij sumus, quos voluntate sua filios fecit, non ex natura sua filios genuit. Genuit quidem & nos, sed quomodò dicitur, adoptatos ab adoptante, generatos beneficio, non natura*; & statim: *Homines adoptati sumus; ille dicitur vnigenitus, quia hoc est, quod Pater; & D. Amb.* relatus *à Mag. Sent.* testatur se voluisse, ac reuoluisse *totam sacram Scripturam*, & nunquam inuenisse Christum esse filium Dei adoptiuum. Ratio allata *à S. P. Aug;* sic efformatur. In hoc distinguitur filius adoptiuus à filio naturali, quòd ille est sola voluntate libera, & gratuita assumptus ad filiationem; iste verò est filius per naturam, quia per generationem naturalem accipit naturam à Patre, quæ fundat ius ad hæreditatem, & ad omnia bona patris; definitur enim adoptio *à Legistis*, vt innuit *Fund. Doct. vbis. art. 2. §. Propter arg; gratuita, & liberalis assumptio personæ extraneæ ad hæreditatem*; adeoque pater adoptans, & filius adoptatus non coniunguntur, nisi per solum affectum, charitatem, seu amorem; quia actio gratuita inuoluit affectum, & amorem; filius verò naturalis coniungitur patri per naturam, quia illam accipit per generationem, quæ est *principio coniuncto*, vt dicitur in generationis definitione; sed Christus, vt homo, non est persona extranea à natura Patris, quia personalitas Christi est personalitas Verbi Diuini, quæ identificatur cum natura Diuina, quæ est eadem Patris natura; & non coniungitur solùm cum Patre per affectum, & amorem, vt aiebat *Nestor;* sed coniungitur per naturam Diuinam, quę vna, & eadem est in Patre & Filio; ergo Christus, vt homo, non est filius Dei adoptiuus. Tum quia filiatio appellat personam, non naturam; natura enim non dicitur filia, quia natura propriè non generatur, sed communicatur; persona verò dicitur filia, quia generatur; sed implicat personam Christi, vt homo est, adoptari, quia persona Christi, vt homo est, est persona Diuina Verbi assumens in sui vnitatem, & terminans naturam humanam; repugnat autem personam Diuinam adoptari, quia implicat liberè eligi ad bona Dei, cùm sit Deus natura, quæ ius dat ad omnia bona Dei; ergo implicat Christum, vt hominem, adoptari. Tum quia adoptio dicit tantùm vnionem accidentalem, non substantialem, quia dicit vnionem moralem tantùm; sed Christus, vt homo, vnitur substantialiter Deo; ergo idem.

12 Prob. 2. pars concl. *ex Diuinis Scripturis. Io. 1.* habetur: *Verbum caro factum est*; super quod *S. P. Aug. in Enchir. cap. 35.* ait: *Cùm enim esset vnicus Dei Filius, non gratia, sed natura; vt esset etiam plenus gratia, factus est & filius hominis; idemque ipse, vtrunque ex vtroque vnus Christus*; & mox: *Vnus Dei Filius, idemq; hominis filius; vnus hominis filius, idemq; Dei Filius; non duo Dei Filij Deus, & homo, sed vnus Dei Filius*; & paulò post *c. 36. Nempe ex quo homo esse cepit, non aliud cepit esse, quàm Dei Filius; & hoc vnicus, & propter Deum Verbum, quod illo suscepto factum est, vtique Deus.* Ex quo sic. Homo est illud formaliter, quod sine sui destructione fit homo; sed de fide est Filium Dei naturalem, qui est Filius solius Patris, non totius Trinitatis, factum esse hominem; ergo de fide est hunc hominem, qui Filius solius Patris naturalis factus est, esse Filium naturalem solius Patris, non totius Trinitatis. Prob. ma; & explic. Quando vnum assumitur in vnitatem substantialem alterius, fit illud formaliter, in cuius vnitatem assumitur; vt quia esse musicum, & esse album assumitur in vnitatem personalem hominis, ideo fit homo; valet enim nedum: *Hic homo est musicus, est albus*; sed etiam: *Hic musicus, hoc album est hic homo*; nam ideo cùm lignum

gnum fit ignis, non valet, quòd ignis fit lignum; quia lignum non nisi per destructionem sui fit ignis, & ideo lignum non assumit ignem in vnitatem substantialem sui, sed transmutatur in vnitatem substantialem ignis; atqui illud, quod sine sui destructione, aut mutatione substantiali fit homo, assumit hominem in vnitatem substantialem sui, cùm non possit assumi in vnitatem substantialem hominis, vt est in casu; ergo illud est homo formaliter, quod sine sui destructione fit homo. Mi. constat; nam de fide est solam secundam personam Trinitatis, quæ est Filius solius Patris, quia ab illo per generationem accipit naturam Diuinam, non autem Filium totius Trinitatis, factum fuisse hominem; quia filius totius Trinitatis non est persona Diuina, sed creatura. 2. Ille Filius, qui est Dei Patris Verbum æternaliter à Patre generatum, est Filius naturalis solius Dei Patris, non totius Trinitatis; vt docet fides; sed Christus, vt est hic homo, est formaliter assumptiuè ille Filius, qui est Verbum Dei Patris æternaliter à Patre generatum; ergo Christus, vt est hic homo, est formaliter assumptiuè Filius naturalis solius Dei Patris, non totius Trinitatis. Ma. est clara. Mi. explic. Christum, vt est hic homo, esse formaliter assumptiuè Filium solius Dei Patris nihil aliud est, quàm naturam humanam passiuè assumi in vnitatem personæ Filij solius Patris; sicut Filium solius Dei Patris esse hunc hominem nihil aliud est, quàm Filium solius Dei Patris actiuè terminatiuè assumere naturam humanam in vnitatem personalem sui; sed natura humana passiuè assumpta est ad vnitatem personalem Filij solius Dei Patris, non totius Trinitatis; ergo Christus, vt est hic homo, est formaliter assumptiuè Filius solius Dei Patris, non totius Trinitatis. 3. Ille, qui factus est homo, est Filius naturalis solius Patris; sed Christus, vt cepit esse homo, cepit esse ille, qui factus est homo; ergo Christus, vt cepit esse homo, cepit esse secundùm naturam humanam assumptam Filius naturalis solius Patris, qui iam erat secundùm naturam Diuinam.

13 Conf. *ex Matth. 16*; vbi Christo Domino interroganti: *Quem dicunt homines me* (vt legit *S. P. Aug. inf.*) *esse filium hominis*; ex quibus verbis constat, quòd loquebatur de se ipso, vt homo est, quia solùm, vt homo, est filius hominis; respondit Petrus: *Tu es Christus Filius Dei viui*; super quod *S. P. Aug. serm. 33. de Verbis Apost.* ait: *Quid est Filius Dei? Ecce Filius Dei: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum &c. Filium enim quærimus natura, non gratia, Filium vnicum, vnigenitum, non adoptatum*; & Io. 6. ait Martha: *Tu es Christus Filius Dei viui, qui in hunc Mundum venisti; & ad Gal. 4. Misit Deus Filium suum factum ex muliere &c*; constat autem Filium Dei, qui est Verbum, & est Deus natura; & venit, ac missus est in Mundum, esse Filium solius Patris, qui est secunda Trinitatis persona; non autem esse filium totius Trinitatis. Ex quibus sic. Filius hominis est Filius naturalis Dei, qui est Verbum, & persona missa in hunc Mundum, vt habetur *ex confessionib. Petri, & Marthæ*; sed Christus, vt homo, est filius hominis; nam vt Deus, est Filius Dei, non hominis; ergo Christus, vt homo, est Filius naturalis Dei, qui est Verbum, & persona missa in hunc Mundum; atqui Verbum, & persona missa non est filius totius Trinitatis, quamuis sit missa à tota Trinitate; sed solius Patris; ergo idem.

14 Conf. *ex S. P. Aug. in Enchir. c. 38*; vbi super illud *Matth. 1. Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*; ait: *Nunquid tamen ideo dicturi sumus patrem hominis Christi esse Spiritum Sanctum, vt Deus Pater Verbum genuerit, Spiritus Sanctus hominem; ex qua vtraque substantia Christus vnus esset, & Dei Patris Filius secundùm Verbum, & Spiritus Sancti filius secundùm hominem &c. Quis hoc dicere audebit*. Et mox: *Proinde sicut confitemur, Dominus noster Iesus Christus, qui de Deo Deus, homo autem natus est de Spiritu Sancto, & Maria Virgine, vtraque substantia, Diuina scilicet, & humana, Filius est vnicus Dei Patris omnipotentis, de quo procedit Spiritus Sanctus*. Ex quibus sic. Pater, à quo procedit Spiritus Sanctus, non est aliquid absolutè dictum commune toti Trinitati, sed est aliquid relatiuè dictum soli personæ Patris conueniens; atqui Christus Dominus secundùm vtranque substantiam, seu naturam, Diuinam, & humanam, est Filius Patris, à quo procedit Spiritus Sanctus, vt docent *Scripturæ*; ergo vt homo, non est Filius totius Trinitatis, sed solius Patris.

15 *Et in Symb. Nic. Et in vnum Dominum Iesum Christum, Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula; & in Symb. D. Athan. Dominus noster Iesus Christus Dei Filius Deus, & homo est. Deus ex substantia Patris ante sæcula genitus; & homo ex substantia Matris in sæculo natus*. Ex quo sic. Illud, quod prædicatur singulariter in recto de Filio solius Patris relatiuè accepto, est Filius naturalis solius Patris; quia prædicatio in recto explicatur per esse illud, quod prædicatur; aliter prædicatio esset falsa; si enim *Petrus* non esset hoc indiuiduum, falsa esset hæc prædicatio: *Petrus est hoc indiuiduum*; sed Christus, vt homo, prædicatur singulariter in recto de Filio solius Patris relatiuè accepto; vt habetur *in Symb*; valet enim: *Solus Filius æterni Patris est homo*; ergo Christus, vt homo, est Filius naturalis solius Patris, non totius Trinitatis.

16 *Et de lib. de fide ad Petrum c. 2.* habetur: *Si enim Pater nasceretur de Virgine, vna persona esset Pater, & Filius; ipsa autem vna persona pro eo, quia non de Deo, sed tantùm de Virgine nasceretur, non Dei Filius, sed tantùm hominis filius veraciter*

raciter diceretur. Ex quo ſic. Filius Dei naturalis in Diuinis eſt ille, qui per veram generationem naſcitur de ſubſtantia Patris; ſed *Scripturæ*, *& SS. PP.* vocant Chriſtum hominem Dei Filium naturalem; ergo vocant Chriſtum, vt hominem, Dei Filium, quia per veram generationem naſcitur de ſubſtantia Patris. Ma. patet; quia filiatio nequit naturaliter competere Diuinæ perſonæ, niſi naſcatur ex alia, cùm ſit relatio ſequens ad generationem. Mi. etiam conſtat ex dictis; nam *Scripturæ*, *& PP.* vocant Chriſtum hominem Filium Dei, quia perſona Chriſti hominis eſt genita à Patre; aliter ſi non eſſet genita, non diceretur Filius naturalis Dei, quia non eſſet nata ex alia perſona Diuina; vnde ſi Pater aſſumpſiſſet naturam humanam, eſſet quidem filius hominis, non tamen Filius naturalis Dei, quia per generationem æternam illi non communicatur natura; & ideo non eſt Deus natus de Deo, nec Filius naturalis. Videant *Aduerſarÿ*, quàm difformiter *ad SS.PP.* loquuntur, cùm aſſerunt; quòd ſi Pater eſſet incarnatus, dicendus eſſet Filius Dei naturalis; quod negant *SS. PP*; & euincitur, quia non eſſet natus Deus de Deo, & ideo nec Filius naturalis Dei eſſet, qui dicitur tantùm ex eo, quòd naſcatur de perſona Diuina, & ab illa accipiat naturam Diuinam per veram generationem.

17 Ex his reiecta manet ſecunda ſententia. 1. Chriſtus, vt homo, non dicitur Filius Dei, niſi per relationem filiationis, per quam reſpicit Patrem, à quo æternaliter generatur, vt aſſerunt *Scripturæ*, *& PP.* allati; ergo Chriſtus, vt homo, non dicitur Filius Dei per filiationem fundatam in gratia habituali, quæ eſt aliquod creatum; nam per talem relationem Chriſtus non reſpicit Patrem, vt generantem æternaliter Chriſtum,vt patet; & filiatio, per quam reſpicit Patrem, vt à Patre æternaliter generatur, fundatur in Diuina eſſentia, non in aliqua re creata; eſt enim Diuina, non creata. 2. Chriſtus, vt homo, dicitur Filius ſolius Dei Patris, non totius Trinitatis; vt aſſerunt *textus allati*; ergo idem. 3. Si Chriſtus, vt homo, eſſet Filius Trinitatis, eſſet Filius Spiritus Sancti, imò & ſui ipſius; ſed illud eſt *contra SS. PP*; hoc verò abſurdiſſimum; implicat enim, quòd idem ſit Pater ſui, & diſtinctio inter Patrem, & Filium eſt diſtinctio ſuppoſitorum, vt conſtat; adeoque ſi Chriſtus eſſet filius ſui ipſius, in Chriſto darentur duo ſuppoſita, quorum vnum eſſet Pater Chriſti, vt homo eſt; & aliud eſſet Filius eiuſdem Chriſti, vt Deus eſt; quod inuehit hæreſim *Neſtorÿ*; ergo idem. 4. Filiatio fundata in gratia habituali creata nõ eſt Deo naturalis, quamuis vnio hipoſtatica exigat nedum de congruo, ſed etiam de condigno ipſam gratiam habitualem; nam quamuis gratia habitualis ſit naturalis vnioni hipoſtaticæ, & per conſequens Chriſto, qui per talem vnionem conſtituitur; non tamen eſt naturalis Deo, vt Deus eſt; aliter gratia habitualis ſubiectaretur in natura Diuina, cui eſſet propria, & ratione cuius diceretur naturalis Deo; naturale enim dicitur à natura, quia ſequitur ad illam, & ſubiectatur in illa; ergo ratione gratiæ habitualis Chriſtus, vt homo, nequit dici Filius Dei proprius; quia ſolus Filius naturalis eſt proprius.

18 Deinde diuiſio filiationis in naturalem, propriam, & adoptiuam eſt omnino arbitraria, fictitia, & chimærica; & ſic triplex relatio filiationis eſt ſine vllo fundamento; nam *iuxta Iuriſprudentes*, *& Theologos* non dantur niſi filius naturalis, & adoptiuus; ille generatur *per communicationem naturæ viuentis à viuente principio coniuncto*; per quam communicationem habet ius hæreditatis paternæ etiam ab inteſtato; iſte verò adoptatus, & aſſumptus in filium, quamuis non ſit genitus; ſed filius proprius non eſt adoptiuus, qui eſt filius alienus; ergo eſt *naturalis*; & ideo ſi Chriſtus, vt homo, eſt Filius Dei proprius, eſt etiam Filius Dei naturalis.

19 Reſp. *Maſtr.* diuiſionem filij proprij, naturalis, & adoptiui non eſſe nouam; traditur enim *ab Hug. de S. Vict. to. 3. in apolog. de Verbo incarnato*; vbi ait: *Filius tribus modis dicitur; adoptione, vt nos per fidem; ſuſceptione, vt Mediator, ſcilicet homo aſſumptus; & natura*.

Sed *Hug.* apertè docet noſtram ſententiam; ait enim filium dici vel adoptiuè; vel aſſumptiuè ad filiationem naturalem; vel natura, idèſt generatione; aſſumptiuè autem ad filiationem naturalem dicitur Filius naturalis; ſicut aſſumptiuè ad perſonam Diuinam dicitur perſona Diuina. Filius ergo naturalis vel eſt genitus, vel aſſumptus; ſiue idem Filius ſecundùm naturam Diuinam dicitur genitus, & natus; & ſecundùm naturam humanam dicitur aſſumptus, non genitus. Non tamen ait *Hug.* filium proprium non eſſe naturalem, aut è contra, ſed tantùm filium naturalem dici vel aſſumptiuè, vel generatiuè.

20 Tum quia ſi Chriſtus, vt homo, eſſet tantùm moraliter Filius Dei, non eſſet verè, & realiter phyſicè, ſed tantùm putatiuè, & ſecundùm exiſtimationem, aut acceptationem liberam in Filium; ſed hoc eſt *contra Diuinas Scripturas* docentes Chriſtum, vt hominem, eſſe Filium Dei, quia, vt homo, dicit ſuppoſitum Verbi, quod verè, & realiter phyſicè eſt Filius Patris, à quo per veram generationem producitur; ergo idem. Tum quia Filius putatiuè, ſecundùm exiſtimationem moralem, & liberam acceptationem tantùm, & non per veram generationem, eſt tantùm adoptiuus, vt conſtat; quia filius adoptiuus eſt, qui non eſt genitus,ſed liberè acceptatus, & declaratus in Filium; ſed Chriſtus, vt homo, non eſt filius adoptiuus; ergo idem. Præterea à gratia habituali, quæ eſt accidens, nequit deſumi filiatio, niſi accidentalis;

talis; ſicut à natura, quæ eſt ſubſtantia, deſumitur filiatio ſubſtantialis; ſed filiatio accidentalis eſt adoptiua; in hoc enim diſtinguitur à filiatione naturali, quæ ſumitur ſecundùm ſubſtãtiam; ergo Chriſtus, vt homo, eſſet filius Dei adoptiuus. Vlteriùs gratia habitualis formaliter, vt talis, habet tantùm conſtituere filium adoptiuum; aliter ſi ex ſua natura haberet conſtituere filium proprium, & naturalem, quicunque habens gratiam habitualem eſſet filius naturalis, & proprius; quod eſt *contra Scripturas*; nec ex eo, quòd quis habeat ius ad habendam gratiam habitualem de congruo, fit, vt filiatio conſtituta per gratiam habitualem, ſit propria, & naturalis; nam B. Virgo, vt Mater Dei, habuit hoc ius ſaltem de congruo, & tamen in eo, quòd creatura, non eſt filia propria, & naturalis Dei. Tum quia ius congruum, quod quis poteſt habere ad hoc, eſt aliquis adoptetur in filium, non facit, quòd ſic adoptatus ſit proprius filius, & naturalis; ergo quanuis ratione vnionis hipoſtaticæ Chriſtus habuerit ius de congruo ad habendam gratiam habitualem, factum non fuit, vt filiatio, quæ conſtituta fuiſſet per gratiam habitualem, niſi ſubiectum iam eſſet præuentum per filiationem Dei naturalem, eſſet naturalis; ergo nec propria, ſolus enim Filius naturalis eſt proprius, quia filius proprius dicitur ille, qui ab illo, cuius eſt proprius, generatur in ſimilitudinem naturę, ſicut adoptiuus eſt alienus, quia ab alio eſt generatus. Tandem improb. rationibus *ſup.* adductis.

21 Prob. 2. pars concl. 1. Natura humana non conſtituit ſuppoſitum Diuinum; implicat enim; quòd aliquod increatum, infinitum, neceſſarium ſimpliciter &c. conſtituatur per aliquod creatum, finitum, contingens &c; ſicut eſt natura humana Chriſti Domini; ergo Chriſtus, vt homo, non eſt filius Dei naturalis formaliter conſtitutiuè, ſed tantùm aſſumptiuè terminatiuè, & ideo vt homo, non eſt Filius formaliter genitus, ſed aſſumptus. 2. Ille eſt Filius naturalis genitus, non aſſumptus, & conſtitutus formaliter in ratione filij, qui, vt talis, *oritur viuens à viuente principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ differentialis vltimæ*; filius enim cõſtituitur formaliter per veram generationem, quæ ſic definitur, vt diximus *to.2. de Trin. q.3. art.8*; ad rationem nanque filij non ſufficit naſci de aliquo ſecundùm quancunque rationem genericam analogam, vel vniuocam, vt docet *S.P. in Enchir. c.38*; quia capilli, vngues, & animalia, quæ fiunt ex putri, naſcuntur ex homine, nec tamen dicuntur filij hominis, cùm non procedant in ſimilitudinem naturæ ſpecificæ vltimæ; ſed Chriſtus, vt homo, non oritur à Deo in ſimilitudinem naturę ſpecificę proprię ipſius Dei, quia natura humana differt nedum ſpecie, ſed & genere ſupremo à natura Diuina, quæ eſt propria ipſius Dei; nec procedit per naturam formaliter, ſed per voluntatem liberam, quæ eſt cauſa omnium rerum creatarum; ergo Chriſtus, vt homo, ſeu per naturam humanam non conſtituitur in ratione Filij, nec generatur, vt Filius, ſed tantùm dicitur Filius aſſumptiuè, quia aſſumitur ad Filium Dei naturalem.

Quid autem dicendum ſit de modo explicandi *Recentium Thomiſtarum*; putamus quoad rem idem docere, quod nos probauimus, non tamen in proprijs terminis; quia ſubſiſtentia in natura non explicat formaliter filiationem, cùm etiam Spiritus Sanctus ſubſiſtat in natura Diuina; & ſi carnem aſſumpſiſſet, ſubſiſteret etiam in natura humana; & tamen nec eſſet filius, vt Deus, nec vt homo; ergo Chriſtus, vt homo, non dicitur Filius Dei naturalis ex eo præcisè, quòd eſt ſubſiſtens in natura humana, ſed quia natura humana eſt aſſumpta ad filiationem Dei naturalem in vnitatem Filij Dei naturalis. Tum quia non datur ſubſiſtentia perſonalis; tum quia non terminat ratione ſubſiſtentiæ, ſed ratione filiationis, vt diximus *in ſup. q. art.4.*

22 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. *Conc.* damnauit *Elipandum* ſolùm in ſenſu *Neſtoriano*, quia ſcilicet dixit Chriſtum eſſe duas perſonas, quarum vna Diuina, & Filius naturalis; altera humana, & Filius Dei adoptiuus; ergo adhuc poteſt ſuſtineri Chriſtum eſſe vnam perſonam, quæ, vt Deus, eſt Filius Dei naturalis; & vt homo, eſt Filius Dei adoptiuus. 2. Chriſtus, vt homo, dicit extraneitatem naturæ ſufficientem ad adoptionem; extraneitas enim duplex eſt; alia, quæ excludit debitum naturale conueniens filio naturali habendi hæreditatem patris, & ius congruum ad eandem hæreditatem; alia, quæ excludit ſolùm debitum naturale, includit tamen ius de congruo; ſed in Chriſto, vt homine, reperitur extraneitas ſecundo modo; ergo idem. 3. *D. Hilar. lib.2. de Trin.* ait: *Poteſtati dignitas non amittitur, dum carnis humanitas adoptatur.*

Reſp. ad 1. *neg.* ant; nam vt *ſup.* diximus, *Conc.* abſolutè damnauit hæreticum aſſerentem Chriſtum ſecundùm humanitatem eſſe Filium Dei adoptiuum; humanitas autem non eſt perſona, ſed natura, vt conſtat; & rationem reddens ait filiationem dici de ſuppoſito, quod ſi ſit extraneum, idèſt non genitum, eſt capax filiationis adoptiuæ; vnde cùm ſuppoſitum Chriſti non ſit extraneum, incapax eſt adoptionis. Hæc autem ratio non concluderet, ſi ſola naturæ diuerſitas adoptioni ſufficeret; ergo *Concil.* damnauit etiam ſententiam aſſerentem vnam Chriſti perſonam ſecundùm naturam humanam adoptari. Ad 2. *neg. ma*; extraneitas enim requiſita ad adoptionem eſt extraneitas ſuppoſiti, quòd dicitur extraneum, quia non eſt genitum ab adoptante; quòd autem dicat, vel non dicat ius congruum ad hæreditatem, hoc neque ponit, neque tollit adoptionem; vnde nedum adultus diſpoſitus, cui debetur de congruo gratia

tia

tia habitualis; sed etiam paruulus in baptismo incapax dispositionis internæ verè dicitur filius Dei adoptiuus. Ad 3. dicitur *alios* legere *adaptatam*, non *adoptatam*; quòd significat *vnitam*, vt explicat *Fund. Doct. ad* 1. Vel *cum eod.* dicitur Christi humanitatem esse adoptatam in mēbris Christi, idèst in nobis; non autem in Capite, idèst in Christo.

23 Obijc. 2. Gratia habitualis constituit formaliter Filium Dei adoptiuum; sed in Christo est gratia habitualis; ergo est Filius Dei adoptiuus. 2. Non implicat Filium naturalem esse simul adoptiuum; habetur enim *l. qui liberatus ff. de adoptionib; Qui liberatus est patria potestate, honestè reuerti non potest, nisi adoptione*; ideo Filius à patre emancipatus potest à patre adoptari; ergo quanuis Christus sit Filius Dei naturalis secundùm naturam Diuinam, potest tamen esse adoptiuus secundùm naturam humanam. 3. Si filiatio naturalis esset ratio excludens filiationem adoptiuam, sequeretur, quòd Spiritus Sanctus, si fuisset incarnatus, esset Filius adoptiuus; quia ipse non est Filius Dei naturalis; sed *cons.* est falsum; ergo, & *ant.* 4. Christus, vt homo, est seruus; ergo idem.

Resp. ad 1. *dist. ma.* Constituit Filium adoptiuum suppositum extraneum, quod est capax adoptionis, *conc*; quodlibet suppositum etiam proprium, *neg.* Effectus igitur primarius gratiæ habitualis est sanctificare animam; & effectus secūdarius est constituere suppositum illius animæ Filium Dei adoptiuum, si sit extraneum; effectus autem secundarius potest impediri, vt constat, consistente causa formali cum solo effectu primario. Ad 2. *neg. cons*; & disparitas est; quia lex humana priuat filium emancipatum iure ad hæreditatem patris; ideo filius potest ad illud adoptari; at verò lex Diuina nequit priuare Filium Dei iure ad hæreditatem; quia talis priuatio non est, nisi per peccatum, quod nequit esse in Filio Dei. Ad 3. neg. ma; nam filiatio naturalis est ratio inadæquata excludens adoptionem; in tantùm enim excludit, in quantùm est in supposito proprio habente ius naturale ad hæreditatē. Cùm ergo Spiritus Sanctus incarnatus esset suppositum proprium Deitatis habens ius naturale ad omnia bona Dei, ideo non posset ad illa adoptari; vnde ratio adæquatè excludens adoptionem est suppositum proprium habens ius naturale ad hæreditatem. Ad 4. resp. *Fund. Doct.* neg. cons; nam seruus importat solam subiectionem, quæ soli naturæ potest competere, vna enim natura subijcitur alteri; at verò filiatio adoptiua importat extraneitatem suppositi, quæ non datur in Christo; *sed de hoc inf.*

24 Obijc. 3. In priori naturæ, antequam humanitas Verbo vniretur, erat existens; ergo tūc erat omnino extranea; ergo poterat adoptari. 2. *Cùm Nominalib.* Christus, vt homo, dicit solam naturam humanam; sed ratione naturæ humanæ Christus non est Filius Dei naturalis, quia constituitur Filius Dei per naturam Diuinam; ergo idem. 3. Vnio hipostatica est per actionem Dei liberam, & merè gratuitam; ergo importat adoptionem. 4. Ad constituendam filiationem naturalem non requiritur intraneitas suppositi; nam Christus est filius naturalis B. Virginis, licèt suppositum Christi non sit humanum; ergo ad constituendam filiationem adoptiuam non requiritur extraneitas suppositi, sed sufficit extraneitas naturæ.

Resp. ad 1. neg. ant. Vel etiam omisso neg. cons; natura enim nō adoptatur, sed persona; vnde cùm in illo priori natura non sit persona, ideo non est capax adoptari. Ad 2. neg. ma; nam homo importat etiam suppositum saltem connotatiuè. Vel etiam omissa ma. dist. mi. Ratione naturæ humanæ Christus non constituitur Filius, conc; ratione naturæ humanæ non dicitur homo assumptus ad filiationem *Dei naturalem*, neg. Ad 3. dist. ant. Vnio hipostatica est per actionem liberam substantialiter vnientem naturam humanam cum supposito Diuino, conc; sed neg. cons; nam adoptio est per actionem liberam accidentaliter tantùm vnientem, vt patet. Est per actionem liberam accidentaliter tantùm vnientem secundùm affectum, neg; hoc enim fuit *in Nestorio* damnatum. Ad 4. neg. cons; nam filius adoptiuus debet solo affectu coniungi cum Patre; si autem coniungeretur supposito, iam non solo affectu coniungeretur; & ideo non esset adoptiuus. At ad filiationem naturalem sufficit accipere naturam eādem specie per generationem, quod potest esse, etiamsi sit alienum suppositum; ideo Christus secundùm naturam humanam est verus filius naturalis B. Virginis. Addimus, quòd suppositum Verbi terminat naturam humanam, quatenus continet eminenter suppositum humanum, cuius vices gerit; & ideo quanuis formaliter acceptum sit extraneum, & alienum à natura humana; attamen eminenter non est extraneum, & alienum, sed proprium.

25 Obijc. 4. cont. 2. part. concl. *ex Mastr.* Filius naturalis est ille, qui oritur viuens à viuente naturaliter principio vitæ coniuncto in similitudinem naturæ intellectualis; sed Christus, vt homo, licèt procedat viuens à viuente, non tamen naturaliter, sed liberè, nec in similitudinem naturæ, quia humanitas non est similis in specie Diuinitati; nec principio vitæ coniuncto; quia nec actio humanitatis productiua ex vi suæ specificationis tendit ad communicandam naturam Diuinam Christo; nec actio vnitiua humanitatis ad Verbum; sed tantùm ad communicandam subsistentiam Diuinam, & concomitanter tantùm ratione identitatis traxit secum naturam Diuinam; ergo Christus, vt homo, non est Filius Dei naturalis. 2. Filiatio Christi fundatur

datur in gratia habituali, per quam habet ius ad gloriam; proprietas autem talis filiationis, perquam Chriſtus dicitur proprius Dei Filius, non naturalis, fundatur in vnione hipoſtatica; ſed gratia, & vnio hipoſtatica ſunt quid ad extra, quod eſt opus totius Trinitatis; ergo Chriſtus, vt homo, eſt filius totius Trinitatis. Prob. ma. Chriſtus, vt homo, non dicitur filius ratione generationis æternæ, ratione cuius non generatur, vt homo, ſed vt Deus; ergo ratione gratiæ habitualis, & ratione vnionis hipoſtaticæ. 3. Filiatio æterna Verbi non informat naturam humanam; ergo nequit illam ad ſolum Patrem referre; & ideo nequit illam denominare Filiam ſolius Patris; nam ſicut Chriſtus, vt homo, non denominatur Deus ab ipſa Deitate; ita neque ab ipſa æterna generatione denominatur Filius, alioquin ſolùm denominatione extrinſeca denominaretur filius. 4. *Ex Conc. Francoford. Adrianus* illud: *Hic eſt Filius meus dilectus*; attribuit toti Trinitati dicens: *Sed dum dicit, complacuit, totam ſimul Trinitatem comprehendit, quia in homine Chriſto tota complacuit Trinitas*; complacere enim eſt *placere ſimul cum alio*; ergo eſt filius totius Trinitatis.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Filius naturalis, vt genitus, conc; vt aſſumptus, neg; Chriſtus autem, vt homo, dicitur Filius naturalis Dei, vt aſſumptus, non vt genitus. Ad 2. neg. ma. Ad prob. neg. conſ; nam Chriſtus, vt homo, non dicitur Filius ratione æternæ generationis, nec ratione gratiæ habitualis, ſed ratione aſſumptionis ad Filiationem. Ad 3. diſt. conſ. Nequit illam ad ſolum Patrem referre ratione ipſius naturæ immediatè, conc; ratione ſuppoſiti illam terminantis, neg; ideo natura humana non dicitur filia, ſed ſuppoſitum, vt terminans naturam, eſt Filius, & ideo non eſt denominatio extrinſeca, ſed intrinſeca ſuppoſito. Ad 4. dicitur illud verbum *complacuit* referri ad Trinitatem, quia Pater in generatione Verbi non habet alium actum notionalem proprium Patri, niſi generare, quod eſt actus intellectus; complacere autem eſt actus voluntatis, & ideo eſt communis toti Trinitati. Sicut ergo Filius, qui eſt ſolius Patris, amatur à Patre eſſentialiter, & ideo communiter; ita Filius ſolius Patris potuit à Patre declarari, vt genitus notionaliter, & vt eſſentialiter amore complacentiæ dilectus.

26 Obijc. 5. Chriſtus, vt homo, non importat vnionem ad filiationem Verbi formaliter; ergo idem. Prob. ant. 1. Filiatio eſt relatio; ſed humanitas non vnitur relationi ſub conceptu relationis, aliter conſtitueretur relata; ergo humanitas non vnitur filiationi formaliter. 2. Humanitas non vnitur fundamento relationis, quia non vnitur generationi paſſiuæ, aliter conſtitueretur genita per generationem Diuinam; ergo nec vnitur relationi. 3. Si Pater incarnaretur, humanitas non vniretur formaliter paternitati, aliàs, vt homo, eſſet Pater; quod eſt falſum, quia, vt homo, non generaret; ergo idem.

Reſp. neg. ant. Ad 1. prob. neg. mi; quia filiatio vnitur humanitati tantùm terminatiuè aſſumptiuè, non autem inhæſiuè, & ſubiectiuè; ideo non denominat humanitatem relatam; ſolum enim ſubiectum relationis denominatur relatum. Ad 2. eodem modo neg. ant; non enim ex eo, quòd vniatur generationi paſſiuæ terminatiuè, ſequitur, quòd denominetur genita, quia genitum dicitur per generationē paſſiuam ſubiectiuè receptam. Ad 3. neg. ant; & ad prob. infert. dicitur, quòd, vt homo, eſſet Pater aſſumptiuè, non generatiuè, ideo alium hominem non generaret.

27 Obijc. 6. Chriſtus, vt homo, non eſt Deus, vt docet *D. Tho. hic q. 16. art.* 11; ergo neque Filius Dei naturalis. 2. Chriſtus, vt homo, non eſt genitus à Patre; ergo idem. 3. Chriſtus, vt homo, non refertur realiter ad Patrem, quia Pater non refertur realiter ad Chriſtum, vt hominem; ergo idem. 4. Chriſtus, vt homo, non poteſt dici Verbum Patris; ergo idem. 5. Chriſtus, vt Deus, nequit dici Filius naturalis Virginis; ergo neque, vt homo, poteſt dici filius naturalis Dei.

Reſp. ad 1. neg. conſ; humanitas enim immediatè vnitur filiationi, & mediante filiatione Deitati; ideo dicitur formaliter Filius, & ſolùm identicè, & per ſolam communicationem idiomatum dicitur Deus. Ad 2. neg. conſ; nam ad hoc, vt aliquis dicatur genitus, requiritur, quòd per veram generationem communicetur ſibi ſimilis natura; at vt dicatur filius, ſufficit, quòd aſſumatur in vnitatem ipſius filiationis. Ad 3. diſt. ant. Non refertur realiter ad Patrem per relationem Diuinam, ad quam aſſumitur, vt homo, neg; per relationem creatam exiſtentem in humanitate, conc. Ad 4. neg. ant; nam *Io. 1.* dicitur: *Verbum caro factum eſt*; idèſt homo, qui propterea dicitur Verbum Patris. Ad 5. neg. conſ; quia B. Virgo naturaliter ſubminiſtrauit tantùm materiam, non autem illam vniuit Verbo Diuino, vt diximus *q. 4. art. 1. n. 13*; vnio enim ad Verbum Diuinum eſt ſimpliciter ſupernaturalis, & ideo attribuitur ſoli Spiritui Sancto.

28 Obijc. 7. *Gibb.* cont. 3. part. concl. Quoties aliqua forma vnitur ſubiecto capaci, neceſſariò illi communicat ſuum effectum formalem primarium; ſed filiatio vnitur humanitati, quæ eſt ſubiectum capax filiationis; ergo ſimul cum illa conſtituit filium, & ideo Chriſtus, vt homo, eſt Filius conſtitutiuè, non aſſumptiuè.

Reſp. diſt. ma. Si vniatur per aſſumptionem illius ad ſe ipſam, neg; ſi per inhæſionem, vel compoſitionem, conc; ſed neg. mi.

ART. III.

An in Chriſto ſint duæ natiuitates, & filiationes?

1 Certum eſt in Chriſto Domino eſſe vnã tantùm perſonam cum duplici natura diſtincta, & in ſua proprietate manente, vt *cum S. P. Aug. ſup.* diximus *cont. Neſtorium, & Eutychetem*. Quæritur autem; an in vna perſona ſecundùm duplicem naturam detur duplex natiuitas; & duplex filiatio? De duplici natiuitate nullum eſt diſſidium, traditur enim expreſsè *in Scripturis*, vt *inf.* Ad duplicem ergo filiationem reſtringitur.

2 Prima ſententia cenſet in Chriſto Domino eſſe tantùm filiationem æternam, referri autem ad Matrem per relationem rationis, aut per reſpectum, vel per ipſam relationem realem exiſtentem in ipſa Matre eo prorſus modo, quo Deus dicitur Dominus creaturæ, non per relationem realem exiſtentem in Deo, cui nihil realiter in tempore poteſt aduenire ab extrinſeco, ſed per relationem dependentiæ exiſtentem in creatura; & præcipua ratio, ſuper quam fundatur hæc ſententia, eſt quia filiatio dicitur de ſuppoſito; & ideo cùm in Chriſto ſit vnum tantùm ſuppoſitum Diuinum, cui nequit aliquod reale aduenire ex tempore; ideo in illo eſt tantùm relatio filiationis æternæ, non autem relatio filiationis temporalis, per quam in tempore refertur ad Matrem. Tribuitur *Alen; D. Tho; Henr; Alber; Baccon; Maior; Caiet; Capr; Med; & alÿs Thomiſtis*.

3 Noſtra ſententia docet filiationem tribui ſuppoſito mediante natura, in qua immediatè fundatur; & ideo ſicuti in Chriſto eſt duplex natura in vnitate perſonæ, ita eſt duplex natiuitas, & duplex filiatio realis, Diuina ſcilicet, & humana; illa æterna, per quam reſpicit Patrem; hæc temporalis, qua refertur ad Matrem. *Ita Fund. Doct. hìc diſt. 8. p. 3. q. 1. per totam; Argent. ibid. q. 1.* Hanc ſententiã ſecutus eſt *Scot. ibid. q. 7; Dur; Ricc; Marſ; Maſtr. hìc diſp. 2. q. 6; apud quem alÿ Scotiſtæ; & ex alÿs Sua; Amic; Auerſa; & alÿ*.

4 Vnica concl. In Chriſto fuit duplex natiuitas, & duplex filiatio realis æterna, & temporalis, immediatè fundata in duplici natura, quæ vnum, & idem ſuppoſitum Diuinum conſtituit Filium Dei vnigenitum, hoc eſt ſine fratribus; & filium hominis Matris primogenitum in multis fratribus, id eſt habentem fratres.

Prob. 1. *ex Conc. Nic*; vbi de natiuitate æterna dicitur: *Et ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo*; & de natiuitate temporali: *Natus ex Maria Virgine; & ex Symb. D. Athan. Deus ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus; & homo ex ſubſtantia Matris in ſæculo natus; & Matth. 16. Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Cui reſpondit *Petrus: Tu es Chriſtus Filius Dei viui*; quibus deſignatur duplex Chriſti filiatio; & *Io. 1. Gloriam quaſi vnigeniti à Patre; & Rom. 8. Primogenitus in multis fratribus*; ſuper quod *S. P. Aug. lib. de fide, & Symb. c. 4.* ait: *Quapropter ſecundùm id, quòd vnigenitus eſt, non habet fratres; ſecundùm id autem, quòd primogenitus eſt, fratres vocare dignatus eſt omnes, qui poſt eius primitias* (ſeu *primatum*, vt legunt *alÿ*) *in Dei gratia naſcimur per adoptionem filiorum; & Io. 3. Nemo aſcendit in Cælum, niſi qui deſcendit de Cælo filius hominis, qui eſt in Cælo*; ſuper quod *idem S. P. tractat. 12. in Io. Duæ natiuitates Chriſti intelliguntur, vna Diuina, altera humana; vna, per quam efficeremur; altera, per quam reficeremur. Ambæ mirabiles; illa ſine matre; iſta ſine patre.* Ex quibus ſic. Omnis vera, & realis generatio importat veram, & realem natiuitatem, & veram, ac realem relationem filiationis neceſſariò conſequentem ad ipſam generationem in genito; ſed in Chriſto eſt duplex vera, & realis generatio; ergo in Chriſto eſt duplex vera, & realis natiuitas; & duplex vera, & realis relatio filiationis. Mi. eſt de fide, vt conſtat *ex textibus* allatis; & ratio eſt; quia vera, & realis generatio paſſiua, de qua loquimur, importat acceptionem naturæ à generante; ſed Chriſtus verè accepit naturam Diuinam à Patre æternaliter, & in tempore accepit naturam humanam à Matre; ergo in ipſo eſt duplex generatio paſſiua. Prob. 1. pars ma. Vera, & realis generatio importat veram, & realem acceptionem naturæ à generante; ſed natiuitas dicit acceptionem naturæ à generante; quia naſci ex alio nihil aliud dicit, quàm accipere naturam ex alio; ergo vera, & realis generatio importat veram, & realem natiuitatem. Prob. 2. pars. Ex eo, quòd Chriſtus, vt perſona Diuina, accipiat à Patre naturam Diuinam, neceſſariò conſequitur ex tali acceptione realis filiatio Diuina, per quam reſpicit Patrem; ergo ex eo, quòd Chriſtus, vt homo, accipiat à Matre naturam humanam, neceſſariò conſequitur ex tali acceptione realis filiatio temporalis, per quam reſpicit Matrem.

5 Conf. 1. Chriſtus non potuit conſtitui realiter homo, niſi per realem naturam humanam; ergo non poteſt conſtitui realiter filius hominis, niſi per realem filiationem humanã; atqui Chriſtus eſt verè, & realiter filius hominis, vt docent *Scripturæ*, quia verè, & realiter accepit naturam humanam ab homine; ergo in Chriſto eſt vera, & realis relatio filiationis humanæ.

6 Conf. 2. Ex eo, quòd in ſuppoſito Verbi ſit natura Diuina, nõ impedit, quòd ei ſuperaddatur natura humana, quanuis natura humana in creatis habeat conſtituere ſimul cum ſubſiſtentia ſuppoſitum humanum; ideo impedit ſolùm, ne ſimul cum ſubſiſtentia creata conſtituat ſuppoſitum; ergo à fortiori ex eo, quòd in ſuppoſito Chriſti ſit filiatio Diuina, non impedit, quòd ei ſuperadda-

addatur realis filiatio humana, quia filiatio humana non constituit suppositum. Nam quod non constituit, non multiplicat; ab eodem enim sumitur multiplicatio, & constitutio, quia multitudo sequitur ad ens, ad quod sequitur vnitas; cuius replicatio facit multitudinem; sed filiatio humana non constituit suppositum humanum; quia suppositum humanum est absolutum, & absolutum non constituitur per relatiuum; ergo filiatio humana superaddita alicui supposito illud non multiplicat, & ideo non facit aliud suppositum. Hoc manifestè traditur *à S. P. Aug. in Enchir. cap.35.* docente: *Cùm enim esset vnicus Dei Filius, non gratia, sed natura; vt esset etiam plenus gratia, factus est & filius hominis; idemque ipse, vtrunque ex vtroque vnus Christus*; & statim: *Vnus Dei Filius, idemque hominis filius; non duo Dei Filij Deus, & homo; sed vnus Dei Filius.* Ex quo sic magis vrgetur. Sicut Filius Dei assumẽdo naturam humanam factus est homo salua consistente vnitate suppositi; ita assumendo filiationem humanam factus est filius hominis in vnitate suppositi; sed non fuisset factus verus homo, nisi assumendo veram naturam humanam; ergo non fuisset factus verus filius hominis, nisi assumendo veram filiationem humanam. Tum quia si non assumpsisset veram filiationem humanam, non posset verè dici factus filius hominis; sicut si non assumpsisset veram naturam humanam, non posset verè dici factus homo; ex eo nanque, quòd non assumpsit verum suppositum humanum, non potest dici esse factum verum suppositum hominis; sed Christus verè dicitur factus filius hominis; ergo assumpsit veram relationem filiationis humanæ cum vnitate, & identitate suppositi.

7 Prob.2. Relatio realiter multiplicatur ad multiplicationem fundamenti, in quo immediatè fundatur; sed in Christo est duplex natura, in qua immediatè fundatur relatio filiationis; ergo in ipso est duplex filiatio realis. Ma. constat; nam quamuis sit idem subiectum habens quantitatẽ, & qualitates; attamen quia quãtitas, quæ est fundamentũ immediatum relationis æqualitatis; & qualitas, quę est immediatũ fũdamentũ similitudinis, distinguuntur realiter, ideo relatio æqualitatis, & similitudinis sunt duæ relationes realiter distinctæ; aliter in vnoquoque subiecto non esset, nisi vnica relatio realis, quod nullus diceret; ergo relatio realis realiter multiplicatur ad solam multiplicationem fundamenti, in quo immediatè fundatur. Prob. mi. Fundamentum immediatum filiationis Diuinæ est Diuina natura, quę est fundamentum immediatum omnium relationum Diuinarum; non enim filiatio Diuina potest fundari immediatè in persona Filij, aliter cùm filiatio formaliter constituat personam Filij, fundaretur in se ipsa; & sic idem secundùm idem esset fundatum, & fundamentum; vel cùm fundamentum præsupponatur ad rem fundatam, si filiatio fundaretur in supposito, supponeret ipsum iam constitutũ, & sic esset constitutum ante cõstitutiuum, quod implicat; ergo fundamentum immediatum filiationis humanæ est natura humana; eadem enim prorsus ratio est de vtraque. Tum quia fundamentum generationis passiuæ est natura Diuina, generatio enim fundatur in natura, cùm sit *via in naturam*, idèst communicatio naturæ; communicatio autem est in re communicata; sed generatio passiua est filiatio, sicut generatio actiua est paternitas; aliter cogeremur admittere plures relationes reales in Patre, & Filio; & non tantùm plura munera eiusdem relationis; ergo filiatio in natura Diuina immediatè fundatur.

8 Dices relationes Diuinas, vt potè subsistentes, non fundari in alio.

Sed contra est; quia omnis relatio essentialiter importat fundamentum, ratione cuius est aliquid, vt docet *D. Thom. hic*; relatio enim secundùm se *non est aliquid, sed ad aliquid*; ergo quamuis relationes Diuinę sint subsistentes, debent tamen habere aliquod fundamentum, in quo fundentur. 2. Relatio Diuina formaliter est ordo vnius ad alterum; sed ordo est in re ordinata; ergo relatio Diuina est in aliquo fundamẽto. 3. Quamuis attributa Diuina sint per se subsistentia, nullũ enim accidens datur in Deo; attamen per nostrum modum concipiendi fundantur in Diuina essentia; ergo à pari. 4. *Ex Logica* habetur, quòd ad constituendam relationem realem essentialiter requiritur nedum ratio fundandi, sed etiam fundamentum, & terminus; sed filiatio Diuina est vera relatio realis, vt docet fides; ergo ad illam essentialiter requiritur ratio fundandi, quæ est actio generatiua; fundamentum, quod nequit esse, nisi Diuina natura, quæ per generationem communicatur; & terminus correlatiuus, qui est paternitas, ad quã refertur.

9 Conf. 1. Fundamentum, & subiectum *quod* relationis distinguuntur; vt constat de albedine, quæ est fundamentum similitudinis; & de substantia parietis, quæ est subiectum, quod denominatur simile; sed suppositum Verbi Diuini est subiectum, quod denominatur filius; ergo debet distingui à fundamento immediato ipsius filiationis; atqui sola natura Diuina distinguitur formaliter virtualiter à suppositalitate Verbi Diuini; ergo sola natura Diuina est fundamentum immediatum filiationis. 2. Fundamentum immediatum filiationis est illud, per quod formaliter habetur generatio, per quam denominatur filius; sicut fundamentum immediatum similitudinis est illud, per quod formaliter paries denominatur similis; sed natura est id, per quod suppositum denominatur genitum, & per quod denominatur filius; non enim suppositum denominatur formaliter genitum per subsistentiam, aliter omne subsistens esset geni-

tum; sicut paries denominatur similis per albedinem, non per subsistentiam, aliter omne habens subsistentiam esset simile; ergo natura est fundamentum immediatum filiationis.

10 Prob.3. *cum nostro Argent.* Quanuis possit dari causa, quæ non dicat relationem realem ad effectum, quia ad illum nequit ordinari realiter; vt est Deus, qui est causa omnium creaturarũ, & non dicit relationem realem ad creaturas, quia ad illas nequit ordinari realiter, cùm sit vltimus finis omnium rerum simpliciter inordinabilis ad aliud, & ideo irreferibilis, quia relatio est *ordo vnius ad aliud*; attamen nequit dari aliquis effectus realiter productus ab aliqua causa, qui ad illam non dicat relationem realem; productio enim effectus essentialiter importat dependentiam à causa secundùm esse, quod ab illa recipit; & depẽdentia realis vnius ab alio est realis relatio, vel importat essentialiter relationem realem; sed Christus, vt homo, est effectus productus à B. Virgine, tanquam à causa realiter productiua; etenim B. Virgo est vera Mater Christi, vt homo est; ergo Christus, vt homo, dicit veram relationem realem ad B. Virginem, tanquam ad causam productiuam in similitudinem suæ naturæ specificæ athomæ; atqui relatio realis ad causam productiuam hominis in similitudinem naturæ specificæ est realis relatio filiationis; ergo in Christo est realis relatio filiationis ad B. Virginem, & per consequens est duplex filiatio.

11 Prob.4. *cum Fund. Doct.* Ratio, ob quam non multiplicatur relatio in eodem subiecto, vel est ratione fundamenti, in quo fundatur, quia vnum est realiter immultiplicatum; nam cùm relatio secundùm se non sit aliquid, nisi ratione fundamenti, sed ad aliquid, vt docet *D. Thom. apud Fund. Doct. hic*; ideo non potest multiplicari, nisi multiplicato fundamento, quia non potest multiplicari, nisi ratione illius, ratione cuius est ens, & aliquid; vt relatio similitudinis ad plura alba non multiplicatur in eodem pariete albo, quia non multiplicatur albedo, quæ est fundamentum proximum similitudinis; sic quanuis in patre, & matre sint duæ relationes respectu eiusdem filij, quia sunt duo subiecta; attamen in eodem filio, quia est vnum subiectum, est vna tantùm filiatio, per quam respicit patrem, & matrem. Vel est ratione subiecti, quia duæ relationes, seu duo accidentia eiusdem speciei, vt duæ albedines, nequeunt esse in eodem subiecto; sed nulla ex his rationibus interuenit in præsenti; nam fundamentum immediatum filiationis humanæ est natura humana; & fundamentum proximum filiationis Diuinæ est natura Diuina, quæ differt realiter à natura humana, vt dictum est; tum quia illud est fundamentum immediatum filiationis, quo posito ponitur filiatio, & sine quo nequit esse, nec intelligi filiatio; sed posita natura Diuina, vel humana communicata per generationem ponitur filiatio, & sine ipsa nequit esse, vel intelligi; ergo natura communicata per generationem est fundamentum proximum filiationis. Item relatio filiationis Diuinæ, & humanæ differunt nedum specie athoma, sed & supremo genere negatiuè eo, quia natura humana, ad quam sequitur filiatio humana, est in genere substantiæ; natura verò Diuina est extra genus substantiæ creatæ; & filiatio Diuina non est in prædicamento relationis, quod est finitum, quia clauditur terminis, qui sunt genus, & differentia; filiatio verò humana est in prædicamento relationis; sed plures relationes specie, & genere diuersæ possunt esse in eodem subiecto, vt notum est de relationibus similitudinis, æqualitatis &c; ergo & filiatio Diuina, & humana possunt esse in eodem subiecto, seu supposito Christi, non quidem immediatè receptiuè, quia suppositum Diuinum non est capax immediatè recipere relationem realem; sed assumptiuè, quia potest assumere naturam humanam, & filiationem consequentem ad naturæ humanæ communicationem. 2. In tantùm Deus producens creaturas non dicit relationem realem ad illas, in quantùm non assumit creaturas productas in vnitatem suppositi Diuini, & ideo illis mediantibus non assumit relationem consequentem ad esse creaturarum, & ex alia parte relatio nequit immediatè recipi in supposito Diuino, quod non est capax recipere relationem creatam; sed suppositum Diuinum Filij assumpsit naturam humanam in sui vnitatem; ergo & relationem consequentem ad productionem illius. 3. Suppositum Verbi ita suppleuit suppositum humanum vniendo sibi naturam humanam, vt de illo verificentur omnia secundùm naturam humanam, quæ verificata fuissent, si natura humana suppositata fuisset à proprio supposito; vt sæpe diximus *ex S. P. August. serm. 58. de Verbis Domini*; quapropter suppositum Verbi dicitur incarnatum, passum &c. per naturam humanam; sed de supposito humano verificatum fuisset, quòd habuisset relationem realem filiationis temporalis ad matrem; ergo & de supposito Diuino gerente vicem suppositi humani. 4. Suppositum Verbi in sui vnitatem assumpsit naturam humanam ita, vt vnum, & idem suppositum terminet naturam Diuinam, & humanam; sed vt accipit naturam Diuinam à Patre, dicit realem relationem filiationis ad ipsum; ergo vt accipit naturam humanam à Matre, dicit relationem realem filiationis ad illam.

12 Obijc. 1. Filiatio Diuina, & humana differũt solùm in hoc, quòd illa constituit personam Diuinam; hęc verò tantùm adiacet, seu aduenit personæ iam constitutæ; vtraque tamen est in supposito; sed nihil reale potest aduenire supposito Diuino ex tempore; quia omnia, quæ dicuntur de Deo ex tempore, sunt denomina-

tio-

tiones merè extrinsecæ, quæ non important in Deo, nisi aliquid rationis; ergo filiatio humana in Christo importat tantùm aliquid rationis.

Ad hoc *Fund. Doct. vbis. dub.2. lat.* resp. 1. dist.2. part. ma. Vtraque est in supposito mediante natura, conc; immediatè, neg; nam sicut forma est in composito ita, vt sit immediatè in materia, quam constituit sub actu, & mediante materia est in composito, quia simul cum materia constituit compositum; non tamen forma ita est in composito, vt recipiatur in toto composito, aliter reciperetur etiam in se ipsa; quapropter forma dicitur esse in materia, vt in subiecto informationis; & in cōposito, vt in subiecto denominationis; & formæ accidentales, vt qualitates, dicuntur esse in quantitate, vt in subiecto inhæsionis; & in toto, vt in subiecto denominationis; *ita filia*tio Diuina est in supposito tāquā constitutiuum formale in constituto eo, quia est in essentia Diuina, tanquā in subiecto, cum qua simul constituit suppositum, vt quoddam totum coalescens ex natura, & suppositalitate; & ideo immediatè recipitur in essentia Diuina, tanquam in fundamento; & veluti subiecto proximo; & in toto supposito est, sicut pars in toto, quæ ita est in illo, vt pro prioritate rationis, vel naturæ intelligatur vniri alteri comparti, cum qua causat totum, causa enim aliquo modo debet esse prior effectu; & ideo immediatiùs vnitur naturæ, quàm toti supposito; & hoc eluitur amphibologia huius argumenti.

Resp. 2. *idem* distin. mi. Nihil reale potest aduenire Deo ex tempore assumptiuè in vnitatem suppositi, neg; natura enim humana in tempore aduenit Verbo in vnitatem personæ, & est aliquid reale, non phantasticum, seu rationis, vt blasphæmabant *Manichæi*; & hoc modo aduenit ei filiatio realis ad Matrem. Nihil reale potest aduenire Verbo merè inhæsiuè, subiectiuè, conc.

13 Ex his patet hoc arg. principale, quod adeò magnificant *Aduersarij*, nihil omnino concludere.

14 Obijc. 1. Filiatio est proprietas personalis constitutiua personæ Filij; sed in Christo est vna tantùm proprietas personalis, quia est vna tantùm persona; ergo est vna tantùm filiatio. 2. Christus est Filius Patris, & matris, sicut quilibet alius homo; sed quilibet alius homo refertur ad patrem, & matrem per vnam, & eandem filiationem; ergo idem. 3. Duo accidentia eiusdem rationis nequeunt esse in eodem subiecto; sed duæ filiationes sunt huiusmodi; ergo idē. 4. Idem continuum refertur ad suas partes per vnam relationem; ergo idem.

Resp. ad 1. *cum Fund. Doct.* dist. ma. Filiatio assumpta, neg; assumens, conc. Vel filiatio est proprietas personalis immediatè fundata in natura Diuina, conc; secus, neg. Ad 2. neg. ma; nam Christus est Filius Patris sine matre, & Matris sine patre; & in eo, quòd Filius Patris, accipit naturam Diuinam; in eo autem, quòd Filius Matris, accipit naturam humanam, quæ, cùm sit diuersa à natura Diuina, fundat diuersam filiationem. Quilibet autem alius homo habet vnam tantùm naturam; & ideo vnam tantùm filiationem. Ad 3. neg. mi; nam filiatio Diuina differt à filiatione humana prædicamento, & ideo plusquam genere, vt *sup.* dictum est. Ad 4. neg. conf; nam totum continuum per vnicam relationem refertur ad suas partes, quia est vna quantitas, quæ est fundamentum immediatum illius relationis, atque adeo non multiplicatur relatio, quia non multiplicatur fundamentum; at verò in Christo est duplex natura, & ideo duplex fundamentū duplicis relationis, & per consequens duplex relatio filiationis.

15 Obijc. 1. Si natura humana esset fundamentum filiationis, sequeretur, quòd Christus in triduo non fuisset filius B.Virginis, nec B.Virgo fuisset Mater Christi; quia in triduo fuit destructa humanitas Christi, destructo autem fundamento destruitur res fundata, & ideo destructa humanitate destructa fuisset pariter filiatio, per quam solùm dicitur Filius; sed conf. est falsum; ergo & ant. Prob. mi. Si in triduo fuisset destructa filiatio humana, sequeretur quòd post resurrectionem Christus non fuisset ampliùs filius B.Virginis; nec B.Virgo fuisset ampliùs Mater Christi, quia accidens semel destructum non redit ampliùs idem numero; sed hoc est falsum; ergo & id, vnde sequitur. 2. Si in Christo essent duæ filiationes reales, Christus esset duo filij, quia sicut impossibile est esse duas albedines, nisi sint duo alba, ita à pari; sed hoc est falsum; ergo idem. 3. Si filiatio realis temporalis poneretur in Christo, maximè, quia Christus realiter dicitur filius Virginis; sed hoc non obstat; quia Deus dicitur realiter Dominus creaturæ, & tamen in Deo non est relatio realis ad creaturam; ergo idem. 4. Vnus, & idem pater per eandem paternitatem refertur ad plures filios; ergo vnus, & idem Christus per eandem filiationem refertur ad Patrem, & Matrem.

Resp. ad 1; quòd Christus in triduo ita fuit Filius B.Virginis, & B.Virgo eius Mater, sicuti alij filij, cùm moriuntur, dicuntur filij, & aliæ matres dicuntur matres, quia habent hanc denominationem à filiatione, quæ fuit, non quæ est. Ad prob. mi. neg. seq; nam in resurrectione redeunt eadem numero accidentia, quę erant ante corruptionem. Ad 2. neg. ma; & disparitas est; quia duæ albedines solo numero distinctæ nequeunt esse in eodem subiecto, & ideo inferunt duo subiecta; at verò duæ naturæ possunt esse in vno, & eodem supposito Christi, & ideo possunt fundare duplicem filiationem; & sicuti quia quantitas, & qualitas possunt esse in eodem subiecto, ideo possunt in illud inuehere duplicem relationem similitudinis, & æqualitatis,

tis,

tis, quia quantitas, & qualitas differunt genere; ita quia natura humana, & Diuina differunt plusquam genere, ideo possunt inuehere duplicem filiationem, quam fundant, in vnum suppositum Diuinum, in quo vniuntur. Ad 3. iam *sup.* dictum est *cum Fund. Doct.* creationem non assumere aliquam creaturam in vnitatem Dei, in qua creatura possit subiectari relatio realis; sicuti per incarnationem assumpta est natura humana, in qua fundatur filiatio; & ideo nulla est paritas; neg. igitur ma. Addit *Argent.* quòd relatio Creatoris ad creaturam, & Domini ad seruum trahitur ad modum relationis mensuræ ad mensuratum, quę realiter tantùm est in mensurato, quia Creator, & Dominus præfigit modum creaturæ, & seruo; at relatio filiationis nequit trahi ad modum mensuræ, quia filius nequit esse mensura matris, cùm effectus nequeat esse mensura suæ causæ; sed potiùs è contra. Ad 4. neg. conf; nam vnus,& idem pater habet vnam, & eandem naturam, quam participat pluribus filijs, & in ea fundatur relatio paternitatis, quæ nequit multiplicari, quia non multiplicatur natura, in qua fundatur; at verò Christus Dominus accipit à Patre,& Matre duplicem naturam, & ideo duplicem filiationem.

16 Obijc. 4. Omne accidens denominat subiectum, in quo fundatur, vt albedo denominat subiectum album; sed filiatio temporalis non denominat naturam humanam filiam, sed suppositum; ergo non fundatur in natura humana, sed in supposito. 2. Filiatio attribuitur supposito, non naturæ; solum enim suppositum denominatur filius, non natura; ergo idem.

Resp. Ad 1. dist. ma. Denominat subiectum *quod*, seu subsistens, conc; subiectum immediatum, neg; quamuis enim intellectio fundetur immediatè in potentia intellectiua; attamen denominat hominem intelligentem; & actio generatiua in Patre fundatur in natura Diuina, & tamen non denominat generantem naturam Diuinam; ita à pari. Additur, quòd licèt natura in abstracto non denominetur Filius, quia concretum, vt est Filius, nequit prædicari de abstracto in recto; nam concretum vltra naturam importat suppositum, quod non importatur ab ipsa natura in abstracto; attamen filius prædicatur de homine; valet enim: *Christus, vt homo, est Filius Virginis*; homo autem est concretum naturæ humanæ, & ideo filius prædicatur de natura humana in concreto. Ad 2. dist. ant. Filiatio tribuitur supposito mediante natura, conc; in tantùm enim suppositum dicitur filius, in quantùm nascendo accipit naturam; immediatè, neg. Præterea etiam nasci tribuitur supposito, vt ait *D. Dam. lib. 3. c. 34. Non est naturæ nasci, sed hipostasis*, & sic pati, mori &c. dicuntur de supposito, & tamen certum est suppositum Christi Domini non nasci temporaliter, pati, mori &c; nisi mediante natura; ita à pari.

17 Obijc. 5. Si filiatio fundaretur in natura, sequeretur, quòd si Verbum naturam humanam dimitteret, adhuc foret Filius Virginis, quia maneret in illa natura eadem relatio filiationis; sed conf. est falsum; quia B. Virgo non genuisset illum hominem ex illa natura dimissa resultantem; ergo & ant. 2. Sequeretur, quòd si vnio hipostatica facta fuisset post conceptionem Christi,adhuc B.Virgo etiam post vnionem hipostaticam esset vera Mater Dei, quia perseueraret idem fundamentum filiationis; & per consequens eadem filiatio; sed conf. est falsum; ratio enim, ob quam *SS. PP. contra Nestorium* asserunt B. Virginem esse matrem Dei, est, quia actio B. Virginis terminata fuit ad hominem Deum, non ad purum hominem; ergo & ant. 3. Alij filij habent à matribus nedum naturam humanam, sed etiam subsistentiam, & suppositalitatem; ergo habent aliam relationem consurgentem ex subsistentia, & suppositalitate; sed hæc est filiatio; ergo illa, quam habet Christus à B. Virgine, non est filiatio.

Resp. ad 1. neg. ma; nam si humanitas dimitteretur à Verbo, abiret in nihilum, nisi resultaret propria subsistentia creata, per quam subsisteret in rerum natura; & si resultaret propria subsistentia, illa humanitas mutaretur, quia transiret ad aliud esse subsistens, & sic non remaneret eadem filiatio. Ad 2. neg pariter seq. ob eandem rationem; nam si caro, & anima Christi concepta fuisset ante vnionem hipostaticam, in instanti conceptionis resultasset propria subsistentia creata, quæ per vnionem hipostaticam subsecutiuè destructa fuisset, quia Verbum non potest assumere naturam subsistentem, vt diximus *q. 1. art. 7*; & ideo illa natura transijsset ad nouum esse, & per consequens mutata fuisset, & simul mutata fuisset filiatio in ipsa fundata. Ad 3. neg. ant; nam mater in generatione filij subministrat solam materiam, in quam actio viri inducit animam rationalem, ad quam naturali sequela resultat subsistentia, & suppositalitas, vt *cum Phil.* fatetur etiam *D. Tho.*

18 Obijc. 6. Per generationem humanam Christus dicitur genitus in tempore Filius Dei, etiansi generatio humana non contulerit Christo filiationem Diuinam; ergo è contra Christus potest dici genitus in tempore filius hominis per generationem Diuinam, etiansi generatio Diuina non contulerit Christo filiationem humanam. 2. Negare duas filiationes in Christo est magis conforme *Conc; & SS.PP.* negantibus in Christo duas personas,& duos filios; nam magis probatur Christum esse vnicum Filium, si in ipso sit tantùm vnica filiatio; quàm si sint duæ filiationes; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. conf; nam generatio humana supponit generationem æternam, per quam constituitur filiatio Diuina, cui humana gene-

generatio coniungitur per vnionem hipostaticam; & ideo per communicationem idiomatum potest de illa prædicari in concreto; at verò si non esset filiatio humana, generatio Diuina nõn vniretur filiationi humanæ; & ideo hoc idioma, nempe *filius hominis*, non potest communicari Filio Dei, quia non esset filiatio temporalis, per quam posset dici filius hominis; sicut si non esset filiatio Diuina, supposito, quòd Pater, aut Spiritus Sanctus assumpsisset naturam humanam, non posset per generationem humanam dici genitus in tempore Filius Dei; quia filiatio Diuina non esset realiter in persona assumente; ita si filiatio temporalis non esset realiter in natura assumpta, persona assumens non posset denominari filius hominis, quia filiatio humana verè, & realiter in illa non esset. Ad 2. neg. ant; nam *Concil; & SS. PP. simul cum Scripturis* docent Christum esse vnam tantùm personam, quæ simul est Filius Dei, & filius hominis secundùm duplicem naturam; & sicut admittendo duplicem naturam non admittimus duas personas, ita admittendo duas filiationes sequentes ad duplicem naturam, non admittimus, nisi vnam personam, & vnicum filium; & sicuti admittendo in Christo vnam tantùm naturam, magis probaretur esse vnam tantùm in eo personam, sed ineptè, & blasphemè, vt admittebat *Eutyches*; ita quanuis admittendo vnicam filiationem, magis probaretur esse vnicum filium, ineptè tamen, & cum periculo, quia posset suboriri dubium, an verè, & realiter Christus esset filius hominis, qui non dicitur, nisi à relatione reali consurgente ad communicationem naturæ humanæ ob rationes allatas in concl.

ART. IV.

Resoluuntur quædam quæsita.

1 QVæres 1; an prædestinatio Christi sit causa nostræ prædestinationis?

Resp. hoc fuisse resolutum *to. 2. de præd. SS. q. 3. art. 3*; vbi diximus prædestinationem Christi Domini non fuisse causam efficientem Diuini propositi, seu intentionis prædestinandi nos; quia Diuinum propositum, seu intentio Dei est actus immanens Dei increatus, & ideo non habet causam creatricem, seu efficienter productiuam illius; esse tamen causam efficientem executionis nostræ prædestinationis; Christus enim, vt habetur *ad Tim. 2. Mediator Dei, & hominum est homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*; medium autem est causa efficiens executionis, vt constat. Tum quia fuit exemplar nostræ prædestinationis, vt mox dicemus; exemplar autem reducitur ad causam efficientem, cùm sit forma causans extrinseca. Præterea diximus prædestinationem Christi Domini esse causam exemplarem nostræ prædestinationis etiam quoad intentionem iuxta illud *Rom. 8. Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui*; super quod *S. P. Aug. de Bono perseu. c. 24. Nullum est illustrius nostræ prædestinationis exemplum, quàm ipse Mediator Iesus*; & eodem modo esse causam meritoriam; vt habetur *Ephes. 1. Elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate prædestinans nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum; & Io. 1. De plenitudine eius omnes accepimus*; ex quibus *textibus* colligitur omnem gratiam nobis fuisse collatam ex meritis Christi. Tandem esse causam finalem; docet enim *Apost. Ephes. 4.* totam Ecclesiam ordinatam esse *in ædificationem corporis Christi; & S. P. Aug. de prædest. SS. c. 15. Sicut prædestinatus est ille vnus, vt caput nostrum esset; ita multi prædestinati sumus, vt membra eius essemus; & de Bono perseu. c. 20.* explicans, quomodò prædestinati sumus in Christo inquit: *Et illum ergo, & nos prædestinauit, qui & in illo, vt esset Caput nostrum, & in nobis, vt eius corpus essemus*; membra autem ordinantur ad caput, & sunt gratia capitis; & illud, ad quod aliud ordinatur, & cuius gratia est, est causa finalis illius, vt est manifestum. Rationes, & obiectiones solutas *vid. vbis.*

2 Quæres 2; an Christus sit causa meritoria prædestinationis determinatè, illorum scilicet, qui saluantur; vel solùm vagè aliquorum?

Resp. esse causam meritoriam determinatè, & signanter, vt diximus *loc. cit*; & deducitur *ex ijsdem textibus*: *Elegit nos in ipso*; illa autem particula *nos* designat certas, determinatas, & signatas personas. *Vid. S. P. Aug. de præd. SS. c. 19; & de corr. & grat. c. 7.* Rationes, & obiectiones adducuntur *to. 2. vbis.*

3 Quæres 3; in quo consistat conformitas inter prædestinationem Christi, & nostram?

Resp. *Fund. Doct. hìc disp. 10. p. 3. q. 1. art. 2. in resol. dub. 1. lat*; quòd quia omnis similitudo habet secum adiunctas plures dissimilitudines, aliter si in nullo esset dissimilis, non esset similitudo, sed identitas; idem enim ineptè dicitur similis sibi ipsi; ideo duplex similitudo est inter prædestinationem Christi, & nostram; & triplex dissimilitudo. Prima similitudo est ex parte Dei prædestinantis; nam idem Deus prædestinauit Christum, vt hominem, & nos in ipso. Secunda est, quòd sicut nulla merita præcesserunt in Christo ipsam vnionem hipostaticam, quibus meruerit naturam humanam in vnitatem Filij Dei assumi; ita nulla merita præcesserunt in nobis, vt in filios Dei adoptaremur. Hanc similitudinem latè prosequitur *S. P. Aug. de præd. SS. c. 12; & 15*; & ex ipso *Glos. in c. 8. ad Rom.* Prima verò dissimilitudo est ex parte termini *à quo*; nam nostra prædestinatio incipit à miseria, & à peccato, cuius præuisionem supponit prædestinatio, vt probauimus *eod. to. 2. ibid. art. 1; & 2; & q. 5.*

& q.5. art.3; & si durasset status innocentiæ, incepisset à non filio Dei; quia in primo instanti naturæ nos non fuissemus filij Dei, & ex non filijs facti fuissemus filij Dei adoptiui; at prædestinatio Christi nullam supponit miseriam, aut peccatum; quia *solus inuentus est inter mortuos liber. ps.*81; & in primo instanti vnionis fuit Filius Dei. Secunda est ex parte termini *ad quem*; quia nos prædestinati sumus ad vnionem cum Deo in esse intelligibili per operationem intellectualem; Christus verò prædestinatus fuit ad vnionem cum persona Diuini Verbi per assumptionem naturæ humanæ in vnitatem suppositi Diuini. Ex hac nascitur tertia dissimilitudo; quia nos prędestinati sumus in adoptionem filiorum, tanquam filij extranei, idèst non habentes in nobis nec suppositum, nec naturam Diuinam; Christus verò prædestinatus est ad filiationem Dei naturalem, vt diximus *art.* 1.

4 Quæres 4; an prædestinari propriè competat personæ, vel naturæ?

Resp. *Fund. Doct. vbis. in resol. art.* 2; quòd si loquamur de prædestinatione effectiuè, sic competit toti Trinitati; quia tota Trinitas operata est vnionem naturæ humanæ ad personam Verbi. Si verò sumatur passiuè; sic competit soli naturæ humanæ; quia hæc sola vnita est passiuè personæ Verbi. At si sumatur terminatiuè; tunc competit personæ Verbi, quæ sola terminauit naturam humanam. Ex hoc deducitur, quòd cùm dicitur: *Christus, vt homo, est prædestinatus*; verum dicitur, etiam prout *homo* importat suppositum Diuinum terminans humanam naturam; nam suppositum est prædestinatum terminatiuè, idèst destinatum, vt terminet naturam humanam; prout verò importat naturam humanam, est prædestinatus passiuè; quia natura humana destinata fuit, vt passiuè supposito Filij Dei vniretur.

5 Quæres 5; an filiatio temporalis Christo Domino sit naturalis?

Resp. *Fund. Doct. dist.* 8. *p.* 3. *q.* 1. *art.* 3. vtranque filiationem posse dici Christo naturalem; quia æterna illi competit per naturam Diuinam, quæ naturaliter competit personæ Diuinæ; & temporalis ex parte matris est illi naturalis; quoniam B. Virgo naturaliter subministrauit materiam dispositam, vt fieret caro; hoc enim faciunt naturaliter omnes aliæ matres; ergo & B. Virgo hoc naturaliter fecit; & ideo est Mater naturalis Christi; & Christus est filius naturalis B. Virginis. At ex parte patris, seu gerentis munus patris naturalis fuit tripliciter miraculosa. 1. Quia alij homines ex parte patris naturaliter concipiuntur virtute seminis virilis; at Christus conceptus fuit virtute Spiritus Sancti, qui purissimum sanguinem B. Virginis conuertit in carnem, quod erat munus hominis; ideo *Luc.* 1. dicitur: *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; quod enim nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Christus ergo natus est Sanctus, quia conceptus, & natus virtute Spiritus Sancti, quod non competit naturaliter alijs hominibus; & per consequens Christus quoad conceptionem, & natiuitatem fuit filius B. Virginis miraculosus, non naturalis. 2. Alij homines non concipiuntur in instanti; nam vt docet *S.P.Aug. lib.* 83. *quæst. q.* 9; puer per sex dies est, sicut lac; per nouem sanguis; per duodecim coagulatur, & fit, sicuti caro; & manet, sicut caro, per dies decem, & octo; formantur inde membra; qui dies simul sumpti efficiunt dies quadraginta quinque; qui addito vno propter mysterium efficiunt dies quadraginta sex, quibus formatur corpus humanum; quod significatum fuit per ædificationem templi annis quadraginta sex constructi. At Christi corpus in eodem temporis momento, quo B. Virgo consensum præbuit illis verbis: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*; statim formatum est, introducta anima; & vtrunque personæ Verbi vnitum. 3. Christi corpus licèt non habuerit dotem subtilitatis; attamen miraculosè habuit actum huius dotis; sicut enim post resurrectionem clausis ianuis intrauit ad Apostolos; ita exijt ex vtero clauso B. Virginis.

6 Quæres 6; an Christus sit filius B. Virginis natura, vel gratia?

Resp. *Fund. Doct. dist.* 10. *p.* 3. *q.* 1. *art.* 2. *dub.* 5. *lit*; quòd secundùm naturam humanam est filius B. Virginis natura; quia secundùm naturam humanam natus est ex B. Virgine, sicut alij filij nascuntur ex suis matribus; at prout est homo Deus, est filius B. Virginis per gratiam vnionis, non adoptionis.

7 Quæres 7; an possit concedi, quòd Diuina natura sit incarnata, & nata de B. Virgine?

Resp. *Fund. Doct. dist.* 8. *p.* 3. *q.* 1. *ar.* 3. *dub.* 1; *&* 2. *lit*; quòd propriè loquendo persona Filij est incarnata, & nata ex Maria Virgine; quia tamen persona Filij identificatur cum natura Diuina, adeoque mediante persona natura humana est terminata ad naturam Diuinam; ideo potest concedi, quòd natura Diuina, prout est in Filio, est incarnata; & nata; vt habet *Mag. sent.*

8 Quæres 8; an hæc propositio: *Hic homo* (designando Christum) *prædestinatus est Filius Dei*; sit concedenda in rigore?

Resp. affirmatiuè *cum Fund. Doct. dist.* 7. *p.* 2. *q.* 1. *art.* 1. Est *cont. Duran; Paludan; Lorc; & alios apud Vasq.* Prob. 1. *ex Apost*; qui *Rom.* 1. de hoc homine ait; qui *prædestinatus est Filius Dei*; *& S. P. Aug. de prædest. SS. c.* 15. loquens de prædestinatione Christi inquit: *Respondeatur, quæso; ille homo, vt à Verbo Patri coæterno in vnitatem personæ assumptus Filius Dei vnigenitus esset; vnde hoc meruerit?* Idem habet *in Enchir. c.* 36; & hęc eadem verba referunt *Glos. in cap.* 1. *ad Rom*; *& Mag. Sent. hic*. Rationes, obiectiones, & earum solu-

ſolutiones allatæ ſunt *art.* 1. Ex quibus ſic. Illud eſt in rigore concedendum, quod aſſerunt *Scripturæ*, & *SS. PP*; & ex quo nullum ſequitur abſurdum in fide; ſed hæc propoſitio eſt huiuſmodi; ergo eſt concedenda in rigore.

9 Quæres 9; an hæc propoſitio: *Chriſtus prædeſtinatus eſt Filius Dei*; ſit abſolutè concedenda?

Reſp. affirmatiuè. *Ita Fund. Doct. vbiſ. cont. Sua; Vaſq; & plurimos alios*. Ratio eſt; quia ſubiectum huius propoſitionis ſumitur, prout aliquo modo diſtinguitur à prædicato; aliter propoſitio eſſet merè nugatoria; vt hæc: *Filius Dei prædeſtinatus eſt Filius Dei*; & ideo ad hoc, vt allata propoſitio habeat rationem propoſitionis formalis, debet ſumi eius ſubiectum, vt aliquo modo diſtinctum à prædicato; quia propoſitio debet conſtare ex vero ſubiecto, & prædicato; verum autem prædicatum eſt, quod dicitur de alio; & ſubiectum eſt, de quo aliud dicitur; hoc autem nequit verificari, niſi ſubiectum aliquo modo ſit aliud, & diſtinctum à prædicato; ergo *Chriſtus* in allata propoſitione ſumitur, vt importat ſuppoſitum Diuinum gerens vicem ſuppoſiti humani terminando naturam humanam, & vt aliquo modo diſtinguitur à ſe ipſo, prout habet rationem ſuppoſiti Diuini terminantis naturam Diuinam communicatam per generationem æternam; & ſic poteſt ad ſe ipſum ſecundùm hanc rationem prædeſtinari; ſic autem habet rationem Filij; vt diximus *artic.* 1; *quem vid.*

10 Quæres 10; an ſi concedenda hæc propoſitio: *Filius Dei prædeſtinatus eſt, vt eſſet homo*?

Reſp. *Fund. Doct. vbiſ. art.* 2. hanc locutionem non eſſe veram per omnem modum, licèt in aliquo ſenſu veritatem poſſit habere. Ratio eſt. Ad prædeſtinationem ſeptem requiruntur. 1. Vt prædeſtinatio ſit de his, quæ ſunt gratiæ. 2. Quòd ſit ſine præcedentibus meritis. 3. Quòd ſuppoſitum prædeſtinetur per comparationem ad aliquam naturam. 4. Quòd talis prædeſtinatio ſit præuiſa ab æterno. 5. Quòd eueniat in tempore, ſicut præuiſum eſt ab æterno. 6. Quòd prædeſtinato fiat gratia, & beneficium. 7. Quòd illud, ad quod prædeſtinamur, habeat rationem vltimi finis ſimpliciter; & hæc colliguntur ex definitione prædeſtinationis allata *à S. P. Aug. Præparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro*; vt patet conſideranti; atqui primum, & vltimum requiſitū ad prædeſtinationem non verificantur de Filio Dei; nulla enim facta eſt gratia Filio Dei in decreto vnionis hipoſtaticæ; quia gratia facta eſt ſoli homini; nam Filius Dei *ſeipsū exinaniuit formam ſerui accipiens*; exinaniri autem non eſt gratia; nec homo poteſt eſſe finis vltimus Dei, cùm ſit medium ad Deum; ergo quamuis ſecundùm alia quinque requiſita poſſit dici Filius Dei prædeſtinatus, vt ſit homo, nequit tamen dici ſimpliciter, & abſolutè per omnem modum.

11 Inſt. *Sua.* non eſſe neceſſarium, vt gratia fiat ei, qui prædeſtinatur; ſed ſatis eſſe, vt ex gratia, quæ alicui fit, alter denominetur extrinſecè prædeſtinatus.

Sed contra eſt id, quod dicitur in definitione prędeſtinationis, ſcilicet *præparatio gratiæ*; nam ſi velimus loqui de prædeſtinatione latè, prout importat ſolam ordinationem Diuinam, ſic poſſumus cōcedere Filium Dei fuiſſe prædeſtinatum, vt eſſet homo; ſed hæc eſt impropria locutio; in hoc enim ſenſu poſſumus dicere aliquem eſſe prædeſtinatum ad mortem, ad pœnam &c.

12 Quæres 11; an Chriſtus poſſit dici prædeſtinatus ad gloriam, & alia dona gratiæ?

Reſp. *ex eodem* negatiuè; illud enim, ad quod datur prædeſtinatio, debet eſſe ſimpliciter vltimum, & ideo principaliter intentum à Deo, vt diximus; ſed id, quod eſt primò, & principaliter intentum, eſt vnio hipoſtatica; hæc enim eſt magis excellens, quàm viſio, & amor beatificus; ergo gloria animæ, & alia dona non ſunt id, ad quod prædeſtinatus eſt Chriſtus primò, & principaliter, ſed tantùm ſecundariò, & conſecutiuè.

ART. V.

An Chriſtus, vt homo, ſit ſeruus Dei?

1 QVæſtio eſt inter Catholicos de puro nomine; omnes enim fatentur *contra Arrianos* Chriſtum ſecundùm naturam Diuinam eſſe vnū Deum cum Patre æqualem ei in Dominio, ſede, cultu, & honore; & ſecundùm naturam humanam eſſe Patre minorem, & inferiorem; quia natura humana Chriſti Domini eſt creata, dependet à Deo, vt à primo Auctore, atque adeo eſt ſub plena Dei poteſtate, ac dominio, cui in omnibus debet obedire. Solùm quæritur, an hoc ſufficiat, vt Chriſtus propriè, & in rigore dicatur ſeruus ſecundùm naturam humanam; an verò ſolùm dici debeat ſeruus figuratè, & allegoricè?

2 Ratio dubitandi ex vna parte eſt. 1. *Ad Gal.* 4. habetur: *Itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius; quòd ſi filius, & hæres per Deum*. Quibus verbis innuit ſeruitutem eſſe incompoſſibilem cum filiatione, & cum iure ad hæreditatem; ius autem ad hæreditatem importat dominium, quod repugnat ſimul eſſe cū ſeruitute; eſt enim correlatiuum ſeruitutis; ſed Chriſtus, vt homo, eſt Filius Dei naturalis, & habet ius ad omnia bona Dei, vt diximus *art.* 2; ergo Chriſtus, vt homo, non eſt ſeruus. 2. *Conc. Francoford.* ęquè damnat *Elipandum* aſſerentem Chriſtum, vt hominem, eſſe Filium Dei adoptiuum, ac eſſe Dei ſeruum; habet enim *Adrian. in ep.* circa medium: *Tanta nimirum vos temeritatis dementia*

deludit, vt adoptiuum eum Filium, quaſi purum hominem calamitati humanæ ſubiectum, & (quod pudet dicere) ſeruum eum impÿ, & ingrati tantis beneficÿs liberatorem noſtrum non pertimeſcunt venenoſa facere ſuſurrare. Cur non veremini, queruli obtrectatores Deo odibiles, illum ſeruum nuncupare, qui vos de ſeruitute Diaboli liberauit? Nec valet dicere, quòd *Conc.* loquatur de ſeruitute peccati, in quo ſenſu Chriſtus, vt homo, ſeruus dici nequit, quia peccatum non habuit. Non valet; inquam; quia *Conc.* expreſsè loquitur de omni ſpecie ſeruitutis, ſcilicet de ſeruitute peccati; & de ſeruitute, prout dicit inferioritatem naturæ; quapropter ait, quòd licèt Chriſtus ſecundùm naturam humanam non ſit ſeruus hominum, quia eſt Rex; neque Angelorum; licèt enim fuerit minor Angelis effectus, attamen non eſt ſeruus Angelorum; deinde procedit ad loquendum de ſeruitute reſpectu Patris, & concludit neque in hoc ſenſu poſſe vocari ſeruum, quia Pater *in baptiſmo, & transfiguratione* eum Filium dixit, non ſeruum. Hinc idem *Conc.* aſſerit, quòd licèt *in veteri teſtamento* Chriſtus appellatus fuerit ſeruus, nullibi tamen *in nouo teſtamento* hoc legitur; vnde deducit *Adrianus textus* veteris teſtamenti eſſe intelligendos figuratè, non propriè his verbis: *Poſtquam autem ceſſauit vmbra veritati, & ipſa in promptu manifeſtata eſt veritas, quæ ſub allegorica ſilua latebat, nunquam eum à Patre ſeruum vocatum legimus, ſed Filium, & dilectum ſuum.* Ex oppoſito eſt *Apoſtolus Philipp.2. Formam ſerui accipiens*; idèſt naturam ſerui, forma enim propriè ſignificat naturam; ergo Chriſtus ſecundùm naturam humanam fuit propriè ſeruus Dei, idèſt aſſumpſit talem naturam, quæ eſt propria ſerui Dei propriè dicti. 2. *SS.PP; & DD.* communiter affirmant Chriſtum ſecundùm naturam humanam eſſe verè, & propriè ſeruum Dei. 3. Chriſtus ſecundùm naturam humanam eſt minor Patre, vt habetur *in Symb. D. Athan.*; ſed nomine ſeruitutis Dei intelligitur tantùm minoritas, & inferioritas ſecundùm naturam, ob quam inferioritatem natura humana eſt in plena poteſtate Dei, cui tenetur obedire, in quo propriè conſiſtit ſeruitus Dei; ergo idem. Ob hæc diuiſi ſunt *Auctores*.

3 Prima ſententia vult Chriſtum ſecundùm humanitatem non poſſe propriè dici ſeruum Dei. *Ita Vaſq. diſp.80. c.3; Bec; Torres, Lug. diſp. 28; Gran; vterque Hurt; Turrian; Amic; Paſqualig; Vulp; & alÿ*.

4 Noſtra docet, quòd licèt Chriſtus, vt homo, prout *homo* reduplicat ſuppoſitum Diuinum, nequeat dici ſeruus; prout tamen reduplicat naturam humanam præcisè, poteſt dici ſeruus Dei, minor, & ſubiectus. *Ita Fund. Doct. diſt.10.p.2. q.2. art.3. ad 4.* aſſerens; *Seruus importat ſubiectionem tantùm, quamobrem hoc poſſit concludere argumentum, quòd Chriſtus in eo, quòd homo, & vt accipiens formam ſerui, eſſet minor Patre; id autem poſſet concedi, ſecundùm quòd Chriſtus eſt homo iuxta illud: Pater maior me eſt*. Ipſum ſequuntur *omnes noſtri Auctores, & nouiſſimè Gibb. diſp. 22. dub.6; D. Th. q.20. art.1. ad 2; Caiet; Med; Cabr; Aluar; Gonet, Sua; Val: Lorc; Tanner; Arriaga, & Maſtr. hìc diſp.2. q.7*; apud quem *alÿ*.

5 Certum eſt Chriſtum, vt hominem, non eſſe ſeruum peccati, quia in ſe non habuit peccatum, per quod ſolùm homo Diabolo venundatur, vt ait *Apoſt.* De hac igitur ſeruitute non eſt ſermo in præſenti. Præter hanc ſeruitutem datur etiam ſeruitus legalis, ſeu politica, quæ iure gentium poſt peccatum fuit inducta; & eſt illa, *qua quis iure belli, vel emptione, vel natiuitate eo, quòd quis naſcatur ex aliquo ſeruo, vel iuſta iudicis ſententia, in alterius poteſtatem ita traÿcitur, vt omni poteſtate ſpolietur, omnemque amittat ingenuitatem, & communicationem in bonis, honore, & ſede cum Domino*; vt definitur *Inſt. §. Serui autem de iure perſonar*; & ſeruus in hoc ſenſu ſolet etiam vocari *mancipium*. Hanc quoq; ſeruitutem non conuenire Chriſto, vt homini, certum eſt; quia ſecundùm humanitatem communicat in bonis Dei, habet ius ad hæreditatem, ad ſedem, ad cultum Dei, ſcilicet latriæ &c. Tandem alia eſt ſeruitus merè naturalis, quæ fuit etiam ante peccatum, & fuiſſet etianſi nullum vnquam fuiſſet peccatum; & hæc nihil aliud eſt, quàm perfecta ſubiectio, ac eſſentialis dependentia creaturæ à Deo, tanquam à ſupremo Domino, cui in omnibus obedire tenetur; & de hac *hìc* diſputamus.

6 Controuertitur autem, quid requiratur formaliter ad hoc, vt hæc ſubiectio ſit verè, & propriè ſeruitus? *Vaſquez*, quem ſequitur *Lug; & alÿ primæ ſententiæ* putant requiri tres conditiones. 1. Vt ſeruus Domino obedire teneatur. 2. Vt non ſit ſui iuris. 2. Vt cum Domino nec in bonis, nec in honore, nec in ſede communicet; ſeu quòd non habeat ius ad hæreditatem Domini; docet enim *Phil. 8. Eth. cap.11*; quòd *ſeruus nihil habet commune cum Domino*.

7 Sed quanuis primæ duæ conditiones eſſentialiter requirantur ad ſeruitutem, *vt ſic*; tertia tamen eſt propria ſolius ſeruitutis legalis. 1. Quia in hoc differt à ſeruitute naturali; aliter hæ duæ ſpecies ſeruitutis nō haberent, quo inter ſe diſtinguerentur. 2. Hæc tertia conditio non habetur in definitione ſeruitutis, *vt ſic*; definitur enim *l.1. ff. de ſeruitut. ſubiectio, qua res aliena alicui ſeruit*; illa autem eſt verè, & propriè ſeruitus, cui competit formaliter definitio ſeruitutis, ſicut ille eſt verè, & propriè homo, cui conuenit formaliter definitio hominis; quia cui conuenit definitio rei, cōuenit eſſentia, quæ per definitionem importatur; & cui conuenit eſſentia alicuius rei, eſt verè, & propriè illa res, vt cōnſtat; ſed ei, cui conueniunt duæ primæ conditiones, conuenit definitio ſeruitutis, quanuis ei non conue-

conueniat tertia conditio; ergo est verè, & propriè seruus. 3. Si seruituti essentialiter conueniret non communicari in bonis Domini, hoc etiam conueniret dominio, quod opponitur relatiuè seruituti; *oppositorum* enim *est eadem ratio*; sed conſ. est falsum; quia dominium definitur *ius perfectè disponendi de aliqua re*. *Bart. in l. si quis* §. *Differentia*, *ff. de acquir. poss*; *& communiter omnes Iurista*; ergo falsum est & ant. 4. Sequeretur creaturam rationalem non esse verè,& propriè seruam Dei, nec Deum esse verè, & propriè Dominum creaturæ rationalis, Dominus enim relatiuè dicitur ad seruum, & è contra;nam creatura rationalis communicat in bonis naturalibus Dei per naturam, omnia enim naturalia, quæ habet, sunt dona Dei; & in bonis supernaturalibus per gratiam; sed conſ. est falsum; nulla enim est magis propriè seruitus, quàm creaturæ ad Deum, vt docet *S.P.Aug.lib. 5. de Trin. c.5*; quia nullus seruus est magis in potestate Domini, quàm creatura sit in potestate Dei; & nullus magis in omnibus tenetur obedire Domino, quàm creatura Deo; quia serui legales in actibus naturalibus, & internis nō tenentur obedire Dominis naturalibus; creatura autem tenetur obedire Deo in actibus liberis,& naturalibus, internis, & externis; & seruus legalis est accidētaliter sub potestate domini temporalis, potuisset enim non transferri sub dominium illius; & adhuc quando est sub illius dominio, potest fieri libertus, idèst libertate donatus; & poterat nasci ingenuus, idèst liber ab omni seruitute; & creatura nullo modo potest nasci sub non dominio Dei; nec postquam nata est, potest liberari à Dei dominio, vt non sit sub eius potestate;nec Deus de plenitudine suæ potestatis potest illam eximere à dependentia essentiali, quàm habet à Deo, nisi illam in nihilum redigat; imò etiam in nihilo est sub dominio Dei, quia ad nutum illius potest ex nihilo extrahi ad existentiam; ergo seruitus naturalis non importat non communicare in bonis &c. 5. *Daniel. c.6.* fuit condecoratus honore Regio; & *Mardochæus Esth.6.* fuit indutus vestibus Regijs, & diademate, & sedit in sella gestatoria Regis, & tamen non desijt esse seruus; ergo potest seruus communicare in bonis, & in honore Domini, & non desinere esse seruus. 6. Quanuis seruo conueniat non communicare in bonis Domini per naturam, potest tamen ex gratia ipsius Domini communicare; quia potest Dominus ex sua beneficentia,& liberalitate relinquere seruo partem suæ hæreditatis cum hoc, quòd domui inseruiat;tunc enim desinit esse seruus legalis, & incipit esse seruus nobilis; ergo idem. Tandem illi, qui voluntariè seruiunt, sunt verè, & propriè serui, licèt non captiui, empti, & legales; sed isti possunt communicare in bonis Domini ex gratia ipsius, vt passim videtur; multi enim Domini ob seruitium fideliter pręstitum donant multa bona suis seruis; ergo idem. Ad veram igitur, & propriam seruitutem præscindentem à seruitute legali sufficit subiectio, & non esse sui iuris; non autem requiritur tertia conditio; vt falsò putauit *Vasq.* qui propterea nullam veram seruitutem videtur admisisse, nisi seruitutem legalem; quod est notoriè falsissimum.

8 Dices. Ex eo, quòd serua assumatur in matrimonium à Rege, fit libera, quoniam iure matrimonij debet habere æqualitatem honoris, & sedis cum Viro, cui repugnat status seruitutis; ergo ex eo, quòd natura creata assumatur ad vnitatem cum persona Diuina, debeatur ei æqualis honor,& cultus latriæ,& sedeat ad dexteram Patris, fit libera, & desinit esse serua.

Resp. neg. conſ; & disparitas est; quia serua assumpta à Rege in vxorem eximitur à Lege subiectionis, & dependentiæ à Rege; fit nanque vna caro cum Rege iuxta illud *Gen.2. Erunt duo in carne vna*; non enim repugnat vnum hominem eximi à subiectione,& dependentia ab alio homine, vt dictum est; & ideo non quia serua participat in bonis Regis, honore, aut sede &c; sed quia eximitur à subiectione, ideo desinit esse serua Regis. At natura humana assumpta ad Diuinam personam nequit eximi à subiectione, & dependentia à Deo, quia nequit non esse producta à Deo; ergo quanuis communicet in bonis Dei, attamen quia manet Deo subiecta, manet serua Dei. Ex quo patet hoc arg; quod principale est, assumere non causam pro causa.

9 Vnica concl. Christus, vt homo, nequit absolutè dici seruus Dei, sed tantùm secundùm naturam humanam præcisè potest seruus Dei verè, & propriè nuncupari, non quidem legalis, sed naturalis.

Prob. 1. pars concl; quòd scilicet Christus, vt homo, absolutè, & simpliciter nequeat dici seruus Dei, ex eo, quòd homo importat etiam Diuinum suppositum terminans naturam Diuinam; sed Diuinum suppositum non est seruus, sed Dominus, cùm non sit factum à Deo, sed sit Deus omnium factor; ergo Christus, vt homo, nequit absolutè, & simpliciter dici seruus Dei. Tum quia Christus, vt homo, nequit absolutè, & simpliciter dici creatura, vel assumptus, vt diximus *qu.5. art.2.* §.2; *& art. 5.* §.1. *n.34*; sed ratio seruitutis Dei sumitur à ratione creaturæ, sumitur enim à ratione creationis, & dependentiæ à Deo in ratione productionis; ergo idem.

10 Prob.2. pars concl. 1. *ex ps.115. O Domine, quia ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ*; quod interpretatur à *SS.PP.* de Christo;hinc *S.P. Aug. in altercat. cont. Pascentium Arrianum*, quæ continetur *ep.178. versus finem*; super hoc loquens de Christo secundùm naturam humanam, ratione cuius illi conuenit infirmitas, inquit: *In qua eum infirmitate non solùm subditum, & seruum* cui-

euidentissimè confitemur, ipso dicente in prophetia ad Patrem: O Domine, quia ego seruus tuus; ego seruus tuus, & filius Ancillæ tuæ, idèst Mariæ. Patet ergo, in quo sit æqualis Patri Filius, in quo sit non solùm subditus, aut inferior, sed etiam humillimus seruus; & Isaiæ 42. Ecce seruus meus, suscipiam eum; quod *Matth.12.* exponitur de Christo; & *Isaiæ 53. In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos;* quod tantùm de Christo, cuius meritis iustificamur, intelligi potest; *& Zach. 3. Adducam seruum meum orientem,* quod *Luc. 1.* refertur ad Christum; *& ad Philipp. 2. Formam serui accipiens;* ex quibus sic. 1. Ille, qui secundùm naturam est subiectus Deo quoad fieri, esse, & conseruari, est verè, & propriè naturalis seruus Dei; sed Christus secundùm naturam humanam est huiusmodi; ergo secundùm naturam humanam est verè, & propriè naturalis seruus Dei. Ma. *sup.* probata est; nam seruitus definitur subiectio, qua aliquis ita est in potestate libera, & dominio alterius, vt possit Dominus disponere de illo pro suo libito, & beneplacito; & aliunde subditus est capax obedire, & exequi mandata illius. Mi. etiam constat; quia natura humana Christi essentialiter dependet à Deo quoad fieri, esse, & conseruari; & liberè facta fuit, & conseruatur à Deo. 2. Ille, qui suscipit veram formam serui, est verus, & proprius seruus naturalis; sicut ille, qui habet veram formam Domini, est verus, & proprius Dominus; sed Verbum suscepit veram, & propriam formam serui: quia suscepit veram, & propriam formam hominis, aliter homo verè, & propriè secundùm suam naturam non esset verus, & proprius seruus Dei, quòd est manifestè *contra Scripturas,* & rationem; ergo Verbum secundùm naturam humanam præcisè est verè, & propriè seruus Dei. 3. Deus est verus, & proprius Dominus naturæ humanæ assumptæ à Christo; aliter natura humana Christi non esset sub vero, & proprio Dei dominio; ergo Christus secundùm naturam humanam est verus, & proprius seruus Dei; nam verus, & proprius Dominus dicitur per ordinem ad verum, & proprium seruum; nec quis potest dici verus, & proprius Dominus alicuius, qui non est eius verus, & proprius seruus; sicut nemo potest dici verus, & proprius pater illius, qui non est verè, & propriè filius illius. 4. Ex eo, quòd natura humana assumpta fuerit à Verbo, non fuit absoluta à relatione subiectionis, & dependentiæ à Deo; ergo neque à relatione seruitutis naturalis Dei; nam sicuti ratio dominij non conuenit Deo, nisi ratione liberæ productionis creaturarum; ita ratio seruitutis naturalis non conuenit creaturis, nisi ratione subiectionis, & dependentiæ in esse à Deo. Ant. constat; aliter natura humana esset facta natura Diuina, natura enim independens à Deo, eique non subiecta est Diuina. 5. Ille, cui verè, & propriè conuenit obedientia secundùm naturam, est verè, & propriè seruus naturalis; obedientia enim opponitur imperio; & sicut imperium importat dominium, ita obedientia seruitutem; sed Christo secundùm naturam humanam competit obedientia verè, & propriè; de illo enim dicitur: *Factus obediens vsque ad mortem;* ergo secundùm naturam humanam est verus, & proprius seruus.. 6. Euertitur ratio *Aduersariorum*. Si ad veram seruitutem requireretur non communicare in bonis Domini, sequeretur beatos, cùm beati effecti sunt, desijsse esse seruos Dei; nam beati consequuntur Dei hæreditatem; sed conf. est falsum; Angelus enim beatus ait *Ioanni Apoc. 19; & 22. Conseruus enim tuus sum;* ergo hæc ratio ruit. *Vid. sup. n. 7.* Tandem ex eo præcisè, quòd aliæ creaturæ liberè sint productæ à Deo, & habeant potentiam obedientialem ad parendum Deo in omnibus, quæcunque voluerit, dicuntur verè, & propriè seruæ naturales ipsius Dei; quia natæ sunt cum tali obedientia; sed natura humana Christi fuit liberè à Deo producta, & habet potentiam obedientialem ad omnia, quæ Deus voluerit, quia per hanc, non per potentiam naturalem, est vnita Verbo Diuino; ergo idem.

11 Ad rationem dubitandi dicitur ad 1. *Apostolum in illo cap.* loqui de seruitute peccati, à qua Christus nos liberauit; concludit enim: *Itaque, fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit;* constat autem Christum nos liberasse à seruitute peccati, non autem à seruitute naturali, qua naturaliter sumus serui Dei. Vel dist. ma. Seruitus est incompossibilis cum filiatione naturali secundùm eandem naturam, conc; secundùm diuersam naturam, neg; & dist. mi. Christus, vt homo, est Filius naturalis Dei assumptiuè, idèst est assumptus ad filiationem naturalem Dei, conc; generatiuè, idèst vt homo, est genitus Filius naturalis Dei, neg; non implicat autem, quòd vt homo, sit genitus seruus naturalis Dei; & quòd vt talis sit assumptus ad filiationem naturalem Dei; implicaret autem, si esset genitus, vt filius naturalis, & simul, vt seruus, quod non est in casu. Ad 2. resp. communiter *Concil. Francofordien.* negare triplicem seruitutem in Christo, nempe seruitutem peccati, quia peccatum non fecit; seruitutem legalem, quæ per peccatum inducta est; & seruitutem in natura, & supposito, qualem habet pura creatura; non tamen negasse seruitutem naturalem, quæ fundatur in sola dependentia naturæ humanæ à Deo in genere causæ efficientis, & est seruitus ingenua, quia non tollit libertatem à creatura; & ratio est. Nam *Concilium* acriùs inuehitur reprobando hanc vocem *seruus*, quàm reprobando hanc vocem *adoptiuus;* ait enim *pudendum esse dicere seruum,* quod non dicit de adoptiuo; ergo reijcit seruitutem, tanquam aliquid vilius, & indignius adoptione; sed sola seruitus peccati, & legalis est vilior, ac indi-

indignior adoptione; quia ſeruitus naturalis fundata in dependentia à Deo conuenit adoptioni, & ideo non eſt indignior illa; ergo reijcit ſolam ſeruitutem peccati, & legalem. Præterea quòd reijciat ſeruitutem quoad ſuppoſitum, conſtat ex verbis allatis: *Quaſi purum hominem calamitati humanæ ſubiectum, & quod pudet dicere, ſeruum*. Ratio etiam allata à *Concil.* id oſtendit; cùm enim inquit: *Cur non veremini illum ſeruum nuncupare, qui vos de ſeruitute Diaboli liberauit*; his verbis manifeſtè declarat ſe loqui de ſeruitute peccati, quia ſeruus peccati nequit eſſe mediator inter Deum, & peccatores; nequit enim eſſe mediator inter ſe ipſum, ſic enim eſſet medium, & extremum; & de ſeruitute puri hominis, quia purus homo nequit ſatisfacere pro peccato; non autem de ſeruitute naturali fundata in dependentia naturæ humanæ à Deo, quæ poteſt competere Deo homini, qui poteſt pro peccato ſatisfacere. Vnde in illis tribus ſenſibus Chriſtus non fuit ſeruus nec hominum, nec Angelorum, nec Dei Patris. Cùm autem ſubditur *textus veteris teſtamenti*, quibus Chriſtus dicitur ſeruus, eſſe intelligendos figuratè, & allegoricè; reſp. verum eſſe, quia perſona figurans erat purus homo, & ſic ſeruitus perſonæ figurantis erat ſeruitus puri hominis; vt *Moyſes* fuit Chriſti figura, quatenus liberauit populum à captiuitate *Pharaonis*; ſicut Chriſtus liberauit omnes homines à captiuitate Diaboli; *Moyſes* tamen erat purus homo, & Chriſtus homo Deus; & ſeruitus *Moyſis* erat puri hominis, Chriſti autem hominis Dei; ideo non niſi figuratè de Deo dici potuit; non tamen ex hoc ſequitur naturam humanam Chriſti Domini non fuiſſe dependentem à Deo, ac propterea non habuiſſe veram relationem ſeruientis ad Dominum. Quòd autem *Adrianus* aſſerat *in nouo teſtamento* Chriſtum nullibi appellari ſeruum; hoc intelligi debet illis tribus modis, quos reprobat; quia licèt de figura Chriſti potuerit dici *in veteri teſtamento* eſſe ſeruum illis tribus modis, non enim neceſſe eſt figuram eſſe in omnibus ſimilem figurato, ſed ſufficit ipſam aliquomodo repræſentare figuratum; attamen de Chriſto, qui eſt figuratus, nequit dici, quòd ſit ſeruus illis tribus modis; ideo *in nouo teſtamento*, vbi explicitè agitur de Chriſto, non de eius figura, non debuit dici, quòd abſolutè ſit ſeruus. Imò ex hoc euidenter infertur Pontificem non loqui de ſeruitute naturali ſecundùm humanitatem præciſè; quia de hac expreſsè loquitur *nouum teſtamentum*, in quo dicitur Verbum *formam ſerui accepiſſe*, idèſt naturam humanam, quæ eſſentialiter eſt ſerua naturalis Dei; ergo ſi Pontifex intellexiſſet reprobare etiam ſeruitutem naturalem ſecundùm humanitatem præciſè, non potuiſſet dicere de ea nullam mentionem fieri *in nouo teſtamento*, ſed illam alio modo explicaſſet.

8 Inſt. *Lug.* 1. Vel Pontifex putauit ſeruitutem naturalem, quæ competit omnibus hominibus, eſſe veram ſeruitutem, vel non? Si primum; ergo malè probauit Chriſtum non eſſe dicendum ſeruum ex eo, quòd *in nouo teſtamento* nuſquam ſeruus dicatur; neque *in veteri*, niſi in ſenſu typico; potuiſſet enim appellare Chriſtum verum ſeruum abſque illa ſeruitute pęnali; nec *in veteri* fuiſſet neceſſe recurrere ad tropos. Si ſecundum, habetur intentum. 2. Non eſt credibile *Elipandum* fuiſſe *Neſtorianum*; aliter non auſus fuiſſet recurrere *ad Carolum Magnum* Chriſtianiſſimum Principem, vt ſua ſententia de adoptione examinaretur; cùm ſententia *Neſtorij* ab Eccleſia iam fuiſſet damnata; ergo *Concil.* non damnauit ſeruitutem Chriſti, prout importat ſuppoſitum. 3. Si Chriſtus ſecundùm humanitatem eſſet verus ſeruus, meliùs reſpondiſſet Pontifex eſſe verum ſeruum naturalem, ſed non purum ſeruum; ergo negando abſolutè eſſe verum ſeruum negauit omnes ſpecies verę ſeruitutis. 4. Eodem modo *Concil*; & *Adrianus* locuti ſunt de adoptione, & ſeruitute; ſed damnarunt adoptionem ſimpliciter etiam ſecundùm naturam humanam præciſè; ergo & ſeruitutem.

Reſp. ad 1. non fuiſſe in quæſtione *cum Elipando; an Chriſtus ſecundùm naturam humanam ſit ſeruus naturalis Dei*; ideo non debuiſſe Pontificem hoc reſoluere, ſed ſupponere, tanquam verum; ne diſtraheretur ab eo, quod erat controuerſum. Debuit ergo loqui de ſeruitute illis tribus modis, & ipſam reijcere à Chriſto, vtpotè iniurioſam Filio Dei. Dicitur ergo primum; & ad improb. neg. conſ; quia ſi conceſſiſſet ſeruitutem naturalem, conceſſiſſet id, quod non erat ad rem, quæ agebatur. Ad 2. dicitur hæreticos, vtpotè plenos dolis, & fraudibus, multa ab initio tacuiſſe, quæ poſtea *coacto Concilio* protulerunt. Sic quamuis *in Concil. Epheſ.* damnatus fuerit *Neſtorius*; attamen adhuc poſt *illud Concilium* non defuerunt, qui eius ſententiam tenuerunt, qui poſtea fuerunt damnati *in V. Syn. Elipandus* ergo primariò, & principaliter inuexit quæſtionem de adoptione, ratione cuius fuit coactum *Concilium Franceford*; & hac occaſione ſententiam *Neſtorij* iam damnatam inſtaurauit; & ideo *Concilium* damnauit eius ſententiam etiam in ſenſu *Neſtorij*. Ad 3. dicitur, ſicut ad 1; neg. enim ant; nam meliùs reſpondit Pontifex damnando id, quod controuertebatur, quàm recurrendo ad id, quod in controuerſia non erat. Ad 4. diſt. ma. Eodem modo locuti ſunt de adoptione, & ſeruitute quantùm ad tres prædictos modos ſeruitutis, quos damnarunt, conc; quantùm ad omnes ſpecies ſeruitutis, neg; nam adoptio reſpicit perſonam, & prout ſeruitus reſpicit perſonam, eodem modo damnata eſt; quia tamen ſeruitus naturalis poteſt dici etiam de natura, de qua nequit dici adoptio; ideo quantùm ad hoc non damnarunt ſeruitutem.

13 Obijc.

13 Obijc. vlteriùs. 1. *Hebr.* 3. *Moyses quidem, tanquam famulus in tota domo sua, Christus verò tanquam filius in domo sua.* Super quod *Concil. Francoford.* ait: *Quomodò amplioris gratiæ, si seruus, sicut & Moyses, vel ex seruo adoptiuus?* *S. Dam. lib. de Fide c.*21. loquens de Christo ait: *Illud quoque sciendum est eum, ne seruum quidem dicere nobis licere.* *S. P. Aug.* relatus à *Concil. Francofordien. Dominus noster etiam in forma serui non seruus, sed in forma etiam serui Dominus fuit.* Idem habet *D. Athan. or.* 3. *cont. Arrianos, Chrisost. hom.* 13. *in ep. ad Hebr; Cyrillus in exposit. Symb. Nic; Leo I. serm.* 3. *de Natiuit; & alij.* 2. ratione. Seruus dicitur de persona, sicut dicitur adoptiuus; sed persona Christi non est serua; ergo neque Christus. 3. Si Christus posset dici seruus secundùm naturam, posset etiam dici absolutè seruus; nam quia de Christo secundùm naturam potest dici, quòd sit passus, potest etiam absolutè dici: *Christus est passus*; sed nequit absolutè dici: *Christus est seruus*; ergo nec Christus secundùm humanitatem est seruus.

Resp. *Apost.* loqui de seruitute illis tribus modis accepta; nam loquens de seruitute merè naturali ait, quòd *formam serui accepit, & factus est obediens*, quod est proprium serui. Idem dicitur *ad Concil. Francoford; & alios SS.PP.* Ad 2. dist.ma. Seruus dicitur de persona tantùm, neg; etiam de natura,cōc; nam seruitus naturalis dicitur de qualibet re creata, quæ potest esse tantùm natura, vt in Christo; adoptio autem dicitur tantùm de persona, cui tantùm competit esse filiam. Ad 3. neg. ma. Ad prob. insert. dicitur, quòd communicatio idiomatum habetur tantùm in ijs, quæ possunt conuenire supposito Diuino, non in illis, quæ illi opponuntur; seruitus autem relatiuè opponitur supposito Diuino, quod est Dominus; ideo nequit de illo prædicari, ac propterea nequit absolutè dici: *Christus est seruus*; quia Christus appellat suppositum; at pati, & agere non opponuntur; sed conueniunt supposito mediante natura, quæ est ratio formalis proxima agendi, & patiendi, ideo absolutè dici potest: *Christus est passus*. Eadem ratione nequit dici absolutè: *Christus est creatura*; quanuis dici possit: *Natura humana Christi Domini est creata*; quia creatura opponitur creatori.

QVÆST. VII.

De Sanctitate Christi.



SAnctus Pater Augustinus, vel ex eo noster *S. Fulg. lib. de fide ad Petr. c.*2. de Christo Domino inquit: *Solus tamen Sacerdos, sacrificium, & templum, & hæc omnia Deus secundùm formam serui*; vt colligitur *Ephes.*4; *Hebr.*9; *& ad Gal.*4. Ex hoc deducitur triplicem gratiam esse in Christo per modum naturæ, vel habitus. Ex eo nanque, quòd Christus secundùm formam serui sit *templum*, in quo inhabitat personaliter Filius Dei, colligitur gratia vnionis, qua natura humana per vnionem ad personam Verbi consecratur, & sanctificatur, ac sanctè vngitur in templum Dei. Ex eo, quòd sit *Sacerdos* offerens pro peccatis populi, colligitur gratia Capitis; Sacerdos enim est caput membrorum Ecclesiæ; & ex eo, quòd sit *sacrificium*, colligitur gratia habitualis, per hanc enim, sicuti per sacrificium, reconciliamur Deo à peccatis. Item hæc triplex gratia colligitur *ex Ioan.*1; vbi ijs verbis: *Verbum caro factum est*; designatùr gratia vnionis; illis verò: *Plenum gratiæ, & veritatis*; indicatur gratia habitualis, quæ est propria singularis personæ; & ijs: *De plenitudine eius omnes accepimus*; ostenditur gratia Capitis, quæ est influxiua in alios; vt habet *idem S.P. vbis.* De his omnibus *in præsenti quæst.* est agendum.

ART. I.

An natura humana Christi Domini sit sancta per sanctitatem increatam?

1 QVæritur; an humanitas Christi ex eo, quòd substantialiter vniatur personæ Verbi, formaliter sanctificetur ita, vt etiamsi non haberet in se gratiam habitualem accidentalem creatam, adhuc esset substantialiter sancta per vnionem ad Verbi personam. Non intendimus tamen excludere gratiam habitualem creatam, per quam etiam accidentaliter sanctificatur, vt *inf.* Nec procedit difficultas, an per communicationem idiomatum fiat sancta substantialiter, certum enim est naturam humanam ex eo, quòd vniatur cum persona Diuina, quæ est sancta secundùm suam substantiam, & identificatur cum sua sanctitate substantiali, posse dici substantialiter sanctam ratione communicationis idiomatum, quæ cōmunicantur naturæ humanæ à persona illi vnita, cum qua identificatur realiter sanctitas increata. Sed quæritur, an fiat sancta formaliter ex vi formali vnionis ad personam Diuinam ita, vt sicuti suppositatur formaliter, non verò tantùm identicè, à persona Diuina eo, quia in vnitatem

tatem

tatem illius assumitur; ita formaliter, non tantùm identicè, sanctificetur eo, quia illi formaliter vnitur.

2 Prima sententia negat asserens vnionem hipostaticam non reddere ex sua ratione formali naturam gratam, & acceptam in ordine ad bona supernaturalia,& ad vitam æternam;adeoque necessariam fuisse gratiam habitualem ad hoc, vt natura humana fuerit sanctificata. Referuntur *Alen; D. Bon*; *Ric*; *Mars*; *Dur*; *Paludan*; *Scot*; qui tamen, quia non satis apertè suam declarat sententiam; ideo *Scotistæ* diuiduntur; & pro hac sententia stant *Fab*; *Aretin*; *Rada*, *Gallus*, *Bellut. apud Mastr. hìc disp.2. quæst.1.num.3*; qui tamen *num.16.* ait vnionem hipostaticam de facto, & regulariter loquendo sanctificare naturam humanam radicaliter, & in actu primo, ac reddere humanitatē in actu primo obiectum Diuinæ dilectionis, & quidem perfectiùs, quàm gratia habitualis; quia vnio hipostatica est maior inter omnes vniones cum Deo quoad actum primum, & ideo includit etiam vnionem per gratiam habitualem, & per visionem beatam, cùm sit radix omnis meriti, & omnis gratiæ, & omnium donorum supernaturalium; quanuis non habeat necessariam connexionem cum illis, sed tantùm de congruo, quia potuisset vniri naturæ irrationali, imò & ipsi naturæ humanæ in puris naturalibus; in quo casu vnio hipostatica non fuisset connexa cum gratia habituali, & cęteris donis supernaturalibus; adeoque solùm de congruo fuit connexa, imò magis, quàm gratia habitualis connectatur cum alijs donis supernaturalibus. *Hæc Mastr.*

3 Nostra docet humanitatem Christi formaliter sanctificari per sanctitatem increatam. *Ita Fund. Doct. hìc dist.3. par.4. quæst. 4. artic.3*; vbi ait: *Dicemus ad quæstionem Christo Domino competere sanctificari sanctificatione increata, & creata*; & in fine corp. *Alio autem modo sanctificatio erit secundùm naturam increatam, quia cùm priùs homo non esset Deus, factum est, quòd homo sit Deus, & sanctus Deus*. Ipsum sequuntur *Argent*; *Gibb*; *& ex alijs omnes Themistæ*; *Sua*; *Val*; *Lug*. Refertur etiam *Scot. in 4. dist. 19. quæst. 1. art.2*. Sed hæc sententia diuisa est. *Aliqui*, quos refert *Gibb. hìc disp.11.dub.6. num.2*; volunt sanctificari per ipsam vnionem, tanquam per formam sanctificātem intrinsecè receptam in natura humana. In hanc sententiam videtur aliqua ex parte inclinare *noster Argent. dist.13. quæst.1. art. 1. concl. 1*. *Alij* sanctificari tantùm ratione naturæ Diuinæ virtualiter distinctæ à personalitate Verbi. *Ita Lorc*; *Gonet*; *& alij*. Alj tandem etiam ratione ipsius personalitatis Filij. *Ita Fund. Doct. vbis.* asserens Christum sanctificatum fuisse per sanctitatem increatam eo, quia *tanta fuit illa vnio duarum naturarum, Diuinæ scilicet, & humanæ in vna, & eadem persona, quòd Deum fecit hominem, prout in Christo natura Diuina est coniuncta humanæ, & hominem fecit Deum, prout in eodem Christo natura humana est coniuncta Diuinæ*. *Ita etiam Gibb. vbi sup. dub.7*; apud quem *Io. à S.Tho*; *Val*; *Lug*; *Naz*; *& alij ferè communiter*. Sed quoniam ex dissolutione rationum, quæ opponuntur, magis clarè apparebit veritas huius sententiæ; ideo.

4 Dicunt *Aduersarij*. 1. Creatura nequit formaliter sanctificari, nisi per sanctitatem formaliter intrinsecè inhærentem, & informantem; sanctificatio enim est effectus formalis gratiæ habitualis, quæ essentialiter habet inhærere; effectus autem formalis alicuius causæ nequit causari ab alia causa etiam de potentia Dei absoluta; aliter idem effectus totalis esset à duplici causa; Diuina autem persona, aut natura nequit formaliter inhærere, aut informare naturam humanam; ideo nequit illam formaliter sanctificare. 2. Si Verbum Diuinum assumpsisset naturam irrationalem, vel naturam humanam in puris naturalibus, illam non sanctificasset; ideo ex vi vnionis ad personam Diuinam natura creata non sanctificatur; & per consequens ad hoc, vt sanctificetur, necessariò requiritur gratia habitualis, quæ est accidens creatum.

5 Sed primum falsum est, & fundatur in nimis crassa intelligentia mysterij incarnationis. Nam quanuis natura creata habeat suppositari per personalitatem intrinsecè informantē; attamen certum est naturam humanam Christi Domini esse formaliter subsistentem per subsistentiam Verbi, non informantem, sed purè actiuè terminantem; ergo ex eo, quòd natura humana habeat sanctificari per sanctitatem informantem, & inhærentem, non deducitur naturam humanam Christi Domini non posse formaliter sanctificari per sanctitatem personæ purè actiuè terminantem, non informantem. Sanctificatio ergo naturæ humanæ Christi Domini altiùs inspicienda est; scilicet per ordinem ad eleuationem ad personam Diuinam Filij Dei, quæ est infinitè sancta, in cuius vnitatem assumitur, quæ cùm sit infinitè sancta, ideo cùm assumitur ad vnitatem, assumitur quoque ad sanctitatem. Denominatio itaque formalis alia sumitur ex informatione, alia ex assumptione ad aliquam formam; & ratio est; quia denominatio formalis, sicut & prædicatio, sumitur per ordinem ad vnitatem; in tantùm enim aliquod sumit denominationem ab alio, in quantùm aliquo modo est vnum cum illo; vt paries denominatur albus ab albedine, quia paries, & albedo vniuntur; sed duo possunt esse vnum nedum per compositionem, quæ fit per informationem, sed etiam per assumptionem alicuius ad vnitatem alterius, vt docet fides de natura humana, quæ assumitur ad vnitatem personę Diuinę; habetur enim *in Symb. D. Athan. Vnus, non conuersione Diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis*

nitatis in Deum; & est *omnium SS.* doctrina; ad quam non reflectunt *Aduersarij*; ergo natura humana denominatur formaliter sancta, non per informationem, sed per assumptionem ipsius ad sanctitatem personæ Diuinæ. Præterea falsum est etiam in naturalibus; nam paries denominatur formaliter visus per visionem, quæ non informat parietem; ex quo deducitur denominationem aliam esse intrinsecam à forma intrinsecè informante, vel inhærente; aliam extrinsecam à forma extrinsecè terminante; ergo sicut paries ex eo, quòd ad illum visio terminetur extrinsecè, denominatur formaliter visus; ita ex eo, quòd natura humana terminetur intrinsecè actiuè à sanctitate personæ Diuinæ, rectè denominatur formaliter sancta, non quidem per formam sanctitatis formaliter inhærentem, vel informantem; sed per formam sãctitatis purè actiuè, intrinsecè tamen terminantē. Cùm autem additur, quòd sanctificatio est effectus formalis gratiæ habitualis; dicitur, quòd sanctificatio est eleuatio ad esse Diuinum, qua creatura *efficitur consors Diuinæ naturæ*; vt habetur 2. *Pet.* 1; dupliciter autem potest creatura eleuari ad esse Diuinum, & vniri cum Deo. 1. Per operationem intellectualem in esse intelligibili; potentia enim intelligens, & amans immediatè aliquod obiectum in se ipso vnitur cum illo in esse intelligibili, vt constat; & quia creatura non operatur, nisi mediante accidente; ideo talis vnio non fit, nisi per accidens ordinis supernaturalis, quod est gratia habitualis; ac propterea hęc sanctificatio est merè accidentalis. 2. Per assumptionem naturæ humanæ ad esse Diuinum in vnitatem personæ Diuinæ; quæ vnio, cùm sit substantialis, vt patet; ideo habet substantialiter sanctificare; ergo sicut datur duplex vnio immediata cum Deo, scilicet substantialis, & accidentalis, quæ salua fide negari non potest; ita datur duplex sanctificatio, substantialis, & accidentalis, quæ à nullo fideli potest rationabiliter negari; & sicuti sanctificatio accidentalis est effectus formalis gratiæ habitualis, quæ est accidens, & non potest haberi, nisi per gratiam habitualem, à qua non distinguitur; ita sanctificatio substantialis est effectus vnionis substantialis, & nonnisi ab ipsa vnione substantiali potest haberi.

6 Secundum autem, quod est subtile sophisma, sic euertitur. Certum est, quòd quodlibet Diuinum suppositum est eminenter omne suppositum; sicut substantia Dei est eminenter omnis substantia. Præterea certum est, quòd cùm Deus producit substantiam creatam, illam producit in ordine naturali, non supernaturali, quia illi non communicat modum proprium, quem habet substantia in Deo; ergo cùm Verbum Diuinum assumeret naturam irrationalem, vel humanam in puris naturalibus, illam non suppositaret in ordine supernaturali, sed naturali; quia illi non communicaret suam suppositalitatem cum eo modo, quem habet in ipso Verbo, & qui est proprius ipsius Verbi; modus enim proprius suppositalitatis, prout est in Verbo, est, vt sit Filius Dei naturalis; non enim naturam irrationalem, aut humanam in puris naturalibus assumeret ad filiationem naturalem, quia vtraque in ordine naturæ nequit assumi ad filiationem Dei naturalem, quæ est tantùm in ordine supernaturali; sed vtranq; suppositaret præcisè, prout eminenter continet suppositum proprium naturale vtriusque. At in incarnatione de facto natura humana vnita est formaliter ad filiationem Dei naturalem, ad quam formaliter est prædestinata, vt fusè diximus *quæst. 6. art. 1*; Filius autem Dei naturalis formaliter est sanctus, quia ei formaliter ex vi suæ processionis competit natura Diuina, in qua est omnis sanctitas; & eo modo, quo est in Deo; ergo naturæ humanæ de facto per talem vnionem competit sanctificari. Sicut ergo (sæpe repetit *Fund. Doct.*) quia natura Diuina eminenter continet omnem naturam creabilem, & est super omnem naturam; ideo potest dare esse creaturæ irrationali, & etiam rationali merè naturale absq; eo, quòd illas eleuet ad esse supernaturale; quia natura irrationalis illius est incapax; & rationalis illud naturaliter non exigit, ita suppositum Diuinum, quia continet eminenter omne suppositum creatum ordinis naturalis, & est super omne suppositum; ideo potest assumere ad sui consortium naturam irrationalem, & rationalem in puris naturalibus communicando illi esse suppositale tantùm ordinis naturalis, quod eminenter continet in se ipso absque eo, quòd illis communicet esse supernaturale, per quod sanctificantur. At in Christo natura humana vnita est formaliter terminatiuè filiationi Dei naturali, cui formaliter cõpetit natura Diuina ex vi suæ processionis eo modo, quo est in Deo, ideo formaliter est supernaturalizata, & per ipsam sanctificata. His positis.

7 Vnica concl. Natura humana Christi Domini est formaliter sancta per sanctitatem substantialem increatam ex eo, quòd formaliter sit assumpta ad vnitatem personæ Filij Dei naturalis.

Prob. 1. *Dan.* 7. *Et vngatur Sanctus Sanctorum*; *& ps.* 44. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis*; vt legit *alia versio*; super quod *S. P. Aug. tract.* 7. *in Io.* inquit: *Messias Hebraicè Latinè vnctus, Græcè Christus est; ab vnctione enim dicitur Christus. Chrisma vnctio est Græcè; ergo Christus vnctus. Ille singulariter vnctus, præcipuè vnctus; vnde omnes Christiani vnguntur. Ille præcipuè, quomodò in psalmo dicit, audi: Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis; participes enim eius sunt Sancti; sed ille singulariter Sanctus Sanctorum singulariter Christus singulariter vnctus; & lib.* 15. *de Trin.*

Trin. cap. 26. explicans illud *Act.* 10. *Quoniam vnxit eum Deus Spiritu Sancto*; inquit: *Sed ista mystica, & inuisibili vnctione tunc intelligendus est vnctus, quando Verbum Dei caro factum est; idest quando natura humana sine vllis praecedentibus bonorum operum meritis Dei Verbo est in vtero Virginis copulata ita, vt cum illo fieret vna persona*. Quibus verbis nil clariùs pro nostra sententia. Hinc *Conc. Francoford. in epist. ad Episc. Hispaniae* ait: *Christus natura vnctus, nos per gratiam, quia in illo plenè fuit Diuinitas*. Ex quibus sic. Nomine *vnctionis in Scripturis* significatur sanctificatio; sed natura humana in Christo fuit substantialiter vncta ex eo praecisè, quòd fuit vnita personae Filij Dei; ergo natura humana in Christo fuit substantialiter sanctificata ex eo praecisè, quòd fuit vnita personae Filij Dei. Ma. constat; *quia* nomine *vnctionis* significatur consecratio, quae idem sonat, ac sanctificatio; sic nanque intelligit *S.P.* dicens: *Ille singulariter Sanctus Sanctorum Christus singulariter vnctus*; hinc Christus, qui significat idem, ac *vnctus*, dicitur enim à chrismate, quod significat idem, ac *vnctio*, est Sanctus Sanctorum, quia est singulariter vnctus, & ab ipso dicuntur Christiani, quia per ipsum vnguntur, & sanctificantur. Tum quia vnctio Sacerdotum, & Regum, & Templi nomine etiam consecrationis *in Scripturis* explicatur. Mi. etiam constat; quia ex eo, quòd natura humana copulata est Verbo Dei, quando *Verbum caro factum est*; dicitur specialiter vncta; quod nequit intelligi de vnctione per gratiam habitualem. 1. Quia per hanc natura humana non est copulata Verbo Dei; aliter esset vnita per accidens. 2. Quia talis vnctio non esset per naturam, sed per accidens sequens ad naturam. 3. Quia Christus non esset singulariter vnctus; nam etiam nos vngimur per gratiam habitualem. 4. Quia *Concilium* docet Christum esse *vnctum natura, quia in illo fuit plenè Diuinitas*; illa autem particula *quia* designat causam formalem vnctionis naturae, quam dicit esse Diuinitatem; in nobis autem asserit esse gratiam; ex quo euidenter deducitur ipsum loqui de Diuinitate, prout distinguitur à gratia habituali; ergo natura humana in Christo fuit substantialiter vncta ex eo praecisè, quòd fuit vnita personae Filij Dei.

8 Prob. 2. *ex Io.* 1. *Verbum caro factum est; & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratiae, & veritatis*; super quod *S. P. Aug. in Enchir. cap.* 36. inquit: *Quod ait: Verbum caro factum est; hoc est plenum gratiae. Quod ait: Gloriam vnigeniti à Patre; hoc est plenum veritatis; veritas quippe ipsa vnigenitus Dei Filius, non gratia, sed natura*. Ex quo sic. Ex eo, quod natura humana vnita est personae Verbi, facta est plena gratiae, & veritatis; vt colligitur *ex Euangelio*; sed nomine veritatis intelligitur ipsa persona Verbi, cui attribuitur veritas, qua persona impleta est natura humana in incarnatione, & ideo impleta est veritate, quae est vnigenitus Dei Filius; ergo nomine gratiae intelligitur eadem persona Verbi, prout ex summa Dei benignitate vnita est naturae humanae, quae propterea gratia fuit plena, cùm persona Verbi repleta fuit; sed gratia habet sanctificare; ergo humana natura fuit sanctificata ex eo praecisè, quòd fuit vnita personae Verbi Diuini.

9 Conf. *ex lib. de fide ad Pet. cap.* 2; vt diximus *in proemio huius q*; natura humana ex eo praecisè, quòd fuit vnita personae Verbi, facta fuit templum Dei, in quo habitauit persona Verbi; & homo vnctus est Sacerdos, & sacrificium; sed *templum Domini Sanctum est*; vt habetur *ps.* 17; 27; 64. *& Ionae* 2; ergo ex eo, quòd natura humana vnita est personae Verbi praecisè, est sanctificata; sed sanctitas personae Verbi est substantialis, & increata; ergo est sanctificata per sanctitatem substantialem increatam.

10 Vrgetur. Vnio naturae humanae cum Deo in ordine supernaturali est formalis sanctificatio eiusdem naturae humanae; sed assumptio naturae humanae ad personam Verbi praecisè est vnio eiusdem naturae cum Deo in ordine supernaturali; ergo est formalis sanctificatio eiusdem naturae. Prob. ma. Separatio à Deo in ordine supernaturali, seu quatenus est Auctor gratiae, est formaliter peccatum, quod opponitur sanctitati; definitur enim *auersio à Deo*; ergo vnio cum Deo in ordine supernaturali est formalis sanctificatio; *oppositorum* enim *opposita sunt rationes*. Tum quia vnio cum eo, quod est tale per essentiam, reddit participatiuè tale etiam vnitum; vt vnio cum igne, qui est calidus per naturam, reddit participatiuè calidum etiam vnitum, vt patet de ferro posito in igne; sed Deus est sanctus per essentiam; ergo vnio cum Deo in ordine supernaturali est formalis sanctificatio naturae vnitae. Tandem gratia habitualis ideo sanctificat, quia habet accidentaliter vnire cum Deo; est enim gratia semen gloriae, & ideo sicut gloria habet vnire inseparabiliter naturam cum Deo; ita gratia habitualis habet separabiliter vnire; quia gratia ipsa est amissibilis per peccatum. Mi. est de fide; vnio enim naturae humanae cum Verbo est simpliciter supernaturalis; & est vera, & physica vnio, quia natura humana assumitur in vnitatem personae Verbi.

11 Ampliùs. Quò magis natura creata vnitur cum Deo in ordine supernaturali, eò magis sanctificatur; quia sicut vnio est ratio sanctificationis; ita maior vnio maioris sanctificationis; sed vnio naturae humanae cum Deo in Christo est maxima omnium vnionum, quae possunt esse cum Deo in ordine supernaturali; vt diximus *q.* 5. *art.* 1. §. 2; ergo natura humana in Christo magis sanctificatur, quàm in quolibet alio homine puro per gratiam. Ma. constat; quia quò magis creatura appropinquat Deo, magis par-

participat de eius perfectione; & ideo magis de sanctitate, quæ est Dei perfectio. Mi. etiam est clara; quia vnio naturæ humanæ cum Deo in Christo est substantialis; in alijs hominibus est accidentalis; maior autem vnio est substantialis, quàm accidentalis.

12 Præterea quæ competunt formaliter alicui personalitati terminanti aliquam naturam, competunt etiam illi naturæ terminatæ per illam personalitatem; implicat enim, quòd illa personalitas competat illi naturæ, cui non conueniant ea, quæ competunt illi personalitati, aliter ea personalitas competeret, & non competeret ei naturæ, quia illi non competeret id, quod est formaliter illa personalitas; nam *quæ conueniunt vni tertio, conueniunt inter se*; & ideo si aliqua formalitas competit personalitati, cui competit etiam aliqua natura, necesse est, vt illa formalitas conueniat etiam illi naturæ; sed sanctitas substantialis competit personalitati Verbi terminanti naturam humanam; ergo competit etiam naturæ humanæ terminatæ per personalitatem Verbi.

13 Tandem *in Enchir. vbi s.* habetur: *Vnde naturæ humanæ tanta gloria nullis præcedentibus meritis sine dubitatione gratuita; nisi quia magna hìc, & sola Dei gratia fideliter, & sobriè considerantibus euidenter ostenditur; vt intelligant homines per eandem gratiam se iustificari à peccatis, per quam factum est, vt homo Christus nullum habere posset peccatum.* Ex quo sic. Eleuatio ad naturam Diuinam, ad filiationem Dei, & hæreditatem, & ad non posse peccare, est formalis sanctificatio; in tantùm enim gratia habitualis iustificat nos, in quantùm hos tres effectus præstat in nobis; sed natura humana per vnionem ad Verbi personam eleuatur ad naturam Diuinam, quæ competit Verbo, ad filiationem Dei naturalem, vt probatum est *in sup. q. art.* 1; & ad Dei hæreditatem; ac ad non posse peccare; ex eo enim, quòd aliqua natura vniatur supposito, cui nequit attribui peccatum, non potest illa natura in peccatum prorumpere, quod necessariò tribueretur illi supposito, vt *inf.* dicemus; ergo natura humana ex eo, quòd vniatur ad Verbi personam, formaliter sanctificatur.

14 Conf. 1. *ex D. Dion. de Diuinis nom. c.* 12. definiente sic sanctitatem: *Sanctitas est ab omni scelere libera, perfecta, & omni ex parte incontaminata puritas*; propter quod beati, quia non possunt peccare, dicuntur habere perfectam, & consummatam sanctitatem; sed ex eo præcisè, quòd natura humana vniatur ad personam Verbi, nullo modo potest peccare, vt *inf.* fusè ostendetur; ergo ex hoc præcisè est summè, & consummatè sancta.

15 Conf. 2. Illud, quod constituit naturam gratam, charam, & amicam Deo, formaliter sanctificat naturam; sed personalitas Verbi constituit Christum secundùm naturam humanam gratum, charum, & amicum Deo; habetur enim *Ephes.* 1. *In quo gratificauit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius*; Christus autem non est redemptor per sanguinem, nisi secundùm naturam humanam, vt constat; & ideo est filius dilectus etiam secundùm naturam humanam; ergo personalitas Verbi formaliter sanctificat naturam humanam. Ma. constat; quia reddere gratum, charum, & amicum Deo est effectus formalis sanctificationis. Mi. ampliùs prob; nam personalitas Verbi secundùm se præcisè constituit Christum secundùm naturam humanam Filium Dei naturalem; vt diximus *quæst. 6. art.* 1; sed Filius Dei naturalis est gratus, charus, & amicus Deo; ergo idem.

16 Resp. *Mastr.* personalitatem Verbi constituere Filium proprium, non naturalem Dei.

Sed hæc distinctio impugnata est *in sup. q. art.* 1. Præterea filius proprius nequit non esse formaliter gratus, charus, & dilectus ab eo, cuius est filius; amor enim sui perfectus, sicut est amor Dei, debet amare omnia sua, quæ sunt sibi propria, aliter non amaret perfectè se ipsum, quia non amaret omnia sibi propria; ergo si personalitas Verbi constituit filium proprium Dei, constituit gratum, charum, & amicum Deo.

17 Aduert. tamen, quòd cùm diximus naturam humanam sanctificari per vnionem ad personam Verbi, non intelligimus, quòd vnio, prout distincta ab extremis, sit forma sanctificans; vnio enim non distinguitur ab extremis, vt diximus *q.* 5. *art.* 1; & non est, nisi modus indistinctus naturæ humanæ, modus autem non est forma, quæ est verum ens formale; nec potest sanctificare; aliter natura sanctificaretur per se ipsam, quia sanctificaretur per aliquod à se ipsa indistinctum. Intelligitur ergo, quòd sicuti paries albificatur per ipsam albedinem sibi vnitam ita, vt non vnio, vt distincta ab albedine, sed ipsa albedo albificet; & ipsa vnio ad summum sit id, quo albedo albificat; ita natura humana formaliter sanctificatur per ipsam personalitatem Verbi, tanquam per formam sanctificantem sibi vnitam, & ipsa vnio hipostatica sit id, quo personalitas sanctificat naturam.

18 Diximus etiam naturam humanam sanctificari ex eo, quòd vniatur personæ Filij, cui ex vi suę processionis communicatur natura Diuina, in qua est omnis sanctitas; & tunc locuti sumus de persona Filij concretè, & *vt quod*; nam tota persona Filij, *vt quod*, terminat naturam humanam; ratio autem formalis *qua* terminandi est filiatio; & ideo natura humana, prout terminatur à persona Filij, *vt quod*, concretè sanctificatur etiam à natura Diuina. Prout autem terminatur à filiatione, *vt quo*, sanctificatur à sola filiatione, quæ etiam præcisa natura Diuina per intellectum est perfecta, relationes enim dicunt perfe-

perfectionem relatiuam, vt diximus *to. 2. de Trin. q. 5. art. 6*; est pura, munda, impeccabilis, amabilis, chara, & grata Deo; & ideo formaliter imbibit sanctitatem; vnde etiansi per impossibile vniretur personalitas, non natura Diuina, adhuc natura humana esset formaliter sancta, quia assumeretur ad filiationem Dei naturalem, quę est obiectum amoris Dei, & est grata, chara, munda, & impeccabilis simpliciter; & ideo assumeretur etiam formaliter ad sanctitatem. Quando ergo *Concil. Francoford.* ait Diuinitatem esse causam formalem sanctificationis naturæ humanæ; sumi potest *Diuinitas* transcendentaliter, prout essentialiter imbibitur in natura Diuina, & in personalitate, quæ pariter est formaliter Diuina; & vtroque modo habet formaliter sanctificare; quia Diuinum, vt Diuinum *est*, formaliter est sanctum, & ideo formaliter imbibit sanctitatem; ac per consequens vtrunque habet sanctificare, quia vtrique formaliter conuenit sanctitas.

19 Obijc. 1. Si humanitas Christi sanctificaretur formaliter per gratiam vnionis, gratia habitualis in Christo esset superflua; quia Christus, vt homo, per vnionem hipostaticam constitueretur Filius Dei, gratus, sanctus &c; qui sunt effectus gratiæ habitualis; & quia isti præstarentur à gratia vnionis, non possunt præstari à gratia habituali; aliter ijdem effectus præstarentur à pluribus causis totalibus, & effectus iam positi denuo fierent & ponerentur; sed gratia habitualis datur in Christo, vt *inf*; ergo humanitas Christi nō sanctificatur formaliter per gratiam vnionis. 2. Effectus primarius alicuius formæ nequit præstari ab alia forma, quia effectus formalis formæ est idem realiter cum forma; & ideo si duæ formæ identificarentur cum eodem effectu formali, identificarentur inter se, & sic non essent duæ, sed vna forma; sed *ex Trid; & PP.* sanctificatio est effectus gratiæ habitualis; ergo idem. 3. Quod constituit animam Christi sanctam radicaliter, nequit illam constituere sanctam formaliter; vt rationalitas, quæ constituit hominem risibilem radicaliter, nequit eum constituere formaliter risibilem; sed vnio hipostatica constituit animam Christi sanctam radicaliter; ergo nequit eam constituere sanctam formaliter. 4. Forma tribuit subiecto, cui vnitur, omnem suum effectum formalem; sed si Verbum assumpsisset naturam irrationalem, vel rationalem in puris naturalibus, illam non sanctificasset; ergo vnio non habet formaliter sanctificare. 5. Illud solùm sanctificat, quod tribuit ius ad gloriam; sed vnio hipostatica non est huiusmodi; quia Deus de sua potentia absoluta potest humanitati vnitæ denegare gloriam; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. ma. Ad prob. insert. dicitur, quòd gratia habitualis habet etiam esse connaturale principium actionum vitalium supernaturalium, vt *inf*; & propter hunc effectum, & ad hoc, vt Christus sit plenus gratiæ, vt ait *Io*; est necessaria. Porrò effectus gratiæ habitualis est constituere filium Dei adoptiuum; & tamen quia in Christo inuenit eum Filium Dei naturalem, non constituit adoptiuum; ita à pari gratia habitualis habet præstare omnes supradictos effectus; quia tamen illos inuenit iam positos per gratiam vnionis; ideo illos de nouo non ponit; requiritur enim ad hoc, vt aliqua causa præstet suos effectus formales, quòd subiectum sit in potentia passiua ad illos recipiendos; quod autem actu illos habet, non est in potentia ad illos, vt constat. Hinc si detur ferrum calidum, quantùm calefieri potest, si ei admoueatur nouus ignis, non causabit calorem in illo, quia non est in potentia passiua ad nouum calorem: hinc est, quòd si subiectum nullo modo sit in potentia ad aliquem effectum, nullo modo talem effectum præstabit forma, quæ aliunde in subiecto capaci potest talem effectum præstare; manifestum enim est, quòd ad hoc, vt aliqua causa causet, requiritur nedum virtus in causa, sed etiam potentialitas passiua in subiecto ad recipiendum effectum ab illa causa causatum. Ad 2. dist. mi. Sanctificatio accidentalis, conc; substantialis, neg. Ad 3. dist. ma. Quod constituit animam Christi sanctam substantialiter radicaliter, nequit illam constituere sanctam accidentaliter formaliter, conc; sanctam substantialiter formaliter, neg; v.g. rationalitas, quæ constituit esse intellectiuum radicaliter, constituit formaliter esse intellectiuum substantiale, non tamen constituit formaliter esse intellectiuum accidentale, quod constituitur per intellectum, qui est accidens superadditum substantiæ rationali, quæ est radix intellectualitatis accidentalis. Sic assumptio naturæ humanæ ad personam Verbi constituit eandem naturam sanctam formaliter substantialiter; quæ sanctitas substantialis est radix sanctitatis accidentalis, quę habetur per gratiam habitualem; ex quo apparet æquiuocatio. Ad 4. iam dictum est; quòd si Verbum assumpsisset naturam creatam sistendo in ordine naturali, non eleuasset ipsam ad ordinem Diuinum, ideo illam non sanctificasset; sola enim assumptio ad ordinem Diuinum sanctificat. Vel dist. ma. Forma tribuit subiecto effectum, ad quem subiectum est in potentia passiua, conc; secus, neg. In ordine autem naturali nulla creatura est in potentia passiua naturali ad sanctitatem, quia sanctitas est in ordine supernaturali. Ad 5. neg. mi; & eius prob; nam iustis Deus nonnisi iniustè gloriam denegaret; vt docet *D. P. Aug.*

20 Inst. Si Deus non posset denegare gloriam, necessariò eam concederet; sed hoc est falsum; quia Deus ad extra agit liberè; ergo potest illam denegare.

Resp. dist. ma. Necessariò necessitate suppo-

positionis, quòd eleuet naturam humanam, conc; absolutè, neg. Necessitas autem suppositionis non repugnat, sed conuenit Deo; nam supposito, quòd velit Deus creare hominem, non potest illum non creare rationalem; quia essentiæ rerum sunt immutabiles.

21 Obijc. 2. Sanctificatio est intrinseca creaturæ; ergo habetur à forma intrinseca; sed persona Verbi tantùm extrinsecè terminat naturam humanam; ergo illam non sanctificat. 2. Gratia sanctificans ex sua ratione formali reddit naturam gratam, & acceptã Deo in ordine ab bona supernaturalia, quæ sunt visio beata, & amor beatificus, & tribuit ius ad illa; sed vnio hipostatica non est huiusmodi; quia potuit vniri creatura irrationalis, quæ non est capax huiusmodi bonorum; ergo idem. 3. Quoties aliqua forma superior continet eminenter inferiorem, & effectum illius, frustra ponitur forma inferior; quia per formam superiorem habentur omnes effectus formæ inferioris; vt patet de anima rationali, quæ, quia continet animam sensitiuam, & vegetatiuam, ideo simul cum illa istæ non ponuntur; sed sanctificatio substantialis est superior, & eminenter continet sanctificationem accidentalem; ergo si illa poneretur in Christo, ista esset frustranea.

Resp. ad 1. dupliciter aliquod dici intrinsecum alteri. 1. Per informationem, & inhærentiam, quia simul cum altero vnum constituit. 2. Per assumptionem ad vnitatem alterius, quæ excludit omnem informationem, inhærentiam, & compositionem; quo posito dist. ant. Sanctificatio est intrinseca creaturæ per informationem, si sit sanctificatio accidentalis, conc; si sit substantialis, neg; sanctificatio enim substantialis est tantùm intrinseca per assumptionem ad vnitatem personæ Diuinæ; & hoc modo tantùm subsistentia Diuina est intrinseca naturæ humanæ; & sic dist. mi. subsumpta. Persona Verbi extrinsecè terminat, idèst intrinsecè non informat, conc; extrinsecè, idèst non eleuat immediatè ad vnionem personalem, neg. Ad 2. dist. mi. Vnio hipostatica ad filiationem Dei naturalem, & propriam non reddit naturam gratam, & acceptam, nec tribuit ius ad bona supernaturalia, neg; in hoc enim distinguitur filius proprius ab alieno, quòd proprius habet ius ex natura accepta à patre ad bona patris; proprius nanque est ille, qui accipit naturam à Patre; & alienus, qui naturam à Patre non accipit, quia non nascitur ex illo; aliter si filius proprius non acciperet naturam à patre nascendo, sed ab alio haberet, iam non esset proprius, sed alienus; nomine enim filij alieni significatur ille, qui naturam habet ab alio; & sic fatua esset distinctio filij in proprium, & alienum. Vnio hipostatica ad suppositum Diuinum, quatenus gerit vicem suppositi merè naturalis non eleuando naturam creatam ad ordinem Diuinum, non reddit naturam gratam &c; conc. Ad 3; quo principaliter nititur *Mastr*; dicitur, quòd validissimum argumentum præbet ad oppositum. Dist. igitur ma. Quoties aliqua forma continet aliam eminenter in eodem genere, conc; vt anima rationalis, quæ continet sensitiuam, & vegetatiuam in genere substantiæ, præstat effectus animæ sensitiuæ, & vegetatiuæ; in diuerso genere, neg; vt eadem anima rationalis, licèt præstet effectus animæ sensitiuæ, & vegetatiuæ in genere substantiæ; non tamen præstat per se ipsam, aut per suas proprietates effectus accidentales, quos præstant anima vegetatiua, & sensitiua; propterea quanuis in homine non dentur animæ sensitiua, & vegetatiua; quia vna, & eadem anima rationalis tribuit esse substantiale potens intelligere, sentire, & vegetare, *vt quid*; attamen præter potentias accidentales operatiuas proprias animæ rationalis ponendæ sunt potentiæ accidentales propriæ animæ sensitiuæ, & vegetatiuę ad h c, vt anima rationalis exerceat operationes, & præstet effectus animæ sensitiuæ, & vegetatiuæ; vt sunt potentia nutritiua, generatiua, augmentatiua; & sensus interni, & externi; ergo quanuis vnio hipostatica præstet effectum sanctificationis in genere substantiæ; attamen ponenda est in Christo gratia habitualis accidentalis ad hoc, vt sanctè operetur, quod est proprium gratiæ accidentalis; sicut enim anima, quanuis det esse substantiale, attamen per se ipsam non operatur immediatè, sed per suas potentias, vt patet, aliter non deberent poni potentiæ animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ, si anima rationalis, quæ eminenter continet illas, posset per se ipsam operari (ex quo etiam euidenter probatur proprietates distingui realiter ab anima contra *eosdem Scotistas*) ita quanuis vnio hipostatica sanctificet substantialiter, quia tamen natura substantialiter sanctificata nequit per se ipsam immediatè operari; ideo ponenda est gratia habitualis accidentaliter sanctificans ad hoc, vt per illam sanctè operetur. *Sed de hoc in seq. art.*

22 Obijc. 3. Æternitas, immensitas, & omnipotentia non reddunt naturam humanam formaliter æternam, immensam, & omnipotentem; ergo neque sanctitas increata ipsam reddit formaliter sanctam.

Resp. neg. cons; nam humanitas habet oppositionem ad illa attributa, quia temporalis, & finita est; & sicuti non potest denominari independens, & increata eo, quia vniatur naturæ Diuinæ, quæ est increata, & independens; ita nequit denominari æterna &c. ob eandem rationem. At verò non opponitur sanctitati, sicut non opponitur subsistentiæ, ideo sicut denominatur formaliter subsistens per subsistentiam Diuinam; ita denominatur sancta per sanctitatem Diuinam.

23 Obijc. 4. Natura humana sanctificatur per

per vnionem, sed vnio est aliquid creatum, quia est modus receptus in ipsa natura humana; ergo non sanctificatur per sanctitatem increatam. Prob. ma. 1. *ex SS. PP.* docentibus humanitatem sanctificatam, & vnctam fuisse per vnionem ad Verbum. 2. Vnio hipostatica est perfectior participatio Diuinæ naturæ, quàm gratia habitualis, quia est participatio substantialis. 3. Vnio hipostatica reddit Christi humanitatem adorabilem; ergo illam sanctificat; nihil enim est adorabile, nisi ratione sanctitatis. 4. Reddit naturam humanam obiectum Diuinæ dilectionis.

Resp. dist. ma. Natura humana sanctificatur per vnionem, tanquam per formam sanctificantem, neg; tanquam per modum, quo forma sanctificat, conc; sicut enim paries non dealbatur per vnionem ad albedinem distinctam ab ipsa albedine, sed per ipsam albedinem, ipsa tamen vnio est modus, quo albedo albificat; ita à pari. Ad 1. prob. dicitur *SS. PP.* intelligendos esse eo modo, quo dictum est. Ad 2. eodem modo dist. Est participatio modalis, siue modus participationis, conc; formalis, siue forma participata, neg. Ad 3. dist. ant. Reddit adorabilem ratione personæ Diuinæ, cui vnitur, conc; aliter, neg; & sic ad 4.

24 Obijc. 5. Personalitas Diuina non importat in suo conceptu formali sanctitatem; ergo non sanctificat formaliter. Prob. ant. 1. Personalitas Diuina non est radix actuum supernaturalium videndi, & amandi Deum, quod requiritur ad rationem sanctitatis; hæc enim radix est essentia Diuina; ergo non sanctificat formaliter. 2. Personalitas Diuina non sanctificat naturam Diuinam; ergo neque humanam. 3. Personalitas Diuina non dicit perfectionem; ergo neque sanctitatem, quæ est excessus perfectionis. 4. Si personalitas Diuina importaret formaliter sanctitatem, darentur tres sanctitates relatiuæ, quæ possent coli triplici adoratione; sed conf. est falsum; ergo & ant. 5. Sequeretur sanctitatem transcendere ad omnia prædicata Diuina, adeóque non dari in Deo speciale attributum sanctitatis; sed conf. est falsum; aliter natura humana sanctificaretur etiam ab intellectu Diuino, omnipotentia, & alijs attributis, quia ad omnia illa transcenderet sanctitas; ergo falsum est & antecedens.

Resp. neg. ant. Ad 1. prob. dist. ant. Personalitas non est radix, *vt qua*, conc; *vt quod*, seu *quæ*, neg; persona enim est principium *quod* omnium actionũ. Ad 2. omisso ant; quod posset negari, quia posset dici personalitatem Diuinam sanctificare naturam Diuinam in linea relatiui, quia illi addit perfectionem relatiuam, vt diximus *to. 2. de Trin. vbis;* omisso, inquam, ant. neg. cons; & disparitas est; quia personalitas Diuina inuenit naturam Diuinam sanctam, ideo illam non sanctificat; at vnit sibi naturam humanam non sanctam, ideoque illam sanctificat. Ad 3. neg. ant; vt diximus *to. 2. vbis.* Ad 4. dicitur, quòd licèt sint tres sanctitates relatiuæ in Diuinis, sicut sunt tres personæ sanctæ; attamen vnica adoratione coli debent; quia ratio adorationis sumitur ex ratione primi principij, quæ quia vnica est, vnica adoratione sunt colendæ. Ad 5. dicitur, quòd licèt vnitas, & bonitas transcendant in Diuinis, attamen non sequitur, quòd vnitas, & bonitas absolutè sumptæ non sint attributa Diuinæ essentiæ; vt diximus *to.* 1; ita licèt tres sint sanctitates relatiuæ; attamen non sequitur, quòd sanctitas absolutè sumpta non sit attributum Diuinæ essentiæ; cùm enim sanctitas sit *excessus bonitatis*, vel *perfectionis*; si bonitas, & perfectio, quæ conuertitur cum bonitate, est attributum, etiam ipsa sanctitas veram attributi habet rationem.

25 Obijc. 6. Humanitas Christi nequit sanctificari per naturam Diuinam; aliter non tantùm efficienter, sed etiam formaliter sanctificaretur à tribus personis Diuinis, quibus est communis natura Diuina; ergo neque à personalitate Verbi, cui conuenit sanctitas ratione naturæ Diuinæ. Prob. ant. 1. Natura Diuina vnitur humanitati mediante personalitate; sed vnio mediata non sufficit ad sanctificationem; aliter humanitas sanctificaretur etiam à paternitate, & spiratione, quibus mediante natura Diuina vnitur; nam in tantùm vnitur mediatè naturæ Diuinæ, in quantùm personalitas Verbi realiter identificatur cum natura Diuina; sed natura Diuina realiter identificatur cum paternitate, & spiratione passiua; ideo illis vnitur humanitas mediante natura Diuina; ergo humanitas non sanctificatur per naturam Diuinam. 2. Humanitas nequit reddi formaliter amabilis à Deo per naturam Diuinam; quia nequit reddi per ipsam formaliter potens amare Deum; ergo idem. 3. Si gratia, vel personalitas Verbi vniretur immediatè soli corpori, non animæ corpori vnitæ, non sanctificaret animam; ergo à pari. 4. Si sanctificaretur etiam per naturam Diuinam, duplici sanctificatione substantiali sanctificaretur; sed hoc nequit dici; ergo neque primum.

Resp. dist. ant. Non sanctificatur per naturam Diuinam, vt modificatam relatione filiationis, & ideo vt soli Filio conuenientem, neg; nam tota persona Filij, quæ est concretum ex filiatione, & natura Diuina, assumpsit naturam humanam; atque adeo tota persona Filij humanitatem sanctificauit. Per naturam Diuinam, vt communem tribus personis, conc. Ad 1. prob. dist. ma; Natura Diuina vnitur mediante filiatione constituendo vnum totũ *quod* terminans formaliter naturam humanam, conc; non constituendo vnum *quod* terminans, neg; & sic dist. mi; cuius prob. non est ad rem; quia spiratio passiua, & paternitas non vniuntur naturæ Diuinæ, vt constituant vnum totum *quod* terminans immediatè naturam humanam; aliter tota Trinitas ter-

terminaret. Ad 2. neg. ant; & ad prob. insert. dicitur, quòd ad hoc, vt aliquod sit proximè potens amare Deum, non sufficit, quòd sit proximè amabile à Deo; quia ad hoc, vt sit proximè amabile à Deo, sufficit, quòd sit in ordine Diuino, & ideo purum, mundum &c; non autem requiritur in ipso obiecto amabili aliquod principium actiuum elicitiuum actionis supernaturalis; quia amabilitas dicit puram passionem, ad quam non requiritur principium actiuum, vt constat in naturalibus; homo enim amat cibum, & tamen cibus non habet principium actiuum amandi hominem; sed sufficit, quòd sit in ipso principium passiuum, quod est bonitas. At verò ad hoc, vt aliquod cõstituatur proximè potens amare, requiritur, quòd in illo sit principium actiuum elicitiuum amoris; cùm autem natura Diuina nequeat esse principium formale actionis creatæ, quia nequit esse accidens, quo mediante natura creata operatur; ideo per se ipsam nequit reddere humanitatem proximè potentem amare Deum; quanuis possit illam reddere amabilem à Deo, quia potest illi communicare suum esse Diuinum, à quo sumitur bonitas formalis; quia *in quantùm sumus, boni sumus*; vt docet *S.P. Aug. lib. de nat. boni*. Ad 3. dist. ant. Si mediante corpore vniretur etiam animæ, neg; nam quanuis gratia habitualis immediatè vniatur soli animæ; attamen sanctificat totum hominem. Si nullo modo vniretur, conc; & neg. cons. Ad 4. neg. ma; nam quoties duo constituunt vnum principium *quod* totale, vna tantùm est actio ab illo procedens; quanuis illis duobus eadem actio tribuatur secundùm aliam, & aliam rationem.

ART. II.

An in Christo sit gratia habitualis?

OMnes DD. consentiũt gratiam habitualem fuisse in anima Christi concreatam; ac propterea fuisse sanctificatum per sanctitatem substantialem, & accidentalem. *Ita Fund. Doct. hìc dist. 4. p. 3. art. 2. dub. lat; & dist. 13. p. 1. qu. 1. art. 1;* vbi docet in Christo esse omnem plenitudinem gratiæ, *de qua omnes accepimus; & dist. 14. p. 1. q. 1. art. 2. §. Primò nanque; & Quodl. 5. q. 4;* vbi ait: *Vnde ei dicitur datus spiritus, non ad mensuram, quia quantùm potuit anima illa recipere de plenitudine gratiæ, tanta ei fuit gratia infusa. Noster Argent. dist. 14. qu. 1. art. 1;* vbi refert *Henr. Quodl. 6. q. 6.* contrariè sentientem. *Ceteri* tamen *omnes communiter* affirmant; imò *Sua; Val; Lorc; & alij* volunt esse de fide; quanuis *Vasq: Turr; Arrauius, & alij* oppositum censeant. Solùm controuertitur; ad quid fuerit necessaria gratia habitualis? *Dur; Scot; & Fab. apud nostrum Gibb. hìc disp. 11. dub. 4. n. 1.* volunt fuisse etiam de potentia Dei absoluta necessariam ad hoc, vt opera Christi sint meritoria. *Vasq. disp. 41. c. 4; & 5.* ait nõ fuisse necessariam ad plenam Christi sanctificationem. *Lorc. disp. 17.* putat non fuisse necessariam ad connaturaliter exercendos actus supernaturales. *Gibb; Gonet, & alij* asserunt ita fuisse necessariam ad eliciendos actus meritorios, vt tamen de potentia absoluta potuerit Christus sine illa mereri præmium supernaturale; cuius oppositum docent *Dur; & alij vbis.*

2 Vnica concl. In Christo fuit gratia habitualis, vt in ipso esset omnis gratiæ plenitudo, *de qua omnes accepimus*; & vt connaturaliter eliceret actus supernaturales, quibus nobis meruit vitam æternam.

Prob. 1. pars concl. 1. *ex Ioan. 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis*; & mox: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Ex quo sic. 1. In illo, in quo est plenitudo omnium gratiarum, est gratia habitualis; sed in Christo secundùm naturam humanam est plenitudo omnium gratiarum; ergo in ipso est gratia habitualis. Prob. ma. Capacitas recipiendi gratiam habitualem non repletur, nisi ponatur in ea gratia habitualis; sicut capacitas, quam habet materia, recipiendi formam, non repletur, nisi ponatur forma in materia; & sic de aqua respectu vasis; sed in illo, in quo est plenitudo omnium gratiarum, est capacitas recipiendi gratiam habitualem; quia plenitudo gratiarum non potest competere, nisi naturæ intellectuali creatæ, quæ sola est capax gratiæ, natura enim Diuina est gratiæ simpliciter incapax; natura autem creata est essentialiter capax gratiæ habitualis, cùm sit capax recipiendi qualitatem supernaturalem; ergo illud, in quo est plenitudo omnium gratiarum, est gratia habitualis. Mi. habetur euidenter ex textu. 2. *Cum S.P. Aug. in Enchir. c. 36.* super *hunc textum* sic docente: *Vt intelligant homines per eandem gratiam se iustificari à peccatis, per quam factum est, vt homo Christus nullum habere posset peccatum.* Arguitur autem sic. Illud, per quod formaliter iustificamur à peccatis, est gratia habitualis; sed in Christo fuit illud, per quod nos iustificamur à peccatis; aliter nos à Christo illud non accepissemus; nemo enim potest accipere aliquid ab alio, quod in illo non est; ergo in Christo est gratia habitualis.

3 2. *Act. 10.* habetur de Christo: *Quomodò vnxerit eum Dominus Spiritu Sancto, & virtute; & ps. 44. Diffusa est gratia in labijs tuis, propterea vnxit te Deus præ consortibus tuis*; sed nomine gratiæ, & vnctionis Spiritus Sancti intelligunt *SS. PP.* gratiam habitualem, quæ *diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum*; vt habet *S. P. Aug. lib. 15. de Trin. c. 26.* hunc eundem textũ exponens: *Propter hoc & Dominus Iesus Spiritum Sanctum non solùm dedit, vt Deus, sed etiam accepit, vt homo, propterea dictus est plenus gratia.*

Et

Et manifestius de illo scriptum est in Act. Apostolorum: Quoniam vnxit eum Deus Spiritu Sancto. Non vtique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur vnguento, quo baptizatos vnxit Ecclesia. Ex quo sic. 1. In baptismo confertur gratia habitualis; sed in Christo, vt homo, est gratia, quæ confertur in baptismo; ergo in Christo est gratia habitualis. Ma. est certa; nam per baptismum iustificamur à peccatis, eruimur à potestate Diaboli, & efficimur Dei filij, & hæredes; qui sunt effectus gratiæ habitualis. Mi. traditur expresè *à S. P. Aug*; nam per vnctionem, qua Christus, vt homo, vnctus est à Spiritu Sancto, significatur gratia, qua nos vngimur in baptismo, & sanctificamur; hæc autem est gratia habitualis, vt dictum est. 2. Nomine vnctionis, qua Christus, vt homo, vnctus fuit à Spiritu *Sancto*, nequit significari sanctitas increata, qua per vnionem hipostaticam fuit substantialiter vnctus; ergo significatur sanctitas accidentalis creata, quæ est formaliter gratia habitualis; sanctitas enim adæquatè diuiditur in substantialem, & accidentalem; & ideo à negatione vnius optimè infertur alterius affirmatio. Prob. ant. Christus, vt homo, vnctus est substantialiter formaliter à persona Diuina, ad quam natura humana fuit assumpta; quanuis enim efficienter sanctificetur à tota Trinitate, à qua incarnatio effecta est, & attribuatur Spiritui Sancto, cui sanctitas appropriatur; attamen formaliter substantialiter sanctificatur ab ea solùm persona, à qua terminatur formaliter; vt diximus *in sup. art*; sed persona, ad quam natura humana fuit assumpta, non est Spiritus Sanctus, quia Spiritus Sanctus non est incarnatus; ergo nomine *vnctionis*, qua Christus, vt homo, vnctus est à Spiritu Sancto, nequit significari sanctitas substantialis increata, sed creata.

4 3. Ratione. Quoties aliqua natura est sanctificabilis per sanctitatem increatam, & creatam, ad hoc, vt sit plena omnis sanctitatis, & gratiæ, debet esse in illa nedum sanctitas increata, sed etiam habitualis creata; sicut enim si ei deficeret sanctitas increata, non esset simpliciter sancta secundùm omnem modum, quo potest habere sanctitatem; & sic non esset simpliciter plena omnis sanctitatis, quam posset habere; ita si ei deficeret sanctitas creata, non esset simpliciter sancta secundùm omnem modum possibilem, & ideo non esset simpliciter plena omnis sanctitatis, & gratiæ possibilis communicari naturæ creatæ. Hinc *S.P. Aug. in Enchir. vbi s.* docet, quòd Angelus annuncians B.Virgini incarnationem vocauit eam *gratia plenam*; quia B. Virgo habuit omnem gratiam, quæ potuit competere puræ creaturæ; nam puræ creaturæ præter gratiam habitualem, & omnia alia dona creata potest competere esse Matrem Dei, quam gratiam habuit *B.Virgo*; & quam si non habuisset, non potuisset vocari *gratia plena*; quia in ea nōn fuisset omnis gratia, quæ potest competere puræ creaturæ; sed natura humana Christi Domini est sanctificabilis per sanctitatem increatam, & creatam; quia est sanctificabilis per assumptionem ad vnitatem personæ Diuinæ, quæ est substantialiter sancta, vt diximus *in sup. art*; & ideo est sanctificabilis ex eo, quòd existat, & subsistat per existentiam, subsistentiam, & personalitatem Diuinam; & est sanctificabilis per formalem participationem creatam ipsius naturæ Diuinæ formaliter immediatè, quæ participatio fit per gratiam habitualem; constat enim naturam creatam nedum esse capacem existendi per esse personale Diuinum immediatè; sed etiam esse capacem, vt eleuetur accidentaliter, consecretur, & sanctificetur per naturam Diuinam, vt accidentaliter participatam; ergo in Christo debet concedi gratia habitualis, vt in ipso sit plenitudo omnium gratiarum; de qua solùm accipere possumus; certum enim est, quòd ab ipso non habemus sanctitatem increatam formaliter in nobis ipsis, quia per ipsum non vnimur hipostaticè Deo; & ideo solùm de gratia habituali accipimus.

5 Prob. 2. pars concl. *ex S.P. Aug. in Enchir. cap. 39.* super illud: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*; docente: *Ac sic in naturæ humanæ susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum possit admittere. Quæ gratia propterea per Spiritum Sanctum fuerat significanda, quia ipse propriè sic est Deus, vt dicatur etiam Dei donum.* Ex quo sic arguitur. Ad hoc, vt aliquis connaturaliter eliciat aliquos actus, debet habere in se ipso principium formale elicitiuum illorum actuum per modum naturæ; ab hac enim elicientia illorum denominatur connaturalis; sed sola gratia habitualis est principium formale elicitiuum actuum supernaturalium per modum naturæ; quia sola gratia habitualis subiectatur immediatè in essentia animæ, quæ formaliter constituit naturam hominis; & est principium *quo* radicale, & remotum, quo homo operatur mediantibus habitibus supernaturalibus, qui subiectantur in potentijs animæ, scilicet mediante habitu fidei in intellectu recepto, habitu charitatis in voluntate &c; vnde sicut natura substantialis hominis est principium *quo* radicale, & remotum omnium operationum, quæ fiunt ab homine in ordine naturali mediantibus potentijs naturalibus, scilicet intellectu, voluntate &c; ipsæ autem potentiæ non habent rationem naturæ, sed proprietatum adiacentium naturæ, quibus mediantibus natura operatur; ita gratia habitualis est principium *quo* radicale remotum omnium operationum supernaturalium, quæ fiunt ab homine in ordine supernaturali mediantibus habitibus supernaturalibus, scilicet habitu fidei, charitatis &c; ipsi autem habitus non habent rationem naturæ, sed proprietatum aduenien-

nientium gratiæ habituali, quibus mediantibus gratia habitualis operatur; ergo gratia habitualis fuit in Christo ad hoc, vt eliceret connaturaliter actus supernaturales.

6 Conf. Actus supernaturalis nequit dici connaturaliter elicitus ex eo, quòd eliciatur mediante habitu, vel mediante aliquo auxilio transeunte; nam habitus, & auxilium se habent immediatè ad actum; natura verò tantùm mediatè, & radicaliter; tum quia habitus, & auxilium sunt principium determinatum talium actuum, v.g. habitus charitatis actuum amoris tantùm, non fidei, & aliorum; natura autem est principium generale, & commune omnium actuum, quia natura hominis mediante intellectu intelligit, mediante voluntate amat, mediante oculo videt &c; quod nequit dici de aliquo habitu, aut auxilio transeunte; ergo ad hoc, vt aliquis actus supernaturalis connaturaliter eliciatur, debet esse in illo gratia habitualis.

7 Præterea gratia vnionis non præstat effectum, nisi quod præstat suppositalitas; sed suppositalitas dat esse, & subsistere tantùm, non autem dat posse formale operari, seu non constituit rationem formalem operandi; ratio enim operandi est natura; suppositalitas autem licèt ponat naturam sub esse existentiæ; attamen non constituit formaliter naturam; & ideo non constituit rationem formalem operandi, quæ est idem, ac natura, quæ definitur *principium operandi*; ergo ad hoc, vt Christus supernaturaliter connaturaliter operetur, præter gratiam vnionis admittenda est in ipso gratia habitualis, quæ eleuat naturam, & est principium radicale operandi supernaturaliter.

8 Prob. 3. pars concl. Quamuis actus supernaturalis imperfectus possit dari sine habitu, & per consequens sine gratia habituali, quæ se habet per modum naturæ in ordine supernaturali, seu per modū formæ supernaturalis, cuius proprietates sunt habitus supernaturales; attamen sine habitu nequit dari actus supernaturalis perfectus, qui solus est meritorius vitę æternæ; actus enim imperfectus est solùm dispositiuus, non autem meritorius, vt *communiter* traditur; v.g. licèt possit dari actus fidei imperfectus dispositiuus ad habitum fidei, vt in cathecumeno, sine habitu fidei, qui infunditur in baptismo; attamen nequit dari actus fidei perfectus, & meritorius sine habitu fidei; aliter habitus fidei non esset necessarius simpliciter ad actum perfectū; ergo ad hoc, vt actus supernaturales Christi Domini sint nobis meritorij vitæ æternæ, debet in illo esse gratia habitualis; illud enim est necessarium, sine quo finis intentus haberi non potest.

9 2. Principium formale alicuius actionis debet correspondere termino formali, eique adæquari; nam principium formale specificatur à suo termino, seu obiecto formali, quod est terminus, ad quem tendit eius actio; inter specificatiuum autem, & specificatum debet dari adæquatio, vt notum est; sed vitæ æternæ nobis acquirendæ per actus supernaturales meritorios Christi Domini, quæ est terminus illorum, non correspondet, nisi gratia habitualis, quæ ei solummodò æquatur; ergo ad actus meritorios Christi Domini necessaria est gratia habitualis. Prob. mi. 1. Vita æterna est terminus generaliter omnium actuum supernaturalium, quia in illam omnes diriguntur; ergo principium formale ei correspondens, & eam adæquans debet esse principium formale generaliter omnium actuum supernaturalium; atqui hoc principium est sola gratia habitualis; nam quilibet habitus supernaturalis est determinatus tantùm ad aliquos actus specie, vt diximus; ergo sola gratia habitualis correspondet termino actus meritorij. 2. *Terminus actus meritorij* est Diuina natura à nobis participabilis per operationem intellectualem; ergo principium formale correspondens termino formali debet esse participatio Diuinæ naturæ per modum principij actiui, & operatiui, quo possumus eandem naturam Diuinam consequi in esse obiectiuo; atqui hæc participatio est gratia habitualis, quę definitur 2. *Pet.* 1. *Qua efficimur consortes Diuinæ naturæ*; & *psal.* 44. *Vnxit te oleo lætitiæ præ participibus tuis*; ergo idem. *Vid. tom.* 4. *de Grat. quæst.* 3. *artic.* 2; & *quæst.* 4. *artic.* 3; & *quæst.* 5. *artic.* 2.

10 An autem gratia habitualis sit necessaria etiam de potentia absoluta ad eliciendos actus meritorios vitæ æternæ; videtur conformius nostræ doctrinæ, & *Thomistarum* asserentium non posse dari effectum formalem sine causa, seu sine principio formali, vt actum visionis sine lumine gloriæ; vt diximus *to.* 1. *de Inuisib. q.* 2. *art.* 2; & 3. Neque officit, quòd gratia habitualis sit principium formale tantùm radicale, & remotum; non officit, inquam; etenim natura hominis est tantùm principium radicale intellectionis, & potentia intellectiua est principium proximum; sed implicat dari intellectionem humanam nedum sine principio formali proximo, quod est intellectus, sed etiam sine natura humana, quæ est principium radicale remotum; intellectio enim principaliùs attribuitur naturæ, quæ intelligit per intellectum; quàm intellectui, quo natura intelligit; quia actio principaliùs dependet à causa principaliori, quàm à minùs principali, seu instrumentali, qua mediante causa principalis agit; & ideo ab illa essentialiùs dependet; ergo si Deus nequit supplere defectum causæ formalis proximæ, à fortiori non potest supplere defectum causæ radicalis, quæ est magis principalis, & principaliùs ad actionem concurrit. Tum quia potentia visiua est causa radicalis visionis, causa enim

enim proxima est lumen; sed magis apertè implicat posse dari visionem sine potentia visiua, quàm sine lumine; ergo à pari.

11 Nec obstat, quod opponit *Gonet*; scilicet naturam humanam esse gratam Deo per gratiā vnionis, & ideo illius operationis posse esse etiā meritorias sine gratia habituali. Non obstat, inquam. 1. Quia hoc probat etiam de facto non esse necessariam gratiam habitualem; nam si ad hoc, vt eliciantur actus meritorij, sufficeret naturam esse gratam Deo; sequeretur, quòd de facto esset superflua gratia habitualis, de facto enim natura humana est grata Deo per gratiam vnionis; quod contradicit *ipsi Gonet*. 2. Quia gratia habitualis nedum requiritur, vt constituat naturam gratam Deo; sed etiam vt constituat principium formale radicale operandi; sicut enim in naturalibus nedum est necessaria potentia proximè operatiua, vt v. g. potentia visiua, sed etiam requiritur principium radicale, quod est natura; ita in supernaturalibus nedum est necessarius ad actum supernaturalem meritoriū habitus supernaturalis proximè operatiuus, v. g. habitus charitatis; sed etiam est necessarium principium radicale, quod se habet per modum naturæ supernaturalis, vt dictum est; ergo quamuis natura humana esset Deo grata per gratiam vnionis in esse rei subsistentis, non tamen esset perfectè constituta in esse principij formalis radicalis; & ideo sine gratia habituali non posset elicere actum meritorium. Nec tandem sufficeret auxilium transiens loco gratiæ habitualis; constat enim hoc non sufficere in pura creatura, quæ sine gratia habituali per solum auxilium transiens nequit elicere actū meritorium vitæ æternæ, sed tantùm dispositiuum, vt *omnes* concedunt; ideo auxilium transiens ex sua natura non habet elicere actum meritorium, aliter in nobis etiam illum eliceret; ergo necessariò ponenda est gratia habitualis, quæ ex sua natura habet virtutem eliciendi actū meritorium. Nec hanc virtutem haberet auxilium transiens ex eo, quòd coniungeretur cum gratia vnionis; nam gratia vnionis non habet hanc efficientiam, vt dictum est; propterea pręter gratiam vnionis ponitur gratia habitualis; ergo gratia vnionis nequit communicare hanc efficientiam auxilio transeunti, quia *nemo dat, quod non habet*. Ex quo apparet inconformitas doctrinæ *horum Recentium*.

12 Obijc. 1. cont. 1. rationem. Ex eo, quòd aliquis dicatur plenus gratia, non deducitur, quòd habeat omnem gratiam possibilem communicari creaturæ; ergo illa ratio non concludit. Prob. ant. *Lo.* 1. B. Virgo vocata est ab Angelo *gratia plena*; *& Luc.* 1. dicitur: *Repleta est Spiritu Sancto Elisabeth*; *& de Ioanne*: *Spiritu S. replebitur ex utero matris suæ; & de Apostolis Act.* 6. *Saule frater, Dominus misit me ad te, vt videas, & implearis Spiritu Sancto*; sed ex hoc non deducitur *B. Virginem, Ioannem, & alios* habuisse omnem gratiam; quia non habuerunt gratiam vnionis; ergo neq; deducitur Christum habuisse gratiam habitualem, sed solùm gratiam vnionis; qua fuit repleta natura humana; sicut deducitur B. Virginem, & alios habuisse solam gratiam habitualem, & alias gratias cum illa connexas, & ab illa dimanantes, vel illam concomitantes.

Resp. *Fund. Doct. hìc dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 1; quòd licèt aliqui loquentes de plenitudine gratiæ, quam habuit B. Virgo, asserant ipsam habuisse plenitudinem gratiæ, quia habuit gratiam maternitatis, qua maior dari nequit; & quia in primo instāti recepit plenitudinem gratiæ; explicant tamen insufficienter talem plenitudinem; *voluit enim* (inquit *Fund. Doct.*) *Angelus eam commendare non solùm, quòd quantùm ad modum, & tempus receptionis gratiæ cęteros Sanctos superauit; sed etiam quòd ipsam plenitudinem gratiæ abundantiorem receperit sine mensura, vniuersalem, & omnino stabilem, quantùm ad animam, & quantùm ad corpus*. Igitur distinguendum est de plenitudine; nam alia est plenitudo sufficientię, qua aliquis dicitur plenus tanta gratia, quanta sufficit ad salutem; & hac pleni sunt Sancti. Alia est plenitudo redundantiæ in alios; qua aliqui nedum sunt pleni gratia in se ipsis, qua possunt saluari, sed etiam quam ex officio possunt in alios inducere, vt sunt Ecclesiæ Prælati; & hac fuerunt pleni *Ioannes, Stephanus, Apostoli, Paulus, & alij*. Alia est plenitudo excellentię, qua aliquis ita plenus est, vt nedum possit saluari, & alios ad salutem inducere; sed tātam habet gratiam, vt non sit capax maiorem recipere; nec vlla alia creatura maiorem habeat, vel possit habere; & hac plenitudine fuit plena B. Virgo, quæ excellit plenitudinem omnium aliorum Sanctorum nedum loquendo de gratia maternitatis, quæ nulli alteri competit creaturæ; & de collatione in primo instanti suæ conceptionis, sed etiam de quacunque alia gratia, quæ in B. Virgine fuit in summo gradu perfectionis, & intensionis, vt nulla maior intensiuè, & extensiuè sit in alia pura creatura. Alia est plenitudo causalitatis, & affluentiæ, qua quis excellit omnes, & in omnibus causat gratiam, & illam in omnes transfert, tanquam in membra; & hæc plenitudo est propria Christi Domini; & ex hac rectè infertur in Christo esse gratiam habitualem, aliter non posset eam in homines transferre, si eam in se ipso non haberet. Dist. ergo ant. Ex eo, quòd aliquis sit plenus gratia simpliciter in omni genere, scilicet substantialiter, & accidentaliter causatiuè, & affluenter, non deducitur habere omnem gratiam, neq; secūdùm quid, sufficienter, redundanter, & excellenter, conc; plenitudo autem Christi fuit simpliciter primo modo; at plenitudo creaturarum fuit tantùm secundo modo; ideo prob. non concludit.

13 Obijc. 2. Si gratia habitualis esset in Christo, Christus esset Filius Dei adoptiuus, nam adoptatio est effectus formalis gratiæ habitualis; nequit autem forma esse in subiecto, & ei non communicare suum effectum formalem; tum quia sicut repugnat generatio naturalis sine filiatione naturali, ita repugnat regeneratio spiritualis, quæ habetur per gratiam habitualem sine filiatione adoptiua; sed consequens est falsum, vt statutum est *cont. Elipandum*; ergo & ant. 2. Non minùs repugnat idem subiectum esse sanctum per essentiam, & per participationem, quàm esse filium naturalem, & adoptiuum; ergo idem.

Resp. ad 1. *cum Fund. Doct. dist. 4. par. 3. quæst. 1. art. 3. dub. lat. ad* 1. neg. ma; quia denominatio sumi debet ab eo, quod est simpliciter; non ab eo, quod est secundùm quid; filius autem naturalis est simpliciter filius, adoptiuus verò tantùm secundùm quid; ideo quia in Christo est filiatio naturalis, debet denominari filius naturalis, non adoptiuus. Vel, vt diximus *in sup. art*; neg. ma; nam gratia habitualis inuenit subiectum habens filiationem naturalem, & ideo nequit illi conferre filiationem adoptiuam, quæ pugnat cum filiatione naturali eo, quia filiatio adoptiua dicit suppositum extraneum, naturalis verò suppositum intraneum; implicat autem, quòd idem suppositum sit extraneum, & non extraneum etiam secundùm diuersas naturas, maximè si per vnam illarum non constituatur in ratione suppositi, sed illam assumit ad sui vnitatem, vt in casu. Ad aliud dist. ma. Sine filiatione adoptiua, dummodò non inueniat in subiecto filiationem naturalem, conc; si illam inueniat in subiecto, neg; est enim cum illa incompossibilis. Ad 2. neg ant; nam sanctitas conuenit naturæ secundùm se, & ideo cùm in eodem supposito sit duplex natura, quarum vni conuenit sanctitas per essentiam, & alteri per participationem, ideo idem suppositum potest esse simul sanctum per essentiam, & per participationem. At verò filiatio conuenit supposito ratione naturæ, & dicitur de supposito, non de natura; non enim natura, sed suppositum dicitur filius; & ideo cum supposito Diuino repugnet adoptari, quia ei repugnat esse extraneum; ideo ei repugnat filiatio adoptiua.

14 Inst. Implicat formam recipi in subiecto, & non causare suum effectũ formalem; sed adoptare ad hæreditatem Dei est effectus formalis gratiæ habitualis; ergo implicat gratiam habitualem esse in Christo sine filiatione adoptiua.

Resp. *communiter* dist. ma. Effectum formalem primarium, conc; sed neg. mi; nam effectus formalis primarius gratiæ habitualis est sanctificare accidentaliter, & constituere naturam humanam potentem exercere connaturaliter actus supernaturales, & hos effectus præstat in Christo. Effectum secundarium, neg. Præterea dicitur, quòd sicuti actio generatiua habet superaddere generanti relationem paternitatis; si tamen inueniat in generante paternitatem, cùm iam genuit alium filium, illam non superaddit, sed relationem iam existentem in generante extendit ad nouum terminum; ita gratia habitualis habet superaddere naturæ creatæ filiationem Dei adoptiuam; si tamen inueniat in supposito filiationem Dei naturalem, non superaddit nouam relationem filiationis, sed filiationem naturalem extendit etiã ad naturam humanam ita, vt etiam secũdùm naturam humanam sit filius Dei naturalis, vt diximus *in sup. q. art.* 2.

15 Replic. Communicatio naturæ Diuinæ in Diuinis formaliter primariò causat filiationem, per quam formaliter constituitur persona Filij; ergo communicatio gratiæ habitualis, quę est quædam generatio spiritualis, formaliter primariò causat filiationem adoptiuam; adeoque sicut nequit natura Diuina communicari per generationem naturalem, quin constituatur Filius Dei naturalis; ita nequit communicari gratia habitualis, quin constituatur Filius Dei adoptiuus.

Resp. *Gibb.* neg. ant; quia generatio priùs intelligitur constituere suppositum, quàm respicere terminum. At hoc quanuis valeat de supposito absoluto, non valet tamen de supposito relatiuo, cùm suppositalitas sit idem formaliter, ac filiatio. Meliùs ergo neg. cons; & disparitas est; quia etsi generatio merè relatiua, vt est generatiua Diuina (actus enim generationis est relatio explicata per modum actionis, vt diximus *to. 2. de Trin. cum Fund. Doct.*) habeat primariò constituere relationem filiationis; attamen generatio absoluta, vt est per gratiam habitualem, habet effectum primarium absolutum, & tantùm secundariò causat relationem; quia sicuti effectus primarius formæ relatiuæ est relatiuus; ita effectus primarius formæ absolutæ est absolutus. Vel neg. cons; sicut enim si generatio Diuina inueniret in Filio filiationem, non causaret in Filio aliam relationem filiationis, vt diximus *de paternitate*; ita quia gratia habitualis inuenit filiationem naturalem, non causat filiationem adoptiuam respectu Dei, sed tantummodò extendit filiationem naturalem ad Christum etiam secundùm naturam humanam.

16 Obijc. 3. Ex eo, quòd natura humana sit subsistens per subsistentiam increatam, nequit fieri subsistens per subsistentiam creatam; ergo ex eo, quòd sit sancta per sanctitatem increatam, nequit fieri sancta per sanctitatem creatam, quę habetur per gratiam habitualem. Ant. patet ex dictis *q. 1. art. 7.* Prob. cons. In tantùm natura humana suppositata per subsistẽtiam increatam nequit fieri subsistens per subsistẽtiam creatam; in quantùm subsistentia increata continet eminenter omnem subsistentiam creatam, cùm sit infini-

infinita simpliciter; & ideo præstat omnem effectum, quem præstaret subsistentia creata; adeoque subsistentia creata nihil potest efficere; sed etiam sanctitas increata cõtinet eminenter omnem sanctitatem creatam, quia est simpliciter infinita; ergo natura humana ex eo, quòd sit sancta per sanctitatem increatam, nequit sanctificari per sanctitatem creatam. Solet etiam adduci exemplum de anima rationali, quæ cùm virtualiter contineat animam sensitiuam, & vegetatiuam; ideo simul cum anima rationali nequit poni anima vegetatiua, & sensitiua in eodem homine; & de Sole, qui cùm sit virtualiter calidus, nequit in ipso esse formaliter calor.

Ad hoc arg; quod communiùs adducitur, iam responsum est *in sup. art. n.* 21. Neg. igitur cons. Ad prob. neg. ma; nam quanuis subsistentia creata sit finita; attamen essentia per ipsam suppositata nequit fieri subsistens per aliam subsistentiam creatam, imò neque per subsistentiam Diuinam, vt diximus *q.* 1. *vbi s;* vbi adduximus rationes, inter quas est illa, quòd natura subsistens est simpliciter determinata, & contracta, ideo nequit vlteriùs contrahi, & determinari. Hoc tamen est intelligendum in eodem genere; nam in diuerso genere de facto contrahitur; natura enim humana contracta per personalitatem ad esse substantiale, adhuc contrahitur multipliciter ad esse accidentale per accidentia, vt ad esse calidũ per calorem, albũ per albedinem &c. Ergo quanuis natura humana Christi Domini, vt sanctificata per sanctitatem essentialem, nõ sit ampliùs substantialiter sanctificabilis; attamen non sequitur, quòd non sit sanctificabilis accidentaliter, seu per gratiam habitualem, quæ est accidens. Sic quanuis corpus humanum informatum ab anima rationali non sit ampliùs informabile ab anima sensitiua, vel vegetatiua; quia hæc informatio esset substantialis, & ideo in eodem genere; est tamen perfectibile, & informabile accidentaliter per accidentia propria animæ sensitiuæ, & vegetatiuæ; vt constat de facto. Ad illud de Sole dicitur, quòd sicut Sol, quia est virtualiter calidus, nequit in se ipso recipere calorem formaliter; attamen si vniretur alteri corpori, posset illud corpus recipere calorem formaliter; ita quia natura Diuina continet eminenter omnem sanctitatem, nequit in ipsa recipi immediatè sanctitas formalis creata, quæ tamen potest formaliter recipi in natura humana sibi vnita. Etenim natura Diuina nedum continet omnem sanctitatem, sed etiam omne accidens ordinis naturalis, & supernaturalis; & tamen ex eo, quòd vniatur naturæ humanæ non fit, quòd in natura humana non sint formaliter accidentia naturalia, & supernaturalia, vt docet fides; ergo quanuis contineat gratiam habitualem, quæ est accidens supernaturale, ex eo, quòd vniatur naturæ humanæ, non sequitur, quòd in natura humana non recipiatur formaliter gratia habitualis. Ratio igitur, quare natura humana suppositata per subsistentiam Diuinam nequit fieri subsistens per subsistentiam creatã, est, quia subsistentia creata non est accidens, sed substantia, ideo non contraheretur in diuerso genere, sed in eodem, quod repugnat. At sanctitas creata est accidens, ideo differt genere à sanctitate increata, quæ est substantia; & per consequens potest contrahere, & informare naturam iam sanctificatam per sanctitatem substãtialem. Itaque implicat naturam humanam iam subsistentem per subsistentiam increatam fieri subsistentem per subsistentiam creatam; quia subsistentia est prædicatum specificum, quod dicitur solùm de substantia; etenim accidentibus non conuenit subsistere; implicat autem, quòd aliquod iam constitutum in genere substantiæ denuo constituatur; quia repugnat eundem effectum formalem, qui præstatur à causa formali pèr exhibitionem sui ipsius, præstari à duplici causa formali, iam enim non esset vnus, & idem effectus formalis, sed duplex, sicut duplex est causa. At verò sanctitas est prædicatum analogum conueniens substantiæ, & accidenti; ideo subiecto iam habenti sanctitatem substantialem potest aduenire sanctitas accidẽtalis; sicut quia entitas est analoga ad substantiam, & accidens; ideo subiectum iam constitutum per entitatem substantialem, potest constitui per entitatem accidentalem; quod tamen nequit dici de prædicatis specificis, quæ soli substantiæ conueniunt; & ideo implicat ea conuenire accidentaliter; quod tamen contingeret, si duplex prædicatum conueniret; quia illud quod post aliud conueniret, accideret alteri, vt constat.

17 Obijc. 4. Natura humana Christi non potuit deficere in operando; ergo non indiguit gratia habituali, quæ ponitur tantùm, vt sit principium bonæ operationis. Prob. ant. Natura humana in Christo est instrumentum Deitatis, quia est id, quo persona Diuina operatur; sed instrumentum nequit deficere, quãdo principale agens indefectibiliter mouet; ergo idem. 2. Cui præsens est lux Solis, non eget lumine candelæ; ergo cui præsens est sanctitas increata, non eget sanctitate creata.

Resp. ad 1. neg. cons; & ad prob. insert. dicitur, quòd licèt natura humana non potuisset peccare, ad hoc tamen, vt operaretur supernaturaliter, necessaria fuit gratia habitualis, quæ est principium formale actuum supernaturalium perfectorum. Non potuit ergo deficere, idèst non potuit peccare; nec tamen potuisset perfectè operari sine gratia habituali, quia ex eo, quòd non possit peccare, non fit, vt possit perfectè operari, ad quod aliud ampliùs requiritur, quàm ad non posse peccare; quia plus requiritur ad ponendum effectum, quàm ad illum non ponendum. Ad 2. neg. cons; nam lux Solis, & candelæ, & stellarum agit in eodem genere,

nere, sanctitas autem increata, & creata in diuerso genere; ideo non est paritas.

18 Obijc. 5. cont. 2. part. concl. Si gratia habitualis se haberet per modum naturæ, & principij formalis radicalis actuum supernaturalium, sequeretur 1. habitus supernaturales non posse separari à gratia habituali secundùm ordinem naturæ; sed hoc est falsum, quia fides, & spes manent in peccatore; ergo & ant. 2. Sequeretur nullum actum supernaturalem posse elici sine gratia; sicut nullus actus naturalis potest elici sine anima, quæ est principium formale radicale actuum naturalium, sed hoc est falsum; quia dantur multi actus supernaturales in Cathecumeno ante baptismum, & in peccatore ante sacramentum pœnitentiæ; ergo & antec. 3. Habitus fidei, & spei in peccatore constituunt intellectum, & voluntatem connaturaliter potentes elicere actus fidei, & spei, qui sunt supernaturales; ergo non requiritur gratia habitualis.

Resp. ad 1. neg. seq; nam habitus fidei, & spei, prout separati, sunt informes, & hoc modo non sunt proprietates gratiæ habitualis essentialiter cum illa connexæ; sunt enim proprietates solùm, prout formati, & perfecti per charitatem, vt diximus *to.4. de grat. q.5. ar.6. n.7.* Ad 2. dist. seq. Nullum actum supernaturalem imperfectum, neg; perfectum, conc. Ad 3. dist. ant. Constituunt potentias connaturaliter potẽtes per modum principij determinati ad aliquos actus specie, v. g. ad actus credendi, & sperandi, conc; per modum principij radicalis generaliter concurrentis ad omnes actus supernaturales, qui eliciuntur ab homine, neg; & ideo non constituunt per modum naturæ, quæ formaliter est principium radicale generale omnium actuum.

19 Obijc. 6. Gratia habitualis non est operatiua; ergo non requiritur ad eliciendas connaturaliter operationes supernaturales. 2. Ad eliciendos actus supernaturales connaturaliter sufficiunt virtutes infusæ residentes in potentijs animæ; nam elicere actus supernaturales connaturaliter est producere ipsos actus cum inclinatione ad eosdem per formam permanentem; de ratione enim naturæ est naturaliter propendere, & inclinari in actus permanenter, qui ab illa procedunt; virtutes autem infusæ inclinant potentias permanenter ad actus supernaturales, quia ipsæ permanent etiam transeuntibus actibus; ergo non requiritur gratia habitualis ad hoc, vt eliciantur actus supernaturales connaturaliter.

Resp. ad 1. dist. ant. Non est operatiua, *vt quod*, & radicaliter, tanquam principium generale, neg; tanquam principium formale proximum, conc. Ad 2. dist. ant. Ad eliciendos actus supernaturales connaturaliter per modum principij radicalis generalis sufficiunt virtutes, neg; istæ enim sunt determinatæ ad actus in specie, vt diximus. Ad eliciendos actus per modum principij determinati, conc. Vel dicitur, quòd virtutes separatæ à gratia sunt imperfectæ, & informes, quia non sunt formatæ, & perfectæ charitate, & ideo nequeunt producere, nisi actum imperfectum, & informem; nos autem loquimur de actibus perfectis, & ad hos dicimus necessariam esse gratiam habitualem.

§. I.

An gratia Christi dicenda sit ei naturalis?

20 DVbium est de vtraque gratia, vnionis scilicet, & habituali: & de hac quæritur; an sit proprietas illius?

21 *Noster Gibb. hìc disp.11. dub.3. n.17; Gonet hìc disp.12. art.1. §.3; & alij Recentes* negatiuè respondent; imaginantur enim, quòd emanatio proprietatum à suis essentijs sit per influxum physicum productiuum illarum; vt potest deduci ex ratione, quam afferunt; aiunt nanque gratiam habitualem non posse esse immediatè ab vnione; quia hæc est modus, & ideo nequit esse operatiua; nec à personalitate Verbi, quia gratia habitualis, cùm sit opus ad extra, est à tota Trinitate; tum quia id, à quo proprietas dimanat, debet esse natura, non persona; nec ab humanitate, quia implicat formam supernaturalem esse ab aliqua entitate ordinis naturalis; neque ab humanitate, & personalitate simul; quia proprietas oritur à sola essentia; neque à natura Diuina, quia quod emanat, necessariò, non liberè procedit. Tum quia proprietas emanans procedit à subiecto secundùm vltimum potentiæ; & sic gratia habitualis non posset intensior à Deo produci. Asserunt ergo, quòd licèt gratia Christi habitualis non sit proprietas dimanãs physicè à gratia vnionis, potest tamen dici Christo naturalis, quia titulo connaturalitatis ei debetur eo modo, quo motus circularis dicitur naturalis Cœlo, quanuis non dimanet à Cœlo; & species dicuntur naturales Angelis, quanuis physicè non oriantur ab essentijs Angelorum, sed à Deo physicè producantur, & infundantur.

22 Nostra sententia docet gratiam vnionis posse dici Christo homini naturalem; & gratiam habitualem esse veram proprietatem à gratia vnionis physicè dimamantem. *Ita Fund. Doct. Aegid. in 3. dist.4. p.3. q.1. art.2; Argent. dist.13. q.1. art.4.* Idem docet *D. Tho. 3. p. q.2. art.12; & alij.*

23 Vnica concl. Quanuis gratia vnionis in se sit maxima, & summa gratia naturæ humanæ collata; attamen Christo homini dici potest quodammodò naturalis; & gratia habitualis est vera proprietas physica gratiæ vnionis.

Prob.

Prob. 1. pars conc. *Luc. 1. Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*; super quod *S. P. Aug. in Enchir. c.* 40. inquit: *Profectò modus ille, quo natus est Christus de Spiritu Sancto, non sicut filius, & de Maria Virgine, sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis pracedentibus meritis in ipso exordio natura, quo esse cepit, Verbo Dei copularetur in tantam persona vnitatem, vt idem ipse esset Filius Dei, qui filius hominis; & filius hominis, qui Filius Dei; ac sic in natura humana susceptione fieret quodammodò ipsa gratia homini naturalis, qua nullum peccatum posset admittere*. Ex quo sic. Quotiescunque ad aliquod opus concurrit Spiritus Sanctus, & natura, tunc illud opus potest denominari gratuitum simul, & naturale; quia sicuti à gratia, quę attribuitur Spiritui Sancto concurrenti, denominatur gratuitum; ita à natura concurrente potest denominari naturale; sed ad vnionem hipostaticam concurrit Spiritus Sanctus supplens munus Viri; & concurrit natura, quia concurrit B. Virgo naturaliter subministrando naturam humanam explens munus fœminæ; ergo vnio hipostatica potest simul denominari gratuita, & naturalis.

24 Conf. *ex Fund. Doct.* Quanuis gratia vnionis sit maxima, & summa gratia facta naturæ humanæ; quia nullis præcedentibus meritis natura humana est misericorditer eleuata ad vnitatem personæ Diuinæ, quo altiùs eleuari non potuit, vt inquit *S.P. Aug. de præd. SS. c.* 15; attamen respectu Christi hominis, prout dicit complexum ex personalitate Diuina, & natura humana, gratia vnionis est illi naturalis septem modis. 1. Quia vt docet etiam *S. Tho*; per gratiam vnionis Christus constituitur Filius Dei naturalis, cui nihil potest supernaturaliter, & gratuitò competere; nam in incarnatione gratia facta est naturæ humanæ, non Filio Dei. 2. Quia per gratiam vnionis Christus factus est filius naturalis B. Virginis; illud autem, per quod fit, vt aliquod sit alicui naturale, dicitur ei naturale, vt dictum est. 3. Quia per gratiam vnionis factus est homo naturalis; habuit enim naturam humanam eiusdem speciei cum alijs hominibus, & ideo ordinis naturalis. 4. Quia gratia vnionis fecit naturam humanam existere, & substentari in supposito, non in se ipsa; existere autem, & substentari, non in se ipsa, sed in supposito est naturale cuicunque naturæ creatæ, quæ in hoc differt à natura Diuina, quæ non acquirit esse in suppositis, sicut acquirit natura creata; quòd autem existat, non in supposito proprio, sed Diuino gerente munus proprij suppositi, summa gratia est. 5. Quia per gratiam vnionis suppositum Verbi Diuini suppleuit munus suppositi creati; supplere autem munus suppositi creati est naturale supposito Diuino. 6. Quia per gratiam vnionis factum est, quòd Christus, vt homo, non possit peccare, & efficere opera vitiosa, sed tantùm virtuosa, quæ sunt secundùm naturam; sicut vitiosa sunt præter, aut contra naturam. 7. Quia illud dicitur naturale, quod competit rei in primo instanti suę natiuitatis; gratia autem vnionis competit Christo, vt homini, in primo instanti suæ natiuitatis in vtero; nam, vt ait *S.P. Aug. in Enchir. c.* 36; *Ex quo esse cepit, non aliud cepit esse, quàm Dei Filius*; ergo quanuis gratia vnionis sit maxima, & summa gratia collata humanæ naturæ; attamen Christo homini dici potest quodammodò naturalis. Tum quia sicut quæuis gratia habitualis collata homini puro est ei mera gratia; attamen complexo ex gratia, & persona hominis puri naturalis gratia dici potest; quia illud complexum essentialiter importat aliquod supernaturale, cui naturalis est gratia, quia illam essentialiter exigit; ita à pari.

25 Prob. 2. pars concl. *ex ps.* 44. *Speciosus forma pra filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis*; quem *psalmum* loqui de Christo Domino *communiter* testantur *Interpretes*, & *SS. PP*; *ac DD*. Christus ergo dicitur præ alijs hominibus *Speciosus forma*, idèst natura, quia ratio naturæ principaliter competit formæ, quæ habet formaliter constituere naturam, vt constat. Dicitur autem *pra alijs hominibus* Christus Dominus *speciosus natura*; quia sola natura humana Christi eleuata est ad vnitatem personæ Diuinæ, à qua summam accepit speciositatem puritatis, vt non possit peccare; atque adeo istis verbis clarè designatur gratia vnionis, vt habet *S. P. Aug. in hunc psal*; per quam natura humana redditur formaliter præ alijs naturis aliorum hominum speciosa. Ex hac autem gratia vnionis diffunditur gratia habitualis in labijs Christi, quæ sunt organa ad operandum, quia inseruiunt locutioni, quæ est operatio; gratia autem, quæ est principium formale operatiuum, est habitualis, vt *superiùs* diximus. Ex quibus arguitur. 1. Illud, quod diffunditur ex aliquo, est vera proprietas physica illius; nam diffundi ex aliquo, & dimanare ex illo idem est formaliter; illud autem, quod verè dimanat, est vera proprietas, vt fatentur *Aduersarij*; sed gratia habitualis diffusa est ex gratia vnionis; vt habetur *in psal*; ergo gratia habitualis est vera proprietas physica gratiæ vnionis.

26 Conf. reijciendo fundamentum *Aduersariorum*. Ad rationem veræ proprietatis physicæ non requiritur, quòd physicè producatur per actionem, & influxum physicum ab essentia, cuius est proprietas; aliter nulla daretur vera proprietas substantiæ, quæ nullam potest immediatè habere actionem, per quam physicè producat suas proprietates; substantia enim non est immediatè operatiua, vt nobiscum fatentur *Aduersarij cum D. Tho*; sed sufficit, quòd connectatur cum essentia, tanquam aliquod ei naturaliter debitum per ordinem ad operandum; tunc enim agens principale producens essentiam pro-

producit etiam efficienter proprietates illius, quæ dicuntur dimanare, & diffluere ab essentia, quatenus essentia habet illas naturaliter exigere, vt principia formalia suarum operationum cum essentia naturaliter connexa; sed gratia habitualis connectitur naturaliter cum gratia vnionis, tanquam ei naturaliter debita per ordinem ad operandum in ordine Diuino; quia *ad esse sequitur operari*; & sicut ad esse ordinis naturæ, seu sicut ex eo, quòd natura vniatur esse personali ordinis naturalis, naturali connexione consequitur proprietas naturalis, qua mediante illud complexum ex natura, & esse operatur; ita ex eo, quòd natura humana vniatur esse personali Diuino, naturali connexione consequitur gratia habitualis, tanquam proprietas, quæ est principium formale radicale operatiuum, vt diximus *in sup. art*; principium enim operatiuum commensuratur, & proportionatur cum esse, ad quod sequitur, tanquam proprietas; ergo gratia habitualis est vera proprietas physica sequens ad gratiam vnionis.

27 Præterea *cum Fund. Doct.* Gratia vnionis est summa, & maxima omnium vnionum, quibus Deus vnitur creaturis; ergo essentialiter connectitur cum gratia habituali eo modo, quo vera proprietas connectitur cum essentia, cuius est proprietas; & ideo gratia habitualis est vera proprietas physica gratiæ vnionis. Ant. probatum est *q. 5. art. 1. §. 2.* Prob. conf. Quia vnio iusti cum Deo per gloriam est maior vnione per gratiam; & vnio cum Deo per gratiam est maior vnione per essentiam, præsentiam, & potentiam; ideo vnio per gloriam importat inseparabiliter vnionem per gratiam, & vnio per gratiam importat vnionem per essentiam, præsentiam, & potentiam; ergo quia gratia vnionis est maxima omnium aliarum, ideo connectitur inseparabiliter cum omnibus alijs. *Vid. q. 5. vbi s.*

28 Vlteriùs illa est vera naturalis proprietas, quæ producitur in eodem instanti, in quo producitur essentia, cuius est proprietas; & ab ipsa nunquam potest separari saltem secundùm ordinem, cursumque rerum, quem videmus; quidquid sit de potentia Dei absoluta; vt calor est proprietas ignis, quia producitur simul cum igne, nec ignis est separabilis à calore; ita splendor Solis &c; sed gratia habitualis fuit producta in primo instanti conceptionis Christi Domini, nec fuit separabilis ab ipso, quia gratia habitualis nequit tolli ab anima, nisi per peccatum secundùm hunc ordinem rerum; Christus autem non potuit peccare, ideo non potuit gratiam amittere; ergo gratia habitualis est vera proprietas physica gratiæ vnionis. Ma. constat; in hoc enim distinguitur accidens proprium ab accidente communi; quod illud est inseparabile, & dicitur conuertibiliter cum essentia; istud autem separatur, & non dicitur conuertibiliter cum subiecto, cui inhæret; accidens autem proprium est vera proprietas physica abstractè sumpta. Mi. etiam est certa; & *inf.* ostendetur. Conf. optimè infertur; quia nihil aliud requiritur ad hoc, vt aliquod habeat veram rationem proprietatis.

29 Tandem *Fund. Doct.* adducit quandam rationem communem, quæ sic efformatur. Illud est naturale alicui, quod est effectus proprius alicuius naturæ existentis in illo; vt ridere, & sentire est naturale homini, quia est effectus proprius naturæ rationalis, vt rationalis est; & vt continet virtualiter animam sensitiuam; sed gratia habitualis est effectus proprius Diuinæ naturæ, quæ est in Christo Domino; ab illa nanque solùm potest produci; ergo gratia habitualis est naturalis Christo Domino.

30 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. Natura, & gratia opponuntur; sed vnum oppositum nequit aliud denominare, quia non dicitur albedo nigra; ergo gratia vnionis nequit denominari naturalis. 2. Naturale oritur ex principijs naturæ, à qua denominatur; sed gratia vnionis nequit oriri ex principijs naturæ humanæ; ergo nequit dici naturalis.

Resp. *Fund. Doct. ad 1. vbi s.* dist. ma. Natura, & gratia opponuntur in se ipsis, conc; quia natura est ex debito principiorum naturalium, gratia verò est indebita; opponuntur quantùm ad suos effectus, neg; nam sicuti rei naturali est naturale habere suos effectus naturales; ita gratiæ supernaturali naturale est habere effectus supernaturales; & sic dist. mi. Vnum oppositum nequit denominare aliud in se ipso, conc; in suis effectibus, neg. Sic gratia vnionis quantùm ad suos effectus *sup.* recensitos potest dici Christo naturalis. Vel dist. Natura creata, & gratia opponuntur, conc; natura Diuina, vel suppositum naturæ Diuinæ, neg; nam gratia vnionis ita est gratia facta naturæ humanæ, vt sit naturalis supposito Diuino suppositanti naturam humanam. Ad 2. dist. ma. Naturale oritur ex principijs naturæ Diuinæ, vel humanæ, conc; humanæ tantùm, neg. Vel dist. mi. Gratia vnionis nequit oriri ex principijs naturæ humanæ, vt terminatæ in Christo à supposito Diuino, neg; vt non terminatæ, conc.

31 Obijc. 2. In naturalibus neque meremur, neque demeremur; sed per gratiam habitualem Christus meruit; ergo gratia habitualis nequit dici ei naturalis. 2. Ideo gratia vnionis dici potest Christo naturalis, quia facit ipsum Filium Dei naturalem; sed gratia habitualis non facit Filium Dei naturalem; aliter omnes iusti habentes gratiam habitualem essent filij Dei naturales, non adoptiui; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. ma. In naturalibus, quæ sunt simpliciter ad vnum determinata, conc; quæ non sunt ad vnum determinata, neg; nam arbitrium naturale potest demereri, & tamen est merè naturale. Gratia ergo habitualis, quamuis natura-

naturalis gratiæ vnionis, quia tamen mouet potentiam liberam, ideo potest esse principium meriti. Ad 2. dicitur gratiam habitualem non dici naturalem Christo Domino ob eandem rationem, ob quam ei dicitur naturalis gratia vnionis, vt *sup.* diximus; ideo arg. non concludit. Dicitur ergo ad mi. quòd licèt gratia habitualis non constituat Christum Filium Dei naturalem, aduenit tamen Filio Dei naturali facto homini; propter quod dici potest ei naturalis; quia ei sunt naturalia omnia dona supernaturalia, quorum est capax, vt *inf.*

32 Obijc. 3. *Gonet cum Cabr. & alijs* cont. 2. part. concl. 1. In eo, ex quo per simplicem resultantiam dimanat aliqua forma, est assignabile illud, quod est principium formale *quo* talis dimanationis; v.g. in igne, ex quo dimanat calor, *vt* octo, forma ignis est principium formale *quo* talis dimanationis; sed in Christo non est assignabile principium formale *quo* dimanationis, qua dimanat gratia habitualis; ergo gratia habitualis non est vera proprietas dimanans à gratia vnionis. Prob. mi. Principium formale, *quo* dimanaret gratia habitualis, non est personalitas Verbi, & humanitas simul; quia esse principium formale *quo* dimanationis alicuius proprietatis conuenit solùm naturæ; ex personalitate autem Verbi, & humanitate non conflatur vna tertia natura; & ideo conflatum ex personalitate, & humanitate nequit esse principium formale, *quo* dimanat gratia habitualis. Nec potest esse humanitas præcisè sumpta; quia implicat formam supernaturalem, vt est gratia habitualis, dimanare ab aliqua re naturali, vt est humanitas. Neque personalitas Verbi præcisè; quia principium formale *quo* debet vniri subiecto per modum formę; personalitas autem Verbi vnitur naturę humanę per modum puri termini, non per modum formę. Nec Diuina natura pręcisè; quod enim dimanat ab aliquo per modum proprietatis, necessariò, non liberè dimanat; à natura autem Diuina nihil potest dimanare necessariò, quia omnis eius effectus liberè ab illa producitur. Addit *noster Gibb.* Neque ab ipsa vnione, quia cùm vnio sit tantùm modus, & conditio, nequit esse operatiua; ergo non est assignabile in Christo principium formale, *quo* dimanat gratia habitualis. 2. *Idem Gonet*. Emanatio proprietatis à subiecto est secundùm vltimum potentiæ, quia cùm sit naturalis, est ad vnum determinata; ergo si gratia habitualis dimanaret à gratia vnionis, non posset augeri in Christo neque de potentia absoluta. 3. Quanuis motus Cæli sit debitus Celo, attamen ab ipso non dimanat, quia effectiuè producitur ab Intelligentia motrice; ergo à pari. 4. *Noster Gibb.* Operari ad extra est commune toti Trinitati, quia conuenit personis Diuinis ratione omnipotentiæ, quæ est illis communis; sed gratia habitualis non dimanat à tota Trinitate; ergo idem. Addi potest. Proprietas ab eo dimanat, in quo recipitur; sed gratia habitualis non recipitur in vnione, neque in natura, aut persona Diuina; recipitur enim in anima Christi, à qua nequit dimanare; ergo idem. 5. Licèt gratia vnionis necessariò exigat gratiam habitualem; non tamen è contra; ergo idem.

Resp. ad 1. *cum Fund. Doct.* gratiam habitualem efficienter produci à natura Diuina, seu à tribus personis Diuinis, à quibus efficienter etiam est gratia vnionis; formaliter autem emanatiuè esse à gratia vnionis, quia posita gratia vnionis in natura humana est ratio, cur debeat poni gratia habitualis, & ideo est principium formale, non quidem effectionis, sed emanationis in sensu à nobis explicato, non in sensu *ab Aduersarijs* intento. Neque officit, quòd gratia vnionis sit modus; quia principium *quo* emanationis non est effectiuum, aut operatiuum, vt diximus, sed est tantùm ratio, cur debeat poni aliud; quod potest modo competere; quia naturæ Diuinę secundùm se essentialiter non competit filiatio, aliter filiatio competeret Patri, & Spiritui Sancto, quibus competit natura Diuina; sed competit naturæ Diuinæ, vt communicatæ per generationem, communicatio autem est modus; qui est ratio, cur naturæ Diuinæ competat filiatio, quæ est proprietas personalis; ita à pari. Ad 2. conc. totum *cum Fund. Doct*; nam vt *inf.* videbimus, gratia nullo modo potest in Christo augeri. Ad 3. neg. cons; & disparitas est; quia motus circularis non connectitur inseparabiliter cum forma Cæli; nam post diem iudicij Cæli quiescent, vt dicitur; & ideo in Cælo non est principium formale emanationis motus circularis, sed tantùm principium passiuum naturaliter receptiuum illius amissibiliter; at in Christo gratia habitualis inseparabiliter connectitur cum gratia vnionis; & ideo in ipso est principium formale emanationis gratiæ habitualis. Ad 4. neg. supp. mi; nam dimanare non est efficienter produci, vt dictum est. Gratia ergo habitualis efficienter producitur à tota Trinitate, non tamen ab illa dimanat; sicut proprietates cuiuslibet effectus effectiuè producuntur à causa efficiente producente ipsum effectum, quia *quod dat esse, dat etiam consequentia ad esse*; & ideo quod producit rem in esse, producit etiam proprietates, quæ consequuntur ad esse substantiale; & tamen hoc non obstante dicuntur dimanare non ab ipso efficiente, sed ab essentia effectus producti. Aliud est ergo produci, & aliud emanare; & ideo gratia habitualis rectè dicitur produci à tota trinitate, & dimanare, non à Trinitate, sed à gratia vnionis. Ad aliud dicitur, quòd ma. est vniuersaliter falsa; nam voluntas in homine dimanat ab intellectu; in quo tamen non recipitur; aliud est ergo esse principium formale emanationis; & aliud esse subiectum illius; & hæc duo possunt in eodem

dem coniungi; vt essentia est principium formale, & subiectum; & possunt separari, vt dictum est de intellectu. Dist. igitur ma. Si id, à quo dimanat, habeat rationem principij, & subiecti simul, conc; si tantùm principij, non subiecti, neg. Ad 5. dicitur, quòd licèt gratia, *vt sic*, non conuertatur cum gratia vnionis; gratia tamen Christi, vt Christi est, conuertitur.

33 Collig. ex dictis gratiam habitualem fuisse in anima Christi ab instanti suæ conceptionis; quia gratia habitualis est vera proprietas naturalis sequens ad gratiam vnionis, & ab ipsa inseparabilis; vt dictum est; sed gratia vnionis fuit in primo instanti conceptionis Christi; vt diximus *cont. Nestorium, & Eutychetem*; ergo & gratia habitualis. An autem tota plenitudo gratiæ fuerit in primo instanti, *inf.* dicemus.

§. II.

An Sanctitas Christi fuerit infinita; & an possit augeri?

34 HOc quoque quæsitum procedit tam de gratia vnionis, quàm de gratia habituali; eadem enim ratio dubitandi est de vtraque, quia cùm proprietas commensuretur cum eo, cuius est proprietas; & ideo sicut essentia Diuina est infinita, ita infinita sunt attributa, quæ sunt illius quasi proprietates; & sicuti essentia creata est finita, ita finitæ sunt proprietates illius; & cùm gratia habitualis sit proprietas gratiæ vnionis, ideo idem iudicium de vtraque est ferendum. Difficultas autem de gratiæ augmento procedit tantùm de gratia habituali; certum enim est gratiam vnionis non potuisse esse maiorem, quia est in vnitatem suppositi; maior autem vnio cum Deo esse nequit, vt constat.

35 Prima sententia vult humanitatẽ Christi reddi infinitè amabilem, & infinitè sanctam ab infinita sanctitate, & bonitate Verbi Diuini; & consequenter æquè amabilem, & sanctam intensiuè, ac ipsum Verbum, aut naturam Diuinam; non tamen extensiuè; ac propterea gratiam vnionis esse intensiuè infinitam, non extensiuè eo, quòd Verbum habeat plures titulos suę amabilitatis, & sanctitatis, quàm natura humana Christi. *Ita noster Gibb. disp.* 11. *dub. vlt*; apud quem *noster Gamboa*; *Val*; *Merat*; *Vuading*; *& alij*.

36 Secunda vult gratiam habitualem Christi esse physicè, & quantitatiuè finitam; moraliter tamen, & in ratione gratiæ esse infinitam. *Ita Suar*; *Aluar*; *Med*; *Gonet disp.* 13. *art.* 1; *Contens. lib.* 9. *de Incarn. dissert.* 4. *c.* 2; *& alij*. Propterea vult gratiam Christi, vtpotè quantitatiuè finitam, posse de potentia Dei absoluta augeri in infinitum syncategorematicè. *Ita Auctores citatis* & ex illis, qui negant gratiam esse infinitam etiam moraliter, *noster Gibb.* 13. *dub.* 2; vbi refert *nostros Greg*; *& Aragon.* 2. 2. *q.* 24. *art.* 7; *Gabr. in* 1. *dist.* 17. *q.* 8. *concl.* 3; *Ban*; *Vasq*; *& alios*, quos retulimus *to.* 4. *de Char. q.* 1. *art.* 3.

37 Nostra tandem docet vtranque gratiam esse absolutè, & simpliciter finitam physicè, & moraliter in esse gratiæ; comparatiuè tamen, & secundùm quid infinitam. *Ita Fund. Doct. dist.* 13. *p.* 1. *q.* 1. *art.* 2; *Argent. ibid. q.* 1. *art.* 3; *Gibb. disp.* 13. *dub.* 1; *& ex alijs Scot*; *Vasq*; *Gran*; *Tanner*; *Lug*; *& alij*. Gratiam verò habitualem Christi non posse augeri etiam de potentia absoluta. *Ita Fund. Doct. dist.* 13. *p.* 2. *q.* 1. *art.* 1; *& alij relati to.* 4. *vbi s.*

38 Certum est Christum, prout homo in concreto, esse sanctum sanctitate simpliciter infinita, quia homo concretè importat suppositũ, vt diximus *q.* 5. *art.* 2. §. 2; cùm autem suppositũ, quo humanitas Christi suppositatur, sit Diuinum; & sit sanctum infinitè simpliciter; ideo Christus, vt homo concretè, est sanctus infinitè simpliciter. Certum insuper est sanctitatem, qua actiuè sanctificatur humanitas Christi, esse simpliciter infinitam ob eandem rationem; quia humanitas actiuè sanctificatur per sanctitatem Verbi Domini, quæ est simpliciter infinita. Dubium ergo procedit de humanitate Christi abstractè à supposito, & passiuè accepta.

39 Vnica concl. Sanctitas humanitatis Christi Domini tam substantialis, quàm accidentalis est simpliciter, & absolutè finita intensiuè nedum physicè in esse qualitatis, sed etiam in esse gratiæ, & moraliter, ac propterea absolutè, & simpliciter non est æquè amabilis, ac Persona Diuina; comparatiuè tamen, & secundùm quid est infinita; hoc autem non obstante etiam de potentia Dei absoluta nequit augeri.

Prob. 1. pars concl. *ex Symb. D. Athan*: *Aequalis Patri secundùm Diuinitatem; minor Patre secundùm humanitatem*; super quod S. P. *Aug. in Enchir. c.* 3. inquit: *Minor est factus, & mansit aqualis; vtrunque vnus, sicut dictum est; sed est aliud propter Verbum, aliud propter hominem; propter enim Verbum æqualis Patri; propter hominem minor*. Ex quo arguit *Fund. Doct.* Implicat, quòd aliquod creatum sit simpliciter infinitum; sed gratia vnionis, vt passiuè recepta in humanitate, est aliquod creatum; ergo implicat, quòd gratia vnionis sit simpliciter infinita. Mi. probata est *q.* 5. *art.* 1. §. 1. Prob. ma. Implicat, quòd aliquod creatum sit æquale Deo, aut prædicato proprio ipsius Dei; sed Deus, & quodlibet eius prædicatum intrinsecum est infinitum simpliciter; ergo implicat, quòd aliquod creatum sit infinitum simpliciter. 2. Implicat aliquam naturam creatam æquari secundùm entitatem naturæ Diuinæ etiam per assumptionem, & vnionem ad illam; quia natura creata essentialiter est minor, & inferior natura Diuina; & infinitè

distat à Deo in ratione entitatis; ergo implicat naturam humanam Christi æquari Deo secundùm sanctitatem,& amabilitatem. Ant. patet. Prob. conf. Non minùs distat à Deo natura creata secundùm entitatem, quàm secundùm bonitatem, seu amabilitatem, quæ sumitur à bonitate; entitas enim, & bonitas sunt transcendentia, quæ eodem modo competunt naturæ creatæ; & ad inuicem commensurantur; sed sanctitas sumitur à bonitate,dicit nanque excessum bonitatis;ergo implicat naturam humanam Christi æquari Deo secũdùm sanctitatem,& amabilitatem.Atqui Deus est infinitè simpliciter sanctus,& amabilis;ergo humanitas Christi nõ est intrinsecè infinitè sancta, & amabilis; aliter in ratione sanctitatis,& amabilitatis daretur æqualitas inter naturam humanam, & Diuinam;quod est directè *contra Symb.* 3. Solus actus purus est simpliciter sanctus, & infinitè amabilis; sed natura humana eleuata per gratiam vnionis non est actus purus; ergo natura humana elenata per gratiam vnionis non est simpliciter infinitè sancta, & infinitè amabilis. Prob. ma. Malitia, quæ est essentialiter defectus, sumitur à potentialitate passiua, quæ est radix omnium defectuum; quia importat non esse, quod est defectus defectuum; hinc *Phil.* ait, quòd sicuti *perfectio sumitur ab actu; ita malum, & error contingunt in rebus propter potentialitatem*; nam si quis non habeat actu scientiam, sed tantùm illam possit habere, non dicitur habere perfectionem scientiæ; & si quis haberet actu omnem actum bonum, nunquam posset deflectere à bono; quia ipsa deflectentia esset non actus bonus, sed priuatio actus boni; ergo bonitas, quæ opponitur malitiæ, sumitur ab actu; sed solus actus purus est actus infinitus simpliciter, quia est omnis actus; ergo solus actus purus est simpliciter infinitè bonus, & per consequens infinitè sanctus, & amabilis. Mi. constat; quia si ratio actus puri posset competere naturæ creatę, non esset ratio, cur ei non posset competere formaliter Deitas, quæ per rationem actus puri constituitur; sed hoc est impossibile simpliciter;ergo & illud. 4. Bonum particulare, quod non est summum, & omne bonum, non est infinitè sanctum simpliciter, nec æquè amabile, ac Deus; sed humanitas Christi abstractè sumpta est bonum particulare, quod non est summum bonum, & omne bonum; ergo humanitas Christi non est infinitè sancta simpliciter, nec æquè amabilis, ac Deus. Prob. ma. Infinitum simpliciter in aliquo genere essentialiter inuoluit omnes rationes particulares illius, vt infinitum simpliciter in genere entis essentialiter includit omnes rationes particulares omnium entium; aliter non esset infinitum, quia illa ratio, quam non includeret, posset illi superaddi, quod est contra rationem infiniti, vt dicitur in eius definitione: sed bonnm particulare, quod non est summum bonum, & omne bonum, non inuoluit omnes rationes particulares sanctitatis, quia non inuoluit omnes rationes bonitatis, à quibus sumitur omnis sanctitas; ergo bonum particulare, quod non est summum, & omne bonum, non est infinitè sanctum simpliciter, nec æquè amabile,ac Deus. Mi. constat; quanuis enim humanitas Christi vniatur personæ Diuinæ, quæ est omne bonum, & summum bonum; & ideo vniatur alicui, quod est infinitè sanctum, & æquè amabile, ac Deus; attamen ex tali vnione ipsa non fit omne bonum, sicut non fit omne ens; ergo sicut remanet ens particulare, ita remanet bonum particulare. 5. Retorquetur ratio principalis *Aduersariorum*. Quanuis ratio formalis sanctificandi, & amandi humunitatem sit ipsa sanctitas increata Verbi Diuini, quæ est infinita, & infinitè amabilis simpliciter;attamen humanitas per ipsam non redditur infinitè sancta, & infinitè amabilis obiectiuè; ergo idem. Prob. ant. Quanuis Diuina bonitas, quæ est simpliciter infinita, sit ratio formalis communicandi bonitatem creaturis, & illas amandi; attamen creaturæ, quia sunt obiectum secundarium talis communicationis (obiectum enim primarium adæquatum communicationis bonitatis est solus Spiritus Sanctus, cui ex vi suæ processionis communicatur omnis bonitas) & sunt obiectum secundarium amoris Diuini, non sunt infinitè bonæ; sed etiam humanitas Christi est obiectum secundarium sanctificationis, & amoris Diuini, quia obiectum primariũ est solus Spiritus Sanctus, cui ex vi suæ processionis formalis communicatur omnis bonitas, omnis sanctitas, & omnis amabilitas; aliter aliquod creatum esset obiectum primariũ Diuinæ actionis; vel obiectum secundarium æquaretur obiecto primario, & sic non esset secundarium, sed primarium; quia ratio formalis obiectiua æquè esset in obiecto secundario, & primario; quod est manifestè falsum; ergo quanuis sanctitas increata, quæ est simpliciter infinita, & infinitè amabilis, sit ratio sancticandi,& amandi Christi humanitatem; attamen quia humanitas est obiectum secundarium sanctificationis, & amoris; ideo non est infinitè sancta simpliciter, & infinitè amabilis. 6. Ad hoc, vt forma communicet totum suum effectum alicui subiecto, nedum requiritur virtus, seu vis causandi in ipsa forma, sed etiam requiritur capacitas passiua in subiecto adæquans vim actiuam ipsius formæ; v. g. ad hoc, vt forma ignis introducat in aliquod subiectum calorem, vt octo, nedum requiritur, quòd forma ignis habeat calorem, vt octo, sed etiam requiritur, quòd subiectum sit capax caloris, vt octo; ad cuius introductionem introducitur forma ignis,quia est vltima, & proxima dispositio ad formam ignis,

ignis, expellit enim formam præexistentem in subiecto; hinc quia lignum est capax caloris, vt octo, ideo forma ignis illum introducit in lignū, & illo mediante expellit formam ligni, & introducit formam ignis; at verò quia ferrum, & quodlibet aliud subiectum incombustibile non est capax formæ ignis; aliter combureretur, & sic non esset incombustibile; ideo non est capax caloris, vt octo; propter quod ferrum calefactum non amittit formam ferri; quia calor in illud inductus non est dispositio vltima ad formam ignis, & ideo non est intensus, vt octo; sed humanitas, quia est creata, & ideo finita, non habet capacitatem passiuam infinitam recipiendi sanctitatem infinitam simpliciter, & amabilitatem æqualem amabilitati ipsius Dei; ergo quanuis sanctitas increata sanctificans humanitatem habeat vim sanctificandi infinitè: attamen defectu capacitatis passiuæ infinitæ, nequit sanctificari infinitè. Vrgetur magis. Non minùs est infinitè sanctus Deus in ratione obiecti beatifici terminantis operationem creatam, quæ est visio beata; quàm in ratione termini substantialiter terminantis, & sanctificantis naturam creatam; sed in ratione obiecti beatificantis sanctificat modo finito; quia intellectus creatus, vtpotè finitus, non est capax sanctificationis infinitæ, quanuis per operationem vniatur obiecto simpliciter infinitè sancto; ergo in ratione termini suppositantis naturam creatam sanctificat modo finito; quia natura humana, vtpotè finita, non est capax sanctificationis substantialis simpliciter infinitæ.

40 Prob. 2. pars concl; quòd scilicet gratia habitualis Christi sit physicè finita secundùm intensionem, *à Sua; Gonet, Contens; & alijs.* Si esset possibilis gratia habitualis intensiuè infinita simpliciter, esset etiam possibile lumen gloriæ, & visio beata eodem modo infinita; quia lumen gloriæ est proprietas gratiæ habitualis consummatæ, & visio beata est effectus; sed lumen, & visio infinita intensiuè implicant; aliter daretur comprehensio Dei; ergo implicat & gratia. 2. *A Gibb; & alijs.* De intrinseca ratione gratiæ habitualis est posse mereri suum augmentum; sed posita gratia habituali infinita non posset mereri suum augmentum; quia infinitum nequit augeri; ergo idem.

41 Sed prima reijcitur *à nostro Gibb*; quia eadem est ratio de lumine gloriæ, & visione; & ideo si conceditur infinitas gratiæ habitualis, potest etiam concedi infinitas luminis, & visionis. Nec ex hoc sequitur comprehensio Dei; quia infinitas luminis est tantùm in vno genere, non in omni genere; ideo non sequitur comprehensio, quæ est cognitio simpliciter in omni genere. Secunda verò reijci potest; quia gratia habitualis in Christo non meruit augmentum de facto, vt fatentur *Auctores secundæ sententiæ*; ergo non est de intrinseca ratione gratiæ simpliciter mereri augmentum sui; aliter etiam de facto illud meruisset. De ratione ergo gratiæ habitualis est mereri suum augmentum, quando non est in sua plenitudine, qua maior esse non potest in tali subiecto; sicut est in Christo, vt mox dicemus; quemadmodum enim calor remissus intenditur; at calor in summo intensus nequit ampliùs intendi, aliter esset, & non esset summè intensus; ita dicendum de gratia habituali.

42 Prob. igitur rationibus 1; 4; & 6. adductis pro 1. part. concl; nam implicat aliquod creatum esse simpliciter infinitum, quia quodlibet creatum componitur ex genere, & differentia, quæ sunt termini finientes, & limitantes ipsam rem; gratia autem habitualis in Christo est aliquod creatum, quia est accidens subiectatum in anima ipsius. Tum quia bonum particulare non est infinitum simpliciter; quia bonum particulare dicit partem bonitatis, & ideo totam bonitatem non exhaurit, sicut exhaurit infinita bonitas; gratia autem habitualis est bonum particulare, quia non est omnis bonitas. Tum quia anima Christi Domini non habet capacitatem passiuam infinitam recipiendi aliquod infinitum simpliciter; quia capacitas infinita competit solùm subiecto infinito; ergo gratia habitualis Christi non est simpliciter physicè intensiuè infinita. *Vid.* alias rationes allatas *to. 4. de Char. q. 1. art. 3. n. 8*; probant enim etiam de gratia habituali.

43 Prob. 3. pars concl; quòd scilicet gratia in ratione differentiali gratiæ non sit infinita simpliciter. Implicat, quòd genus finitum contrahatur per differentiam simpliciter infinitam; sed ratio qualitatis supernaturalis physicæ, quæ est ratio generica gratiæ, est simpliciter finita, vt concedunt *Aduersarij*; ergo ratio formalis gratiæ, vt gratia est, quæ est differentia contractiua illius qualitatis, est simpliciter finita. Prob. ma. 1. Implicat materiam finitam contrahi per formam infinitam; contrahibile enim, & contrahens debent adæquari; aliter si contrahibile excederet contrahens, daretur aliquod in contrahibili, quod non contraheretur; & sic dicendum de contrahente; sed genus se habet, sicut materia; & differentia, sicut forma; quia differentia contrahit genus; & sicut si forma excederet materiam, secundùm se tota non esset recepta in materia; & ideo secundùm se tota non contraheret materiam; ita si differentia excederet genus, secundùm se tota non esset in genere; ergo implicat genus finitum contrahi per differentiam infinitam. 2. *Quodlibet limitatur per suum oppositum*, vt inquit *Phil*; & ideo materia limitatur per formam, & forma per materiam; sed ratio differentialis gratiæ opponitur rationi genericæ, tanquam pars actualis parti potentiali; ergo

ergo ratio differentialis gratiæ limitatur per rationem genericam qualitatis; atqui implicat, quòd aliquod limitatum sit infinitum simpliciter; ergo idem. 3. Implicat, quòd illud, quod habet rationem finientis, terminantis, & limitantis aliud, sit infinitum simpliciter; sicut enim infinitum formaliter habet infinitare; ita finitum habet formaliter finire, & limitare; sed ratio differentialis gratiæ habet formaliter finire, terminare, & limitare rationem genericam qualitatis supernaturalis; vt constat de rationalitate, quæ habet limitare, & definire animal ad naturam humanam tantùm; ergo implicat, quòd genus finitum contrahatur per aliquod infinitum; per ipsum enim non limitaretur, nec finiretur. Præterea prob. rationibus allatis pro 2. part. concl; nam gratia, vt gratia est, est simpliciter creata, aliter sola ratio qualitatis esset à Deo producta; & sic vt gratia, esset à Deo independens, & increata; sed omne creatum est simpliciter finitum; ergo idem. Sic gratia, vt gratia, est bonum particulare; & recipitur in anima; ergo idem.

44 Quòd autem etiam moraliter sit simpliciter finita, prob. In tantùm actiones Christi Domini in genere valoris sunt simpliciter infinitę moraliter, in quantùm eliciuntur à supposito Diuino, *vt quod*, quod est infinitæ dignitatis; sed gratia habitualis non est actio elicita à supposito Diuino, *vt quod*, mediante natura humana; ergo non est moraliter infinita simpliciter. Prob. ma. Ex eo, quòd gratia habitualis mediante natura humana vniatur supposito Diuino, non contrahit infinitatem moralem simpliciter, aliter etiam ipsa natura humana, quę immediatè vnitur, & est ratio vniendi alia, quæ existunt in ipsa, esset moraliter infinita simpliciter; & sic omnia dona supernaturalia, & habitus supernaturalis, & virtutes morales infusæ haberent hanc infinitatem; ergo ex eo solùm, quòd actiones eliciantur à supposito Diuino, vt à principio *quod*, desumunt infinitatem moralem. 2. Si gratia habitualis haberet infinitatem moralem; valor moralis operum Christi non sumeretur solùm à supposito Verbi, sed etiam à gratia habituali; sed conf. est falsum; vt *inf.* videbimus; nam valor operum sumitur solùm à dignitate personæ; sicut grauitas offensæ sumitur ab indignitate personæ offendentis, & à dignitate personæ offensæ; ergo falsum est ant.

45 Dices. *Fund. Doct. vbis. ad 3.* ait gratiam Christi fuisse infinitam in genere gratiæ, prout in ea reseruabatur omnis ratio gratiæ; ergo nostra sententia illius doctrinæ aduersatur.

Resp; quòd quando *Fund. Doct.* ait gratiam Christi fuisse infinitam in genere gratiæ, quia in ea erat omnis ratio gratiæ, priùs dixerat non esse infinitam simpliciter, sed tantùm secundùm quid, & comparatiuè; quia talis fuit, vt ea maior in Christo esse non potuerit; & omnis ratio gratiæ, quæ in eo potuit esse, fuit ei communicata, quia in ipso fuit plenitudo; & in hoc sensu ait *noster Gibb.* locutum fuisse etiam *D. Tho.*

46 Docet ergo *Fund. Doct*; quòd quanuis omnis creatura sit finita simpliciter in se ipsa; attamen comparatiuè ad aliquod infinitum, potest dici infinita eo, quia ad melius bonum comparari non potest. Hæc autem comparatio potest esse dupliciter. 1. Secundùm puram relationem, & ordinationem; & in hoc sensu maternitas B. Virginis dicitur comparatiuè infinita, quia respicit Filium Dei, quo melior esse non potest; & Vniuersum dicitur ordinatiuè infinitum, quia ordinatur ad Deum infinitum. 2. Per comparationem ad esse, quia subsistit per esse infinitum; vt Christus, prout homo, dicitur comparatiuè infinitus, quia, vt homo, fuit assumptus ad esse personale Verbi, quod est simpliciter infinitum. Hoc tamen est discrimen inter has duas comparationes; quòd quando comparatio sumitur secundùm purum respectum, seu relationem; tunc absolutè res comparata nequit dici infinita; vt non valet: *B. Virgine, vel Vniuerso, vel gratia nihil melius esse potest*; sed tantùm valet reduplicatiuè cum addito; vt *B. Virgine, vt est Mater Dei, nihil melius esse potest; Vniuerso, vt ordinato ad Deum; & gratia, vt nos Deo coniungit, nihil melius esse potest*; nam cùm hac reduplicatione significatur; quòd *B. Virgo non potuit esse Mater melioris Filij; Vniuersum non potuit ordinari ad melius; & gratia non potest nos coniungere meliori*; & quia id, quo melius esse non potest, est infinitum; ideo hæc possunt dici comparatiuè infinita. At quando comparatio fit secundùm esse, tunc de re comparata concretè, non abstractè sumpta potest absolutè, & simpliciter dici nihil melius esse posse; & ideo Christo, vt homine, nihil melius esse; humanitate tamen in abstracto aliquid melius esse potest; & sic saluatur modus loquendi *SS. PP*; qui absolutè vocant gratiam Christi infinitam, quia comparatur ad esse personale infinitum Verbi Diuini. Ergo comparatiuè, & secundùm quid gratia vnionis, per quam humanitati Christi communicatur esse personale infinitum Verbi Diuini; & gratia habitualis, quæ substentatur per idem esse personale; rectè dicitur infinita.

47 Tandem prob. vlt. pars concl. *ex Io. 1. Plenum gratiæ, & veritatis*; super quod *S. P. Aug. lib. 15. de Trin. cap. 26.* ait: *Dominus ipse Iesus non solùm Spiritum Sanctum dedit, vt Deus, sed etiam accepit, vt homo; propterea dictus est plenus gratia*. Ex quo sic. Christus est plenus gratia effectiuè, vt Deus, quia continet omnem gratiam possibilem communicari cuilibet creaturæ etiam possibili; ergo, vt homo, dicitur

plenus gratia passiuè, quia recepit omnem gratiam, quæ potuit illi à Deo communicari; sed si de potentia Dei absoluta posset eius gratia augeri, de facto non recepisset omnem gratiam, quæ potuit illi communicari; quia non recepisset illud augmentum gratiæ, quod posset ei superaddi; ergo non esset passiuè plenus gratia, vt homo; sicut effectiuè est plenus gratia, vt Deus; quia, vt homo, non recepisset omnem gratiam ei communicabilem de potentia Dei absoluta; sicut, vt Deus, non esset plenus gratia effectiuè, si non contineret omnem gratiam possibilem communicari etiam de potentia Dei absoluta.

48 Item *Io.* 3. *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu sua*; super quod *S. P. Aug. tr.* 14. inquit: *Inuenimus, quia ad mensuram dat Deus Spiritum. Audi Apostolum Ephes.* 4. *dicentem: Secundùm mensuram donationis Christi. Hominibus ad mensuram dat; vnico Filio non dat ad mensuram*; & mox: *Mensura est diuisio quædam donorum. Ergo hominibus ad mensuram datur, & concordia ibi vnum corpus facit. Quomodò aliud accipit manus, vt operetur; aliud oculus, vt videat; aliud auris, vt audiat; aliud pes, vt ambulet; anima tamen vna est, quæ agit omnia; in manu, vt operetur; in pede, vt ambulet; in aure, vt audiat; in oculo, vt videat. Sic sunt etiam diuersa dona fidelium, tanquam membra ad mensuram vnicuique propriam distributa. Sed Christus, qui dat, non ad mensuram accepit.* Ex quo sic. 1. *cum Fund. Doct.* Si gratia Christi de potentia Dei absoluta posset augeri, sequeretur, quòd ad mensuram ei data esset gratia; cons. est *contra Scripturam*; ergo & ant. Prob. ma. Si posset augeri, sequeretur, quòd repleta esset sola eius capacitas actualis, non capacitas possibilis, quam dicit secundùm potentiam obedientialem; quia si Christus ita dicitur plenus gratia, vt sit repleta nedū eius capacitas actualis, sed etiam possibilis, & obedientialis, constat nullam aliam vlteriorem gratiam posse recipere; implicat enim, quòd recipiat, ad quod recipiendum nullam prorsus habet capacitatem; sed ex eo, quòd aliquis habeat repletam solam capacitatem actualem, non possibilem, dicitur recepisse gratiam ad mensuram; nam *Ioannes Luc.* 1. dicitur repletus gratia: *Spiritu Sancto replebitur iam inde ab vtero Matris suæ*; & B. Virgo dicta est ab Angelo *gratia plena*; non ob aliam autem rationem dictus est *Ioannes* repletus gratia, nisi quia tantùm eius capacitas actualis repleta est, in quantùm recepit eam gratiam, cuius erat actualiter capax secundùm suum statum; & sic B. Virgo, quia recepit gratiam, cuius erat actualiter capax, vt Mater Dei; non tamen recepit omnem gratiam secundùm capacitatem possibilem; quia potuisset recipere gratiam vnionis, quam tamen non recepit; certum est autem omni creaturæ datam fuisse gratiam ad mensuram; quia soli Christo non fuit data ad mensuram; ergo si gratia Christi posset augeri, sequeretur, quòd ei data fuisset gratia ad mensuram. 2. Si gratia Christi posset augeri, Pater non dedisset omnia, quæ potuit dare, in manu Filij; quia non dedisset ei augmentum gratiæ, quod de potentia absoluta potuisset ei dare; sed cons. est *contra Scripturam*; ratio enim, ob quam dedit omnia in manu Filij, est dilectio, qua diligit Filium; at non dilexit Filium ita, vt de potentia absoluta posset eum magis diligere, sed ita, vt non possit eum ampliùs diligere; & ideo dedit ei omnia, quæ potuit ei dare de sua potentia absoluta; quia amor eius est efficacissimus, & fuit ratio communicandi Christo dona Patris; ergo & ant. est *contra Scripturam*.

49 Demum gratia vnionis in Christo augeri non potest; ergo nec gratia habitualis. Prob. ant. Christus non potest fieri magis sanctus substantialiter, etiam de potentia Dei absoluta, quàm sit sanctus de facto; quia de facto est sanctus per sanctitatem increatam, qua maior dari non potest; ergo gratia vnionis in Christo augeri non potest; nam cùm gratia vnionis terminetur ad sanctitatem Verbi; in tantùm posset augeri, in quantùm posset terminari ad maiorem sanctitatem, per quam fieret magis sanctus substantialiter; sicuti si augeretur gratia habitualis, daretur maior vnio ad maiorem sanctitatem accidentalem, per quam fieret magis sanctus accidentaliter. Tum quia sanctitas substantialis, qua substantialis est, non suscipit magis, & minùs; quia substantia, cùm consistat in *indiuisibili*, magis, & minùs suscipere non potest, vt dicitur *in Log.* Prob. conf. Proprietas adæquatè commensuratur cum essentia, cuius est proprietas; vt constat de risibilitate, quæ æqualiter extenditur ad omnes homines, ad quos extenditur rationalitas, cuius est proprietas; sed gratia habitualis in Christo est proprietas gratiæ vnionis, vt diximus *in sup.* §; ergo gratia habitualis adæquatè commensuratur cum gratia vnionis. At quoties duo inter se adæquantur, si vnum illorum nequeat suscipere magis, & minùs; de altero etiam debet verificari; aliter inter ea daretur inæqualitas; vt si essent duæ lineæ æquales, & vna tantùm susciperet maius, & minus; cùm fieret minor, vel maior, fieret alteri inæqualis; & si essent duo calores æqualiter intensi, si vnus tantùm posset fieri minùs, vel magis intensus; cùm ita fieret, redderetur alteri inadæquatus; ergo si tantùm gratia habitualis potest fieri maior, vel minor, iam non esset essentialiter adæquata gratiæ vnionis, & sic non esset eius proprietas; cuius oppositum *sup.* probatum est.

50 Obijc.

50 Obijc.1. *Gibb.* Humanitas Christi redditur amabilis, & sancta eadem bonitate, & sanctitate, qua est amabilis, & sancta persona Verbi; quia redditur amabilis, & sancta bonitate, & sanctitate increata; sed bonitas, & sanctitas, qua est amabilis, & sancta persona Verbi, est simpliciter infinita; ergo humanitas Christi redditur sancta, & amabilis per bonitatem, & sanctitatem infinitam; & ideo redditur amabilis, & sancta æquè, ac ipsum Verbum Diuinum; nam sicut bonitas, & sanctitas, vt octo, reddunt naturam sanctam, vt octo; ita sanctitas, & bonitas infinita reddunt naturam sanctam infinitè. 2. Quanuis repugnet humanitatem esset æquè sanctam, & amabilem extensiuè, ac Verbum; quia Verbum habet essentialiter plures titulos suæ amabilitatis, & *sanctitatis*; est enim sanctum per essentiam, quod nequit competere humanitati; attamen non repugnat esse sanctam in determinato genere; sicuti quanuis actiones Dei liberæ sint maioris æstimabilitatis moralis entitatiuè, quàm opera Christi Domini; non tamen intensiuè, siquidem hæc sunt valoris simpliciter infiniti; ergo idem. 3. Si daretur gratia habitualis infinita, natura, quanuis finita, denominaretur infinitè sancta. ergo quanuis humanitas sit finita, attamen à sanctitate infinita denominatur infinitè sancta. 4. Humanitas Christi redditur digna amore infinito nedum ex parte actus, sed etiam ex parte obiecti; nam quoties ratio formalis amandi est infinita, ipsum obiectum materiale, quanuis finitum redditur dignum amore infinito; sicut quanuis obiectum materiale sit naturale; attamen si ratio formalis illud amandi sit supernaturalis, redditur dignum illud obiectum amore supernaturali; ergo idem. 5. Quamuis humanitas secundùm se sumpta non sit adorabilis eadem adoratione, qua adoratur Verbum; attamen vt vnita Verbo, redditur digna æquali adoratione; ergo quanuis secundùm se non sit digna æquali amore, ac Verbum; attamen vt vnita Verbo, est æquè amabilis, & sancta, ac ipsum Verbum. 6. Humanitas Christi est æquè impeccabilis, ac Verbum; quia nulla maior est impeccabilitas, quàm illa, quæ excludit omnem potentiam peccandi; & hæc tribuitur etiam humanitati; tum quia impeccabilitas tribuitur humanitati, quia peccare refunderetur in ipsum Verbum; ergo est æquè sancta, ac Verbum; impeccabilitas enim sumitur à sanctitate.

Resp. ad 1. dist. ma. Redditur amabilis, & sancta per eandem bonitatem, & sanctitatem cum eadem capacitate ex parte subiecti, neg; cum inæquali capacitate, conc; vnde sicuti si daretur sanctitas, vt octo; & natura non esset capax recipere, nisi sanctitatem, vt sex; non redderetur sancta, vt octo, sed vt sex; ita quia natura creata non est capax recipere sanctitatem infinitam, ideo nequit dici infinitè sancta. Ad 2. neg. ant; nedum enim repugnat creaturæ infinitas in omni genere, sed etiam in genere determinato. Imò si arg. probaret aliquid, probaret etiam humanitatem esse infinitè sanctam in omni genere, quia est sancta per sanctitatem increatam, quæ est sanctitas in omni genere. Ad prob. dicitur, quòd actiones Christi, si sumantur, prout eliciuntur à supposito Diuino, sunt moraliter infinitæ; si verò, prout recipiuntur in natura humana, sunt finitæ; aliter haberent infinitatem nedum à supposito Diuino, sed etiam à natura creata. Ita sanctificatio, si sumatur ex parte suppositi Diuini, potest dici infinita; quia suppositum Diuinum, quantùm est ex se, potest infinitè sanctificare. Si verò sumatur, prout passiuè recipitur in humanitate, vt sumitur in præsenti, est finita; quia humanitas secundùm se non est capax infinitæ sanctificationis. Ad 3. neg. ant; vt dictum est. Ad 4. neg. ant; nam si infinitas rationis formalis amãdi sufficeret ad reddendum obiectum materiale dignum amore infinito, sequeretur puram creaturam esse dignam ex parte obiecti amore infinito; quia Diuina bonitas, quæ est ratio formalis amandi creaturas, est simpliciter infinita. Ad 5. dicitur, quòd sicut humanitas non est adorabilis adoratione latriæ, nisi prout includit suppositum Diuinum, cui soli competit creare; ita non est amabilis amore infinito, nisi prout inincludit suppositum Diuinum, cui tantùm competit sanctitas infinita; vt diximus *nu.*38. Ad 6. neg. ant; nam Verbum est impeccabile per naturam eo, quia est omne esse, adeoque nequit deficere ab esse, quod est peccare; at natura humana est impeccabilis per gratiam eo, quia licèt sit extracta ex nihilo; attamen quia immobiliter vnitur supposito Diuino; ideo ab ipso, quod est omne esse, manutenetur, ne in nihilum abeat. *Vid. tom.3. de Ang. q.9.art.1. §.3; & de Beat. q.2. art.9.*

51 Obijc.2. cont. 2. part concl.1. Gratia habitualis Christi fuit sine mensura, vt habetur *Io.3*; ergo fuit immensa, & per consequens infinita; immensum enim, & infinitum conuertuntur. 2. Gratia habitualis Christi ex vnione ad Verbum habet esse causatiuam instrumentaliter gratiæ infinitorum hominum, si darentur; sed vis causatiua sincategorematicè infinita conuenit soli formæ infinitè intensæ; ergo idem. 3. Si gratia habitualis Christi esset finita, posset augeri, & sic Christus posset fieri Deo magis gratus; quod est absurdum; ergo idem. 4. Sequeretur, quòd purus homo posset æquare, vel etiam superare gratiam Christi; quia quod est finitum, per continuum augmentum potest alteri finito æquari, & etiã illud superare; sed conſ. est *cont. SS. PP.* asseren-

rentes, quòd si gratia alterius Sancti quantuncunque augeretur, nunquam perueniret ad plenitudinem gratiæ ipsius Christi; ergo idem. 5. Deus nequit facere melius gratia Christi; ergo est infinita; infinitum enim est id, quo nihil melius dari potest.

Resp. ad 1. *Fund. Doct.* gratiam Christi dici sine mensura, quia omnes gratiæ, quæ diuisim datæ sunt alijs Sanctis, Christo datæ sunt collectiuè; vnde sine mensura idem est, ac sine diuisione; vt exponit *S.P. Aug.* Vel quia vnita est ei Diuinitas, quæ est simpliciter infinita; vt subdit *ibid. idem S.P. Aug.* Vel quia omnes gratiæ aliorum Sanctorũ non possunt coæquare gratiam Christi, & per consequens nequeunt illam mensurare, atque adeo dicitur esse sine mensura. Ad 2. neg. mi; nam intellectui creato, qui est potentia finita, conuenit posse elicere cognitiones in infinitum. Si autem darentur infiniti sancti homines actu, non æquarent gratiam finitam Christi; sicut si darentur infiniti homines numero, non ęquarent perfectionem naturæ Angelicæ; ideo sanctitas Christi, quanuis finita, esset causa instrumentalis, & meritoria gratiæ infinitorum hominum; instrumentalis quidem, quia instrumentum relatiuè ad causam principalem, cui coniungitur, dici potest infinitum, vt diximus; meritoriè verò, quia à supposito Diuino trahit infinitum valorem. Ad 3. neg. ant; vt dictum est. Ad 4. neg. seq; nam quanuis gloria sit finita; attamen nullus in via potest tantam gratiam acquirere, vt coæquet, vel superet gratiam patriæ; ita à pari. Ad 5. dist. ant. Deus nequit facere melius gratia Christi comparatiuè ad suppositum Diuinum, cui vnitur, conc; absolutè, & secundùm se, neg; Deus enim quacunque entitate creata potest aliam perfectiorem producere; non tamen illam potest vnire perfectiori entitati, quàm sint entitas Dei.

52 Obijc. 3. cont. 3. part. concl. 1. Ens, quod est omne ens, in ratione entis est infinitum; ergo gratia, quę est omnis gratia, in ratione gratiæ est infinita; sed in Christo est omnis gratia, vt docet *S. P. Aug. vbisʃ. & Fund. Doct. cum D. Thom. hic art. 11*; eo, quia gratia habitualis est in Christo, tanquam in capite, & in fonte, à quo debet deriuare in omnes homines; imò in infinitos homines, si darentur; ergo in Christo est gratia habitualis infinita in ratione gratiæ. 2. Gratia Christi potuit se extendere ad redemptionem, & sanctificationem infinitorum hominum; ergo idem. 3. Fuit sufficiens ad delendũ peccatum; quod in genere moris est infinitum; imò ad delenda peccata infinita; & ideo dicitur superabundasse gratiam supra delictum; ergo idem. 4. Lux in in Sole, quia potest illuminare infinitos homines, in ratione lucis est infinita; ergo à pari. 5. Gratia Christi per comparationem ad personam Christi Domini infinitè dignam fuit principium *quo* operationum infiniti valoris, ratione cuius fuerunt meritoriæ præmij infiniti; & satisfactoriæ pro debito infinito totius generis humani; ergo gratia Christi in genere moris fuit infinita; aliter non potuisset esse principium *quo* actionum infinitarum in esse moris; nisi infinitum valorem, & dignitatem recepisset à persona Verbi, cui coniungitur; implicat enim, quòd effectus sit perfectior sua causa; & quòd actus secundus excedat actum primum. Nec iste valor infinitus potest esse merè extrinsecus; non enim fundatur in sola acceptatione Dei extrinseca; aliter cùm Deus potuerit acceptare actiones puri huminis ad satisfactionem, nulla esset differentia intrinseca inter actiones Christi, qui est Deus homo; & actiones puri hominis; quod est absurdum.

Resp. ad 1. dist. ant. Ens, quod est omne ens simpliciter, est infinitum, conc; quod est omnis entitas possibilis communicari alicui creaturæ, neg. Sic in Christo est omnis gratia, quæ potest communicari creaturæ; quia tamen omnis gratia, quæ actu communicabitur creaturæ, est finita; ideo omnis gratia, quæ est in Christo, est simpliciter finita. Ad 2. neg. cons; sicuti enim si darentur infiniti homines, non æquarent perfectionem naturæ Angelicę, licèt finitæ; ita si darentur actu infiniti iusti, omnes simul sumpti non æquarent gratiam Christi, quanuis sit finita. Vel dicitur, quòd gratia Christi extenditur ad homines vi actionis meritoriæ, quæ habet infinitatem in genere valoris à supposito Diuino; Christus enim patiendo meruit nobis gratiam; & quia gratia Christi deriuatur in nos absque eo, quòd minuatur, vel desinat esse in Christo; ideo posset deriuari in homines infinitos, si actu essent, quãuis in Christo sit finita. Sicuti si esset fons, cuius aqua nunquam minueretur; tunc ab illo fonte possent deriuari infinita flumina, quanuis aqua ipsius fontis esset finita. Ad 3. eodem modo dist. ant. Fuit sufficiens ad delenda infinita peccata mediante actione, quæ à supposito Diuino trahit infinitatem valoris, conc; quæ trahit infinitatem ab ipsa gratia, neg. Vel dicitur alio modo, quòd actio, & gratia ordinis altioris, vt est gratia Christi, quæ est ordinis hipostatici, quanuis finita, est sufficiens ad merendam, & causandam redemptionem, & veniam infinitam, per quam confertur gratia inferioris ordinis. Ad 4. dicitur lucem Solis dici infinitam secundùm quid, & sincategorematicè in ratione lucis; aliter etiam intellectus in ratione intellectus, quia potest producere infinitas intellectiones, esset simpliciter infinitus; sic de oculo, & qualibet alia potentia; imò quia terra in ratione terrę potest producere infinitas herbas, esset infinita simpliciter

ter

ter in ratione terræ; quod nullus diceret. Cùm ergo *D.Tho.* ait lucem esse infinitam in ratione lucis, intelligendus est loqui de infinitate secundùm quid; sicut enim (inquit *noster Gibb.*) quamuis natura *Gabrielis* contineat totam perfectionem suæ speciei; attamen non dicitur *à D.Tho.* infinita simpliciter, sed tantùm secundùm quid; ita quamuis lux Solis contineat totam speciem lucis corporeæ; attamen tantùm secundùm quid infinita dici debet. Ad 5. dicitur, quòd licèt gratia Christi comparatiuè, & secundùm quid possit dici infinita; non tamen simpliciter nec etiam in genere moris, vt dictum est. Neg. igitur cons; & ad prob. infert. dist. Si gratia non esset infinita, non posset esse principium *quo* actionum infinitarũ, prout infinitæ sunt, conc; prout finitæ, neg. *Actiones* ergo Christi Domini deriuant suam infinitatem moralem à supposito, non à gratia habituali; quia infinitas moralis sumitur à dignitate personæ, non à dignitate principij *quo*. Nec sequitur, quòd effectus sit præstantior sua causa; quia actiones, vt moraliter infinitæ, non sunt effectus gratiæ, sed suppositi; vt autem entitatiuè finitæ, sunt effectus gratiæ, vt *quo*.

53 Obijc. 4. cont. 4. part. concl. 1. Eadem est ratio augmenti gratiæ habitualis Christi, & visionis beatæ; sed hæc de potentia absoluta, non ordinaria, potest augeri; ergo & illa. 2. Potest augeri charitas Christi intensiuè; est enim finita participatio charitatis infinitæ; & ideo nunquam tanta participatur, quin maior sit participabilis; & subiectum crescente charitate magis habilitatur ad augmentum; ergo & gratia Christi habitualis potest de potentia absoluta augeri. 3. Potentia absoluta, cùm sit infinita, nullo termino finito potest coarctari; sed gratia habitualis Christi est finita; ergo de potentia absoluta potest intensiuè augeri in esse physico. 4. *Luc.2.* dicitur: *Puer autem Iesus proficiebat sapientia, ætate, & gratia apud Deum, & homines*; ergo idem. 5. Nulla est assignabilis multitudo, & magnitudo, qua non sit producibilis maior in infinitum à Deo; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. ma; nam visio beata puri hominis satiat tantùm capacitatem actualem, non tamen omnem capacitatem possibilem. Si autē loquamur de visione beata Christi, conc. ma; & neg. mi; nam sicuti gratia habitualis, ita & visio beata expleuit totam capacitatem possibilem ita, vt maiorem non possit capere; per quod maximè commendatur excellentia Christi. Ad 2. neg. ant. ob eandem rationem. Ad prob. infert. dicitur, quòd quamuis charitas, & gratia secundùm se possit produci maior in infinitum; attamen defectu capacitatis subiecti nequit in tali subiecto maior produci; tunc autem habilitatur capacitas ad maius augmētum, quando expleta est sola capacitas actualis, non autem omnis capacitas possibilis. Ad 3. dicitur non repugnare ex parte potentiæ, sed ex parte effectus; quamuis enim potentia Dei secundùm se producere possit effectum maiorem in infinitum; attamen est dabilis aliquis effectus, qui in aliquo subiecto nequit esse maior; vt est, quando expleta est omnis capacitas illius; vnde dist. mi. Gratia est finita, & explet totam capacitatem possibilem animæ Christi, conc; aliter, neg. Vel dicitur producibilitatem maioris effectus in infinitum non verificari secundùm intensionem in qualitate, vt est gratia habitualis; qualitas enim non est infinitè intendibilis, vt diximus *to.4. de Char. vbi*; quamuis enim possit Deus producere perfectiora corpora calida, & lucida; non tamen videtur posse producere magis calida, quàm ignem; & magis lucida, quàm Solem; quia ignis est primus in ordine calidorum, & habet calorem in summo; & Sol in ordine lucidorũ, & habet lucem in summo; adeoq; nequit produci intensius lumen, & intensior ignis corporeus; aliter nec Sol, nec ignis haberet rationem primi calidi, & lucidi essentialiter; nec calor, aut lux esset in summo. Nec hoc præiudicat Diuinæ potentię; quia tota repugnantia est ex parte facti; sicuti non præiudicat non posse producere chimæram. Ad 4. dicitur profecisse apud Deum, & apud homines secundùm manifestationem suæ sapientiæ, & virtutis; vt habet *Fund. Doct.* Vel dicitur profecisse causaliter, quia communicando suam sapientiam, & suam gratiam, & virtutes hominibus ipsos reducebat in Deum; vnde profectus hominum erat Christi profectus apud Deum; quia venerat homines in Deum conuertere. Ad 5. omisso ant. de multitudine, & magnitudine neg. de intensione, vt dictum est. Vel dicitur, quòd licèt possit dari maior qualitas secundùm se, non tamen potest dari maior in tali subiecto, quando est expleta tota eius capacitas etiam possibilis; vnde quamuis posset dari intensior calor, quàm calor, vt octo; iste tamen calor nequit dari naturaliter in igne; quia calor, vt octo, explet capacitatem naturalem ignis; & si expleat capacitatem etiam possibilem, vt est de gratia Christi, non poterit dari maior nec etiam de potentia absoluta.

54 Collig. 1. gratiam habitualem infusam fuisse in animam Christi ab instanti suæ conceptionis; quia est proprietas inseparabiliter sequens ad gratiam vnionis; hinc *Luc.1*; vbi sermo est de prima natiuitate in vtero, quæ idem est, ac conceptio, dicitur: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*; per Spiritum Sanctum autem diffunditur gratia habitualis. Nec obstat, quòd *D. Hier. in Isaiæ 61.* dixerit prophetiam de Christo vngendo à Spiritu Sancto impletam fuisse, quando *in Iordane* super eum *à Ioanne* baptizandum descendit Spiritus Sanctus

ctus sub specie Columbæ; exponitur enim à *D. Hier;* quòd prophetia tunc impleta sit quoad declarationem, & manifestationem. At *S. P. Aug. lib.15. de Trin. c.26.* ait prophetiam hanc impletam tunc fuisse, non in ipso Christo, sed in suo corpore mystico, quod est Ecclesia: *Nec sanè tunc vnctus est Christus Spiritu Sancto, quando super eum baptizatum veluti columba descendit; tunc enim corpus suum, idest Ecclesiam suam præfigurare dignatus est, in qua præcipuè baptizati accipiunt Spiritum Sanctum, sed ista mystica, & inuisibili vnctione tunc intelligendus est vnctus, quando Verbum Dei caro factum est.* Rationem mox reddit: *Absurdissimum est enim, vt credamus eum, cùm iam triginta esset annorum (eius enim ætatis à Ioanne baptizatus est) accepisse Spiritum Sanctum; sed venisse illum credimus ad baptisma, sicut sine vllo omnino peccato, ita non sine Spiritu Sancto.* Quòd autem loquatur de gratia habituali, apertè colligitur ex verbis superioribus: *Vnxit eum Deus Spiritu Sancto, non vtique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur vnguento, quo baptizatos vngit Ecclesia;* donum autem gratiæ significatum vnguento, quo baptizatos vngit Ecclesia, est gratia habitualis, non gratia vnionis, vt constat; quia Ecclesia vngendo confert gratiam habitualem, non gratiam vnionis.

55 Collig. 2. plenitudinem gratiæ intensiuam, & extensiuam, quæ fuit in Christo Domino, fuisse talem nedum secundùm potentiam ordinariam, vt asserunt *Gonet, & alij* putantes Christi gratiam posse augeri absolutè, sed etiam secundùm potentiam absolutam; adeoque Christi gratiam habitualem esse maiorem qualibet gratia omnium hominum, & Angelorum etiam collectiuè sumpta, nedum hominum, & Angelorum existentium, sed etiam possibilium.

Prima pars huius corollarij de plenitudine intensiua gratiæ, quæ potest esse vel gratiæ secundùm se, quando habetur in tanta excellentia, vt maior haberi non possit; & tunc vocatur plenitudo intensiua formalis; vel per respectum ad subiectum, quando est ita repleta eius capacitas, vt non possit maiorem gratiam recipere; & dicitur plenitudo intensiua subiectiua; prob. ex dictis *art.1.n.11;* nam maior intensio formalis, seu maior excellentia gratiæ habetur ex maiori vnione ad Deum; sed gratia habitualis Christi vnitur Deo secundùm esse Diuinum, quia existit per subsistentiam Diuinam, per quam subsistit natura humana; vnio autem secundùm subsistentiam Diuinam est maxima omnium vnionum cum Deo ita, vt nec secundùm potentiam Dei absolutam possit dari maior vnio; ergo gratia habitualis Christi est pl nissima intensiuè formaliter ita, vt absolutè maior dari nequeat. Sic plenitudo subiectiua est, qua repletur tota capacitas possibilis subiecti; sed Christus est sic repletus gratia; ergo habuit plenitudinem subiectiuam.

56 Nedum autem hæc plenitudo intensiua formalis est propria soli Christo, sed etiam plenitudo subiectiua; quidquid dicat *Gonet;* quia solus Christus nedum habuit gratiam in summa excellentia, sed eius capacitas etiam possibilis est satiata; quamuis autem alij Sancti habuerint omnem gratiam ad suum statum pertinentem, & ex hoc dicti sint pleni gratia; hæc autem non est plenitudo subiectiua, quam tribuimus Christo, cui tribuitur plenitudo secundùm omnem capacitatem possibilem, quæ ipsi soli competit.

57 De plenitudine autem extensiua, seu affluentiæ, & causalitatis, qua gratia habitualis extenditur ad omnes, diximus *in sup. art. n.12;* nam hoc modo ita fuit plenus Christus, vt posset gratiam transferre in infinitos homines, si actu darentur; sed plenitudo extensiua, quæ potest extendi ad infinita subiecta, nec de potentia absoluta potest maior fieri extensiuè, quia vltra infinitum nihil est, ad quod possit extendi; ergo plenitudo gratiæ extensiuè fuit in Christo etiam secundùm potentiam absolutam.

58 Prob.2; & simul ostenditur altera pars. Gratia habitualis Christi commensuratur cum gratia vnionis, est enim proprietas illius vera, & physica, vt *sup.* dictum est; sed gratia vnionis est *summa gratia*, vt docet *S.P. Aug. lib.13. de Trin. c.19;* ita, vt non solùm non possit Deus de plenitudine suæ potestatis concedere maiorem gratiam creaturæ, quàm ei dare se ipsum, quia nihil Deo maius est; vnde *idem S.P. Aug.* inquit: *Deus, cùm sit omnipotens, plus dare non potuit;* sed etiam hæc gratia superet omnem gratiam omnium hominum, & Angelorum etiam possibilium; quia talis gratia esset perfectio puræ creaturæ; hæc autem est perfectio Dei hominis; ergo idem dicendum de gratia habituali. Tum quia gratia habitualis in Christo habet rationem fontis, in alijs creaturis rationem riuuli; sed maior est fons, quàm riuuli ab eo deriuantes; ergo idem. Tum quia gratia Christi satiat omnem capacitatem possibilem naturæ creatæ; gratia verò puræ creaturæ tantùm capacitatem actualem. Tum quia sicut gratia consummata, quia est vnio perfectior ad Deum, superat omnem gratiam viæ datam omnibus hominibus, & Angelis etiam possibilibus; à fortiori dicendum de gratia Christi, qua non solùm vnitur Deo per operationem, sed etiam per naturam.

§. III.

§. III.

An virtutes, dona, & gratiæ fuerint in Christo?

59 DE virtutibus intellectualibus agemus *q.9.* Nunc solùm loquimur de virtutibus Theologicis, & moralibus infusis, & acquisitis. Cauenda tamen est doctrina *Gonet, & aliorum Recentium* asserentium dari in eodem subiecto duas virtutes morales eiusdem rationis v.g. duas temperantias; vnam supernaturalem secundùm entitatem à Deo simpliciter infusam regulatam per prudentiam supernaturalem; alteram naturalem secundùm entitatem regulatam per prudentiam naturalem viribus naturæ acquiribilem; quam doctrinam fusè rejecimus *to.4. de Virt. q.1. art.8*; nam eadem virtus potest esse infusa, & acquisita, non quidem coniunctiuè ita, vt sit simul infusa, & acquisita; sed disiunctiuè ita, vt eadem, quæ est infusa, si non fuisset infusa, potuisset acquiri; ordinatio autem, qua virtutes perfectæ diriguntur in finem supernaturalem, habetur à charitate, quæ infunditur; & quæ est forma omnium virtutum. *Hoc supp.*

60 Prima sententia vult virtutes morales, quæ viribus naturæ acquiruntur, non fuisse infusas in instanti conceptionis in animam Christi; sed illas per suos actus successu temporis acquisiuisse. Referuntur *Alex. p.4. q.12. membr.1; Naz. controu.1. concl.4; Arauius dub; Val; Cipull; Cabr; & alij.*

61 Secunda ex opposito vult omnes virtutes morales fuisse infusas, etiam pœnitentiam quantùm ad ornatū, & quoad actum conditionatum; v.g. *si offendissem Deum, paratus essem agere pœnitentiam. Ita noster Argent. in 4. dist. 14. q.1. art.1. ad 5. opinionis opposita.* Vel quantùm ad entitatem, & essentiam virtutis secundùm quandam rationem vniuersalem, non verò prout pęnitentia respicit actum, qui supponit peccatum. *Ita Sua. de pænit. disp. 7. sect. 1; & hic disp.19; Lug. disp.6. n.6; Coninch de pænit. disp.1. dub.3.*

62 Nostra docet omnes virtutes, quæ non pugnāt cum beatitudine, & puritate Christi, in Christo fuisse infusas in instanti suę conceptionis. Deducitur *ex Fund. Doct. Quodl.2. q.2*; vbi ait in Christo esse plenitudinem omnis gratiæ, quia *de illo omnes accepimus*; certum autem est nos accipere virtutes morales ordinatas per charitatem in Deū; quia in Christo Deus omnia nobis donauit; virtutes autem formatas charitate esse dona Dei fusè probat *S.P. Augúst. locis cit. to.4. vbis.* Deinde *hic dist.23. p.1. qu.1. art.1. ad 5.* negat fidem ratione obscuritatis ænigmaticæ esse in Christo; quod colligitur etiam ex dictis *to.1. q.4. proem. art.2.* Hanc sententiam fatentur *omnes alij DD.*

63 Quoad dona Spiritus Sancti *Abailardus* negauit animæ Christi donum timoris; damnatus tamen fuit *ab Innoc. III. epist. inter ep. D. Bern. 194. Dur.* verò *in 3. dist.34. qu.3.* vult hæc dona saltem quoad aliquos actus non esse in Christo.

64 Quoad gratias gratis datas *Abul. in c. 11. Numer. q.64; & in Matth.16. q.4.* vult Christum non fuisse verè, & propriè prophetam, sed tantùm in communi appellatione Vulgi. Hanc sententiam videtur docuisse *Tertull. lib. 4. cont. Marcion. c.22.*

65 Vnica concl. Omnes virtutes excepta fide, & spe Theologica, quæ pugnant cum animæ beatitudine; & excepta pœnitentia strictè sumpta, quæ cum eius summa puritate, & innocentia incompossibilis est; & omnia dona Spiritus Sancti, ac omnes gratiæ gratis datæ in summo, & excellentissimo gradu fuerunt in Christo in primo instanti suæ conceptionis infusæ.

Prob.1. *ijsdem textibus*, & rationibus, quibus probata est vltima pars cōcl. *præcedentis §.* Christus Dominus in eo instanti, quo *Verbum caro factum est*, fuit plenus gratia nedum secūdùm capacitatē actualem, sed etiam secundùm capacitatem possibilem, vt habetur *Ioan.1*; sed instans, in quo *Verbum caro factum est*, est instans conceptionis Christi; ergo Christus Dominus in primo instanti suæ conceptionis fuit repletus omni gratia possibili, ad quam habebat capacitatem obedientialem, aliter non fuisset simpliciter plenus gratia, quia adhuc potuisset aliam capere. Sed virtutes sunt gratiæ, sunt enim dona Dei, quia sunt essentialiter bonæ; *& omne bonum desursum est descendens à Patre luminum*, vt dicitur *Iac.1*; & dona Spiritus Sancti, ac gratiæ gratis datæ sunt veræ gratiæ Dei; quia dantur nullis præcedentibus meritis; ergo Christus in primo instanti suæ conceptionis habuit omnes virtutes non repugnantes beatitudini, qua ipsius anima fuit repleta, quia beatitudo est gratia consummata, & ideo quia fuit repletus omni gratia, etiam beatitudo ei fuit infusa; & habuit omnia dona Spiritus Sancti, & omnes gratias gratis datas in summo, & excellentissimo gradu; aliter non fuisset simpliciter, & secundùm omnem modum gratia repletus. 2. Christus in primo instanti suæ conceptionis habuit spiritum non ad mensuram, cùm B. Virgo Spiritu Sancto fuit obumbrata; sed habere Spiritum non ad mensuram est recipere omnem gratiam; quæ potest diffundi à Deo per Spiritum Sanctum, sicut illum habere ad mēsuram est recipere tantùm aliquam, non omnem gratiam, vt explicant *SS.PP*; & præcipuè *S.P. Aug.* super hunc locum *tract.14. in Ioan*; ergo Christus in primo instanti suæ conceptionis recepit omnem gratiam, quæ

quæ à Deo diffundi potest per Spiritum Sanctũ. Atqui virtutes, dona Spiritus Sancti, & gratiæ gratis datę diffunduntur per Spiritum Sãctum; omnia enim sunt dona Dei, quæ attribuuntur Spiritui Sancto; qui est essentialiter donũ; ergo idem. 3. Omnia dedit Pater Filio, quibus posset ornari, & perfici eius anima, & in Deũ se conuertere immutabiliter; sed virtutes, dona &c. sunt huiusmodi; ergo idem. 3. Si Christus in instanti suæ conceptionis non habuisset omnes virtutes, omnia dona, & omnes gratias gratis datas, Pater non dedisset ei omnia, quæ dare potuisset; nam aliqua potuisset ipse sibi acquirere à Patre; sed conſ. est falsum; ait enim *Scriptura Ioan.3*; quòd *Pater dedit ei omnia*; & affert rationem; quia *sic diligit Filium*; ita autem dilexit Christum suum Filium in primo instanti suæ conceptionis, vt non potuerit eum magis diligere; hæc enim dilectio terminata fuit ad Filium naturalem, non adoptiuum; vt subdit *S.P. Aug. ibid*; & ideo dedit ei omnia sua dona, quæ dare potuit; nam ratio amoris fuit ratio communicationis donorum; ergo idem. 4. Ad gratiam habitualem puræ creaturæ fluunt aliquæ virtutes formatæ per charitatem, quæ sunt proprietates illius; & aliqua dona, ac gratiæ gratis datæ; quia talis gratia non est plenissima; ergo ad gratiam habitualem Christi, quæ plenissima est, quia est proprietas gratiæ vnionis, quæ summa gratia est; vt docet *S.P. Aug. lib.13. de Trin. c.19*; fluunt omnes virtutes, omnia dona, & omnes gratiæ gratis datæ, quæ sunt proprietates illius, in gradu sũmo, & excellentissimo; sicut enim se habet quatuor ad quatuor; ita omnia ad omnia. *Vid. vbis.*

66 Prob. deinde singulę partes 1. de charitate. Habitus Charitatis est proprietas inseparabilis à gratia habituali; nam principiũ formale *quo* proximum operationis alicuius naturæ est inseparabile ab illa natura; aliter illa natura, si sit intellectualis, non viueret, nec proximè posset viuere in actu secundo, quia vita in actu secundo in operatione consistit; habitus autẽ charitatis est principium *quo* proximum dilectionis, quæ est principalis operatio procedens à gratia habituali, quæ se habet per modum naturæ in ordine supernaturali; sed in primo instanti conceptionis Christus habuit gratiam habitualem; ergo & habitum charitatis; aliter non potuisset proximè viuere in actu secundo vita supernaturali. 2. In primo instanti conceptionis fuit beatus; ergo habuit actum perfectissimum amoris Dei, in quo consistit formalis beatitudo vel formaliter, vel subsecutiuè.

67 Quoad habitum fidei, & spei prob. Implicat, quòd aliquis clarè videat, & non videat Deum; & sic quòd possideat, & non possideat Deum; sed beatitudo formalis est de Deo clarè viso, & fides est de Deo clarè non viso, quia est *rerum non apparentium*; & beatitudo est de Deo possesso in re, spes autem Theologica est de Deo in re non possesso; ergo implicat, quòd aliquis habeat simul beatitudinem, & fidem, ac spem Theologicam. Atqui Christus in primo instanti suæ conceptionis fuit beatus; ergo non habuit fidem, nec spem Theologicam; *Vid. to.1. qu.4. proem. art.2; & to.4. de fide q.1. art.5; & de spe q.1. art.1. à n.9.*

68 Prob. de virtutibus moralibus. 1. Virtutes morales sunt habitus, quibus tendimus in Deum, tanquam in vltimum finem, in quo vltimatè quiescimus; sed in primo instãti conceptionis Christus habuit omne id, quo posset in Deum omnibus modis tendere, eique vniri; quia habuit gratiam vnionis, quæ continet omnem aliam vnionem possibilem; ergo habuit omnes virtutes morales suo statui tamen non repugnantes. 2. Virtutes formales formatæ per charitatem sunt proprietates gratiæ habitualis; ergo idem. 3. Virtutes morales sunt perfectiones ipsius animæ; sed Christus Dominus habuit omnem perfectionem, quæ potest competere animæ rationali; ergo idem. 4. Si non habuisset virtutes morales, non potuisset à principio exercere actus heroicos virtutum heroicarum, quia non potuisset agere promptè, faciliter, & expeditè, ac perfectè; hoc enim sine habitu fieri non potest, vt constat; ergo idem.

69 De pœnitentia sic. Quamuis pœnitentia, si eius ethimologia inspiciatur, quæ idem significat, ac *pœnam tenentia*; & si sumatur latè pro detestatione alieni peccati, posset in Christo Domino admitti, quem tenuit maxima pœna; & summè doluit de nostris peccatis; attamen pœnitentia strictè, & propriè sumpta importat dolorem detestatiuum, & retractatiuum peccati elicitum ab ipso, qui peccatum commisit, vindicante in se ipso, quod dolet se commisisse; sic enim pœnitentiam definit *S. P. Aug. lib. de vera, & falsa pœnit. c.2.* asserens: *Pœnitentia est dolentis vindicta puniens in se ipso, quod dolet commisisse*; sed *Christus peccatum non fecit*; ergo in ipso non fuit pœnitentia. *Ma.* ampliùs prob. Actus peccaminosus non potest retractari, nisi ab eo, qui illum commisit; nam quantumuis aliquis doleat de peccato alieno; attamen si ille, qui illud commisit, sibi complaceat de tali peccato, illud peccatum nunquam retractatur; sed pœnitentia est formalis retractatio peccati commissi; ergo pœnitentia formaliter importat dolorẽ retractatiuum peccati elicitum ab eo, qui peccatum commisit. Tum quia ratio communis pœnitentiæ, & alijs virtutibus non est formaliter pœnitentia, sicut animalitas non est formaliter homo. Tum quia conditionalis de actu impossibili non sufficit ad ponendam virtutem elicitiuam formaliter illius actus; aliter posset pariter poni in Christo potentia ad peccandum; quia valet hæc conditio-

ditionalis: *Si esset possibilis, quòd peccaret, esset in ipso potentia ad peccandum*. Tum quia id, quod est ornatus in peccatore, esset indecorum innocenti; in tantùm enim pœnitentia manet ad ornatum in peccatore; in quantùm debet habere insignia, & arma, quibus vicit peccatum; indecens autem esset, si in innocente esset insigne, quo vicit peccatum à se commissum, quia re vera peccatum non commisit; ergo nec quoad ornatum pœnitentia esse debuit in Christo.

70 De donis Spiritus Sancti habetur expressè *Isaiæ* 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilij, & fortitudinis; Spiritus scientiæ, & pietatis; & replebit eum Spiritus timoris Domini*; & ratio est.. Hæc dona sunt proprietates sequentes ad gratiam habitualem, & habitum charitatis; nullam habent repugnantiam cum animæ beatitudine, & cum summa illius puritate; vt patet discurrenti per singula eo modo, quo locuti sumus *to*. 4. *q*. 1. *de Donis Spiritus Sancti art*. 1; quamuis enim importēt in nobis obscuritatem, vt sapientia, scientia, & intellectus, quia innituntur lumini fidei; attamen hoc non est de eorum essentia; nam eorum munus est certò iudicare mysteria fidei esse vera, & ideo sequendam esse motionem Spiritus Sancti ad illa impellentis. Similiter consilium licèt in nobis inuoluat ignorantiam, non tamen hanc importat formaliter, vt diximus *to*. 3. *de Act. hum*. *q*. 4. *art*. 3. Sic pietas mouet voluntatem ad sequendum impulsum Spiritus Sancti per ordinem ad exhibendum cultum Deo, tanquam Patri, debitum. Sic fortitudo, quæ fidenter, & cum securitate aggreditur, & vincit pericula. Tandem timor, non quidem seruilis, sed filialis, & castus, quo subijcit se Deo reuerenter ob eius maiestatem &c. *Vid. vbis.*

71 Tandem de gratijs gratis datis *S. P. Aug. tract*. 14. *in Io*. intelligit illud *Io*. 3. *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum*; ait nanq; *Hominibus ad mensuram dat; vnico Filio non dat ad mensuram. Quomodò hominibus ad mensuram. Alij quidem datur* (inquit *Apost*. 1. *Cor*. 12.) *per Spiritum sermo Sapientiæ, alij sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum; alij fides in eodem Spiritu; alij prophetia, alij discretio Spirituum, alij genera linguarū, alij donatio curationum. Nunquid omnes Apostoli &c; sed Christus, qui dat, non ad mensuram accepit*; & eadem ratione prob. Omnes gratiæ gratis datæ fuerunt in membris mysticis Christi, vt constat *ex Apost*. distributiuè, non collectiuè; ergo fuerunt collectiuè realiter in Christo; nam nihil est in membris Christi, quod non sit deriuatum realiter à Christo, tanquam à capite, & fonte, vt dicemus *in seq. art*; nequit autem aliquod deriuari realiter à Christo, quod non est realiter in illo; quia *nemo dat, quod non habet*. *Vid. to*.4. *de grat*. *q*.2. *art*.2. *n*.5;

vbi explicantur omnes istæ gratiæ. Discurrendo autem per singulas certum est sapientiam, & scientiam fuisse in Christo; quia *in Scriptura* habetur Christum aliquando explicuisse mysteria supernaturalia per causas altissimas, aliquando per causas inferiores accommodatas capacitati audientium; vt *Io*.16. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*; idēst non potestis modò percipere, quia nimis alta sunt, & superant vestam intelligentiam; & ideo in ipso fuit *sapientia, & scientia*. Aliquando interpretatus est *Scripturas*; vt *Luc*. 24. Discipulis euntibus *in Emaus interpretabatur illis Scripturas, quæ de ipso erant, incipiens à Moyse, & Prophetis*; & ideo in ipso fuit *interpretatio sermonum*. Item certum est ipsum habuisse *genera linguarum*, quia habuit omnem scientiam, quam potuit omnibus gentibus communicare; quod fieri non potuisset, nisi habuisset omnem linguam, qua omnes loquuntur; & quamuis *in Scriptura* non habeatur ipsum vsum fuisse varijs linguis; quia cùm missus fuisset tantū *ad Iudæos*, seu *ad oues, quæ perierant, domus Israel*; non debebat loqui, nisi lingua *Hebræorum* in publicis concionibus, vt ait *D.Tho*; attamen verisimile est in priuatis colloquijs habitis *cum Gentilibus*, vt *cum Centurione, & alijs* vsum fuisse alijs linguis; & *Eusebius* refert ipsum scripsisse epistolam *Regi Abagaro in lingua Siriaca*. Constat insuper *de gratia sanitatum, & operatione virtutum*; quia febrientes, & leprosos sanauit, cęcos illuminauit, mortuos resuscitauit. Idem de *fide miraculorum*, habuit enim fiduciam firmissimam Deum sibi assistere in patrandis miraculis. Consimiliter *discretionem spirituum* ostendit *Matth*. 4; *cùm ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo*; quem clarè agnouit dicens: *Vnde retro Sathana*.

72 De prophetia autem *aliqui* dubitant verè non fuisse in Christo; quia cùm innitatur lumini fidei, quod est obscurum, vt diximus *to*.4. *de Grat*. *q*.2. *art*.2. *n*.6; & ideo incompossibile cum lumine gloriæ, quod est clarum, quo fuit illustrata anima Christi, cùm fuerit beata; ergo prophetia propriè sumpta non fuit in Christo. 2. *Apost*. 1. *Cor*. 13. ait prophetiam in patria euacuari: *Siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt*; sed certum est in patria non euacuari, nisi id, quod est incompossibile cum visione beata; ergo idem. Hoc probat etiam de generibus linguarum. 3. Prophetia definitur *supernaturalis cognitio habita per Diuinam reuelationem de rebus absentibus, & ignotis*; sed Christo Domino nihil fuit ignotum; ergo in ipso non fuit prophetia. 4. Prophetia communicatur per modum coruscationis citò transeuntis, non per modum permanentis; sed cognitio supernaturalis, quam habuit Christus de rebus absentibus, non fuit per modum transeuntis; ergo non fuit prophetia.

73 Dicendum tamen *cum S.P.Aug.* Christum verè, & propriè fuisse Prophetam. Ita *in Io. 4. tract.* 15; vbi super illa verba *Samaritanæ: Domine, vt video, Propheta es tu*; inquit: *Prophetam Dominum putabat. Erat quidem & Propheta; nam de se ipso ait Luc. 4. Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua. Item dictum est ad Moysen Deut. 16. Prophetam eis suscitabo de fratribus eorum*. Idem docet *in c. 6. tract.* 25. super illud: *Cùm vidissent, quod fecerat signum, dicebant, quia hic est verè Propheta*; inquiens: *Erat autem ille Dominus prophetarum, impletor prophetarum, sanctificator prophetarum, sed & Propheta. Nam & Moysi dictum est: Suscitabo eis prophetam similem tui, similem secundùm carnem, non secundùm maiestatem. Et de ipso Christo illam Domini promissionem habere intellectum apertè in Actibus Apostolorum exponitur, & legitur. Et ipse Dominus de se ait Io. 4. Non est propheta sine honore, nisi in patria sua. Propheta Dominus, & Verbum Dei Dominus; & nullus propheta sine Verbo Dei prophetat. Cum prophetis Verbum Dei, & propheta Verbum Dei. Meruerunt priora tempora prophetas afflatos, & impletos Verbo Dei; meruimus nos prophetam ipsum Verbum Dei. Sic autem propheta Christus Dominus prophetarum; sicut Angelus Christus Dominus Angelorum.* Paulò post assignat rationem. *Etenim Angeli latinè nuncij sunt. Si Christus nihil annunciaret, Angelus non diceretur; si Christus nihil prophetaret, propheta non diceretur. Exhortatus sit nos ad fidem, & ad capescendam vitam æternam: Aliquid præsens annunciauit; aliquid futurum prædixit. Ex eo, quòd præsens nunciauit, Angelus erat: Ex eo, quòd futurum prædixit, propheta erat. Ex eo, quòd Verbum Dei caro factum est, & prophetarum, & Angelorum Dominus erat*. Idem habet *lib. 16. cont. Faust. c.* 15; cum eo *D. Ambr. serm.* 8. *in psal.* 118; *D. Hier. in c.* 1. *Hierem*; *D. Chrisost. hom.* 15. *in Io*; *D. Cirill. lib.* 8. *cont. Iul*; *& alij SS.PP.* communiter. Formatur sic eius ratio. Prophetia formaliter importat cognitionem supernaturalem rei occultæ, & absentis in statu viæ; occultæ quidem, & absentis, non respectu ipsius prophetantis, sed respectu eorum, ad quos prophetia dirigitur; propheta enim idem significat, ac *procul videns*; idèst videns ea, quæ sunt procul à cognitione hominum, tanquam præsentia sibi, visio enim est rerum præsentium; quanuis enim prophetans, si habeat lumen obscurum, sicut fuerunt omnes prophetæ, qui fuerunt puræ creaturæ; respectu mysteriorum fidei obscurè videat; attamen si habeat lumen clarum, vt Christus Dominus, qui lumine gloriæ erat illustratus, vidit clarè, quæ dixit; dicitur autem *in statu viæ*, quia prophetia est donum spectans ad Ecclesiam militantem, cùm sit essentialiter ad aliorum vtilitatem, & salutem; salus autem acquirenda nequit esse, nisi in Ecclesia militante; sed in Christo fuit verè, & formaliter cognitio supernaturalis rei occultæ, & absentis in statu viæ, quia licèt secundùm partem superiorem fuerit beatus, secundùm partem tamen inferiorem fuit viator intra Ecclesiam, cuius erat Caput, & Summus Pontifex; ergo in Christo fuit verè, & propriè prophetia; & ideo fuit verè, & propriè propheta.

74 Ad 1. dist. ant. Prophetia in puris hominibus respectu mysteriorum fidei innititur lumini fidei, conc; in homine Deo, neg. Prophetia ergo innititur lumini obscuro tantùm materialiter, quatenus est in subiecto habente tantùm lumen fidei; & in hoc sensu locuti sumus *to. 4. vbi*; *& alibi*, vbi diximus lumen propheticum esse obscurum, idèst lumen, cui innixa est prophetia prophetarum, qui fuerunt puri homines. Ad 2. dicitur ad ma. prophetiam innixam lumini fidei in patria euacuari, quia euacuabitur fides, nam cessabit obscuritas; & euacuari quoad actum; quia tunc nihil erit ignotum spectans ad salutem hominum consequendam. Ad 3. dist. ma. De rebus absentibus, & ignotis respectu eorum, ad quos prophetia dirigitur, conc; respectu prophetæ, neg. Et quanuis adulteria *Samaritanæ* essent nota ipsi *Samaritanæ*, ad quam prophetia Christi erat directa; ignotum tamen erat *Samaritanæ*, quòd Christus haberet eorum notitiam, & ideo ex hoc arguit ipsum esse prophetam. Ad 4. dist. ma. Communicatur essentialiter per modum transeuntis, neg; accidentaliter, conc; sicut enim essentia scientiæ non consistit, quòd habeatur per modum habitus, vel actus; ita à pari.

75 Obijc. 1. cont. 2. par. concl. Scientiæ naturales non fuerunt in Christo in instanti suę conceptionis infusæ, sed illas acquisiuit in tempore; vt docet *D. Tho. q.* 12. *art.* 2; ergo nec virtutes naturales morales; nam ideo scientiæ naturales non fuerunt infusæ, ne potentia, quam habet intellectus agens ad acquirendas species intelligibiles, esset frustranea in Christo; hæc autem ratio procedit etiam de virtutibus naturalibus; nam potentia, quam habet Christus ad acquirendas naturaliter virtutes morales, semper caruisset suo effectu. 2. Prudentia est virtus moralis; sed hæc non fuit infusa in Christo; quia non minùs dependet prudentia à speciebus intelligibilibus, quàm scientiæ naturales; cùm sit *memoria præteritorum, cognitio præsentium, & præuisio futurorum*; vt eam definit *Fund. Doct*; quod nequit esse sine specie; ergo idem. 3. Si virtutes morales essent infusæ in gradu heroico, & excellentissimo, non potuissent per actus elicitos augeri; sed cons. ex falsum; quia causa naturalis non potest sine miraculo non producere suum effectum; ergo idem. 4. Virtutes morales non remanent in patria; ergo habent repugnan-

gnan-

gnantiam cum statu beatitudinis; & ideo non fuerunt in Christo, qui fuit beatus. 5. Virtutes morales ponuntur ad refrænandas passiones immoderatas; sed passiones in Christo fuerunt perfectè subiectæ rationi; ergo idem. 6. Perfectiùs est habere virtutes acquisitas à se, quàm infusas ab alio; sed in Christo debemus ponere id, quod est perfectius; ergo idem. 7. In Christo non fuit liberalitas, & magnificentia, quia ipse non habuit diuitias; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. ant. Scientiæ naturales quantùm ad entitatem habitus, neg; quantùm ad experimentalem vsum, conc; nam *Iudæi* audientes Christum disputantem dicebant: *Quomodò hìc literas scit, cùm non didicerit*; scientiæ autem dependent à speciebus solùm quoad vsum, non quoad entitatem, si infundantur; nec intellectus agens fuit superfluus, quia inseruiuit ad acquirendas species necessarias ad vsum illarum; *sed de hoc q.9. art.2; & 3.* Ad 2. neg. mi; nam prudentia dependet à speciebus solùm quoad vsum, non quoad entitatem habitus, si sit infusa; dependet autem quoad entitatem, quoties per illas generatur. *Sed de hoc inf. vbisup.* Ad 3. neg. mi. Ad prob. dist. Si effectus sit producibilis, conc; si sit iam productus, neg; nam si applicetur ignis ad lignũ, producitur ignis in ligno; sed si applicetur ad lignum iam ignitũ, tunc non producitur ignis. Sic habens habitum scientiæ iam perfectum per nouos actus non producit habitum; at carens habitu eliciendo actus producit habitum. Ad 4. neg. ant; nam etsi non remaneant quoad actus, remanent tamen ad ornatum. Ad 5. dist. ma. Ponuntur ad frænandas passiones per se, neg; per accidens supposita rebellione facta per peccatum, conc; nam per se ponuntur ad eliciendos actus bonos, & si durasset status innocentię, in quo erat perfecta subiectio passionum, adhuc fuissent virtutes morales. Ad 6. neg. ma; nam acquirere virtutes per se ipsum dicit illis aliquando carere, quod dicit imperfectionem, quæ omnino remouenda est à Christo Domino. Ad 7. neg. ant; potest enim quis esse liberalis, & magnificus in promptitudine animi, quamuis reipsa sit pauper.

76 Obijc. 2. cont. 3. part. concl. Detestari nedum peccata propria, sed etiam aliena est effectus pœnitentiæ; atqui Christus detestatus est peccata nostra, pro quibus satisfecit; ergo in illo fuit pœnitentia. Prob. ma. Velle Deo bona nostra, & aliena est actus charitatis; ergo à pari. 2. Potuisset Christus assumere humanitatem peccato infectam; sed tunc, vt homo, potuisset dolere de peccato commisso; ergo pœnitentia ei non repugnat.

Resp. ad 1. neg. cons; nam charitas habet pro obiecto primario Deum, & secũdario creaturam, quæ est imago Dei, & effectus principalis illius; vnus autem, & idem habitus tendit in obiectum primarium, & secundarium. At peccatum alienum non est obiectum secundarium pœnitentiæ, quia non est effectus peccati proprij, nec cum peccato proprio coniungitur; aliter esset proprium, & alienum; ideo pœnitentia tendit tantùm in peccatum proprium, non alienum. Præterea sicut charitas nequit tendere solùm in proximum, non in Deum; tunc enim non esset amor Dei, sed simpliciter creaturæ; ita pœnitentia nequit tendere in peccatum alienum, non in proprium; sic enim non esset pœnitentia, sed actus charitatis, quo diligitur Deus; & ideo dolet obiectum amatum offendi. Ad 2. neg. ma; nam Christus non potuit nasci per carnalem concupiscentiam; ideo non potuit habere carnem maculatam peccato. Vel dicitur ad mi; quòd cùm illud peccatum non fuisset commissum ab illo homine, quod est Christus, quia homo, qui est Christus, importat suppositum Diuinũ, cui repugnat peccare; ideo Christus, vt homo, in data hipothesi non potuisset pœnitere; quia illud peccatum non esset proprium illius hominis, sed alterius hominis, qui in illa carne peccasset.

ART. III.

An, & per quam gratiam Christus, vt homo, sit Caput Ecclesiæ?

1 DVo quæruntur. 1. An Christus, vt homo, sit Caput Ecclesiæ? 2. An constituatur in ratione Capitis per gratiam vnionis; vel per gratiam habitualem? Primum non controuertitur; est enim de fide, vt ait noster *noster Gibb*; quia manifestè habetur *in Scripturis inf.* adducendis. Circa secundùm est dissensio, licèt parui momenti.

2 Prima Sententia vult Christum constitui Caput Ecclesiæ per gratiam vnionis. *Ita Vasq. disp. 49. c. 4; & alij.*

3 Secunda vult constitui per solam gratiam habitualem. *Ita Naz; Med; Arau; & alij.*

4 Tertia docet constitui per vtranque. Sed diuisa est in modo loquendi; nam *alij* volunt gratiam habitualem constituere Christũ Caput Ecclesiæ, quatenus physicè influit in substantiã actus meritorij; gratiam verò vnionis, quatenus tribuit actui valorem infinitum. *Ita Gran. hìc controu. 1. tract. 7. disp. 6. concl. 4;* qui refert *Val; & alios.* *Alij* asserunt Christum constitui Caput per gratiam vnionis radicaliter, & per gratiam habitualem per modum principij proximi. *Ita noster Gibb. hìc disp. 14. dub. 2;* apud quem *Sua. disp. 23. sect. 2; Lorc. disput. 46. num. 6; Lug. disp. 17. dub. vlt; & Tanner. disp. 1. q. 5. dub. 2.* *Alij* dicunt constitui formaliter, & in recto per gratiam habitualem,

& in

& in obliquo, seu de connotato per gratiam vnionis. *Ita Gonet. disputat.* 14. *artic.* 5. Nos cùm *Fund. Doct. in Cant. c.*1.*lect.*12.*fol.*12. *col.* 3. afferente rationem *S. P. Aug. inf.* adducendam dicimus Christum, vt hominem, constitui Caput Ecclesiæ militantis (de hoc enim solùm sermo est in præsenti) per gratiam habitualem, quæ in ipso fuit cum omni plenitudine, tanquam per causam instrumentalem transfusionis gratiæ in Ecclesiæ membra; & per gratiam vnionis tanquam per causam principalem productiuam efficienter eiusdem gratiæ habitualis in membris Ecclesiæ.

5. Not. *ex Apost.* 1. *Corinth.* 12; *& Rom.*12. Christum dici Caput Ecclesiæ per analogiam ad caput naturale corporis humani; ait enim *Apost. Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi vnum corpus sumus in Christo.* In hoc sensu locuti sunt *SS. PP*; inter quos *P. Aug. inf; & S. Tho.* Sicut ergo philosophamur de capite corporis humani; ita discurrendum est de Christo, vt est Caput Ecclesiæ. Videmus in capite naturali corporis humani. 1. Esse eiusdem naturæ cum membris. 2. Esse super omnia membra. 3. Continere omnes sensus, quibus influit in omnia membra per influxum internum, quatenus per potentias sensitiuas in ipso residentes transmittit per neruos in omnia membra spiritus animales necessarios ad exercendas operationes sensitiuas; & per influxum externum; quatenus mediantibus intellectu, visu, auditu, & cęteris sensibus dirigit alia membra, ne impediantur in suis operationibus, sed illas ritè exerceant. Caput tamen influit tanquam instrumentum animæ; quia in capite sunt organa, quibus anima exercet operationes sensitiuas, tanquam causa principalis illarum; ideo de ratione capitis est esse causam influxiuam instrumentalem in membra; ad rationem autem causæ instrumentalis essentialiter requiritur actio agẽtis principalis; quia causa instrumentalis essentialiter agit, vt eleuata per actionem causę principalis.

6 Christus itaque, vt homo, dicitur Caput Ecclesiæ, quia est superior ad totam Ecclesiam, & vt homo, est eiusdem naturæ cum omnibus hominibus, qui sunt membra Ecclesiæ. Per gratiam habitualem, tanquam per instrumentum, influit in homines gratiam habitualem; quia per ipsam meruit omnibus hominibus gratiam; & per ipsam Summus Pontifex effectus instituit Sacramenta, quibus mediantibus, tanquam instrumentis, gratiam confert hominibus; & sic dicitur habere influxum internum. Præterea per prædicationem externam, per miracula, per sacramenta visibilia, per legem Euangelicam, per ministros visibiles rexit Ecclesiam, quando vixit in terris; & ascensurus in Cęlum constituit *Petrum*, eiusque Successores, sui Vicarios, qui exter nè fideles dirigerent; & ita influxu externo Ecclesiam gubernat. At humanitas Christi quantunuis eleuata per gratiam habitualem non est causa principalis productiua, & influxiua gratiæ in alios homines, sed tantùm instrumentalis; quia solus Deus est causa principalis productiua gratiæ, vt diximus *to.*4. *de grat. q.*2.*art.*3; ideo ad hoc, vt Christus, vt homo, sit Caput influxiuum gratiæ in membra Ecclesiæ, essentialiter, & in recto requiritur gratia vnionis, seu Diuinitas vnita humanitati; quia ad rationem instrumenti instrumentaliter influentis essentialiter requiritur, quòd agat per influxum, & actionem principalis agentis. Hinc *S. P. Aug. tract.*81. *in Io.* docet; quòd quanuis Christus, nisi homo esset, Caput Ecclesiæ non esset; attamen gratiam hominibus non conferret, nisi Deus esset; inquit enim: *Quanuis autem Christus vitis non esset* (dicitur autem vitis, prout est Caput Ecclesiæ, vt dixerat *cap.*80.) *nisi homo esset, tamen istam gratiam palmitibus non præberet, nisi etiam Deus esset.*

7 Ex his deducitur insufficientia aliarum sententiarum; non enim sola gratia vnionis, aut sola gratia habitualis sufficit ad rationem capitis; quia purus homo, aut purus Deus nequit esse Caput visibile Ecclesiæ per analogiam ad caput naturale corporis humani; quia purus homo nequit influere in alios homines gratiam habitualem; & Deus purus non est eiusdem naturæ cum alijs hominibus, non enim est homo. Nec gratia vnionis requiritur tantùm ad valorem infinitum, sed etiam ad transfusionem gratiæ habitualis in membra. Nec requiritur tantùm radicaliter, aut de connotato; quia causa principalis essentialiter, & in recto requiritur ad actionem causæ instrumentalis, vt constat. Igitur.

8 Vnica concl. Christus, vt homo, non vt Deus, est Caput visibile Ecclesiæ; & in ratione Capitis constituitur per gratiam habitualem, tanquam per causam instrumentalem transfusionis gratiæ in membra Ecclesię; & per gratiam vnionis, tanquam per causam principalem productiuam eiusdem gratiæ.

Prob. 1. pars concl. 1. *ex Scripturis*; nam *Ephes.*1. habetur; *Ipsum dedit super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius*; *& cap.*5. *Vir caput est mulieris; sicut Christus est Caput Ecclesiæ*; *& Coloss.*1. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ*. Quòd autem *Apost.* loquatur de Christo, vt homo est, *SS. PP; & DD.* concorditer affirmant; & deducitur ex verbis immediatè præcedentibus: *Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cęlestibus*; sed Christus, vt homo, non vt Deus, resurrexit à mortuis, & constitutus est ad dexteram Dei Patris; ergo Christus,

stus, vt homo, est Caput Ecclesiæ. Manifestè hoc docet *S.P.Aug. de fide, & symb. cap.* 4. inquiens: *Caput Ecclesiæ est Christus homine indutus, per quem viuendi exemplum nobis daretur.* Sed Christus, vt homine indutus, est Christus, vt homo; & vt homo, non vt Deus, nobis dedit exemplum, quia actiones hominis sunt à nobis imitabiles; ergo idem. Præterea *Io.c.* 15. *Ego sum vitis, vos palmites*; super quod *S.P. Aug. tract.*80. ait: *Iste locus Euangelicus, vbi se dicit Dominus vitem, & Discipulos suos palmites vocat, secundùm hoc dicit, quòd est Caput Ecclesiæ, nosque membra eius mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus; vnius quippe naturæ sunt vitis, & palmites. Propter quod cùm esset Deus, cuius natura non sumus; factus est homo, vt in illo esset vitis humana natura, cuius & nos homines palmites esse possemus.* Ex quo sic arguitur. Ita se habet Caput respectu membrorum, sicut vitis respectu palmitum; nam sicut palmites non viuunt, nisi vitis eis subministret humorem, quo viuant; ita membra corporis vita sensitiua non viuunt, nisi Caput eis subministret spiritus animales, quibus viuant; sed Christus est tantùm vitis, vt homo, quia nos sumus palmites, vt homines; & palmites, & vitis dicuntur secundùm eandem naturam; ergo Christus, vt homo, non vt Deus, est Caput Ecclesiæ. 2. Christus dicitur Caput Ecclesiæ per analogiam ad caput naturale corporis humani, vt *sup.* dictum est *ex Apost*; sed caput naturale corporis humani est eiusdem naturæ cum membris; ergo Christus dicitur Caput Ecclesiæ; prout eiusdem naturæ cum membris Ecclesiæ; atqui membra Ecclesiæ sunt homines; ergo Christus, vt homo, est Caput Ecclesiæ. 3. Christus factus est Caput Ecclesiæ; non enim priùs erat caput Ecclesiæ; sed factus est homo, non Deus; nam Deus erat, non homo; ergo idem. 4. De ratione capitis est influere instrumentaliter in membra; caput enim, vt dictum est, instrumentum est animę; sed Christus tantùm, vt homo, non vt Deus, potest habere rationem instrumenti; quia de ratione instrumenti est subordinari agenti principali, eleuari, & agere per virtutem ab agente principali receptam, quæ nequeunt Deo conuenire, & homini non repugnant, vt est per se notum; ergo idem.

9 Dices. 1. Caput corporis naturalis est membrum corporis; sed Christus, vt homo, nequit esse membrũ Ecclesiæ; vt docet *D.Tho. in 3. dist.* 13. *q.* 7. *art.* 1. *ad* 6; & deducitur *ex Apost.* 1. *Cor.* 11; vbi postquam dixit, quòd Christus est *Caput omnis viri*; quod intelligitur de Christo, vt homo est; subdit, quòd *Caput Christi Deus est*; quòd nequit accipi nisi de Christo, vt homo est; quia Christus, vt homo, est inferior Patre, non vt Deus. 2. Influens spiritus vitales in membra est cor, non caput; ergo Christus magis propriè dicendus est Cor Ecclesiæ, quàm Caput.

Resp. ad 1. dist. ma. Caput corporis est membrum in eo, quod caput, neg; in eo, quòd humorẽ accipit ab alijs membris, conc; Christus autem habet præcisè rationem Capitis Ecclesiæ, quia solùm influit gratiam in membra, quæ in illum non influunt. Ad *Apost.* dicitur, quòd humanitas Christi recipit gratiam à Deo, ideo in hoc sensu Deus est Caput Christi, vt homo est. Ad 2. dicitur *cum D. Tho.* cor influere occultè solùm, & ideo Cor Ecclesiæ appropriatè dici de Spiritu Sancto, qui inuisibiliter Ecclesiam viuificat. Caput verò nedum occultè per internum influxum, sed etiam visibiliter per influxum externum membra gubernat; & ideo magis propriè dici de Christo.

10 Prob. 2. pars concl. Per illud Christus constituitur formaliter in ratione Capitis Ecclesiæ, quatenus est instrumentum influens in membra Ecclesiæ, quod per virtutem alienam non per propriam producit id, quod influit in membra Ecclesiæ, hoc enim est de essentia instrumenti, vt patet; sed gratia habitualis est huiusmodi; nam gratia habitualis Christi nequit virtute propria effectiuè producere gratiam habitualem in alijs hominibus, quæ à solo Deo est effectiuè producibilis; sed tantùm illam producit, quatenus coniungitur supposito Diuino, quod habet virtutem illam producendi efficienter; ergo per gratiam habitualem, tanquam per causam instrumentalem Christus constituitur formaliter in ratione Capitis Ecclesiæ. 2. Per illud constituitur Christus formaliter in ratione Capitis, quatenus Caput instrumentaliter influit, per quod agit in membra Ecclesiæ; influere enim est agere; sed per solam gratiam habitualem Christus influit in membra Ecclesiæ, quia sola gratia habitualis, est principium formale agendi; ergo per solam gratiam habitualem Christus constituitur formaliter in ratione Capitis, quatenus caput instrumentaliter influit. 3. Per illud Christus constituitur formaliter Caput Ecclesiæ, quatenus habet instrumentaliter influere in membra, per quod formaliter habet satisfacere pro debito, quod habent Ecclesiæ membra; & per quod habet formaliter eos redimere à peccato, quo facti erant Diaboli membra; & per quod formaliter illis meruit gratiam adoptiuam, qua ad filiationem Dei transferuntur; ad hæc enim, vt constat influxus Christi terminatur; sed sola gratia habitualis est ratio formalis instrumentalis satisfactionis, redemptionis, & meriti adoptiuæ filiationis; quia sola gratia habitualis est principium formale *quo* operandi; quod, prout coniungitur cum gratia vnionis, eleuatur ad producendam gratiam habitualem in membris; ergo idem.

11 Prob.

11 Prob. 3. pars concl; & declaratur magis 2. pars. De ratione capitis nedum est habere virtutem sibi propriam, qua suas operationes exercet, sed etiam deferre actionem principalis agentis, quod est anima, in cuius virtute agit; sed virtus propria humanitatis, vt humanitas est, est sola gratia habitualis; & actio, per quam humanitas Christi communicat membris Ecclesiæ gratiam habitualem, est propria solius Diuinitatis per gratiam vnionis humanitati hipostaticè vnitæ; ergo de ratione constitutiua Christi in ratione Capitis Ecclesię nedum est gratia habitualis, sed etiam gratia vnionis. Prob. ma. Caput essentialiter est instrumentum animæ; non enim potest agere, nisi eleuetur per coniunctionem ad animam; sed instrumentum nedum importat virtutem sibi propriam, sed etiam actionem principalis agentis; vt calor importat calefactionem, quę illi propriè conuenit; & ignitionem, quæ est actio formæ ignis; ergo de ratione capitis est habere virtutem sibi propriam, per quam exercet suas operationes,& deferre actionem principalis agentis,quod est anima. Prob. mi. Illa virtus est propria Christo, vt homo est, quæ illi conuenit ratione humanitatis; & illa est ei propria, vt Deus est, quæ illi conuenit ratione Diuinitatis; sed gratia habitualis conuenit Christo ratione humanitatis, quæ sola est subiectum per illam eleuatum; non enim potest ei conuenire ratione Diuinitatis, quæ ineleuabilis est; & gratia vnionis ei conuenit ratione Diuinitatis, quæ dicitur vnita; & quæ habet physicè agere in membra Ecclesiæ producendo in illis gratiam habitualem; nam si Christus Deus non esset (inquit S. P. *Aug. vbis.*) *vitam*, idèst gratiam habitualem, quæ est vita supernaturalis, *palmitibus*, idèst membris Ecclesiæ, *non praberet*; ergo virtus propria humanitatis, vt humanitas est, est sola gratia habitualis; & actio propria, per quam gratia habitualis communicatur membris Ecclesiæ, est propria solius gratiæ vnionis, per quam humanitati vnitur Diuinitas, quæ sola habet physicè producere gratiam. 2. Illud est constitutiuum essentiale alicuius, sine quo res nec esse, nec intelligi potest; sed sine gratia habituali, & sine gratia vnionis Christus non potest esse, nec intelligi Caput Ecclesiæ; ergo gratia habitualis, & gratia vnionis sunt constitutiuum essentiale Christi in ratione Capitis Ecclesiæ. Ma. est definitio constitutiui essentialis. Mi. prob. Si Christus non haberet humanitatem eleuatam per gratiam habitualem, non esset Caput Ecclesiæ; quia non esset eiusdem naturæ cum membris, quod est de ratione Capitis per analogiam ad caput naturale; si autem non esset Deus, non posset gratiam habitualem transferre in membra, quia non posset illam nillis producere; implicat enim, quòd transferatur non producta; quia non productum nihil est (loquendo de creatura, cui soli conuenit produci,) & sic nihil transferretur; ergo sine gratia habituali, & sine gratia vnionis Christus nequit esse, neque intelligi Caput Ecclesiæ. 3. In tantùm Christus, vt homo, est Caput Ecclesiæ, in quantùm ipsi meruit gratiam habitualem, per quam solùm membra Ecclesiæ possunt viuere in Christo; sed in tantùm meruit gratiam habitualem membris Ecclesiæ, in quantùm habuit in se ipso gratiam habitualem, quæ sola est principium formale proximum meriti; & in quantùm in ipso fuit gratia vnionis, quæ sola est principium radicale, quo potuit membris Ecclesiæ gratiam *habitualem* mereri; etenim purus homo, quantauis gratia habituali insignitus, nequit mereri alteri gratiam habitualem, quia hæc nequit cadere sub merito finito, bene tamen sub merito infinito, quod habet infinitatem solùm à gratia vnionis; vt diximus *to.* 4. *de grat. q.* 5. *art.* 4; ergo in tantùm Christus, vt homo, est Caput Ecclesiæ; in quantùm fuit in illo gratia habitualis, & gratia vnionis; & per consequens nedum gratia habitualis, sed etiam gratia vnionis essentialiter requiritur ad constituendum Christum in ratione Capitis Ecclesiæ; & non tantùm de connotato, & in obliquo.

12 Sententia autem *P. Gibb.* potest substineri, si explicetur, quòd gratia habitualis concurrat, vt principium formale *quo* ad meritum, tanquam ad effectum sibi proprium; & ad extensionem gratiæ in membra formaliter instrumentaliter, vt *quo*, tanquam ad actionem principalis agentis, quod est Deus; non autem quòd concurrat ad illam, tanquam ad proprium effectum; vt calor concurrit ad actionem ignefactiuam instrumentaliter, tanquam ad actionem propriam principalis agentis, non autem tanquam ad actionem sibi propriam, quæ est tantùm calefactio. Gratia autem vnionis concurrat radicaliter ad meritum,quod est effectus gratiæ habitualis; & ad extensionem principaliter eo modo, quo agens principale dicitur cōcurrere radicaliter ad actionem propriam sui instrumenti; vt ignis ad calefactionem; & principaliter ad actionem sibi propriam; vt ignis ad ignefactionem. Si autem alio modo explicetur, non videtur posse substineri, & rationabiliter defendi.

13 Dices. Gratia habitualis est causa formalis vitalis; sed implicat causam formalem vitalem esse causam instrumentalem; ergo ruit allata doctrina.

Resp. dist. mi. Implicat causam formalem vitalem esse causa instrumentalem per ordinem ad actus sibi proprios; vt oculus ad visionem,conc; per ordinē ad actus alienos, neg.

14 Obijc. 1. cont. 2. part. concl. Christus nedum communicat membris Ecclesię gratiam habi-

habitualem, sed etiam habitum charitatis, & cetera dona; ergo constituitur Caput nedum per gratiam habitualem, sed etiam per habitum charitatis, & cetera dona; & sic ruit prima ratio. 2. Nedum gratia habitualis, sed etiam habitus charitatis &c. constituunt Christum potentem elicere actus supernaturales satisfactorios; imò per istos immediatiùs constituitur; ergo idem; & sic ruit 3. ratio. 3. Christus, vt homo, adhuc esset Caput Ecclesiæ, etiansi non haberet gratiam habitualem; quia per auxilia supernaturalia per modum dispositionis transeuntis potuisset elicere actus supernaturales meritorios vitæ æternæ, & satisfactorios pro offensis totius generis humani; ergo idem. 4. Illa est gratia Capitis in Christo, quæ est prior, perfectior, & quæ illud constituit potentem influere in membra; ad rationem enim capitis requiritur prioritas, eminentia super membra, & influxus in illa; sed gratia vnionis, non habitualis, est huiusmodi; quia gratia vnionis supponitur ad gratiam habitualem, tanquam natura ad proprietatem, & ideo est prior; & est perfectior, quia eminentior est sanctitas substantialis, quàm accidentalis; & est ratio influendi gratiam habitualem in membra, vt dictum est; ergo Christus constituitur Caput per solam gratiam vnionis. 5. Gratia habitualis Christi, & nostra sunt eiusdem rationis; sed nostra nequit constituere Caput Ecclesiæ, aliter purus homo posset esse Caput Ecclesiæ; ergo neque illa. 6. Ideo gratia habitualis constituit Christum Caput Ecclesiæ, quia influit in actus meritorios, quibus Christus satisfecit pro nobis; sed satisfactionis ratio est gratia vnionis; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. ant. Communicat etiam habitum charitatis, & cetera dona per modum proprietatis ipsius Capitis, conc; per modum naturæ ipsius Capitis, neg; natura enim est id, quod primò est in re; & sic gratia habitualis, quæ est primò in re, quia ab ipsa fluit habitus charitatis, & cetera dona, est natura ipsius Capitis. Ad 2. eodem modo dist. ant. Etiam habitus charitatis constituit potentem operari per modum naturæ, neg; per modum proprietatis, conc. Ad 3. neg. ant; vt diximus *art. 2. à nu. 8*; actus enim per modum dispositionis transeuntis non sunt meritorij vitæ æternæ, nisi dispositiuè; in quantùm disponunt ad gratiam habitualem, quæ est principium meriti. Et quanuis in Christo sit gratia vnionis; attamen quia hæc est tantùm principium *quod* radicale remotum ipsius meriti; & implicat principium radicale habere operationem propriam principij formalis proximi sine ipso principio formali; vt constat de anima rationali, & intellectu; ideo sine gratia habituali Christus non posset habere actus meritorios, qui sunt à gratia habituali, vt à principio proximo. Ad 4. dist. ma. Gratia Capitis in genere causæ principalis productiuæ, conc; instrumentalis, neg; sufficit enim, quòd causa instrumentalis sit prior, & perfectior inter omnes alias gratias instrumentales, & quòd possit influere per virtutem alienam, nō per propriam, vt dictum est. Ad 5. dist. ma. Gratia Christi, & nostra sunt eiusdem rationis, quatenus gratia est, conc; quatenus Capitalis est, neg; & dist. mi. Nostra non sufficit ad constituendum Caput, si esset in ea plenitudine, in qua est gratia Christi; & aliunde supponeret in nobis gratiam vnionis, neg; secus, conc. Gratia igitur Christi est eiusdem rationis cum nostra, sed inæqualis; & ideo quia in nobis non est cum plenitudine omnium gratiarum, nequit constituere Caput; *sicut* enim *in capite* (inquit *S. P. Aug. ep. 57. ad Dardanum*) *sunt omnes sensus*; *ita in Christo sunt omnes gratiæ*; vnde cùm in nobis non sit plenitudo omnium gratiarum, gratia in nobis nequit esse constitutiua Capitis in genere causæ instrumentalis, & aliunde deficit gratia vnionis, quæ requiritur in genere causæ efficientis principalis. Ad 6. eodem modo dist. ma. Constituit Caput in genere causæ instrumentalis, con; in genere causæ formalis, neg.

15 Obijc. 2. cont. 3. part. concl. Illa est gratia constitutiua Capitis, quæ reddit Christum formaliter potentem influere in membra Ecclesiæ; sed sola gratia habitualis, non gratia vnionis, est huiusmodi; quia sola gratia habitualis constituit potentem connaturaliter elicere entitatem actuum liberorum connaturaliter; nam gratia vnionis ordinatur ad esse, non ad operari; tum quia gratia vnionis solùm moraliter, non physicè dignificat actus meritorios Christi Domini; ergo gratia habitualis, non gratia vnionis constituit Christum Caput Ecclesiæ. 2. Gratia Capitis influit in membra per meritum, & satisfactionem; sed sola gratia habitualis est huiusmodi; ergo idem. 3. Ad rationem Capitis tres conditiones requiruntur formaliter, scilicet prioritas, eminentia, & influxus; sed hæ conditiones conueniunt gratiæ habituali Christi, quæ est prior gratia ceterorum hominum, & est perfectior, cùm sit plena; & influit moraliter, quia illam illis meretur; ergo idem.

Resp. ad 1. eodem modo neg. ma. Ad prob. mi. dicitur, quòd gratia habitualis constituit Christum, vt hominem, potentem elicere entitatem actuum supernaturalium in genere causæ formalis intensiuè, non autem extensiuè ad alia membra. Ad aliud dicitur gratiam vnionis ordinari ad esse suppositando naturam; natura autem suppositata est principium *quod* operationis; non autem ordinari ad esse, tanquam principium formale *quo* operationis in genere causę formalis, sicut ordinatur gratia habitualis, quæ est ratio formalis *qua* ope-

operandi. Ad alteram dicitur pro nunc, quòd licèt actus meritorij Christi Domini tantùm moraliter influant gratiam in membra Ecclesiæ, & ob hoc Christus sit tantùm Caput morale; attamen natura humana Christi Domini physicè vnitur Diuinitati, quæ physicè producit gratiam in omnibus Ecclesiæ membris. Ad 2. neg. mi; nam gratia habitualis influit in membra ratione gratiæ vnionis, vt dictum est. Ad 3. neg. 3. pars mi; nam gratia habitualis non influit ratione sui, sed ratione gratiæ vnionis.

§. I.

An Christus sit Caput omnium hominum?

16 Ostendimus Christum esse Caput Ecclesiæ; modò declarandum est, quænam sint Ecclesiæ membra, vt sciamus, quorum Christus sit Caput. Loquimur autem nedum de Ecclesia militante, sed etiam de triumphante, quæ componitur nedum ex hominibus beatis, sed etiam ex Angelis sanctis, qui constituunt vnam sanctam ciuitatem cœlestem *Hierusalem*, vnam societatem summa charitate coniunctam, & vnum Ouile Ouium electarum ad Regnum; vt fusè ostendit *S.P. Aug. in lib. de Ciu. Dei*; vnde quæritur *hìc*, an, & quomodò Christus sit Caput omnium hominum, & Angelorum? Vt autem distinctè procedamus, *in hoc* §. agimus de Ecclesia militante, quę constat ex solis hominibus viatoribus pro Regno Dei certantibus contra spiritus superbiæ, & potestates tenebrarum acturi *in seq.* de Ecclesia triumphante, quæ componitur ex hominibus, & Angelis beatis Regno Dei fruentibus.

17 *Turrecrem. lib. 1. Summæ c. 8. ad 7; & c. 11. ad 6. & Can. lib. 4. de Loc. Theol. c. vlt. ad 9.* arbitrantur Christum esse Caput tantùm iustorum, non peccatorum, quanuis fidelium.

18 E contra verò *Alphon. de Castro lib. 2. de iusta Hæreticor. punit. cap. 24; & Caiet. to. 1. Opusc. cap. 22.* volunt esse actu Caput fidelium, & infidelium baptizatorum, licèt sint hæretici, & schismatici manifesti. *Petr. de Soto in confess. Cathol; & in Apolog. pro ead. confess. q. 1. c. 11; Bellarm. lib. 3. de Eccl. c. 10; Viger. 2. 2. de Eccl. p. 2. c. 20.* volunt hæreticos occultos esse membra Ecclesiæ.

19 Ampliùs voluit *Orig. lib. 1. Periarch. hom. 1. in Leuit; & hom. 24. in Numer*; vbi dixit omnes damnatos etiam Dęmones in fine Mundi esse conuertendos, & Christi meritis saluandos; adeoque esse membra Christi in potentia; vt refert *Beatiss. P. Aug. de Ciu. Dei lib. 21. cap. 17. Alij apud eundem ibid. cap. 18.* voluerunt omnes homines precibus SS. esse liberandos. *Alij ibid. c. 19.* solos illos, etiam hæreticos, qui per baptismum membra semel fuerunt corporis Christi. *Alij* solos eos, qui apud Catholicos baptismo sunt regenerati; *ibid. c. 20. Alij* illos tantùm, qui semper manserunt in fide Catholica, quanuis pessimè vixerint; *ibid. c. 21. Alij* tandem eos, qui fecerint misericordiam; *ibid. cap. 22.*

20 Communis tamen sentẽtia docet damnatos non esse Christi membra actu, nec in potentia, & viatores infideles siue non baptizatos, siue baptizatos non esse actu, sed tantùm in potentia Ecclesiæ, & Christi membra; fideles autem siue iustos, siue peccatores, siue electos, siue reprobos, seruantes tamen Ecclesiæ vnitatem esse actu Christi membra.

21 Diximus *seruantes Ecclesiæ vnitatem* propter schismaticos, qui sunt fideles, quia fidem retinent, vt docet *D. Tho. 2. 2. q. 39. art. 1. ad 3*; nam schisma definitur *à S. P. Aug. cont. Cresc. on. lib. 2. c. 7. recens congregationis ex aliqua sententiarum diuersitate dissensio; hæresis autem inueteratum schisma dicitur*; vnde schismatici propriè dicuntur illi, qui omnia credunt definita ab Ecclesia, aliter si non crederent omnia, essent hæretici, non schismatici; in aliqua tamen, vel in aliquibus sententijs non definitis se separant à communi sensu Ecclesiæ, & nolunt obedire Episcopo, nec Summo Pontifici, cuius definitione postea accedente, si maneant peruicaces in eorum sententia, fiunt hæretici; propter quod schisma dicitur *recens dissensio*; & hæresis *inueteratum schisma*; hinc *D. Hier. in ep. ad Tit. cap. 3.* ait, quòd nullum est schisma, quod aliquam non inuehat hæresim. Quanuis ergo schismatici habeant fidem, quia credunt omnia, quæ credimus nos; vt inquit *S. P. Aug. de Fide, & Symb. c. 10*; & ideo licèt à nobis non separentur fide, separantur tamen à nobis fraterna charitate, quia in odium Episcoporum, & fidelium congregantur ad diuersè sentiendum, & abscinduntur à nobis.

22 Vnica concl. Damnati existentes in termino non sunt actu, nec potentia Ecclesiæ membra; nec eorum Caput, sed tantùm Iudex est Christus; viatores tamen infideles, siue non baptizati, siue baptizati, vt hæretici, quibus adduntur etiam schismatici, quanuis actu non sint Christi membra, sunt tamen in potentia; fideles verò siue iusti, siue peccatores, etiam excommunicati, siue electi, siue reprobi, seruantes tamen Ecclesiæ vnitatem sunt actu Ecclesiæ membra; beati tandem in patria, & iusti in via sunt perfectissima Ecclesiæ membra; & illorum perfectissimo modo Caput est Christus.

Prob. 1. pars concl. *ex Matth. 15. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius; & Apoc. 10. Cruciabuntur die, ac nocte in sæcula sæculorum*: super quod *S.P. Aug. vbi s. c. 23.* inquit: *Quod ibi dictum est æternum, hìc dictum est in sæcula sæculorũ.*

Quibus

Quibus verbis nihil Scriptura Diuina significare consueuit, nisi quod finem non habet temporis. & *Matth. 12. Eis non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro;* & *Matth. 15. Ibunt isti in supplicium æternum; iusti autem in vitam æternam.* Ex quo arguit *S.P.Aug. vbis. c.24;* quòd si liceret dubitare de æternitate pœnarum, liceret etiam dubitare de æternitate gloriæ; quia æternitas vtriusque *in Scripturis* statuitur: *Nimiæ præsumptionis est dicere, cuiquam eorum æternum supplicium non futurum, quos Deus ituros in supplicium dicit æternum, & per eius præsumptionis persuasionem facere, vt de ipsa quoque vita, vel desperetur, vel dubitetur æterna.* Ex quibus sic. Illud est membrum Ecclesiæ actu, vel potentia, in quod Christus actu influit, vel potest influere gratiam, vt diximus *in sup. art;* sed in Damnatos Christus actu non influit, nec potest gratiam influere; aliter damnati non essent; nam damnati sunt illi, qui infernalibus pœnis sunt in æternum addicti, vt ex allatis *textibus* apertè colligitur; cum quibus pœnis est incompossibilis Christi gratia, quæ ab illis liberat, & redimit; ergo damnati nec actu, nec potentia sunt membra Ecclesiæ.

23 Opponunt *Origenistæ 1.ps.76. Nunquid obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas?* Sed ira Dei est punire æterno supplicio indignos beatitudine æterna; ergo continentia miserationis in ira est liberare ab æterno supplicio. 2. *Ion. 3.* dixit Deus euersurum se *Niniuem*, quæ tamen euersa non est; quod rectè comminatoriè intelligitur, quia licèt ea Ciuitas digna erat euersione; attamen ipse eam euersurus non erat; ergo quanuis dixerit: *Ite in ignem æternum;* quia digni sunt æterna damnatione; attamen non est in æternum damnaturus. 3. *Rom. 11.* dicitur: *Conclusit enim Deus omnes in infidelitate, vt omnium misereatur;* ergo nullus ab ipso damnabitur, aliter non omnium misereretur. 4. *Io.6.* habetur: *Hic est panis de Cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur;* ergo qui semel ex ipso manducauerit, vitam æternam aliquando consequetur. 5. *Vnus panis (1.Cor.10.) vnum corpus multi sumus;* ergo qui semel per baptismum fuerunt in corpore Christi, vitam consequentur per Christum. 6. *ibid.3. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus; si quis autem ædificauerit supra fundamentum hoc;* concludit *Apost; saluus erit, sic tamen, quasi per ignem;* ergo qui semel fuit Christianus, quanuis supra hoc fundamentum superædificauerit *ligna, fœnum, stipulam,* idèst mala opera; attamen postquam purgatus fuerit per ignem, saluabitur. 7. *Iac. 2. Iudicium autem sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam;* ergo qui facit eleemosinis misericordiam, misericordiam inueniet, vt aliquando liberetur à pœnis; & *Matth.6. Dimitte nobis debita nostra; sicut & nos dimittimus debitoribus nostris;* quisquis autem dimittit iniuriam, procul dubio eleemosinam facit ei, qui in eum peccauit; ergo & ei aliquando dimittetur peccatum, quod in Deum commisit, etiamsi cum illo mortuus fuerit.

Ad 1. resp. *S.P.Aug. vbis. cap.24.* illud *ps.* verificari de ijs, qui in vita præsenti sunt *vasa misericordiæ, & filij promissionis;* de quorum numero erat Propheta, qui loquebatur; propterea subdit: *Ecce nunc cœpi; hæc est immutatio dexteræ Excelsi;* quibus verbis clarè explicat non continentiam misericordiæ in hac vita mortali, quæ pariter plectitur ira Dei tot malis, quæ illam afficiunt, circa vasa misericordiæ, vt erat Propheta; non autem in æterna vita futura circa vasa iræ, & filios perditionis, vt sunt damnati. Vel si etiam de filijs perditionis in alia vita intelligendum est; sic accipi debet, *vt manente ira Dei in illis, quæ in æterno est prænunciata supplicio, faciat eos non tanta, quanta digni sunt pœnarum atrocitate cruciari.* Sic enim non continet in ira miserationes suas. Ad 2. ait *ibid.* quòd euertũtur peccatores duobus modis; aut cùm ipsi destruuntur propter peccata; vt *Sodomitæ;* aut cùm ipsa destruuntur peccata; vt *in Niniuitis.* Prophetia ergo impleta est: *Euersa est enim Niniue, quæ mala erat, & bona ædificata est, quæ non erat.* Ad 3. ait *ibid;* quòd sermo est de omnibus in hac vita præsenti, non in futura; loquebatur enim *Apost. de Iudæis, & Gentilibus,* quibus omnibus misericordiam in hac vita promittebat. Ad 4. resp. *cap.25;* quòd *idem Apost. ad Gal.5.* ijs, qui manducabant Christi corpus, qui tamen opera carnis faciebant, *quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria &c.* inquit: *Qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt.* Illi ergo, qui manducant corpus Christi, & manent in corpore Christi, fidem eius seruando, *quæ per dilectionem operatur,* non morientur; aliter hæresiarchæ meliorem haberent causam, quàm illi, qui nunquam fuerunt catholici; *cùm tamen peior sit desertor fidei, & ex desertore oppugnator eius effectus, quàm ille, qui non deseruit, quam nunquam tenuit;* & sic peior non puniretur, vel non ita puniretur, sicut minùs malus; quod rectæ repugnat iustitiæ. Ad 5. resp. *ibid.* eodem modo vnum corpus Christi nos esse fidem seruando, & bene per eam operando. Ad 6. resp. *cap.26. Nihil in ædificio præponitur fundamento. Quisquis itaque sic habet in corde Christum, vt ei terrena, & temporalia, nec ea, quæ licita sunt, atque concessa, præponat, fundamentum habet Christum. Si autem præponat, etsi videatur habere fidem Christi, non est tamen in eo fundamentum Christus, cui talia præponuntur; quantò magis si salutaria præcepta contemnens committat illicita?* Clarè hoc habetur *Iac. 2. Si quis dicat se fidem*

dem habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides saluare eum? Ergo non sufficit semel fuisse Christianum, vt saluetur. Illi autem qui dicuntur saluari purgati per ignem, sunt electi, qui non admittentur ad Dei regnum, nisi per ignis vsturam priùs purgentur à maculis peccatorum iam in hac vita remissorum. Ad 7. resp. *cap. 27. Si Christiano esurienti panem, tanquam Christo, darent; profectò sibi panem iustitiæ, quod ipse Christus est, non negarent; quoniam Deus, non cui detur, sed quo animo detur, attendit. Qui ergo Christum diligit in Christiano, hoc animo ei porrigit eleemosinam, quo accedit ad Christum, non quo vult recedere impunitus à Christo.* Quamobrem qui facit eleemosinam, purgatur à peccatis; si animo, vt sibi dimittantur peccata commissa, id facit; non autem si animo peccandi de cętero; & si eam Christo offerat, vt sibi peccata dimittat; nam *Matth.* 10. habetur: *Qui recipit Prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet.* Non habet autem intentionem, vt sibi dimittantur peccata, qui intendit noua peccata committere. Item si eleemosinam ita alteri faciat subleuando alienas corporales miserias, vt etiam sibi eleemosinam petat, qua subleuetur à miserijs spiritualibus, quæ sunt peccata. Qui ergo sic non facit eleemosinam, iudicium sine misericordia est illi. Ad aliud maximam eleemosinam sibi facere, qui orat sibi dimitti peccata; propterea subditur *in orat. Domin. Et ne nos inducas in tentationem*, peccatorum scilicet, quibus ad summam miseriam adigimur.

24 Prob. 2. pars concl. *ex 1. Cor. 5. Quid de mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare?* Nomine autem eorum, *qui foris sunt*, communiter SS. *PP.* intelligunt infideles, quos ait *Apost.* esse extra Ecclesiam, & ideo ad Ecclesiam non pertinere eorum iudicium, sed ad Deum; *& 1. Io. 2. Ex nobis prodierunt, quia non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum;* quod de hæreticis dici testatur *S. P. Aug. tr. 61. in Io; & alibi; & Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut ethnicus, & publicanus;* quod rectè de schismaticis potest exponi, qui Prælatis repræsentãtibus Ecclesiam non obediunt; ethnici autem, & publicani sunt extra Ecclesiam, vt diximus, quia sunt infideles; & tamen *Apost.* loquebatur de eo, qui est intra Ecclesiam, quia loquebatur de fratre, qui nobiscum regeneratus est per baptismum à Matre Ecclesia, & ideo dicitur noster frater, quia eum peperit Mater nostra; *& S. P. Aug. de fide, & symb. cap. 10. Hęretici, & schismatici congregationes suas vocant Ecclesias; sed hęretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant; schismatici autem scissionibus iniquis à fraterna charitate dissiliunt, quanuis ea credant, quę credimus. Quapropter nec hęreticus pertinet ad Ecclesiam catholicam, quę diligit Deum; nec schismaticus, quoniam non diligit proximum.* Arguitur autem sic. Illud, in quod actu non influit Christus, potest tamen influere, est membrum Ecclesiæ tantùm in potentia, non actu; sed infideles non baptizati, hæretici, & schismatici sunt huiusmodi; ergo non sunt Ecclesiæ membra. Ma. constat; quia sicut de ratione Capitis est influere in membra; ita de ratione membri est recipere influxum à Capite; hæc enim sunt correlatiua. Prob. mi. Ad hoc, vt in aliquod membrum influat Caput, debet esse vnitum corpori suo; caput enim non influit in membra discissa à corpore, vt claret; sed corpori mystico Christi, quod est Ecclesia, non sunt vniti infideles non baptizati, quia non vniuntur, *nisi* quatenus concipiuntur in fide Christi, & renascuntur per baptismum, quem non habent infideles non baptizati; hinc *S. P. Aug. lib. de bapt. cont. Donat. cap.* 15. *Ecclesia quippe omnes per baptismum parit, siue apud se, idest de vtero suo, siue extra se, de semine viri sui; siue de se, siue de ancilla*; quod habet etiam *Flor. in instruct. Armenor*; nec hæretici siue publici, siue occulti; quia licèt semel vniti fuerint per baptismum; attamen amittendo fidem in baptismo acquisitam separati sunt ab Ecclesia; fides enim est anima corporis vniens membra ipsius; & quanuis quando sunt occulti, communicent in externa professione fidei, & sacramentis; hoc tamen non sufficit ad hoc, vt sit membrum Ecclesiæ, quia fictio nequit esse ratio veritatis; aliter *paganus*, vel *Iudæus* simulans professionem fidei esset verum membrum Ecclesiæ, quod nullus diceret; nec tandem schismatici; quia licèt fidem retineant, suis tamen scissionibus se separarunt à corpore; vnde habent animam diuisam ab anima totius Ecclesiæ; veluti pars lucertæ separata à corpore retinet animam, seu partem animæ separatam ab anima sui corporis; fides enim est diuisa in omnes fideles, quia sunt diuersa subiecta, in quibus recipitur; & fit moraliter vna, quatenus omnes moraliter vniuntur ad consentiendum ijs, quæ à Prælatis Ecclesiæ omnibus proponuntur; vnde *S. P. Aug. vbis.* docet, *quòd sicut Esau de vxore natus propter fraternam discordiam separatus est à populo Dei*; ita quanuis schismatici sint nati de Ecclesia; tamen propter dissensionem ab alijs fidelibus simul sumptis sunt separati à corpore Ecclesię; & ideo ad hoc, vt aliquis sit verum Ecclesiæ membrum, requiritur nedum fides, sed & vnio in consentiendo cum alijs fidelibus; ergo Christus actu non influit in infideles non baptizatos, hæreticos publicos, siue occultos, & schismaticos. Attamen potest in illos influere, quia potest illos internè mouere ad suscipiendum baptismũ in Ecclesia; & hos ad redeundum ad Ecclesiam suos eiurando errores; & ideo est eorum Caput tantùm in potentia, non in actu.

25 Dices.

25 Dices. Cathechumeni sunt infideles non baptizati, & tamen sunt membra Ecclesiæ; quia se disponunt ad baptismum; imò si moriantur ante baptismum, indubiè saluantur; vt ait *D. Ambr. orat. de obitu Valentiniani*; quem dicit esse in statu salutis, licèt Cathecumenus ex hac vita migrauerit.

Resp. *S. P. Aug. lib. 2. de Symb. ad Catechumenos c. 1.* esse membra Ecclesiæ iam concepta, non renata, quia non renascuntur, nisi per baptismum; saluari tamen, si habeant baptismum in voto, qui est baptismus flaminis; & sic fuisse saluatum *Valentinianum* docet *D. Ambr*; per baptismum autem flaminis fit membrum Ecclesiæ. Si autem non habeant baptismum in voto, sed solùm scire quærant, quænam sit vera fides, nec adhuc firmiter credant titubantes, ac vacillantes in fide, manent in suis peccatis, vt docet *S. P. Aug. vbis. lib. 1. c. 6.*

26 Inst. *Caiet.* Hæretici baptizati, confirmati, & ordinati habent caracteres, qui sunt indelebiles, per quos Christus influit in illos; ergo sunt Christi membra. 2. Habent auxilia sufficientia supernaturalia sibi influxa ex meritis Christi, quibus possunt ad fidem reuerti; ergo idem. 3. Ecclesia habet potestatem illos puniendi; sed Ecclesia non habet potestatem puniendi eos, qui sunt extra illam; quia non habet potestatem puniendi paganos, vt diximus *ex 1. Cor. 5*; ergo idem. 4. *Bellarm.* Summus Pontifex in occultam hæresim lapsus adhuc esset Caput visibile Ecclesiæ; non enim iurisdictione priuatur, nisi cùm se ab Ecclesia publicè separat, ac de hæresi conuictus separatur; vt habetur *c. Audiuimus 24. q. 10*; & vt docent *Caiet*; *Sot*; *Can*; *Sua. de fide disp. 10. sect. 6*; *Bellarm*; *& alij Theologi communiter*. Imò nedum esset caput visibile quoad iurisdictionem externam, sed etiam quoad influxum internum, quia influeret instrumẽtaliter gratiam, & alios effectus sacramentorum; nec non dona spiritualia indulgentiarum, priuilegiorum &c; ergo idem.

Resp. ad 1. non sufficere caracterem ad esse membrum Ecclesiæ; aliter Christianus damnatus, in quo est caracter, esset membrum Ecclesiæ. Nec ex eo, quòd hæreticus habeat caracterem, deducitur Christum actu influere in illum, sed tantùm in illum influxisse, dum baptizaretur; sicut ex eo, quòd manus præcisa à corpore habeat figuram membri humani, arguitur animam in illam influxisse, non tamen actu influere. Neg. igitur cons. Ad 2. dist. ant. Habent auxilia, quæ disponunt, vt fiant Ecclesiæ membra, conced; quæ efficiunt formaliter membra Ecclesiæ, neg; nam Ecclesia etiam dicitur *domus Dei constructa ex viuis lapidibus*; vt docet *S. P. Aug. lib. 7. cont. Donatist.* Sicut ergo cùm disponuntur lapides, adhuc non sunt partes domus, nisi cùm simul iunguntur, & coaptantur suis locis; ita à pari. Ad 3. dist. mi. Ecclesia non habet potestatem puniendi eos, qui sunt extra illam, nec exierunt ab illa, conc; qui sunt extra illam, & exierunt ab illa, vt sunt hæretici, & schismatici, neg. Punit ergo illos tanquam rebelles; paganos autem nequit punire, quia nunquam sub eius potestate fuerunt. Ad 4. resp. *noster Gibb.* esse Caput visibile Ecclesiæ quoad externam, & visibilem iurisdictionem, non quoad formam Ecclesiæ, quæ est fides. Sed quomodò potest esse verum Caput, quod est sine anima, cùm fides ex sententia *omnium DD.* sit Summi Pontificis anima? Esset ergo Caput secundùm apparentiam, non secundùm realitatem; sicut homo mortuus, vel pictus apparet homo, & tamen non est homo. Hoc tamen non obstante omnes actiones, quas efficeret, dum esset eius hæresis occulta, essent validæ, per fidem, & iurisdictionem existentem in Ecclesia, cui assistit Spiritus Sanctus, non in ipso; sicut vacante Sede potestas Papalis est in Ecclesia, vt diximus *cum Fund. Doct. to. 4. de fide q. 4. . 3. n. 28*; sic tunc vacaret Sedes, & Pontifex putatus fidelis, hæreticus tamen, proferret propositiones ex potestate, non in ipso existente, sed in Ecclesia; sicut Secretarius profert propositiones, non per potestatem existentem in ipso, sed in alio; tunc enim Pontifex esset Caput prorsus extinctum, quia sine anima; & ideo merè inanimitèr se haberet ad illas propositiones, velut instrumentum inanime, quo non repugnat vti Spiritum Sanctum. Præterea dicitur casum esse purè metaphysicum, nam Christus *Luc. 22.* efficaciter orauit pro fide *Petri*, quæ manet in successoribus, vt non deficiat; & si daretur verus Pontifex, qui esset hæreticus, Christi cassaretur oratio, quod implicat. Admisso igitur casu, quo Pontifex laberetur in hæresim, statim manifestaret suam hæresim, & sic deponeretur. Ad aliud dicitur Pontificem non regere Ecclesiam per influxum internum, ipse enim non inspirat gratiam, sed tantùm per externum, quia tantùm exhibet signa sensibilia, ad quæ Deus infundit gratiam, & in hoc differt Papæ potestas à potestate Christi, qui regit Ecclesiam per influxum externum, & internum, vt diximus *to. 4. vbis. art. 1. n. 11.*

27 Prob. 3. pars concl. *ex parabola Matth. 13. Simile factum est Regnum Cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo.* Cùm autem simul cum tritico creuissent zizania, Dominus agri volentibus eradicare zizania dixit: *Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum*; & inf. *Simile est Regnum Cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregãti, quam, cùm impleta esset, educentes, & secus littus sedentes ele-*

tes elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Super quos *textus S. P. in qq. ex Matth. q.11.* ait: *Venit Diabolus, & superseminauit eos, quos malos filios Dominus interpretatur. Sed rectè quaritur, vtrum haretici sint, at malè viuentes Catholici? Possunt enim dici filij mali etiam haretici, quia ex eodem Euangelij semine, & Christi nomine procreati prauis opinionibus ad falsa dogmata conuertuntur. Sed quòd dicit eos in medio tritici seminatos, quasi videntur illi significari, qui vnius communionis sunt. Verumtamen quoniam Dominus agrum ipsum, non Ecclesiam, sed hunc Mundum interpretatus est, bene intelliguntur haretici, quia non societate vnius Ecclesia, vel vnius fidei, sed societate solius nominis Christiani in hoc Mundo permiscentur bonis. At illi, qui in eadem fide mali sunt, palea potiùs, quàm zizania deputantur: quia palea etiam fundamentum ipsum* (idest Christum) *habet cum frumento, radicemque communem. In illa planè sagena, qua concluduntur & mali, & boni pisces, non absurdè mali catholici intelliguntur. Aliud est enim mare, quod magis Mundum istum significat; aliud sagena, qua vnius fidei, vel vnius Ecclesia communionem videtur ostendere.* Deinde assimilat Schismaticos aristis corruptis, fractis, scissis, & de segete abruptis; quibus clarissimè ostendit hæreticos, & Schismaticos esse extra Ecclesiam, & non pertinere ad corpus Christi, malos autem catholicos, seu fideles esse intra Ecclesiam, & ad corpus Christi spectare; quia habent idem fundamentum, quod est Christus, vt *sup.* diximus 1. *Cor.* 3. & ideo Christo vniri in fide, tanquam membra ipsius. Hinc *D. Tho. hic art.* 2. ait Beatos vniri Christo per gloriam; iustos per gratiam habitualem, & charitatem; fideles verò peccatores tantùm per fidem; addimus autem, & per fraternam concordiam, & charitatem, vt docet *S.P. Aug. vb. s.* propter Schismaticos, vt dictum est. Ex quibus sic. Illa sunt actu Ecclesiæ membra, quę actu Christo, tanquam fundamento, vniuntur; & quo perfectiùs vniuntur, eo perfectiora sunt membra, & illorum perfectiori modo Christus est Caput; sed peccatores fideles etiam excommunicati, & reprobi, iusti, & beati Christo vniuntur, tanquam fundamento; & beati in patria perfectiori modo vniuntur, quàm iusti in via; & isti, quàm peccatores fideles; ergo peccatores fideles etiam excommunicati, & reprobi, iusti, & beati sunt actu Christi membra; & beatorum in patria perfectissimo modo Caput est Christus; iustorum autem in via perfectiori modo, quàm peccatorum fidelium. Ma. constat ex dictis. Mi. prob; nam peccatores fideles, quanuis reprobi, & excommunicati, habent fidem, qua in Christo, tanquam in Ecclesiæ fundamento, fundantur; vt habetur *Coloss.* 1. *Si tamen in fide eius fundati estis*; nihil autē potest in alio fundari, nisi ei, tanquam fundamento vniatur; & habeat concordiam, & charitatem fraternam, quibus vniuntur inter se; membra enim nedum debent cum corpore vniri, sed etiam inter se; quanuis enim excommunicati sint separati ab Ecclesia quantùm ad perceptionem suffragiorum, & sacramentorum communionem, non tamen sunt separati simpliciter, & totaliter, scilicet quantùm ad fidei, & concordiæ fraternæ vinculum; quod sufficit, vt sint Ecclesiæ membra; iusti verò vniuntur nedum per fidem, & charitatem fraternam, sed etiam per gratiam habitualem, & habitum charitatis; quæ est maior vnio, quia pluribus vinculis roboratur, vt claret; & beati vniuntur per visionem beatam, & charitatem consummatam, quæ est perfectissima inter vniones accidentales cum Deo, & est tantùm minor vnione hipostatica, quæ est substantialis; ergo peccatores fideles etiam excommunicati, & reprobi, iusti, & beati Christo vniuntur; & isti perfectiori modo vniuntur, quàm illi.

28 Dices. 1. *S. P. Aug. lib. 21. de Ciu. Dei c.25.* in fine loquens de malis Christianis ait: *Nec isti ergo dicendi sunt manducare corpus Christi: quoniam nec in membris computandi sunt Christi; vt enim alia taceam; non possunt simul esse, & membra Christi, & membra meretricis*; & *lib.4. de bapt. cont. Donatist. c.3.* ait, quòd Ecclesia, quæ est *sponsa sine macula, aut ruga, hortus conclusus, fons signatus, Paradisus cum fructu pomorum &c; non intelligitur, nisi de bonis, & sanctis, & iustis.* 2. *Io.8. Vos ex patre Diabolo estis*; ergo nequeunt esse membrum Christi; implicat enim aliquem simul esse membrum Christi, & Diaboli; *qua enim participatio iustitia cum iniquitate; aut qua conuentio Christi ad Belial?* Hinc *D. Cypr. lib. de vnit. Eccl.* inquit: *Non habet Patrem Deum, qui non habet Ecclesiam matrem*; ergo è contra peccatores, qui non habent Patrem Deum, non habent Ecclesiam matrem. 3. *Iac.2. Fides sine operibus mortua est*; ergo peccatores habentes fidem informem sunt membra mortua, & ideo non sunt membra Ecclesię, nisi æquiuocè, sicut cadauer dicitur homo; Ecclesia enim est corpus Christi viuum, seu domus ex lapidibus viuis, vt habetur 1. *Petr.2.*

Resp. ad 1. *S. Patrem* explicare se ipsum *lib.7. cont. Donatist. c.51.* his verbis: *Bonos, & malos esse simul in domo filij, qua est Ecclesia, aliter tamen, & aliter; nam boni ita sunt in illa, vt ipsi sint templum, seu domus Dei ex lapidibus viuis constructa. Mali verò sunt in domo Dei, non tamen sunt ipsa domus Dei, aut habitaculum Spiritus Sancti; cùm non habeant gratiam, aut charitatem.* Itaque membrum Christi duplex est; aliud, quod est simul templum Spiritus Sancti, & in hoc sensu peccatores non sunt membra Christi; & repugnat simul esse membrū Christi, & membrum Diaboli; aliud, quod non est templum, & in hoc sensu sunt Christi membra.

bra. In primo sensu Ecclesia dicitur sine ruga; in secundo sensu dicitur area, quæ continet triticum segregandum in horreum Dei mixtum cum palea deputanda ad ignem. Ad 2. eodem modo dicitur peccator ex patre Diabolo secũdùm operationem, & membrum Christi secundùm fidem; sicut enim non implicat, quòd idem homo, vt creatura, sit effectus Dei; & vt peccator, sit effectus Diaboli, quia homo per Diabolum malus factus est; ita à pari. Ad aliud dicitur iustitiam Christi, seu gratiam habitualem, per quam iustificamur, non posse simul esse cum iniustitia, seu cum peccato; non tamen non posse simul esse cum fide. Ad *D.Cypr.* dist. cons. Qui non habet Patrem Deum, nec secundùm charitatem, nec secundùm fidem, nõ habet Matrem Ecclesiam, conc; tantùm secundùm charitatem, neg; nam etiam fideles peccatores dicunt *in orat. Domin. Pater noster, qui est in Cælis*; & veraciter dicunt. Ad 3. eodem modo fides informis dicitur mortua, quia separata est à charitate, quæ est anima omnium virtutum; non autem dicitur mortua, quasi non possit exire in actum vitalem credendi; vnde peccatores habentes fidem dicuntur mortua Ecclesiæ membra per ordinem ad separationem à gratia habituali, & charitate, sine quibus nequeunt elicere opera viua, seu meritoria vitæ æternæ non autem sunt mortua, quasi non possint elicere actus vitales fidei, & spei, & petere remissionem peccatorum.

§. II.

An, & quomodò Christus sit Caput Angelorum?

29 Omnes fatentur Christum esse Caput Angelorum, prout ratio Capitis superioritatem importat; dicitur enim *Matth.* 4. *Angeli ministrabant ei*; & *Hebr.* 1. *Adorent eum omnes Angeli eius*; & mox. *Omnes sunt administratorij Spiritus, in ministerium missi*; ministri autem sunt inferiores eo, cuius sunt ministri. Difficidium est, quomodò Christus sit Caput.

30 Prima sententia vult Christum tantummodò, vt Deum, non vt hominem, esse Caput Angelorum. Referuntur *Altisiod; Driedo, & Sot. in* 4. *dist.* 49. *art.* 2.

31 Secunda vult Christum, vt hominem, esse Caput Angelorum secundùm interiorem influxum gratiæ, & gloriæ essentialis, & omnium donorum supernaturalium, quæ omnia fuerunt Angelis collata intuitu meritorum Christi non secus, ac conferuntur hominibus. *Ita noster Gibb. disp.* 14. *dub. vlt.* §. 1. *n.* 3; apud quem *noster Bernardin; Albert; Viguer; Galatin. lib.* 3. *de arcanis v.* 4; *Cathar. lib. de præd. Christi, Salmer. in ep. ad Rom. disp.* 40; *Caiet. hic q.* 7. *art.* 11; *Cabr; Philipp. à SS. Trin; Sua. disp.* 42. *sect.* 1; *Val. q.* 8. *punct.* 3; *Tann; Gran; Amic; & alij. Asturicen.* tamen, *& Cipull.* volunt Deum habuisse duo decreta, vnum antecedens præuisionem Christi, & secundùm hoc voluisse gratiam, & gloriam Angelis independenter à meritis Christi; aliud subsequens, quo statuit gratiam, & gloriam conferre Angelis etiam ex Christi meritis.

32 Tertia docet esse Caput etiam Angelorum non secundùm influxum gratiæ, & gloriæ essentialis, sed secundùm influxum gratiæ, & gloriæ accidentalis, quam Angeli percipiũt ex repletione Sedium Angelorum lapsorum, illuminationis circa fidei mysteria, ministrationis &c. Deducitur *ex Fund. Doct. loc. cit. sup. q.* 3. *art.* 1; *& dist.* 10. *p.* 2. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 3; vbi ait, quòd *ad Angelos non fuit facta missio Filij in carnem. Ita* etiam *D. Bona. in* 3. *dist.* 13. *art.* 2. *q.* 3; *Med; Naz; Aluar; Io. à S. Tho; Gonet, Vasq; disp.* 49. *cap.* 2; *Lorc; Less. de præd. Christi sect.* 1; *Vuading; Merat; Lug; & alij.*

33 Certum est Christum non eodem modo dici Caput hominum, & Angelorum; dicitur enim Caput hominum per analogiam ad caput naturale corporis humani, vt *sup.* ostendimus; quia caput naturale est eiusdem naturæ cum membris; vnde cùm Christus sit homo, non Angelus, quia naturam humanam, non Angelicam assumpsit, vt dicitur *Hebr.* 2. *Nequaquam Angelos, sed semen Abrahæ assumpsit*; & est de fide; quia *Verbum caro factum est, non Angelus*; ideo est caput hominum, non Angelorum per analogiam ad caput naturale. Angelorum ergo est caput tantùm per ordinem ad caput morale, quomodò Dux est Caput militum secundùm exteriorem gubernationem, instructionem, adiunctionem aliorum militũ, missionem &c; non enim Dux per internum influxum infundit robur ad bellandum in milites, nec naturales potentias, sed tantùm illas excitat, mouet, & dirigit. Quanuis autem Deus non sit formaliter eiusdem naturæ cum creaturis; attamen quia illarum naturas eminenter continet; ideo eminenter est caput nedum per ordinem ad caput morale eas per influxum externum regendo, sed etiam per ordinem ad caput naturale eas per influxum internum mouendo. At verò cùm natura humana Christi Domini non contineat eminenter naturam Angelicam, ideo Christus, vt homo, seu secundùm naturam humanam nequit dici Caput Angelorum per analogiam ad caput naturale; adeoque non influit in Angelos ad similitudinem capitis naturalis vitam supernaturalem, quæ formaliter consistit in gratia, & gloria essentiali. Hinc *S.P. Aug. in Io. tract.* 81. de ipso ait: *Nisi vitis esset*; idèst nisi homo esset; *vitam palmitibus non præberet*; idèst gratiã, & gloriam hominibus, qui sunt eiusdem naturæ cum Christo, non præberet. Nec obstat, quòd

quòd Christus secundùm aliam ordinationem Diuinæ prouidentiæ potuerit Angelos lapsos redimere, & illis vitam mereri; nos enim loquimur de facto secundùm ordinationem præsentem, secundùm quam Deus iudicauit magis congruum, vt natura, quæ peccauit, patiendo mereretur liberari à peccato, vt satisfactio esset ex iustitia; vt *sup.* diximus *q. 2. art. 3. n. 11.*

34 Vnica concl. Christus, vt homo, est Caput etiam Angelorum, non quia illis sua morte meruerit gratiam, & gloriam essentialem, sed quia secundùm directionem, & gubernationem missionis, ministrationis, & illuminationem, ac reuelationem internam mysteriorum fidei; & quia sanguine suo homines redimendo, & in Angelorum desertorum sedes transferendo instaurauit eorum ruinas, & & terrestria cœlestibus pacificando in vnam cœlestem Ecclesiam, & sanctam societatem coniunxit.

Prob. 1. pars concl. *ex Ephes. 1. Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in Cælestibus super omnem Principatum, Virtutem, & Dominationem &c. dedit Caput super omnem Ecclesiam; & Coloss. 2. Qui est Caput omnis Principatus, & Potestatis; & S. P. Aug. conc. 3. in ps. 36. Christus Caput est, cuius nos membra sumus. Nunquid nos soli, & non etiam illi, qui fuerunt ante nos? Omnes, qui ab initio fuerunt iusti coniuncti etiam legionibus Angelorum, & exercitibus, vt, vna Ciuitas sit sub vno Rege, & vna prouincia sub vno Imperatore*; quod deducitur *ex psal. 23. Attollite portas, Principes, vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*. Quod dici de Christo omnes fatentur. Regem autem gloriæ esse Caput gloriæ, quæ constat ex hominibus, & Angelis sanctis compertum est. Formatur autem ratio *ex S. P. Aug.* sic. Caput totius Ecclesiæ est Caput omnium membrorum illius; sed Christus, vt homo, est caput totius Ecclesiæ cœlestis; ergo, vt homo, est Caput omnium membrorum illius. Atqui Angeli sancti sunt membra Ecclesiæ cælestis; omnis enim pura creatura est membrum; quia ratio Capitis nequit cõuenire creaturæ, vt *sup.* diximus; nam ad rationem Capitis requiritur etiam vnio hipostatica; ergo Christus, vt homo, est Caput etiam Angelorum sanctorum. Ma. clara est; quia Caput dicitur per ordinem ad omnia membra corporis. Mi. etiam ostenditur. Rex totius Ecclesiæ cœlestis est Caput totius Ecclesiæ celestis; Rex enim, & Caput dicuntur ad inuicem; sed Christus, vt homo, est Rex totius Ecclesiæ cœlestis; vt habetur *in ps. & D. Dion. de cel. Hier. c. 7. Dominum cælestium Virtutum, ac Regem gloriæ, qui humana forma assumptus esset in Cælum*; nam Christus, vt homo, est Rex gloriæ, quia Christus, vt homo, introiuit in gloriam; etenim vt Deus, iam erat in gloria, & ideo ineptè diceretur, vt Deus, introire, quod significat priùs non esse intus; gloria autem idem est, ac Ecclesia cælestis; sicut enim fides est ratio constituens Ecclesiam terrestrem; ita gloria, seu visio beata, quæ succedit fidei, est ratio constituens Ecclesiam cælestem; ergo Christus, vt homo, est Caput totius Ecclesiæ cælestis. Mi. subsumpta ampliùs prob. Illa sunt membra Ecclesiæ cælestis, quæ participant rationem communem constitutiuam Ecclesiæ cœlestis; sicut illa sunt membra Ecclesiæ terrestris, quæ participant fidem, quę est anima constituens Ecclesiam terrestrem; sed Angeli sancti participant gloriam, seu visionem beatam, quæ est anima, seu ratio formalis constituens Ecclesiam cœlestem; ergo sunt membra Ecclesiæ cœlestis. Hanc rationem tradit *idem S. P. Aug. lib. 22. de Ciu. Dei cap. 29.* Tum quia homines sancti assumuntur ad nouem ordines Angelorum; vt ostendimus *to. 3. de Ang. q. 10. art. 6*; ergo assumuntur ad Ecclesiam Angelorum, quæ constituitur ex illis ordinibus; atqui Christus est Caput illius Ecclesiæ cœlestis, ad quam pertinent homines sancti; ergo est Caput etiam Angelorum spectantium ad eandem Ecclesiam cælestem. Tum quia Pastor est Caput ouium; sed Christus est Pastor etiam Angelorum, qui simul cum hominibus componũt vnum Ouile; vt habetur *Io. 10. Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient; & fiet vnum Ouile, & vnus Pastor*; ergo Christus est Caput etiam Angelorum. *Vid. to. 3. vbi s.*

35 Dices. 1. Caput debet esse eiusdem naturæ cum membris; sed Christus, vt homo, non est eiusdem naturæ cum Angelis; ergo non est Caput eorum. 2. Christus non est Sponsus Angelorum; ergo neque Caput.

Resp. ad 1. dist. ma. Caput per analogiam ad caput naturale, conc; ad caput morale, neg. Christus autem dicitur Caput Angelorum per analogiam ad caput morale, vt dictum est. Ad 2. dist. eodem modo ant. Non est Sponsus Angelorum per analogiam ad matrimonium naturale, conc; ad matrimonium spirituale, neg; aliter nec Deus esset Sponsus animarum, cùm maior sit distantia inter Deum, & animas, quàm inter hominem, & Angelos; homo enim secundùm animam est spiritualis, & Angelus est spiritualis; & inter spiritualitatem Angelicam, & rationalem datur conuenientia in genere spiritus creati, quæ non datur inter hominem, & Deum.

36 Prob. 2. pars concl. 1. *ex Ephes. 1. Instaurare omnia in Christo, quæ in Cælis sunt, & quæ in terris; & Coloss. 1. Pacificans per sanguinem carnis eius, siue quæ in terris, siue quæ in Cælis sunt. & Rom. 8. Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Super quos *textus S. P. Aug. in Enchir. cap. 61.* inquit:

Non

Non enim pro Angelis mortuus est Christus. Sed ideo etiam pro Angelis fit, quidquid hominum per eius mortem redimitur, & liberatur à malo, quoniam cum eis quodam modo redit in gratiam post inimicitias, quas inter homines, & sanctos Angelos peccata fecerunt, & ex ipsa hominum redemptione ruinæ illius Angelicæ detrimenta reparantur &c. Propter quod ait Apost. instaurari omnia in Christo, quæ in Cælis sunt, & quæ in terris. In ipso quippe instaurantur, quæ in Cælis sunt, cùm id, quod inde in Angelis lapsum est, ex hominibus redditur. Instaurantur autem, quæ in terris sunt, cùm ipsi homines, qui prædestinati sunt ad æternam vitam, à corruptionis vetustate renouantur. Ac sic per illud singulare sacrificium, in quo Mediator est immolatus, quod vnum multæ in lege victimæ figurabant, pacificantur cælestia cum terrestribus, & terrestria cum cælestibus. Quoniam sicut idem Apost. dicit: In ipso complacuit omnem plenitudinem Diuinitatis inhabitare,& per eum reconciliari omnia in ipsum,pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in Cælis sunt, siue quæ in terris. Ex quibus deducitur in suis terminis nostra concl. Arguitur autem. 1.Illud est Caput aliquorum quantùm ad gubernationem, missionem, illuminationem, pacificationem, & instaurationem,non autèm quantùm ad gratiam, & gloriam essentialem; cui illi obedienter subiacent, ministrant; à quo mittuntur, & illuminantur; & qui illis meruit pacificationem, & instaurationem, non gratiam, & gloriam essentialem; sed Angeli obedienter subiacent Christo, ministrant, & ab ipso mittuntur, & illuminantur; & eis meruit pacificationem, & instaurationem, non gratiam, & gloriam essentialem; ergo Christus est Caput Angelorum quantùm ad gubernationem externam, missionem, illuminationem, pacificationem, & instaurationem, non quantùm ad gratiam, & gloriam essentialem. Ma. patet; nam Dux exercitus gubernans, mittens, instruens, & illuminans, pacificans, & instaurans suos milites, non tamen infundens robur, & fortitudinem, dicitur verè Caput eorum quantùm ad gubernationem, missionem, illuminationem, seu instructionem, pacificationem, & instaurationem, non autem quantùm ad infusionem virium, quibus pugnent, & præmium obtineant; ergo à pari. Prima pars mi. certa est *apud omnes*; & habetur *Hebr.* 1. *Omnes administratorij Spiritus sunt in ministerium missi propter eos, qui hæreditatum capiunt salutis*; ex quo apparet Angelos esse ministros missos propter nostram salutem ab Auctore nostræ salutis,qui est Christus; adeoque ab ipso illuminatos circa mysteria fidei, quæ spectant ad nostram salutem. Præterea Christus sua morte deleuit hominum peccata, ob quæ Angeli sancti sunt hominibus inimici, & infensi; & homines à peccatis purgatos transtulit ad sedes beatorum; & sic impleuit ruinas Angelorum iuxta illud *psal.* 109. *Implebit ruinas*; & ideo Christus est Caput Angelorum quantùm ad pacificationem, & instaurationem; quod manifestè docet *Apost. textibus* allatis, quos propterea minùs rectè exponentes obijciunt *Aduersarij* contra nos, vt *inf.* Prob. 2. pars mi; circa quam est dissidium. Illis Christus meruit gratiam, & gloriam essentialem, pro quibus est mortuus; quanuis enim quælibet actio Christi fuerit meritoria, vtpotè infiniti valoris, attamen meritum non fuit consummatum, nisi in ipsa morte Christi iuxta illud *Io.* 19. *Consummatum est*; & *Hebr.* 10. *Vna oblatione consummauit &c*; sed Christus non est mortuus pro Angelis, vt docet S. P. *Aug. vbiſ*; & colligitur expresſè *ex Apost.* 1. *Cor.* 5. *Vnus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt*; quam consequentiam S.P.*Aug. in suppl.cont. Iul. c.* 64. vocat *inuictam*; quia omnes, pro quibus Christus mortuus est, mortui sunt peccato; Angeli autem nullum habuerunt peccatum, quo mortui sint vitæ supernaturali, idèst gratiæ, quam in sua conditione acceperunt; nam qui peccauerunt, irremissibiliter damnati fuere; & qui non peccauerunt, fuerunt ad gloriam translati; ergo Christus non meruit Angelis gratiam, & gloriam essentialem. 2.Hoc est discrimen inter instaurationem factam à Christo eorum, qui sunt in Cælis, & instaurationem eorum, quæ sunt in terris, de qua loquitur *Apost*; quòd ea, quæ sunt in Cælis, instaurantur, cùm homines redimuntur in terris à peccato, & transferuntur ad Cælos in locum Angelorum, qui peccando ceciderunt; & ea, quæ sunt in terris, instaurantur, cùm homines à vetustate peccati purgati renouantur, vt docet *S. P. Aug. vbiſ*; sed ex eo, quòd homines redempti à peccato transferantur in Cælum in locum Angelorum, qui ceciderunt, non arguitur, quòd Christus meruerit gratiam, & gloriam essentialem Angelis, qui permanserunt in ea sanctitate,in qua conditi fuerunt, & per quam intrinsecè erant sancti,& meruerunt gloriam essentialem, vt diximus *to.* 3. *de Ang. q.* 8. *art.* 4; sed solùm quòd meruerit gratiam, & gloriã hominibus eos redimendo à peccatis, per quam gratiam,& gloriam homines fiunt intrinsecè iusti, & sancti, & sic augent gloriam Angelorum extensiuè, & extrinsecè, cùm ad eorum ordines assumuntur; ergo Christus non meruit gratiam, & gloriam Angelis, per quam sunt intrinsecè sancti, & beati, sed tantùm extensiuè extrinsecè augendo numerum beatorum, & reparando ruinas ordinum Angelicorum; non quidem Angelis lapsis, sed hominibus redemptis in numerum, & locum Angelorum, qui ceciderunt, suffectis. 3. Ad hoc, vt Christus pacificaret cælestibus terrestria, vt docet *Apost*; satis fuit meruisse hominibus sanctitatem, quam peccando perdi-

perdiderāt, eo enim ipso, quòd homines essent redempti à peccato, & sanctificati per gratiam, quam illis meruit Christus, pax inter Angelos, & homines fuit statuta, quia sublato peccato ab hominibus nullum neque in hominibus, neque in Angelis remansit discordiæ motiuum, quod est solum peccatum; sanctitas nanq; concordiam inter sanctos essentialiter importat; sicuti ad statuendam amicitiam inter duos, in quorum vno tantùm sit odij motiuum, in alio verò nullum est odij motiuum, sed amoris, sufficit tollere motiuum ab illo; ergo *ex Apost.* rectè probatur Christum meruisse gratiam, & gloriam essentialem solis hominibus, non Angelis sanctis, qui iam illam habebant.

37 Conf. 1. Nullum peccatum fuit in Angelis sanctis, vt constat; sed gratia, quam meruit Christus, fuit essentialiter redemptiua à peccato, vt fusè ostendimus *q. 3. art. 1*; nam *ex Scripturis* habetur motiuum, quo Deus intendit, & decreuit incarnationem, fuisse præcisè, vt à peccato redimeret merendo peccatoribus gratiam; non licet autem in re tanti momenti extra *Scripturam* loqui, quæ est Magistra fidei, aliter nos insufficienter doceret; ergo Christus non meruit gratiam Angelis sanctis; aliter illam præter intentionem, & omnino casualiter meruisset. 2. Gratia *Adæ* primò collata non fuit ex meritis Christi; fuit enim ex mera liberalitate Dei, vt est generalis Prouisor, qui statuit dare media ad finem, cuius est essentialiter capax creatura, cùm illam decreuit creare; tum quia gratia *Adæ* primò collata fuit donum supernaturale creationis, quia in ipso instanti creationis fuit *Adæ* collatum; gratia autem, quam meruit Christus, fuit donum recreationis, seu regenerationis, vt *ex Apost.* loquitur *S. P. Aug. ep. 107. ad Vital; & de corr; & grat. cap. 12.* inquit, *quòd in illis bonis Adam Christi morte non eguit*; non enim Christus mortuus est, vt *Adam* crearetur sanctus, sed vt recrearetur lapsus; ergo neque gratia Angelorum, quæ procul dubio fuit eis collata in primo instanti creationis, & per ipsam meruerunt sibi gloriam; nam sicut *si Adam* per gratiam acceptam mansisset, per illam sibi meruisset æternam beatitudinem; ita dicendum de Angelis.

38 Prob. 2. *ex S.P. Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 10*; vbi expresè docet, quòd Angelis dedit gratiam, vt Deus; hominibus verò meruit gratiam, vt homo, his verbis: *Nec sic descendit ad nos, vt illos* (idèst Angelos) *desereret; sed simul integer illis, integer nobis; illos intrinsecùs pascens per id, quod Deus est; nos forinsecùs per id, quod nos sumus, idoneos facit per fidem, quos per speciem pascat æqualis.* Ex quo sic. Christus est Caput hominum, & Angelorum secundùm diuersam rationem; sed ratio diuersa nequit esse, nisi quia meruit, vt homo, hominibus gratiam, & gloriam essentialem, non autem homines sanctis; ergo Christus, vt homo, non meruit Angelis sanctis gratiam, & gloriam essentialem. Ma. constat ex dictis; nam Christus est Caput hominum, quatenus assumpsit naturam humanam; & quatenus ad talem assumptionem subsecuta est, tanquam proprietas, gratia habitualis; nam vt *sup.* diximus, ad rationem Capitis per analogiam ad caput naturale requiritur gratia vnionis, & gratia habitualis; hoc modo autem non est Caput Angelorum, quia non assumpsit naturam Angelicam; & ideo est Caput Angelorum per analogiam ad Caput morale, non naturale; quia caput naturale est eiusdem naturæ cum membris; & Christus factus est eiusdem naturæ cum hominibus *assumendo* naturam humanam; non cum Angelis, quia naturam Angelicam non assumpsit; ergo Christus est Caput hominum, & Angelorum secundùm diuersam rationem. Prob. mi. 1. *ex S.P. Aug. tract. 81. in Io.* docente: *Nisi vitis esset, vitam palmitibus non præberet.* In tantùm Christus tribuit vitam, idèst gratiam, & gloriam essentialem, quæ est vita æterna, hominibus; in quantùm vitis est, nempe homo eiusdem naturæ cum palmitibus, idèst hominibus; sed Christus est homo, non Angelus; quia assumpsit naturam humanam, non Angelicam; ergo tribuit hominibus, non Angelis, vitam, idèst gratiam, & gloriam essentialem. 2. Caput morale in hoc differt à capite *naturali*, quòd illud non habet influxum vitæ sensitiuæ in membra, sicut istud; sed Christus dicitur Caput Angelorum per analogiam ad caput morale; & Caput hominum per analogiam ad caput naturale; ergo Christus, vt homo, influit gratiam, & gloriam in homines, non autem in Angelos. 3. Secundùm directionem, & gubernationem, missionem, ministrationem, illuminationem, reuelationem mysteriorum fidei, instaurationem, & pacificationem est Caput hominum, & Angelorum; quia regit, illuminat, & mittit ad procurandam hominum salutem Angelos, & homines; & instaurat homines à peccato, & Angelorum, qui peccauerunt, ruinas; & pacificat Angelos cum hominibus, & homines cum Angelis; ergo nulla alia diuersitas est in Christo Capite respectu hominum, & Angelorum, nisi quia, vt homo, hominibus meruit gratiam, & gloriam, non autem Angelis; nullæ enim aliæ rationes, ob quas Christus dicitur Caput hominum, & Angelorum, assignantur *à SS, & à DD.*

39 Obijc. 1. *Ephes. 1. Instaurare omnia &c; & Coloss. 1. Pacificans per sanguinem crucis &c; & Io. 14. Nemo venit ad Patrem, nisi per me; & Apoc. 12.* dicitur de Angelis victoribus: *Vicerunt eum per sanguinem Agni; & Rom. 5.* dicitur, quòd gratia Christi *abundauit in plures*, quàm *Adæ* delictum; sed *Adæ* delictum abundauit in omnes homines; ergo Christi gratia in homines,

nes, & Angelos; *& Hebr.2. Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios* (idest Angelos) *in gloriam adduxerat, Auctorem salutis eorum* (idest hominum) *consummari*. 2. Ex SS. PP. D. Cyrill. *hom. 1. in Leuit. Non solùm pro terrestribus, sed etiam pro Cælestibus oblatus est hostia Iesus; & lib.5. in Isaiam c. 54. Omnem iustificationem spiritualem tam in Angelis, quàm in hominibus fuisse insitam per Christum; D. Hier. in Ephes. 2. Crucem Domini non solùm terra, sed & Cælo profuisse; non solùm hominibus, sed & Angelis, & omnem creaturam Domini sui cruore purgatam fuisse; D. Greg. in 1. Reg.c.2. Nullus hominum, neq; Angelorum sanctus est, nisi per Christum; D. Bern. in Cant. hom. 22. Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur; sic illum de captiuitate eruens; sicut hunc à captiuitate defendens; & hac ratione fuit æquè vtrique redemptio, soluens illum, & seruans istum; & D. Tho. Io. 1. lect. 10. De plenitudine eius omnes accepimus &c; etiam omnes Angeli; quia plenitudo gratiæ, quæ fuit in Christo, est causa omnium gratiarum, quæ sunt in omnibus intellectualibus creaturis.*

Resp. primos duos *textus* probare nostram sententiam, vt exponit *S. P. Aug. vbis*; rectè enim dicitur Christus instaurasse Angelos, & pacificasse, quatenus homines à peccato redemit; eosque amicos Angelis factos in eorum sedes transtulit. Ad 3. dicitur illam particulam *nemo* referri ad homines; Christus enim loquebatur tantùm de hominibus, quibus aiebat se iturum *parare locum*. Præterea loquebatur de se ipso, vt etiam erat Deus; quia dixerat: *Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit &c*; non est autem veritas, vt homo, sed vt Verbum; vt inquit *S. P. Aug. in Enchir. cap. 36*. Ad 4. dicitur esse sermonem de hominibus, non de Angelis; postquam enim descriptum est prælium Angelorum, dicitur proiectum fuisse Draconem, qui accusabat fratres nostros; & statim subdit: *Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, & propter verbum testimonij sui, & non dilexerunt animas suas vsque ad mortem*; patet autem Angelos non habere animas, nec esse morti corporali subiectos, de qua morte est sermo; quia qui spiritualiter moritur, non diligit animam suam. Ad 5. dicitur *Apost.* loqui de peccato actuali, non originali; ait enim immediatè antecedenter: *Sed mors regnauit ab Adam vsque ad Moysen etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri*; constat autem omnes peccasse *in Adam* peccato originali, vt docet *idem Apost*; ideo quando ait aliquos non peccasse *in similitudinem præuaricationis Adę*, loquitur procul dubio de peccato actuali; quapropter subdit; quòd gratia Christi in plures abundauit, quia pro omnibus mortuus est, quanuis non omnes per peccatum actuale mortui sint; aliqui enim habuerunt tantùm peccatum originale. Addit *D. Ambr.* loqui de peccato idololatriæ, quod *Apost.* vocat nomine peccati *præuaricationis*; idololatria autem non abundauit in omnes. Vel *cum Fund. Doct. hic dist. 19. par. 1. qu. 2. art. 1.* dicitur, quòd *ly in plures* cadit supra status hominum, non supra supposita ita, vt faciat sensũ, quòd *Adam* infecerit solos paruulos; Christus autem & paruulis, & adultis meruit gratiam. Vel quòd cadit supra peccata, & peccatores; *Adæ* enim peccatum infecit solùm culpa originali, non personali; at gratia Christi meruit liberationem à peccatis originali, & actualibus; & *Adę* delictum nocuit solùm contrahentibus; Christus verò profuit & contrahentibus, & peccantibus. Vel quantùm ad sufficientiam; quia *Adam* non potuit inficere, nisi descendentes ab ipso; at gratia Christi est sufficiens ad iustificandos infinitos homines, si darentur, etiam non descendentes *ab Adam*. Ad 6. dicitur nomine *multorum filiorum* non intelligi Angelos, sed homines; quia loquitur de illis, pro quibus mortuus est; ait enim immediatè ante: *Pro omnibus gustauit mortem; decebat enim &c*; & postea subdit illos communicasse carni, & sanguini; Angeli autem, qui sunt spiritus puri, non communicant carni, & sanguini; & ideo sermo est de hominibus, non de Angelis. Pro hominibus ergo, quos adduxerat in gloriam, idest quibus gloriam meruerat, decebat mori Auctorem salutis eorum, vt meritum ipsius consummaretur, quod solùm in morte consummatum est. Ad 7. dicitur, sicut ad 1; & 2. Ad 8. dicitur per Christum, vt Deum, fuisse insitam iustificationem in Angelos; vt hominem verò, in homines. Ad 9. dicitur Christi sanguine omnem creaturam purgatam fuisse, non à peccato, quod non habuerunt Angeli, sed à defectu nescientiæ; vt diximus *tom. 3. de purgat. Angelor; Angeli enim multa didicerunt per Ecclesiam*. Ad 10; & 11. dicitur, sicut ad 8; & *de D. Bern.* negari non potest; ait enim antecedenter: *Qui erat Angelis sanctificatio, redemptio factus est nobis*. Erat ergo sanctificatio Angelorum, vt Deus; quia solùm, vt Deus, factus est homo; non enim vt homo, factus est homo. Sic *ad alios SS.PP; & ad D.Tho*; qui *q.59. art.7; & de verit. quæst.29. art.7. ad 5.* docet nostram sententiam; quam inuerisimile est retractasse paucis verbis allatis; quia hęc bene explicantur de plenitudine gratiarum; nedum enim in Christo fuit gratia habitualis, sed etiam gratia vnionis; quia ei fuit vnita Diuinitas, quæ gratiam produxit in Angelis; & sic intelligendi sunt *alij SS. PP.*

40 Obijc. 2. Christus est primus omnium prædestinatorum; ergo est causa prædestinationis omnium hominum, & Angelorum; quia *quod est primum in vno genere, est causa cęterorum*;

rum; & habetur etiam *Ephes.* 1. *Prædestinauit nos per Iesum Christum in ipsum*. Atqui quod est causa prædestinationis, est causa effectuum principalium prædestinationis; quia *quod est causa causæ, est causa causati*; ergo est causa gratiæ, quæ est primus effectus prædestinationis; & gloriæ essētialis, quæ est vltimus effectus. 2. Christus non solùm est primus prędestinatorū, vt *omnes* cōcedunt, sed etiam est Caput; sed ad rationem capitis requiritur, vt influat in membra formam constitutiuam membrorū; ergo Christus influit in Angelos, & homines formam constituentem membra Christi. Atqui forma constituens membrum Christi in via est fides; & in patria est gloria; ergo Christus influit in Angelos gratiam, & gloriam. Prob. mi. 1. Ex eo, quòd Caput non influat vitam sensitiuam in vngues, capillos, & dentes, sequitur hæc non esse membra corporis; quanuis caput influat aliquid accidentale in illa; ergo à pari. 2. Si Christus non influeret fidem, quæ constituit membrum Ecclesiæ, in homines, non essent membra Ecclesiæ, quanuis in illos influeret aliqua dona accidentalia; ergo à pari. 3. Influxus in genere causæ exemplaris, & finalis non sufficit ad rationem capitis; quia quanuis Pontifex sit exemplar picturæ, non tamen dicitur caput picturæ; & quanuis expugnatio ciuitatis sit finis exercitus, non tamen dicitur caput exercitus; ergo requiritur, vt influat in genere causæ efficientis, vel meritorię. 4. principaliter. Bene componitur cum motiuo incarnationis decretum, quo Deus voluit Christum esse Caput hominum, & Angelorum secundùm internum influxum gratiæ, & gloriæ essentialis; quia 1. Voluit Deus homines, & Angelos creare. 2. Voluit illis conferre auxilia sufficientia ad beatitudinem. 3. Voluit permittere peccatum. 4. Præuiso peccato decreuit Christum primariò in remedium peccati, & secundariò, vt esset medium conferendi omnia dona gratuita omnibus creaturis etiam non habentibus peccatum. 5. Præuisis Christi meritis elegit aliquos homines, & aliquos Angelos ad gloriam. Aliunde maximam dicit Christi excellentiam, & nullam repugnantiam importat Christum influere gratiam, & gloriam essentialem in Angelos; ergo idem. 5. Angeli habuerunt fidem, & reuelationem incarnationis, vt docet *S.P. Aug. lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 19. ex Apost. ad Gal. 3; & Ephes. 3.* dicens: *Nec eos latuit mysterium Regni Cælorum, quod opportuno tempore reuelatum est pro salute nostra &c.* dicente *Apost. Vt innotesceret Principibus, & Potestatibus in cælestibus &c*; ergo habuerunt fidem ex meritis Christi, cui visio succedit in patria; inconueniens enim est, quòd Deus præuiderit merita Christi, & intuitu illorū non contulerit aliqua dona. 6. Christus meruit gloriam sui corporis, & exaltationem nominis, quæ non pertinent ad remediū peccati, quanuis remedium peccati sit motiuum adæquatum incarnationis; ergo à pari.

Resp. ad 1. dist. ant. Est primus prædestinatorum ordine dignitatis, & excellentiæ loquendo de Angelis, conc; ordine causalitatis loquendo de hominibus, conc; de Angelis, neg. Cùm enim Christus venerit, vt medicus in remedium peccati, ideo venit, vt causa sanitatis in hominibus infirmis per peccatum; non autem in Angelis sanis, quia nullum habebant peccatum; ideo non venit ad causandam sanitatem in Angelis, sed in hominibus, vt dixit *Matth. 9. Non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus*. Ordine ergo causalitatis fuit primus prædestinatorum, idèst electorum ad salutem æternam, respectu hominum; quibus meruit sanitatem deperditam per peccatum; non autem respectu Angelorū, qui sani erant; & per eandem gratiam, in qua conditi sunt, licèt auctam tempore tentationis, quæ procul dubio nō fuit ex meritis Christi, qui in illo signo non erat præuisus, in sanitate permanserunt. Igitur prima gratia Angelis collata fuit ex mera liberalitate Dei prouisoris, à quo aucta fuit; augmentum enim ab eo habetur, à quo habetur esse. Nec illud axioma est verum simpliciter, sed tantùm in genere mouentium, & motorum subordinatorum mouentibus; quia primum in genere intelligentium creatorum est supremus Angelus, qui non est causa aliorum Angelorum, & hominum eo, quia alij Angeli, & homines non subordinantur actioni mutanti de non esse ad esse supremi Angeli; at verò omnia calida subordinantur actioni ignis; qui est primus in genere calidorum; ideo ignis est causa cęterorum. *Apost.* verò est pro nobis, quia apertè loquitur de hominibus dicens: *Prædestinauit nos*; non enim ait: *Prædestinauit nos, & Angelos per Iesum Christum*; quod non omisisset, si Christus æquè causasset in Angelis, ac in nobis gratiam, & gloriam; aliter tacuisset summum huius mysterij beneficium, quod non est dicendum. Ad 2. dist. mi. Est Caput Angelorum eodem modo, ac hominum, scilicet per analogiam ad caput naturale, neg; diuerso modo, idèst per analogiam ad caput morale, conc; & in hoc sensu neg. mi. Ad 1. prob. dicitur verum esse de Capite naturali, non de morali; nam Rex, licèt non influat vitam in subditos, est tamen Caput. Ad 2. prob. neg. conf; quia Christus dicitur Caput hominum per analogiā ad caput naturale; vnde si non influeret vitam, non esset Caput hoc modo, esset tamen Caput per analogiam ad caput morale, sicut est Caput Angelorum. Ad 3. prob. dicitur ad rationem capitis requiri superioritatem, & gubernationem, quæ si conueniant causę exemplari, & finali, habent rationem capitis; secus,


cus, si desint. Ad 4. principale neg. ant. Ad 1. prob. infert. dicitur quartum decretum assignatum nobis non constare *ex Scripturis*, sed tantùm constare Deum decreuisse mittere Christum in remedium peccati, vt homines peccatores recõciliaret Deo merendo eis gratiam; adeoque quantùm ad Angelos merè arbitrariè confingi, quod non licet in re tãti momenti. Ad aliam dicitur non derogari excellentiæ Christi, quæ consistit in redemptione hominum, vt docet *Scriptura*; & aliunde cùm Christus nedum sit homo, sed etiam Deus; dicendo, quòd non vt homo, sed vt Deus, producit gratiam, & gloriam in Angelis, ei non negatur absolutè, & simpliciter hæc excellentia, sed tribuitur Diuinitati, non humanitati. Ad aliam dicitur non repugnare absolutè, sed ex suppositione præsentis decreti, quo Deus voluit ipsum esse tantùm Redemptorem hominũ, non Angelorum. Ad 5. dist. ant. Habuerunt fidem incarnationis recuperatam ex meritis Christi, neg; infusam in primo instanti conditionis ex mera Dei liberalitate, vt Prouisoris, conc. Etiam *Ada* in illo sopore, antequam peccaret, reuelatus est Christus; vt docet *S. P. Aug. lib. 9. de Gen. ad lit. cap.* 19; quam tamen peccando amisit, quia erat proprietas iustitiæ originalis; amissa nanque essentia amittuntur quoque proprietates, quæ cum illa nectuntur. Illam autẽ recuperauit ex meritis Christi; quia Christus ei meruit gratiam redemptiuam à peccato, cuius quoque proprietas est fides explicita in Christum liberatorem, & Redemptorem à peccato; quomodò fides non fuit *in Adam* ante peccatum; tunc enim credebat tantùm Christum esse venturum, non tamen vt liberatorem à peccato, quia peccatum non præsciebat; adeoque amissa illa fide per peccatum successit fides recuperata per Christum. Hinc Christus *in Scripturis* vocatur *Redemptor*, *reparator*, *instaurator*, *liberator*, & cętera huiusmodi, quæ significant recuperationem rei amissæ. At verò Angeli non amiserunt fidem primò collatam, quia non amiserunt iustitiam originalem, in qua conditi fuerunt, cuius illa fides erat proprietas; & ideo in illis non fuit fides recuperata per Christum; adeoque illis Christus non meruit fidei recuperationem, sed ad summum eiusdem fidei dilatationem, & extensionem ad plura mysteria cognoscenda, quæ dicuntur didicisse per Ecclesiam; & per consequens solùm accidentalem influxum habuit in illos. Ad prob. infert. dicitur non esse inconueniens, sed conuenientissimũ, quòd Deus præuisis Christi liberatoris meritis, quæ extendebantur solùm ad liberandum à peccato, contulerit aliqua dona non intuitu eorum aliquibus non habentibus peccatum, sed gratiam in primo instanti suæ conditionis collatam, cui illa dona ex iustitia debentur. Ad 6. dist. ant. Gloria corporis, & exaltatio nominis non pertinent ad remedium peccati, tanquam effectus ipsius remedij, neg; tanquam obiectum, vel ratio constitutiua remedij, conc; at iustificatio, & glorificatio Angelorum non sunt effectus remedij peccati, quia in illis non fuit peccatum.



QVAE-

QVÆST. VIII.

De merito, & satisfactione Christi.



E his duobus simul agendum est; quia Christus patiendo meruit, & meritis consummatis per mortem satisfecit pro peccatis generis humani. Quoniam tamen de merito per ordinem ad ipsum Christum Dominum locuti sumus *quæst.3. art. 3. §.1*; & per ordinem ad Angelos *in sup. §. artic.3. quæst.7*; superest tantùm agendum per ordinem ad homines.

ART. I.

Quando, quibus actibus, & quid nobis Christus meruerit?

1 Certum est de fide Christum, vt hominem, verè, & propriè meruisse; habetur enim *ad Philipp.2. Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, propter quod Deus exaltauit illum*; ex quibus apparet meruisse exaltationem sui nominis; vt diximus *quæst.3. art.3.§.1*; *& ad Gal.4. Qui dedit semetipsum pro nobis, vt eriperet nos de præsenti sæculo nequam*; eripere autem nos de nequitia huius vitæ efficienter est effectus formalis solius gratiæ habitualis, per quam solùm formaliter eripimur ab iniquitate; & Deus solus est causa efficiens gratiæ; ergo eripi per Christum ab iniquitate intelligendũ est solùm meritoriè; & ideo Christus, vt homo, verè, & propriè nobis meruit gratiam. Hìc spectat etiam illud *1.Pet.1. Non corruptilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis; sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi, & incontaminati*; constat autem, quod erogatio pretij pro redemptione alicuius habet valorem moralem, qui pertinet ad meritum; *& 2. Pet.1. Per quem maxima, & pretiosa nobis donauit, vt per hæc efficiamini Diuinæ consortes naturæ*; idest intuitu meritorum Christi Deus nobis donauit gratiam in hac vita, & promisit gloriam in alia; vt per vtranque *efficiamur consortes Diuinę naturę* Deum *hic* in spe, & *illic* in re possidendo. Ratio etiam est; nam Christus in via habuit omnes conditiones exactas ad meritum recensitas *to.4. de grat. qu. 5. art.2*; de quibus dubium, quod esse posset de libertate, *inf*; *& q.10.* soluetur; & de statu viæ, dicimus, quòd licèt secundùm partem superiorem fuerit perfectè beatus, fuit tamen viator secundùm animam, prout respicit partem inferiorem; & secundùm hanc rationem verè, & propriè meruit.

§. I.

Quando Christus meruerit?

2 Discordant aliqualiter *DD.* in assignando tempus, quo meruit; nam *Alen. 3. par. quæst.17. memb.2. art. 1*; *D. Bonau. in 3. dist.18. art.10.q.10*; *Albert. ibid. art. 6*; *& Dur. quæst.2.* putant ipsum non meruisse in primo instanti suæ conceptionis.

3 Sed sententia communis est Christum meruisse in primo instanti suæ conceptionis, in quo habuit perfectissimum rationis vsum, arbitrium expeditum, gratiam sibi connaturalem, tanquam proprietatem essentialiter sequentem ad gratiam vnionis, vt *sup.* diximus; & probari solet *ex Hebr.10. Ingrediens Mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi; holocautomata pro peccato meo non tibi placuerunt. Tunc dixi: In capite libri scriptum est de me; vt faciam, Deus, voluntatem tuam*. Ex quibus sic arguitur. Velle facere volunratem Dei acceptando illius præceptum est mereri; sed Christus in primo instanti suæ cõceptionis voluit facere voluntatem Dei acceptãdo præceptũ de subeunda morte pro hominum salute, quia eius ingressus in Mundum fuit in primo instanti suæ conceptionis; cùm ei corpus fuit adaptatum, & tunc cognouit; & ideo habuit vsum rationis, quia cognitio dicit vsum, seu exercitium rationis; *dixit* enim: dicere autem importat cognoscere; quia significat conceptum verbi expressi in mente; dixit, inquam, Christus in primo instanti suæ conceptionis esse scriptum in capite libri de illo, vt faceret voluntatem Dei; quæ erat de subeunda morte; non enim voluit, vt offerretur ei hostia, & oblatio, quemadmodum pręceperat in lege *Moysis*, sed vt sacrificaret suam voluntatem offerendo se ipsum in holocaustum pro peccatis hominum; & ideo Christus in illo primo instanti voluit Deo obedire; homo enim perueniens ad vsum rationis debet se Deo subijcere; & eo magis Christus, cuius voluntas humana erat voluntati Diuinæ perfectè subiecta; ergo Christus in primo instanti suæ conceptionis verè, & propriè meruit. Deinde Christus Dominus in primo instanti habuit omnia requisita

quisita ad meritum, de quibus diximus *tom.4. vbi s*; ergo idem.

4 Dices 1. Angeli non potuerunt in primo instanti mereri, vt diximus *to.1. de Ang. qu.9. art.2. num.18*; quamuis enim habuerint perfectam scientiam, & libertatem, non tamen potuerũt se mouere liberè ad illam primam operationem; ad motum nanque liberum prærequiritur consultatio, & deliberatio; & ideo actus liber nequit esse in primo instanti creationis; ergo idem dicendum in casu.

Respondent *aliqui ex nostris*, vt diximus *loc. cit*; neg. ant; ideo enim Angeli non potuerunt peccare in primo instanti, quia non potuerunt simul coniungere actum malum cum actu bono, cum quo fuerunt creati; potuerunt tamen mereri, quia sic non coniunxissent actũ bonum cum actu malo. Vel omisso ant. neg. cons; & disparitas est; quia obiectum amoris congeniti in Angelis fuit Deus sub ratione summi boni absque vlla ratione mali; ideo ille actus fuit necessarius, quia determinatus ad vnum. At verò obiectum obedientiæ Christi fuit mors subeunda, quæ erat moraliter bona, vt præcepta; & physicè mala, vt destructiua ipsius; & ideo sub indifferentia iudicij Christo fuit proposita; quod requiritur ad rationem liberi. Consultatio autem,& deliberatio pręcedens volitionem tunc requiritur, quando in illo non est plenitudo scientiæ, quæ quia fuit in Christo, ideo potuit simul esse deliberatio, consultatio, & actus obedientiæ; vt quia Deus est omniscius, ideo vult in eodem instanti, quo scit.

5 Actus ergo meritorius, quo Christus voluit Patri obedire subeundo mortem, à primo instanti conceptionis vsque ad vltimum vitæ instans continuauit absque vlla interruptione; & hanc esse *omnium Theologorum* sententiam tradit *Gibb.* Ratio est. Actus,quo voluit obedire, est actus charitatis consummatæ procedens ab habitu charitatis patriæ, vt *inf.* videbimus;sed actus procedens ab habitu charitatis patriæ non potuit impediri, vel distrahi à pueritia, somno, & alijs huiusmodi; quia est essentialiter inamissibilis; ergo semper durauit nullo modo interruptus.

6 Diximus actum meritorium durasse vsque ad vltimum vitæ instans; sed difficultas est de vulnere lateris inflicto post mortem;an fuerit meritorium, vel satisfactorium, vel solùm salutiferum; non enim idem est esse salutiferum, & meritorium, & satisfactorium; quia crux, & claui Christi sunt salutifera, quatenus virtute ex contactu corporis ipsius contracta; vel eorum intuitu Deus nobis confert salutem; sic dicendum de orationibus Sanctorum in cęlo existentium; & tamen nec contactus crucis,& clauorum;nec orationes Sanctorum modò sunt meritoriæ, quia sunt extra statum viæ.

7 *Noster Gibb. disp.21. dub.1, concl.3; Gonet ibid. art.1. à §.4; & alij communiter* docent Christum post vltimum vitę instans in instanti mortis non meruisse, & ideo vulnus lateris non fuisse meritorium, nec satisfactorium, sed tantùm salutare; quia tunc fuit extra statum viæ, & per consequens meriti.

8 *Alij* dixerunt Christũ mereri etiam nunc in cęlo, & in terra in sacrificio missę, & collatione sacramentorum.

9 *Caiet.* voluit Christum meruisse in instanti inceptiuo mortis; *& Veg. lib.7. in Trid. cap.18.* voluit vulnus lateris fuisse satisfactorium, non meritorium; sicut animæ in purgatorio satifaciunt, non merentur.

10 Dicendum tamen mortem, & vulnus lateris, quæ spectant ad consummationem passionis, non fuisse formaliter meritoria, aut satisfactoria, sed externè consummatiua, & completiua actionis meritoriæ, & satisfactoriæ iam antea internè elicitæ; post resurrectionem autem nullam actionem esse meritoriam, aut satisfactoriam.

Prob. 1. pars. Meritum formaliter satisfactorium importat actionem vitalem acceptantem liberè talem passionem; sed Christus nullam omnino in puncto mortis, & in transfixione lateris potuit habere actionem vitalem acceptantem liberè talem passionem; vt ipse testatur *Io.9. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est; veniet nox, quando nemo potest operari*; super quod *S.P. Aug. tract.44.* inquit: *Operetur ergo homo, dum viuit, ne illa nocte pręueniatur,vbi nemo possit operari*;& paulò post: *Ibi nemo potest operari, sed recipere, quod operatus est. Aliud est tempus operationis, aliud receptionis.* Sicut aliud est tempus serendi,aliud metendi, quod satum est; ergo mors Christi, & latus vulneris non fuerunt formaliter meritoria, & satisfactoria; prout meritum, & satisfactio important actionem formaliter vitalem.

11 Prob. 2. pars *ex S.P. Aug. tract. 120. in Io.* super illud. *Vnus militum lancea latus eius aperuit*; docente: *Vigilanti verbo Euangelista vsus est, vt non diceret; latus eius percussit, aut vulnerauit, aut quid aliud; sed aperuit; vt illic quodammodò vitæ ostium panderetur; vnde sacramenta Ecclesiæ manauerunt, sine quibus ad vitam, quę vera vita est, non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum; aqua illa salutare temperat poculum; hęc & lauacrum præstat, & potum. Hoc prænunciabat, quod Noe in latere Arcæ ostium facere iussus est, qua intrarent animalia, quę non erant diluuio peritura, quibus pręfigurabatur Ecclesia. Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, & appellata est vita, materque viuorum &c. In habitu iacentis, & dormientis hic secundus Adam inclinato capite in cruce dormiuit, & vnde ei formaretur coniux,* quod

quod de latere dormientis effluxit. O mors, vnde mortui reuiuiscunt! Quid isto sanguine mundius? Quid vulnere isto salubrius? Ex quibus sic. Illud, quod externè complet, & consummat actionem meritoriam, & satisfactoriam, est externè completiuum, & consummatiuum actionis meritoriæ, & satisfactoriæ; etiansi pro co tunc actio meritoria, & satisfactoria non existat; v.g. si quis debens centum soluat quinquaginta, & velit, vt omnino soluantur alia quinquaginta statim post mortem illius, illa erogatio externa facta post mortem est satisfactoria completiuè, & consummatiuè, quia est completio, & consummatio actionis satisfactoriæ, quæ censetur moraliter durare, quanuis physicè non existat; sed mors Christi, & latus vulneris compleuerunt, & consummarunt actionem meritoriam, & satisfactiuam; quia Christus meruit peccatoribus vitam volendo mori, & meruit ædificationem Ecclesiæ volendo, vt latus eius transfigeretur post mortem, vt ex illo vulnere fluerent sacramenta, quæ componunt Ecclesiam; & si mors secuta non esset, & latus non fuisset apertum, non esset externè completa, & consummata eius interna volitio, adeoq; fuit completio, & consummatio illius externa consecutio mortis, & apertio lateris; ergo mors Christi, & latus vulneris fuerunt externè completiuè, & consummatiuè meritoria, & satisfactoria. 2. Externa erogatio pretij, quod est obiectum actionis meritoriæ, & satisfactoriæ, est completiuè, & cõsummatiuè meritoria, & satisfactoria, etiansi illa actio physicè non existat; quia obiectum, & actio eandem denominationem sortiuntur; vnde paries dicitur visus fuisse ab oculo, etiansi actu non existat visio, dummodo tamen extiterit; sed mors Christi, & latus vulneris sunt externa erogatio pretij soluti à Christo pro nostra redemptione; vt ait *S. P. Aug. de Catacl. cap. 4. Percussit latus lancea persecutor, & fudit pretium Redemptor;* & *communiter* consentiunt *SS. PP*; ergo mors Christi, & vulnus lateris fuerunt completiuè, & consummatiuè externè meritoria, & satisfactiua. 3. Sanguis remissiuus peccatorum est meritorius, & satisfactorius externè completiuè, & consummatiuè; quia per sanguinis effusionem compleuit, & consummauit volitionem effundendi sanguinem, per quam volitionem formaliter meruit remissionem peccatorem; sed sanguis effusus in morte, & per vulnus lateris fuit remissiuus peccatorum; ergo idem. 4. Si animæ purgatorij in hac vita voluissent pati illas pęnas ita, vt illas prægustassent in spiritu cum ea intensione, & passione, cum qua illas patiuntur post hanc vitam, meruissent, & satisfeçissent per anticipationem illius doloris; & perpessio post hanc vitam diceretur completiua, & consummatiua illius meriti, & satisfactionis; sed Christus bibens calicem suæ passionis in horto prægustauit mortis passionem, & effusionem sanguinis in morte, & in vulnere futuram ita, vt talem senserit pœnam, qualem sensisset in corpore fundens sanguinem in morte, & per vulnus, si viuens illum fudisset; ergo idem. 5. Docent *SS. PP*; & *DD*; quòd sanguis effusus per vulnus lateris, vtpotè superabundans ad redemptionem, efformauit nobis thesaurum indulgentiarum; sed Christus hoc nobis meruit; omnia enim dona, & per consequens etiam indulgentiæ dantur nobis ex Christi meritis; ergo idem. 6. Totum illud quod spectat ad nostram redemptionem, aliquo modo est meritorium nostræ salutis, & satisfactorium pro nostris peccatis; quia redemptio est meritoria, & satisfactiua; sed totus sanguis Christi est huiusmodi; ergo etiam ille, qui effusus est in morte, & è latere Christi.

12 Completa autem *passione* nulla actio Christi post resurrectionem fuit meritoria, & satisfactoria; quia tunc fuit in statu receptionis, non operationis; & nulla actio elicita in tali statu fuit obiectum passionis, vel consummatio spectans ad actionem meritoriam, & satisfactiuam; quia consummatio externa operationis huius vitæ spectat ad hanc vitam, vt constat; ergo de facto nullam habet actionem meritoriam, & satisfactoriam, sed tantùm *impetratoriam*; impetratio enim potest competere puræ, & simplici orationi, vel actui amicitiæ, etiansi meritorius non sit; vt constat de amico Regis, qui per actum, quo ipsum deprecatur, non meretur gratiam, quam petit.

13 Dices. 1. Vna ex conditionibus requisitis ad meritum est status viæ; sed Christus effundens sanguinem in morte, & in *transfixione* lateris fuit extra statum viæ; tunc enim eius anima separata erat à corpore; ergo non meruit. 2. Quanuis ad merendum sufficiat voluntarium in causa; attamen requiritur status viæ; aliter animæ purgantes, & beati possent mereri dato, quòd ante mortem intendissent etiam mereri post mortem; ergo idem. 3. Christus, antequam moreretur, dixit *consummata* esse omnia, quæ spectant ad eius *passionem*; ergo ea, quæ postea fuerunt, non fuerunt meritoria.

Resp. ad 1. dist. ma. Ad meritum formaliter, conc; completiuè, & consummatiuè merè externè, neg. Ad 2. dist. ant. Requiritur status viæ initiatiuè, vel completiuè, conc; non completiuè, neg; quanuis enim mors Christi fuerit extra statum viæ formaliter, fuit tamen completiuè in statu viæ, quia fuit consummatio passionis inceptæ in statu viæ; & hoc sufficit, vt consummatiuè sit meritoria; actiones autem, quas habent animæ in purgatorio, & in Cœlo, non sunt externa consummatio actionis habitæ in via, & inceptæ; nec illæ animæ prægusta-

gustarunt illam passionem purgatorij in via, vt dictum est. Ad 3. dicitur ante mortem consummata fuisse omnia, quæ spectant ad pœnam Christi, & ad meritum formale; non autem quæ spectant ad eius complementum integrale.

§. II.

Quibus actibus, & quid nobis meruerit?

14 CIrca duos actus principaliter est difficultas; scilicet circa actum charitatis, quo Christus dilexit Deum, vt summum bonum diligibile; & circa actum obedientiæ, quo impleuit præceptum Patris de subeunda morte pro hominum salute; cùm enim actus meritorius sit essentialiter liber, & proprius status viæ; & actus charitatis, quo Christus dilexit Deum, vt summum bonum, sit actus charitatis patriæ regulatus per visionem beatam, quia secundùm partem superiorem, idèst secundùm partem intellectiuam, & volitiuam, Christus fuit beatus; & amor beatificus sit necessarius, non liber; aliter beati in patria mererentur amando Deum; ideo videtur, quòd per actum charitatis, quo Christus Deum dilexit, non fuerit meritorius. Dicere autem, quòd actus charitatis, quo Deum dilexit, non fuerit meritorius, est ipsi negare potissimum, & perfectissimum actum meritorium; quia nullus est actus magis meritorius, quàm actus charitatis, quo Deus diligitur; ab ipso enim sumunt rationem meritorij alij actus, quibus creaturas diligimus propter Deum dilectum. Sic libertas ad obediendum requirit expeditam potentiam ad non obediendum; sed Christus non potuit non obedire, quia non potuit peccare; ergo actus obedientiæ non videtur liber, & per consequens non meritorius.

15 *Vasq. disp. 73. c. 3; Becc. c. 14. q. 3; Val. to. 4. disp. 1. punct. 2.* aiunt Christum per actum charitatis Theologicæ non meruisse; sed per solam dilectionem proximi, quæ non elicitur ab habitu charitatis Theologicæ, sed ab habitu beneuolentiæ erga proximum.

Sed hæc sententia vel tollit totaliter rationem meriti à Christo Domino; vel asserit charitatem non esse totalem rationem, & radicem meriti; quod *in sola charitate solidatur*; vt habet *D. Greg. hom. 27. in Euang; & S. P. Aug. lib. 1. de grat. Christi c. 18.* super illud *Matth. 7. Non potest arbor bona malos facere*; & super illud *1. Tim. 6. Radix malorum omnium est cupiditas*; inquit: *Nam & Dominus nec arborem bonam dicit posse facere fructus malos, nec malam bonos; & Apost. Paulus, cùm dicit radicem malorum omnium esse cupiditatem, admonet vtique intelligi radicem bonorum omnium charitatem.* Ex quo sic. Ita se habet actus bonus, & meritorius ad actum charitatis; sicut fructus ad radicem; sed solùm à radice bona potest produci fructus bonus; ergo solùm ab actu charitatis, qui est meritorius, potest procedere actus meritorius; & sic nulla actio Christi esset meritoria, quod est impium. 2. Actus meritorius charitatis Theologicæ est specificè maior, & dignior meritoriè, quàm actus cuiuslibet alterius virtutis; quia est erga Deum, qui est omnis bonitas, & à quo est omnis dignitas; actus autem aliarum virtutum sunt erga creaturas; sed in Christo fuit maius, & dignius meritum, quàm in omni pura creatura; aliter meritum puræ creaturę esset specificè maius, & dignius merito Christi; ergo in Christo fuit actus meritorius charitatis Theologicæ. 3. Meritum est id, quo consequimur prœmium, & debet esse eiusdem dignitatis, & valoris cum præmio, si sit meritum de condigno, vt est meritum Christi Domini; sed solus actus charitatis Theologicæ est id, quo consequimur vitam æternam, & est eiusdem dignitatis cum vita æterna, à qua specificatur, quia actus trahit suam dignitatem ab obiecto; hinc *Luc. 10. Legisperito* quærenti, quid sibi esset agendum, vt vitam ęternam possideret, respondit Christus, quòd diligeret Deum, & proximum concludens: *Fac hoc, & viues*; & *1. Cor. 2. Quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum*; ex quibus deducitur manifestè vitam ęternam acquiri per solam Dei dilectionem, & proximi propter Deum, quæ procul dubio est actus virtutis Theologicæ; ergo actus, quo Christus nobis meruit vitam æternam, est actus charitatis Theologicæ. *Vid. to. 4. de grat. q. 5. art. 3*; vbi ostendimus nullum actum virtutis moralis esse meritorium vitæ æternæ, nisi sit ex motiuo charitatis Theologicæ, à quo haurit rationem meritorij vitæ æternæ. 4. Idem est habitus, quo diligimus Deum propter se, & proximum propter Deum; vt diximus *vbi s. de Char. q. 3. art. 1*; ideo si diligatur proximus, non propter Deum dilectum propter se, ille actus non est proficuus ad salutem, vt diximus *ibid. de Virt. q. 3. art. 7; & de grat. q. 2. art. 4*; sed habitus, quo diligimus Deum propter se, est virtus Theologica; ergo & habitus, quo diligimus proximum propter Deum, est habitus virtutis Theologicæ; & per consequẽs actus charitatis proximi, quo Christus meruit nobis salutem, est actus virtutis Theologicæ.

16 *Sot. lib. 3. de nat; & grat. c. 7; Sua. disp. 39. sect. 2; Ferrar. 4. cont. Gent. c. 62; Med; Viguer; Asturicen.* asserunt in Christo dari duos actus dilectionis Dei in se, & propter se; vnum regulatum scientia beata, seu clara Dei visione, & hunc esse simpliciter necessarium; alterum regulatum scientia supernaturali infusa, & hunc esse liberum, & meritorium.

Sed contra est. 1. In tantùm visio beata necessitat voluntatem ad actum charitatis, in quantùm innititur lumini gloriæ, quod euidenter ostendit Deum sub omni ratione boni absque permixtione alicuius mali, & ideo sub judicio rationis determinato tantùm ad vnam partem, scilicet ad rationem boni, per quam voluntas tendit prosequendo; non autem sub indifferentia ad bonum, & malum, per quam potest tendere, & non tendere; sed etiam scientia per se infusa Christi innititur lumini gloriæ; quia nequit inniti lumini naturali, quod est ineptum ad repræsentanda obiecta supernaturalia; neque lumini fidei, quod propter obscuritatem est incompossibile cum claritate luminis gloriæ, propter quod fides non est in Christo; & ideo innititur lumini gloriæ, cùm præter lumen naturale, & fidei non detur nisi lumen gloriæ, vt diximus *to. 1. q. 2. proem. art. 3*; ergo & scientia infusa necessitat eodem modo ad actum charitatis. 2. Scientia infusa, quæ fuit in Christo, vel fuit donum Spiritus Sancti, vel fuit habitus Theologicus proprius viatorum; vel habitus Theologicus proprius beatorum; nullus enim alius habitus scientiæ infusæ, quo cognoscantur obiecta supernaturalia, videtur admittendus ex ijs, quæ videmus in puris creaturis? Si primum; ergo illa scientia non regulat omnes actus meritorios, qui fuerunt in Christo, quia non regulat actum charitatis, quo diligitur Deus, vt in se summè diligibilis, qui actus est summè meritorius; iste enim est necessarius, & regulatur lumine gloriæ. Non secundum; quia in Christo non fuit fides, & ideo nec Theologia viatorum. Si tertium; ergo scientia infusa Christi non distinguitur realiter à visione beata, cùm hæc sit scientia beatorum, succedit enim fidei, vt docet *Apost. 1. Cor. 13. Cùm venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est*; vbi eum loqui de Theologia beatorum, & viatorum compertum est; ait enim; *Nunc est parte scimus, & ex parte prophetamus*; scire autem Deum competens in hac vita est Theologia viatorum. 3. Multiplicatio regulæ non sufficit ad multiplicandos actus regulatos realiter, vel virtualiter; essentialiter, vel accidentaliter; vt ex eo, quòd nauis duplici vento dirigatur ad eundem terminum, & duplici lumine, non dicitur moueri, & tendere duplici motu; & ex eo, quòd manus pictoris dirigatur arte picturæ, & prudentia, quæ sunt duo habitus distincti realiter, non dicitur formare duas picturas; sed visio beata, & scientia per se infusa sunt duæ regulæ habitus charitatis; ergo non possunt multiplicare duos actus procedentes ab eodem habitu charitatis Theologicæ, quorum vnus sit necessarius, & alter liber; ex quo colligitur ad multiplicationem specificam actuum requiri multiplicationem obiectorum formaliũ; quo etiam improbatur hæc sententia.

17 *Lorc. disp. 72. concl. 2; & Cipull. hìc ar. 3. dub. 2. concl. 2.* volunt in Christo fuisse duos actus charitatis regulatos per visionem beatam; vnum, quo dilexit bona Deo intrinseca; & hunc fuisse necessarium; alterum, quo dilexit bona extrinseca; vt gloriam, laudem, honorem, & obedientiam à creaturis Deo exhibendam, & hunc fuisse liberum.

Sed cont. est. 1. Beati eodem actu visionis vident in Deo perfectiones intrinsecas, & extrinsecas illius; quia eodem actu attingitur obiectum primarium, & secundarium; ergo & eodem actu amoris illas amant; & ideo illi actus non multiplicantur. 2. Actus, quo amantur bona Deo extrinseca, habet rationem meritorij ex eo, quòd amatur Deus in se, & ideo quoad perfectiones intrinsecas; si enim amentur res creatæ, non propter Deum dilectum in se, ille amor non est meritorius; ergo si actus, quo amãtur bona *Deo intrinseca, non est* meritorius; neq; actus, quo amãtur bona extrinseca. 3. Sequeretur esse in creatura pura perfectius meritum, quàm in Christo; quia in hac est amor perfectionum intrinsecarum Deo, qui est magis meritorius, vt diximus; sed conſ. est absurdum; ergo & ant. *Vid.* alias rationes allatas *cont. Vasq.*

18 *Gonet disp. 21. art. 1*; apud quem *Capr. in 3. dist. 18. art. 3; Asturicen; Naz; Aluar; Arrauius*, quibus additur *noster Gibb; & alij*, volunt dilectionem Christi terminatam ab bonitatem Diuinam, vt est ratio diligendi Deum, & perfectiones Dei necessarias, esse necessariam, non meritoriam; prout verò terminatur ad bonitatem Diuinam, & est ratio diligendi creaturas, & volendi Deo bona extrinseca, esse liberam, & meritoriam.

Sed ijsdem rationibus impugnatur. 1. Ratio diligendi creaturas est specificatiua amoris proximi, vt claret; sicut ratio diligendi Deum in se, & propter se, est specificatiua amoris Dei, qui in primo mandato præcipitur; sed amor proximi non habet rationem meritorij, nisi ab amore Dei; si autem amor Dei in se non esset meritorius, ab illo non posset amor proximi rationem meritorij desumere, quia *nemo dat, quod non habet*; ergo dilectio Christi nequit dici meritoria tantùm, prout terminatur ad Deum, vt est ratio diligendi creaturas. 2. Sequeretur meritum specificè maius esse in pura creatura, quàm in Christo. 3. Beati in patria per visionem beatam necessariò, non liberè, amant creaturas, quas vident in Deo, supposito, quòd illas videant; cùm enim creaturæ in Deo sint idem, ac creatrix essentia, sicuti essentiam Diuinam cognitam per visionem beatam necessariò amant; ita & creaturas in illa repræsentatas. Sic etiam Deus, quanuis liberè voluerit creaturas, quia potuit eas non velle; attamen supposito, quòd

semel

semel illas voluerit, non potest eas non velle; quia nequit nolle, quod voluit; ergo à pari dicendũ de visione beata Christi. 4. Christus meruit adimplendo legis mandata; dixit enim *Matth.* 5. *Nolite putare, quia veni soluere legem, aut prophetas, non veni soluere, sed adimplere*; super quod *S. P. Aug. lib.* 17. *cont. Faust. c.*6. *Impletur lex, cùm fiunt, quæ ibi præcepta sunt*; sed *plenitudo legis est charitas*, vt docet *Apost. Rom.*13; ergo Cristus meruit eliciendo actus charitatis præceptos à lege; atqui actus charitatis à lege præcepti sunt, vt diligatur Deus in se, & propter se, & deinde vt est ratio diligendi creaturas; ergo Christus vtroque modo amando Deum meruit. Tum quia implendo mandatum maximum magis meremur, quàm implendo mandatum minimum; sed diligendo Deum, vt est in se diligibilis, impletur mandatum maximum; & diligendo Deum, vt est ratio diligendi creaturas, impletur mandatum minimum; ergo magis meremur amando Deũ, vt est ratio diligendi se ipsum, quàm vt est ratio diligendi creaturas. Atqui in Christo fuit summum, & maximum meritum; ergo idem. Dimissis itaque his modis dicendi.

19 Vnica concl. Actus charitatis beatificæ in Christo, prout tendit in Deum secundùm se summè diligibilem mouendo, & inflammando vires inferiores, secundũ quas Christus erat viator, vt tenderet in ipsum totis viribus, tota mente, toto corde, & tota anima iuxta primum mandatũ in lege contentum, faciendo, vt etiam vires inferiores ordinarent suas operationes in Deum; & actus obedientiæ supposito etiam precepto de subeunda tali morte in particulari fuerunt actus summè meritorij gratiæ in vita præsenti, & gloriæ in futura nobis conferendæ.

Prob. 1. pars concl. *Scripturis*, & rationibus allatis. Ad rationem meriti requiritur essentialiter actus charitatis Theologicæ, & status viæ; sed actus charitatis Theologicæ est essentialiter primariò erga Deum summè, & secundùm se dilectum, & secundariò circa creaturas; & Christus Dominus fuit viator tantùm secundùm vires inferiores; ergo actus charitatis beatificæ in Christo, prout tendit in Deum mouendo, & inflammando vires inferiores, vt tenderet totis viribus, tota anima, & toto corde, easque in Deum secundùm se, & per se dilectum ordinando, fuit summè meritorius. Ant. constat ex dictis *to.* 4. *vbi s*; & deducitur *ex Luc.*10; vbi præcipitur amor Dei secundùm se; *&* 1. *Cor.* 2; vbi diligentibus Deum promittitur vita æterna, tanquam præmiũ, quod non datur, nisi merito; *& Matth.*5; vbi dicitur Christus impleuisse legem; non impleffet autem legem, si mandatum maximum legis de diligendo Deo in se, & per se non seruasset; seruans autem legem meretur; ait enim *Apost.* 2. *ad Tim.* 4. *Fidem* (idest legem Euangelicam) *seruaui; ideo reposita est mihi corona iustitiæ, quam repromisit Deus diligentibus se*; corona autem non datur ex iustitia, nisi illam merenti; quia non merenti, vt paruulo, datur ex gratia; præterea requiritur status viæ; quia postquam clauduntur oculi huic luci per mortem, *veniet nox, in qua nemo poterit operari*; tunc enim est tempus retributionis, non operationis, vt *ex hoc textu Io.* 9. arguit *S. P. Aug. tract.* 44. *vbi s*; ergo ad rationem actus meritorij requiritur actus charitatis Theologicæ, & status viæ. Mi. etiam probata est; nam charitas Theologica habet pro obiecto immediato, & primario Deum, vt summè diligibilem secundùm se, & per se; à quo habetur omnis bonitas, valor, & dignitas actus, & sine quo nulla est bonitas supernaturalis proficua ad salutem; & habet pro obiecto secundario, & mediato creaturas, quæ propter Deum summè dilectum amantur; & aliunde iste actus charitatis, qui secundùm se in Christo erat beatificus, solùm spectare poterat ad statum viæ, quatenus mouebat vires inferiores ordinando eorum actus in Deum; secundùm quas Christus tantummodò erat viator; & erat liber, quia vires inferiores in Christo subdebantur perfecto arbitrij dominio; quanuis enim secundùm suam entitatem per se esset necessarius; attamen quatenus mouebat vires inferiores libero voluntatis arbitrio perfectè subiectas, erat liber; sicuti licèt actus voluntatis Dei sit entitatiuè necessarius; attamen vt subijcit sibi creaturas illius altissimo dominio perfectè subiectas, est perfectissimè liber; ergo actus charitatis in Christo fuit essentialiter primariò circa Deum secundùm se, secundariò autem circa creaturas; & fuit in statu viæ, quatenus sibi subiecit vires inferiores ordinando eorum actus in Deum secundùm se dilectum; & per consequens nedum fuit meritorius, prout terminabatur ad Deum, quatenus est ratio diligendi creaturas, & bona extrinseca, sed etiam quatenus secundùm se, & per se diligibilem. *Vid.* alias rationes allatas, quibus impugnauimus aliorum sententias; nostram etenim probant.

20 Prob. 2. pars. Actus obedientiæ supposito prçcepto in particulari inspiratus à Deo in primo instanti conceptionis Christi, & æquè durans, ac actus charitatis, à primo instanti vsque ad vltimum vitæ instans, cùm primum fuit inspiratus, inuenit potentiam liberam in sua pura indifferentia, & ipsam actuauit; non enim tale præceptum posuit aliquid in voluntate antecedens ipsum actum, sed per decretum inspirans posuit ipsum actum in potentia nuda, & indifferenti; ergo non læsit illius libertatem, sed perfecit, quia illam actuauit; & ideo fuit summè meritorius; nam ad libertatem, quæ requiritur ad meritum, non exigitur libertas ad peccandum, quæ potiùs seruitus, & de-

& defectus est libertatis; vt dicemus *quæst.* 10; sed sufficit, vt talis actus recipiatur in potentia secundùm suam essentiam indifferenti ad illum recipiendum, & oppositum. Sed de hoc fusè *inf. loc. cit.*

21 Prob. 3. pars concl. *ex Rom.* 1. *Per quem accepimus gratiam; & 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu; & 5. Christus pro nobis mortuus est; multò igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum; & 7. Gratia Dei per Iesum Christum; & ad Titum 3. Iustificati gratia ipsius; & 1. Cor. 15. In Christo omnes viuificabuntur; & inf. Factus est primus homo Adam in animam viuentem; nouissimus Adam in spiritum viuificantem; & Ephes. 1. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundùm diuitias gratiæ eius; & 2. Cuius gratia saluati estis &c.* Ex quibus sic. Intuitu gratiæ Christi data est nobis gratia, & gloria; sed Christus meruit nobis id, quod datum est nobis intuitu meritorum ipsius; ergo meruit nobis gratiam, & gloriam. Ma. habetur in allatis *textibus*; quia intuitu gratiæ Christi iustificati, & saluati sumus; iustificatio autem per gratiam, & salus per gloriam habetur.

22 Ad rationem dubitandi dicitur, quòd licèt actus beatificus per ordinem ad partem superiorem fuerit necessarius, & spectauerit ad statum patriæ; per ordinem tamen ad partem inferiorem fuit liber, & spectans ad statum viæ, vt dictum est.

23 Dices. 1. In hoc distinguitur libertas Dei à libertate creaturæ; quòd illa non est indifferentia ad actum, sed ad solas creaturas volendas, vel nolendas; hæc autem est indifferentia ad actum; ergo de ratione libertatis humanæ Christi est posse eijcere actum liberum; sed non potuit amittere actum charitatis beatificæ, quia inamissibilis est; ergo ille non fuit liber. 2. Dilectio Christi, vt regulata per visionem beatam, non fuit actus viatoris, sed comprehensoris; quia visio beata non conuenit viatori; ergo ille actus non fuit liber, quia non fuit in statu viæ. 3. Quòd actus voluntatis Diuinæ sit necessarius quoad entitatem, & liber quoad terminationem extrinsecam, prouenit ex eius infinitate; sed actus dilectionis voluntatis humanæ Christi est finitus; ergo idem.

Resp. ad 1. discrimen voluntatis Diuinæ, & creatæ esse, quòd hæc est indifferens ad actum recipiendum, vel non recipiendum; & sic voluntas Christi fuit indifferens ad velle, & nolle pati; & ideo liberè voluit; quia ita voluit, vt potuerit nolle; quapropter ad ostendendam hanc possibilitatem in horto rogando Patrem dixit: *Transeat à me calix iste*; non autem hoc rogasset, si fuisset ei impossibile; postquam tamen semel voluit, semper voluit; quia ita voluit subijciendo perfectè suam voluntatem voluntati Diuinæ, quæ nequit nolle, quod semel voluit; hinc subiunxit: *Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat*. Neque hoc tollit rationem liberi, sed arguit rationem perfecti liberi, qui non mutatur ab eo, quod liberè voluit; vt patet de Deo, qui est perfectissimum, cùm sit primum, liberum. Sic soluitur obiectio de obedientia; poterat enim non obedire, cùm obedijt, si non recepisset in primo instanti actũ perfectæ obedientiæ; at non poterat non obedire, cùm liberè voluit obedire, quia illa obedientia fuit perfecta; & liberè voluit perfectè obedire; non est autem perfecta obedientia, quæ non durat vsque ad finem. Ad 2. dist. ant. Dilectio Christi, vt mouens vires inferiores, secundùm quas erat viator, neg; spectata secũdùm vires superiores præcisè, conc. Ad 3. neg. ma; nam actus nostræ voluntatis nedum habet tendere in Deum, sed etiam mouere, & imperare potentijs, & tamen est liber. Igitur ex eius infinitate prouenit, quòd tendat in Deum infinito modo, & quòd terminetur ad infinitas creaturas.

24 Obijc. *Gonet.* Actus charitatis Christi, vt terminatus ad bonitatem Diuinam, prout est ratio diligendi creaturas, fuit liber in Christo; ergo fuit meritorius.

Ad hoc iam dictum est, quòd licèt Deus liberè diligat creaturas; attamen Christus per visionem beatam necessariò diligit Deum, vt diligentem creaturas; quia necessariò diligit Deum, vt ipsum beatificantem, cùm dilectio beatifica necessariò specificetur ab obiecto beatifico; Deus autem non beatificat creaturas, nisi diligendo; cùm beatificatio sit excellentissima dilectio, qua Deus diligit creaturas. Sed dato illum actum esse liberum; attamen non sequitur esse meritorium, quia habetur secundùm vires superiores; beati enim diligunt Deum, vt est ratio diligendi creaturas; & secundùm vires superiores Christus non fuit viator, & ideo non potuit mereri.

25 Ex dictis infertur Christum non meruisse per dilectionem Dei abstractiuè cogniti per scientiam infusam; quia cùm in ipso non fuerit aliud lumen supernaturale, quàm lumen gloriæ, quòd intuitiuè repræsentat; ideo non fuit in ipso cognitio Dei abstractiua, secus in ipso fuisset fides.

26 Quæres; an Christus meruerit nobis nedum executionem gloriæ, sed etiam primã electionem ad gloriam?

Resp. affirmatiuè. *Vid. to. 2. de præd. SS. quæst. 3. art. 3.*

§. III.

§. III.

An merita Christi fuerint infiniti valoris?

27 Fatentur *omnes teste Mastrio inf.* meritum Christi, sicut & satisfactionem, esse infinitum; fuit enim sufficiens ad redimendos infinitos homines ab infinitis peccatis, si infiniti homines *ab Adam* geniti infinita peccata patrassent; nam *Rom.* 5. habetur: *Sed non sicut delictum, ita & donum; si enim vnius delicto multi mortui sunt; multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit*; & postquam maiorem gratiæ abundantiam, quàm fuerit abundantia peccati, descripsit, concludit: *Vbi autem abundauit delictũ, superabundauit & gratia.* Opera ergo Christi Domini habuerunt valorem infinitum tam per ordinem ad merendum nobis gratiam, & gloriam; quàm per ordinem ad satisfaciendum pro offensis Deo illatis. Quæstio autem est; an hic valor infinitus proueniat ab intrinseco eo, quia opera meritoria proueniunt à persona Christi, quæ est infinitè sancta, & infinitè digna; an verò ab extrinseco, nempe ex acceptatione Diuina ex quadam congruitate eo, quia congruum est, vt actio elicita à supposito Diuino acceptetur, tanquam infiniti valoris; & ideo non sit infiniti valoris simpliciter, sed tantùm secundùm quid. Diximus, an merita, prout proueniunt à supposito Diuino, hauriant infinitum valorem; certum enim est, quòd si considerentur, vt proueniunt à gratia habituali, quam *sup.* diximus esse finitam simpliciter, & solùm comparatiuè secundùm quid infinitam, esse tantùm secundùm quid, non simpliciter infinita.

28 Prima sententia vult valorem meritorum Christi non esse intrinsecè infinitum simpliciter, sed tantùm secundùm quid extrinsecè per acceptationem Diuinam. *Ita Scot. in 3. dist.* 19; *& 20; & in 4. dist.* 15. *qu.* 1; *Dur. in 3. dist.* 20. *q.* 2; *Med. C. de pæn. tract.* 3. *q.* 3; *Nominales, & Scotistæ, Mair; Rubion; Bassol; Lychet; Tataret; Faber, Rada, Aretin; Galli; Centin; Bellut.* asserentes, quòd quanuis meritum Christi, vt potè elicitum à persona Diuina, haberet congruitatem quandam, vt acceptaretur à Deo, tanquam infinitum, pro infinitis hominibus redimendis, quam congruitatem non haberet meritum cuiuscunque personæ creatæ; attamen secundùm se intrinsecè fuit finitum. Excipitur *Vulp*; qui voluit meritum Christi fuisse infinitum intrinsecè, quia includebat bonum velle Diuinum proprium Verbi fundatum in natura Diuina; & cùm premitur, quòd Christus per operationes Diuinas non potuit mereri, quia meritum dicit respectum inferioris ad superiorem, à quo remunerationem expectat; respondet Verbum esse æquale Patri secundùm naturam, inferius tamen secundùm personam; quia secundùm personam mittitur, & missus inferior est mittente. Sed hoc est apertè *contra Diuinas Scripturas* concedentes æqualitatem inter Diuinas personas nedum ratione naturæ, sed etiam ratione personalitatis; hinc *Symb. D. Athan.* habet: *Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil maius, aut minus; sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales*; vbi expressè æqualitatem nedum in natura, sed etiam in personis definit; & *inf.* loquens de Christo ait: *Aequalis Patri secundùm Diuinitatem, minor Patre secundùm humanitatem*; Diuinitas autem competit nedum naturæ, sed etiam personæ Christi; *& S. P. Aug. lib.* 15. *de Trin. c.* 14. *Verbum ergo Dei Patris vnigenitus Dei Filius per omnia Patri similis, & æqualis.* Personam autem missam inferiorem esse persona mittente error est *Arianorum*, vt docet *S. P. Aug. lib. de quinque hær. cap.* 7. *Tu, Arriane, dicis maiorem esse, qui mittit; minorem, qui mittitur*; & paulò post. *Ego nullam discretionem video, sed potiùs æqualitatem conspicio; & lib.* 4. *de Trin. c.* 20. *Si autem secundùm hoc missus à Patre Filius dicitur, quia ille Pater est; ille Filius; nullo modo impedit, vt credamus æqualem Patri esse Filium consubstantialem, & coæternum, & tamen à Patre missum Filium. Non quia ille maior est, ille minor; sed quia ille Pater, ille Filius.* Dimissa igitur hac explicatione *Scoti. Mastr. hìc disp.* 3. *q.* 8. *art.* 1. ait *Scotum* non docuisse *Diuinam acceptationem, & promissionem esse totale meriti constitutiuum, sed tantùm dixit esse meriti completiuum; & quando dixit Diuinam acceptationem esse meriti complementum, locutus est de acceptatione actuali, quę ab alijs dicitur pactum, & immediatè cadit super ipsum actum; non verò de acceptatione habituali in gratia ipsa inclusa, & spectat ad personam, quæ etiam est necessaria ad meritum, vt potè quæ tribuit actui à tali persona procedenti valorem ad præmium supernaturale.* Propterea *Scotus* voluit solùm Christi meritum non fuisse infinitũ simpliciter, sed tantùm secundùm quid; quia non omnia, quæ concurrerunt ad meritum Christi, vt gratia, intensio operis, duratio, locus, & obiectum, fuerunt infinita. An hæc explicatio quadret menti *Scoti*; vel potiùs ipsum ducat in nostram sententiam, videant illius discipuli.

29 Nostra tandem sententia docet merita Christi, si referantur ad gratiam habitualem, quæ secundùm quid infinita est, habere infinitatem secundùm quid; si verò referantur ad personam infinitè sanctam, à qua tanquam à principio *quod*, eliciuntur, habere valorem infinitum simpliciter. *Ita Fund. Doct. loc. cit. in sup. quest. art.* 2. *§.* 2; *& dist.* 1. *par.* 2. *art.* 2; vbi docet, quòd nulla creatura pura potuit satisfacere

facere

facere pro peccato naturæ humanæ, quia natura humana de se est multiplicabilis in infinita indiuidua; & nulla pura creatura potest mereri satisfactionem pro infinitis hominibus: Idem docet *D. Thom; & omnes Thomistæ*; sequuntur noster *Gibb; Bernardin; & ex alijs Sua; Vasq; Lug; Tanner; Bernal, Arriga &c.*

30 Not; quòd si loquamur de actibus meritorijs Christi secundùm entitatem physicam, certum est eos esse finitos simpliciter, quia principia physica, à quibus producuntur, vt sunt intellectus, voluntas, habitus charitatis, gratia habitualis &c. sunt simpliciter finita, sunt enim accidentia subiectiuè recepta in natura humana, quæ est ens finitum simpliciter. Item si loquamur per ordinem ad principia moralia formalia, *quibus* producuntur, vt sunt habitus supernaturales, ratio &c. sunt simpliciter finiti; quia isti pariter sunt finiti simpliciter. Sensus ergo quæstionis est; an actus Christi meritorij considerati per ordinem solùm ad suppositum Diuinum ipsius, quod est principium *quod* productiuum illorum, ab illo desumant valorem infinitum simpliciter ita, vt iste valor careat terminis intrinsecè ipsum finientibus. Vnde hoc aduerbium *simpliciter* potest sumi dupliciter. 1. Prout facit sensum *in omni genere, & secundùm quancunque rationem, & respectum*; quomodò Deus dicitur simpliciter infinitus in omni genere entis, & secundùm quacunque rationem; & hoc modo non sumitur *simpliciter* in præsenti, vt dictum est. 2. Prout facit sensum in genere valoris, qui desumitur à principio *quod* præcisè; & in hoc sensu dicimus esse infinitum simpliciter in genere, quia continet omnem valorem, qui potest desumi à quocunque supposito possibili; & à nullo præmio actuali limitatur, finitur, aut potest limitari, finiri, & exhauriri. Sicut v.g. si daretur animalitas, quæ contineret omnes species, & indiuidua animalium etiam possibilia, quæ procul dubio sunt infinita, illa animalitas esset infinita simpliciter in genere; quia in genere animalis nulla ei posset fieri additio, quia nulla ei posset superaddi animalitas; non tamen esset infinita in omni genere, quia non contineret omnes species, & indiuidua substantiæ incorporeæ; & ideo non esset infinita simpliciter in omni genere. Ex quo soluuntur argumenta *Mastr*; vt patebit.

31 Vnica concl. Valor moralis operum Christi per ordinem ad suppositum Diuinum, quod est principium *quod* productiuum illorũ, est infinitus simpliciter in genere; per ordinem verò ad gratiam habitualem, & habitum charitatis est infinitus tantùm secundùm quid.

Prob. 1. pars concl. *ex Apost. vbi sup. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Quod excedit omne præmium possibile omnis puri hominis possibilis etiam categorematicè sumpti, est infinitum simpliciter in genere meriti; sed valor operum Christi per ordinem ad suppositũ Diuinum, tanquam ad principium *quod*, à quo eliciuntur, excedit omne meritum cuiuscunque puri hominis possibilis etiam categorematicè sumpti; ergo est infinitus simpliciter in genere meriti. Prob. ma. Quod mensurat per excessum aliquod infinitũ simpliciter, est infinitum simpliciter; quia nullum finitum potest esse mensura excedens infinitum; quantitas enim finita deficit à quantitate infinita, & ideo nequit esse, nisi mensura per defectum; sicut quantitas infinita, quia excedit quantitatem finitam, potest esse mensura illius per excessum; sed omne præmium possibile cuiuscunque puri hominis possibilis categorematicè sumpti est infinitum simpliciter in genere meriti; quia omnes homines possibiles categorematicè sumpti sũt infiniti simpliciter; & ideo omne meritum possibile cuiuscunque hominis possibilis categorematicè sumptum est infinitum simpliciter in genere meriti; vt constat; ergo quod excedit omne meritum possibile cuiuscunque puri hominis possibilis categorematicè sumpti, est infinitum simpliciter in genere meriti. Prob. mi. Valor operum Christi Domini per ordinem ad suppositum Diuinum commensuratur cum sanctitate suppositi Diuini; & valor operum cuiuscũque puri hominis possibilis commensuratur cũ sanctitate suppositi humani, à quo producitur; causa enim est mensura sui effectus, cùm adæquet, si sit causa vniuoca; vel excedat effectũ, si sit causa æquiuoca; hinc Deus est mensura omnium creaturarum, quia est illarum causa; sed sanctitas suppositi Diuini excedit omnem sanctitatem cuiuslibet suppositi humani etiam categorematicè sumpti; quia sanctitas Dei cõtinet omnem sanctitatem possibilem communicari nedum omnibus hominibus, sed etiam omnibus Angelis &c; ergo valor operum Christi per ordinem ad suppositum Diuinum est infinitus simpliciter.

32 Conf. Valor operum Christi nedum desumitur à sanctitate accidentali naturæ humanæ, scilicet à gratia habituali, sed etiam à sanctitate substantiali suppositi Diuini; sed quatenus desumitur à sanctitate accidentali, est finitus simpliciter, quia gratia habitualis est finita simpliciter; ergo quatenus sumitur à supposito Diuino, quod est infinitum simpliciter, est infinitum simpliciter. Ma. definita fuit *à Paulo V; & Greg. XIII.* contra propositionem 20. *inter Baianas*, asserentem: *Opera iustitiæ, & temperantiæ, quæ fecit Christus, ex dignitate personæ operantis non traxerunt maiorem valorem*; & expressè traditur *à S.P. Aug. in Enchir. c.108. Neque per ipsum liberaremur vnum Mediatorem Dei, & hominum hominem Christum Iesum, nisi esset & Deus*; & *tract.81. in Ioan. Nisi*

Deus

Deus esset, vitam palmitibus non praeberet; idest gratiam, & gloriam, quae est vita supernaturalis animae, hominibus non mereretur. Ex quibus sic. Si valor operum Christi non sumeretur etiam à sanctitate increata suppositi Diuini, potuisset Christus, etiansi Deus non esset, elicere opera eiusdem valoris; & sic esse Mediatorem Dei, & hominum per ordinem ad hominum redemptionem à peccato; nam quia actiones naturales Christi non desumuntur à supposito Diuino, vt Diuinum est, sed vt gerit munus suppositi creati; ideo tales actiones essent in Christo, etiansi non esset Deus, sed esset purus homo; sed si Christus nõ esset Deus, eius opera non fuissent eiusdem valoris, quia non fuissent opera Mediatoris inter Deum, & hominem; nam purus homo nequit esse Mediator inter homines, & Deum; docet enim *S. P. Aug.* medium debere aequaliter distare ab extremis; & purus homo non distat à puro homine; at verò Deus homo aequaliter distat à Deo, & ab homine, quia, vt Deus, infinitè distat ab homine; & vt homo, infinitè distat à Deo; & ideo aequaliter distat ab extremis, quae sunt Deus, & homo; in tantùm autem opera Christi habent valorem liberandi homines à peccato, & reconciliandi ipsum cum Deo; in quantùm sunt opera Mediatoris inter Deum, & homines Deo inimicos per peccatum; ergo valor operum Christi nedum sumitur à gratia habituali, quae conuenit naturae humanae, sed etiam à sanctitate increata suppositi Diuini, quae competit supposito Diuino, vt Deus est, non vt gerit vices suppositi humani. Atqui haec sanctitas est infinita simpliciter; ergo & valor ab illa desumptus.

33 Vrgetur *ex eod. S. P. Aug. ibid.* Condignitas compensatiua indignitatis offensae per peccatum Deo irrogatae non potest haberi, nisi à Deo, vt Deus est; sed valor operum Christi habet condignitatem reparatiuam offensae per peccatum Deo irrogatae; ergo valor operum Christi nequit haberi, nisi à Deo, vt Deus est; atqui Deus, vt Deus est, est infinitus simpliciter; ergo idem. Mi. patet, & *inf.* explicabitur. Prob. ma. Indignitas offensae Deo per peccatum *Adae* irrogatę consistit in hoc, quòd homo superbiendo vsque ad mortem animae voluerit esse Deus per naturã, qui poterat esse per gratiam; ergo cõdignitas reparatiua huius indignitatis consistit in hoc, quòd Deus voluerit esse homo per naturam se humiliando vsque ad mortem corporis assumẽdo naturam humanam, & secundùm naturam humanam moriendo pro homine; condignitas enim opponitur indignitati, & ideo tollit indignitatẽ, quia *quodlibet tollitur per suum oppositum*; haec autem sunt opposita, vt constat. *Sed de hoc inf.*

34 Idem docet *Clem. VI. in extra. Vnigenitus de paenit. & remissionib.* vbi loquens de thesauro Ecclesiae, qui nunquam minuitur, & consumitur per quamlibet concessionem indulgentiarum *propter infinita Christi merita*; allatam reddit rationem: *Ideo potuisse Christum genus humanum perfectè redimere; quia erat Deus, & homo*; & statim subdit: *Vnam guttam sanguinis Christi propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani suffecisse.* Ex his manifestè deducitur valorem moralem operum Christi Domini mediante natura humana elicitorum desumi à supposito Diuino, quatenus Deus est; & ideo esse infinitum simpliciter, sicut est simpliciter infinita sanctitas, & dignitas suppositi Diuini, quatenus Deus est; & non desumi à sola acceptatione Dei extrinseca, sed ab vnione humanitatis ad Verbum Diuinum; de quo *vid. to. 4. q. 5. de Mer. art. 2; & locis ibid. cit*; aliter posset quaelibet actio cuiuslibet puri hominis aequalem, vel maiorem valorem habere, quàm actio Christi; quia posset à Deo acceptari ad aequale, vel maius praemium; quod est absurdissimum. *Sed de hoc iterum in seq. art. n. 17.*

35 Item *Apost. Ephes. 5.* ait de Christo: *Exauditus est pro sua reuerentia*; idest meruit praemium obtinere, quod eius dignitati debetur; sed reuerentia est erga personam; ergo valor operum Christi desumitur à dignitate personalitatis Diuinae.

36 *Phil.* etiam *in lib. Eth.* hoc habet asserens, quòd sicut iniuria facta Regi, quamuis leuior, debet grauiùs puniri, quàm iniuria irrogata plebeio, quamuis grauior; quia offensa crescit nedum ex malitia offendentis, sed etiam ex dignitate personae offensae; ita honor, & gratia facta ab aliquo nedum crescit ex honorantis affectu, & ex quantitate rei donatae, sed etiam ex dignitate personae donantis; ergo valor operum Christi nedum sumendus est ex gratia habituali ipsius, sed etiam ex dignitate personae ipsius Christi; sed gratia habitualis est simpliciter finita, & secundùm quid infinita, vt diximus *in sup. quaest. art. 2. §. 2*; & persona Christi est infinitè digna simpliciter; ergo valor operum Christi per ordinem ad gratiam habitualem est secundùm quid infinitus; & per ordinem ad dignitatem personae ipsius Christi est infinitus simpliciter.

37 Explic; & magis prob. Quamuis *aliqui* asserant valorem moralem consistere in denominatione extrinseca, vt *Vasq. hic disp. 6. c. 3*; vel in quadam qualitate morali impressa actibus elicitis Christi; vt *noster Gibb; & Bernardin*; attamen dicendum consistere in relatione conformitatis ad principia moralia, vt diximus *to. 3. de bon; & mal. q. 5. art. 1. §. 2*; sicut autem principium physicum aliud est principium *quo*, quod est ipsa ratio formalis agendi; aliud *quod*, quod est ipsum suppositum; ita principium morale aliud est *quo*, quod est ipsa ratio formalis agendi,

agendi, vel dirigendi actionem; aliud est *quod*, quod est ipsa persona agens, dirigens &c. suas actiones; ergo sicut bonitas physica actionis sumitur à ratione formali physica, & supposito physico; ita valor moralis sumitur à principio *quo* morali, & à dignitate personæ, quæ est principium *quod* morale. Ex hoc sic arguitur. Ex eo, quòd aliquis actus producatur à principiis *quo*, & *quod*, dicit relationem realem ad illa; quia effectus essentialiter dicit relationem ad illa, quorum est effectus; ergo ex eo, quòd actus moralis producatur à gratia habituali, & persona, dicit relationem realem ad illa; atqui relatio formaliter sumpta specificatur à suo correlatiuo; & specificatiuum adęquatur cum specificato; ergo relatio operum Christi per ordinem ad dignitatem suppositi Diuini specificatur, & adæquatur cum illo; & ideo sicut illud est infinitè dignum, ita dicendum de istis; & eodem modo loquendum de ijsdem operibus respectu gratiæ habitualis.

38 Quòd autem valor non consistat in denominatione extrinseca, prob; aliter opera Christi non haberent valorem intrinsecum; & quòd non consistat in qualitate morali, euincitur; quia illa qualitas esset creata, & ideo finita.

39 Dices. 1. Illa relatio recipitur in actu creato; sed actus creatus est finitus; ergo & relatio recepta. 2. Ex eo, quòd creatura dicat relationem ad Deum, qui est infinitus, non dicitur illa relatio infinita; ergo à pari.

Resp. ad 1. dist. ma. Relatio recipitur secundùm esse *in*, quod non est formale, sed materiale relationis, conc; secundùm esse *ad*, neg; nam secundùm esse *ad* est ad terminum, à quo specificatur; sicut enim visio corporalis, si sumatur per ordinem ad subiectum, in quo est, est in illo, tanquam in puncto indiuisibili; at per ordinem ad obiectum extenditur ad extensionem, & latitudinem illius; ita relatio conformitatis moralis per ordinem ad actum, in quo est, est finita, sed hoc modo non est conformitas; & per ordinem ad infinitam dignitatem personæ Diuinæ, quæ totam suam maiestatem humiliauit vsq; ad mortem, est infinita. Ad 2. neg. cons; & disparitas est; quia Deus non producit creaturam secundùm plenitudinem suæ omnipotentiæ, & ideo nec quatenus est infinita; sed quatenus veluti indiuidualiter æquiualenter est causa huius particularis creaturæ, & ideo non creat modo infinito, nec relatio creaturæ est infinita. At verò persona Verbi plenitudinem suæ maiestatis, ac dignitatis humiliauit in obsequium Dei per actus bonos à se elicitos; & ideo relatio operum Christi ad personam Verbi specificatur, & adæquatur à dignitate infinita Verbi Diuini.

40 Replic. Visio beata, prout terminatur ad Deum infinitè visibilem, non est infinita; ergo à pari. 2. Suppositum Diuinum non dat operibus valorem, nisi quatenus terminat naturam humanam, sed terminat naturam modo finito; ergo idem.

Resp. neg. cons; nam visio beata non est actio elicita à Deo, vt à principio *quod*; sicut opera Christi eliciuntur à supposito Diuino, vt à principio *quod*; ideo quia visio beata elicitur à creatura, tanquam à principio *quod* finito, & limitato, cum quo debet conformari, est finita; at verò opera Christi, quia eliciuntur à supposito simpliciter infinito, cum quo debent moraliter conformari, ideo sunt simpliciter infinita in esse moralis valoris.

41 Inst. iterum. Opera Christi eliciuntur à supposito Verbi etiam in esse physico, & tamen non sunt physicè infinita; ergo nec moraliter.

Resp. dist. ant. Eliciuntur immediatè, neg; mediante natura humana, & gratia habituali physicè finita, conc; actus enim conformatur cum principio proximo, & immediato. At valor moralis habetur immediatè à dignitate personæ Verbi, quæ dedit valorem operibus Christi, quatenus se ipsam immediatè humiliauit, exinaniendo se ipsam, vt loquitur *Apost. Formam serui accipiens*. Sicuti nummus in esse physico accipit esse ab artifice; accipit tamen valorem monetæ à Rege immediatè, qui valor est distinctus à valore, quem habet nummus ex natura rei; nam aliud est pretium materię nummi, si vendatur; aliud si expendatur iuxta valorem taxatum à Rege; ergo sicut nummus habet valorem ex natura sua, & valorem inditum à Rege, ita opera Christi habent valorem ex natura sua, quia sunt moraliter bona, sunt enim à gratia sanctificante naturam humanam, quæ finita est, & in hoc sensu sunt infinita tantùm secundùm quid; & habent valorem immediatè à supposito Diuino, quod est infinitum; & hoc modo sunt infinita simpliciter in genere valoris moralis. Ad 2. dist. ma. Si illa particula *prout* reduplicet rationem formalem dignificãdi, & faciat sensum vnionem hipostaticam esse causam formalem dantem valorem, neg; causa enim formalis dignificandi est dignitas personæ. Si reduplicet aliquod materialiter requisitum; & facit sensum, quòd adhoc, vt persona Diuina dignificet, necesse sit esse vnitam personæ, ita tamen, vt valor adæquetur dignitati personæ secundùm se, conc.

42 Obijc. 1. *Faber Phil. 5. Eth c. 4.* ait in iustitia commutatiua, & correctiua non attendi rationem personarum, sed nocumenti; sed valor satisfactorius operum Christi pertinet ad iustitiam commutatiuam, & correctiuam; ergo non attenditur pęnes dignitatem personæ. 2. Suppositum Verbi nullam actionem habet circa voluntatem humanam, quam non habeat tota Trinitas; quia actiones ad extra sunt communes

munes toti Trinitati; sed valor operum Christi non attenditur ex dignitate personæ Patris, vel Spiritus Sancti; ergo neq; Verbi. 3. In tantùm actus satisfactorius factus alicui plebeio ab aliquo Principe crescit ex dignitate personæ; in quantùm persona Principis non est sub dominio plebeij, & aliunde potest Princeps se ipsum submittere plebeio; sed omnis persona creata est sub dominio Dei; & suppositum Verbi nequit se submittere Deo; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. ma. In actionibus merè realibus, quæ consistunt in lucro, vel damno, vt sunt venditiones, & emptiones, conc; in actionibus personalibus, quæ consistunt in iniuria, vel merito, neg; & hoc ait *Phil.* expressè. Ad 2. dist. ma. Nullam actionem in genere causæ efficientis physicæ elicitam immediatè per naturam Diuinam, conc: in genere causæ moralis elicitam per naturam humanam, neg; nam solum suppositum Verbi, non Patris, aut Spiritus Sancti, est principium humanarum actionum Christi Domini; & ideo solum suppositum Verbi potest eis dare valorem moralem. Ad 3. dist. mi. Persona Verbi, vt suppositans naturam humanam, est sub dominio Dei, & nequit se submittere Deo, neg; nam vt suppositans, non est seruus, sed Filius, vt diximus *q.6. art.2*; & se Deo submisit, quia *humiliauit semetipsum*; est sub dominio Dei præcisè secundùm naturam humanam; & nequit se submittere Deo, vt est suppositum Diuinum terminans naturam Diuinam, conc.

43 Obijc. 2. *Mastr.* Quantitas meriti, vel satisfactionis nedum oritur ex dignitate operantis, sed etiam ex intensione operis, duratione, loco, obiecto, & principio actionis; sed ista sunt finita; ergo non obstante infinitate personæ meritum erit finitum simpliciter, & tantùm secundùm quid infinitum; quia infinitum simpliciter est illud, quod est infinitum secundùm omnes rationes. 2. Sequeretur omnia Christi opera habere æqualem valorem, cùm vnum infinitum non sit maius alio; nec Christum plus meruisse vno opere excellentiore v. g. moriendo, quàm opere inferiori v.g. prædicando; sed hoc est *contra Scripturam, & SS. PP.* tribuentes nostram redemptionem passioni, non alijs actionibus Christi; ergo idem. 3. Sequeretur Christum plus potuisse mereri, quàm Deus possit remunerari; & eundem esse valorem vnius operis, ac omnium operum; & sic totum non esse maius sua parte; & infinito posse fieri additionem; & ne minimam partem operis Christi fuisse remuneratam, & compensatam à Deo, imò nunquam posse à Deo compensari; & tandem dari infinitum in actu; & sic vrgeri possunt omnes implicantiæ, quæ contra infinitum categorematicum adducuntur.

Resp. ad 1; quod iam fuit solutum *superiùs*, dist. ma. Quantitas meriti per ordinem ad dignitatem personæ, neg; per ordinem ad principia formalia, conc. ma; & neg. cons; ad cuius prob. infert. dist. Infinitum simpliciter in omni genere est illud, quod est infinitum secundùm omnes rationes, conc; infinitum tantùm in vno genere, neg. Sicuti si Rex iuberet aliquem nummum habere valorem infinitum ita, vt illo posset emi quælibet res cuiuslibet pretij; ille esset infiniti valoris per ordinem ad auctoritatem Regis, non per ordinem ad materiam, ex qua est. Item si daretur quantitas infinita secundùm omnes suas species, esset infinita simpliciter in genere quãtitatis, non in genere qualitatis, substantiæ &c; ita à pari. Præterea dicitur, quòd quæstio non procedit de infinitate simpliciter in omni genere; nullum enim in hoc sensu potest esse dubium, vt dictum est; sed de infinitate simpliciter in vno genere, scilicet per ordinem ad dignitatem personæ. Ad 2. dist. seq. Haberent æqualem valorem per ordinem ad dignitatem personæ Diuinæ, conc; eadem enim persona Diuina dignificat omnia opera Christi; per ordinem ad gratiam sanctificantem, & virtutes, quibus mediantibus elicita fuere, neg; & sic eodem modo meruit Christus per ordinem ad dignitatem personæ; sed diuersimodè per ordinem ad virtutes, per ordinem ad quas vnum Christi opus fuit alio magis meritorium; & hoc *iuxta Scripturam, & PP.*; qui asserunt vnam guttam sanguinis fuisse infinitè meritoriam, quod est intelligendum per ordinem ad dignitatem personæ Diuinæ; & sua morte nos redemisse, quod intelligitur per ordinem ad principia formalia moralia elicitiua actionis meritoriæ. Ad 3. eodem modo dist. Sequeretur Christum plus potuisse mereri per principia formalia moralia, quàm Deus remunerari, neg; per ordinem ad dignitatem personæ merentis, conc; & eundem esse valorem vnius, ac omnium operum per ordinem ad principia formalia moralia, neg; per ordinem ad dignitatem personæ, conc. Ratio autem totius, & partis sumitur tantùm per ordinem ad materiam, quæ partitur; non per ordinem ad dignitatem personæ, quæ est indiuisibilis, vt constat; & ideo pars meriti minus præmium meretur, quàm totum meritum; & quia meritum sumptum per ordinem ad materiam, & ad principia formalia moralia est finitum, ideo totum fuit remuneratum, & compensatũ; quanuis per ordinem ad dignitatem personæ sit incõpensabile. Ad aliud dist. Daretur infinitum in actu secundùm esse absolutum, neg; secundùm esse relatiuum *ad*, quod importat tantùm infinitatem in esse in termino correlatiuo specificante, qui est suppositum Diuinum, quod de fide est esse infinitum simpliciter, conc; & à nullo potest negari. Sufficit ergo ad soluenda ista omnia sophismata, quòd opera Christi considerata per ordinem ad principia formalia mo-

moralia, quibus eliciuntur, sint finita; sicut sunt finita principia; sic enim sunt inæqualia, compensabilia &c; quamuis per ordinem ad dignitatem personæ, quæ est infinita simpliciter, simpliciter sint infinita; sufficit enim, quòd præmium æquale detur operibus per ordinem ad naturam humanã, cui aliquod potest ęquari; non per ordinem personam Diuinam, cui nihil potest æquari.

44 Inst. Sequeretur 1. satisfactionem Christi inuoluere omnẽ nostram satisfactionem; & sic nos non teneri ad satisfaciendum pro nostris peccatis, quod damnatur *in Trid. sess.* 14. *can.* 4. 2. Plus exactum fuisset à Christo, quam esset debitum. 3. Illa satisfactio non potuisset à Deo non acceptari, & sic Deum necessitaret; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. seq; nam satisfactio Christi infinita meruit nobis gratiam, per quam possumus satisfacere, vnde potiùs sequitur oppositum. Et quamuis meruerit gratiam omnibus, non omnibus tamen fuit efficaciter applicata. Ad 2. neg. seq; nam exactio fuit ad ęqualitatem, quamuis Christus satisfecerit per superabundantiam; & non potuerit non sic satisfacere propter infinitam dignitatem personæ. Ad 3. plerique negant ant; quia quamuis sit satisfactio infinita, non tamen potest obligari Deus, quia inter Deum, & creaturam non cadit ius strictum. Sed illa satisfactio non est puri hominis, sed hominis Dei, & ideo non videtur, cur Deus non possit obligari, præsertim cùm hæc obligatio sit ex suppositione libera, quòd decreuerit incarnationem; vnde initium huius obligationis esset Deus ipse, quia esset eius decretum.

45 Obijc. 3. Si Imperator, & plebeius eliciat actum charitatis, vt quatuor; æquale est meritum in vtroque; ergo dignitas personæ non auget meritum. 2. Persona Diuina nequit immediatè mereri; aliter etiam Pater posset mereri; ergo idem. 3. Si per impossibile Christus peccaret retenta vnione hipostatica, non satisfaceret ad æqualitatem, quia esset Dei inimicus; ergo eius opera non habent valorem infinitum ad satisfaciendum pro omni peccato.

Resp. ad 1. dignitatem Imperatoris non esse per ordinem ad meritum supernaturale, sed tantùm per ordinem ad actiones humanas. Ad 2. dist. ant. Persona Diuina hipostaticè vnita naturæ humanæ, neg; non vnita, conc. Ad 3. dicitur in illa hipothesi sequi omnia contradictoria; quia esset amicus, & inimicus; peccator, & iustus; satisfaceret, & non satisfaceret; ex impossibili enim non nisi impossibile sequi potest; si sit impossibile ab intrinseco, & in terminis suppositionis, vt est de facto. Opera ergo Christi habent valorem satisfactorium pro omni peccato possibili de facto; & si ponatur hipothesis impossibilis, haberent etiam pro impossibili; & non haberent, quia ex illa hipothesi sequeretur contradictio.

46 Obijc. 4. Si Rex suis manibus excuderet monetam, ex hoc præcisè illa non haberet maiorem valorem; ergo dignitas personæ non confert valorem actioni. 2. Christus satisfecit, vt homo, non vt Deus; sed actiones hominis sunt finitæ; ergo idem. 3. Actiones specificantur ab obiecto; sed actiones virtutum moralium versabantur circa obiecta finita; ergo idem.

Resp. ad 1. Regem non excudere, quatenus Rex, ita, vt Regia dignitas sit principium illius actionis; sed excudit, vt homo; & ideo non tribuit valorem actioni; secus autem cùm dignitas personæ elicit actionem, vt principium *quod*. Ad 2. dist. ma. Satisfecit, vt homo, quantùm ad honestatem actionis, conc; quantùm ad valorem, neg; ideo satisfecit, vt homo Deus; non tantùm, vt homo; propter quod actiones Christi vocantur *Theandricæ*, idèst *Dei viriles*, seu *Dei hominis*. Ad 3. eodem modo. Actiones specificantur ab obiecto quantùm ad honestatem specificam actionis, conc; quantùm ad valorem, neg; & sic soluuntur faciliter ferè omnes obiectiones. *Vid. seq. art.*

ART. II.

An Christus condignè satisfecerit pro hominum peccatis?

1 SAtisfactio condigna debet esse æqualis, vel superabundans debito, pro quo satisfactio exhibetur; idcirco necesse est ad demonstrandam condignitatem satisfactionis, peccati grauitatem examinare, pro quo satisfactio exhibita est. Et quamuis ex dictis *in sup.* §. possit deduci quantitas satisfactionis; cùm enim valor operum Christi fuerit infinitus simpliciter, & exhibitus fuerit pro satisfactione peccatorum; & ideo quamuis peccata habeant infinitam grauitatem, inferatur satisfactionem fuisse condignam; attamen quia vnum infinitum est maius alio saltem materialiter; ideo maioris claritatis gratia indignitas peccati, & condignitas satisfactionis est expendenda.

§. I.

An peccatum mortale sit infinitum in ratione offensæ?

2 DVo in præsenti reijcienda sunt, quæ asseruntur *à Recentioribus*; primum, quòd cùm in peccato reperiatur conuersio ad creaturam, & auersio à Deo, malitia peccati consti-

constituatur per conuersionem ad creaturam; & offensa, siue iniuria per auersionem à Deo. Secundum, quòd offensa subiectiuè recipiatur in Deo. Primum fusè improbauimus *to. 4. de pecc. q. 1. art. 6; & q. 2. art. 4. §. 2; & q. 4. art. 6; & q. 5. art. 1;* vbi ostendimus peccatum formaliter constituere in priuatiuo; adeoque malitiam peccati constitui per auersionem, quæ priuationem importat, non per conuersionem, quæ dicit actum positiuum. Secundum exploditur; quia si Deus, qui totus bonus est, nequit esse subiectum actus boni, vel bonitatis, aut valoris moralis, quo Deus honoratur à creatura; aliter per receptionem intrinsecam mutaretur; multò minùs potest esse subiectum, in quo recipiatur intrinsecè offensa, iniuria, seu indignitas moralis Deo inflicta à creatura; subiectum enim receptionis in hoc distinguitur à subiecto denominationis, quòd illi inhæret intrinsecè forma denominans; istud verò tantùm extrinsecè denominat, sed non recipitur. Tum quia cùm offensa, siue iniuria sit læsio iuris Diuini; si offensa reciperetur in Deo, ius Diuinum esset intrinsecè læsum; quod est falsissimum; quia Deus nec perfici, nec lædi potest intrinsecè à creaturis. Quòd si dicatur subiectari tantùm extrinsecè, iam non recipitur in Deo, & ideo non subiectatur; quia subiectari idem est formaliter, ac recipi. Vitandus ergo est hic modus loquendi tanquam Deo inconueniens.

3 Cùm igitur dicitur; *Honor est in honorante; & offensa in offenso*; non est sic intelligendum, quòd sicut honor intrinsecè recipitur in honorante, tanquam actus ipsius; ita offensa recipiatur intrinsecè in offenso; sed quòd sicuti valor actus honorantis commensuratur cum dignitate personæ honorantis; ita indignitas offensæ commensurari debet primariò cum dignitate personæ offensæ, & secundariò cum vilitate personæ offendentis. Vt autem appareat, in quo consistat offensa, nonnisi ex corporalibus, ex quibus ducit ortum omnis nostra cognitio, arguere possumus. Sicut igitur cùm quis hostiliter infligit vulnus alicui, datur actio mala, qua infligitur vulnus; & malitia actionis externæ existit in voluntate; quia actio externa est mala per volitionem, qua vult inimicum ferire; non enim est peccatum, nisi sit voluntarium; & datur vulnus, quod sequitur ad illam actionem, tanquam terminus actionis; & hoc vulnus non recipitur in vulnerante, sed in corpore vulnerati; ita cùm quis aliquem offendit, datur actus malus, quo illum offendit, & iste recipitur in offendente; & datur iniuria, seu offensa, quæ est vulnus quoddam spirituale inflictum honori personæ offensæ; & istud moraliter recipitur in ipso offenso; deturpatur enim honor, & existimatio, quæ est in illo; sicut per vulnus deturpatur corpus. At cum hoc discrimine, quòd quia corpus est diuisibile in plures partes, ideo vulnus non deturpat totum corpus, nec recipitur in toto corpore; at verò quia honor est indiuisibilis, vtpotè spiritualis, offensa recipitur, & deturpat totum honorem. At hoc verum est de creaturis, quæ sicut possunt acquirere, ita possunt deperdere honorem. Deus autem, cui naturaliter competit suprema maiestas, & dignitas, ideo nequit recipere intrinsecè offensam, per quam lædatur eius maiestas, & dignitas. Dicitur ergo dehonorari, & offendi à creatura per meram denominationem extrinsecam; quia creatura ità ipsum offendit, vt si esset capax recipere intrinsecè offensam, intrinsecè læderetur eius maiestas, & dignitas. Offensa ergo est in Deo tantùm extrinsecè, non intrinsecè. Sed sicut offensa intrinsecè recepta in creatura est priuatio adæquata honoris illius; ita offensa extrinsecè Deo irrogata commensuratur cum dignitate ipsius Dei. *Hoc supp.*

4 Honor verò è contra se habet; sicut enim si quis defendat aliquem, ne vulneretur, in corpore defensi nihil recipitur, quo honestetur; sed solùm conseruatur sanitas, & integritas membrorum, quæ in illius corpore existit; & ipsa defensio tota est in defendente; ita cùm quis aliquem honorat, nihil recipitur in honorato, sed solùm non læditur eius maiestas, & dignitas, quæ digna est tali honore, qui propterea solùm existit in honorante.

5 Dubium modo est; an offensa intrinsecè recepta, vel extrinsecè afficiens personam offensam debeat commensurari cum dignitate personæ offensæ, vel offendentis?

6 *Scot. hic dist. 20. q. 1; & communiter Scotistæ; Sua; Vasq; Lorc; Lug; Arriag; & ex Thomistis Sot; Conr; Med; Naz; Cabr;* quibus problematicè adhæret *Io. à S. Tho;* volunt peccatum in ratione offensæ esse finitum simpliciter, & secundùm quid infinitum eo, quia putant suam commensurationem deriuare etiam à principijs elicitiuis peccati.

7 Nostra sententia docet peccatum in genere offensæ esse infinitũ simpliciter. *Ita Fund. Doct. hic dist. 1. p. 2. q. 1. ar. 2. §. Ostenso* asserens: *Poscit æquitas iustitiæ, quòd pro offensa infinita fiat satisfactio infinita; infinitus enim Deus fuit offensus per peccatum Adæ; & infinitus Deus fuit passus, vt reconciliaremur Deo, & satisfieret Deo pro offensa*; constat autem Deum esse infinitum simpliciter; & satisfactionem esse quoque simpliciter infinitam, vt diximus *in sup.* §; ideo & offensa est infinita simpliciter, aliter non esset æqua iustitia. Sequitur *Gibb; & omnes nostri. Ex alijs D. Anselm; D. Bon; Ricard; Capr; Caiet; Ban; Bellarm; Salm; Gonet, & ferè omnes alij.*

8 Vnica concl. Peccatum mortale in ratione offensæ est simpliciter infinitum.

Prob. 1. *ex Iac. 2. Quicunque totum legem serua-*

seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus; sed non fit reus omnium quantùm ad malitiam omnium peccatorum, quia peccata essent paria, vt arguit *S. P. Aug. ep. 29. cont. Stoicos*; quodlibet enim peccatum inuolueret malitiam omnium peccatorum; ergo rectè intelligitur, quòd fit reus omnium quantùm ad offensam; quia offensa irrogata per vnum peccatum inuoluit offensas omnes, quæ possunt Deo irrogari per omnia peccata, offenditur enim tota Dei maiestas. Atqui si vnum peccatum contineret malitiam omnium peccatorum possibilium, esset infinitum simpliciter in genere malitiæ; ergo quia continet omnem offensam, est infinitum simpliciter in genere offensæ; *& 1. ad Tim. 2. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus*; super quod *S. P. Aug. in Enchir. c. 108. Per mediatorem, qui solus sine peccato natus est, vixit, & occisus est, reconciliari nos oportebat Deo vsque ad carnis resurrectionem in vitam æternam, & vt humana superbia per humilitatem Dei argueretur, ac sanaretur; & demonstraretur homini, quàm longè à Deo recesserat, cùm per incarnatum Deum reuocaretur*. Ex quo sic. 1. Valor satisfactionis pro offensa Deo per peccatum illata est infinitus simpliciter; sed grauitas offensæ Deo illatæ commensuratur cum valore satisfactorio; ergo grauitas offensæ Deo illatæ est infinita simpliciter. Prob. ma. Valor satisfactorius requirit hominem satisfacientem esse Deum; quia requirit esse Mediatorem inter Deum offensum, & hominem offensorem; purus autem homo, aut purus Deus non est medium inter Deum, & hominem, cùm sit vnum ex extremis, vt diximus *superiùs ex S. P. Aug*; sed valor satisfactorius, qui fit ab homine Deo, est infinitus simpliciter; est enim à persona Diuina, quæ est infinitè digna, vt diximus *in sup. §*; ergo valor satisfactorius est infinitus simpliciter. Prob. mi. Offensa, & satisfactio opponuntur priuatiuè; sed vnum oppositum est mensura alterius; quia positiuum, quod est rectum, *est index sui, & obliqui*, quod est priuatio; ergo grauitas offensæ commensatur cum valore satisfactorio pro eodem. 2. Debitum, quod exigit satisfieri per personam infinitæ dignitatis, est infinitæ grauitatis; nam debitum finitæ grauitatis potest ad æqualitatem satisfieri à persona finitæ dignitatis; terminus enim *qui* debet correspondere principio *quod*; sed offensa Deo irrogata per peccatum est debitum, quod exigit satisfieri à persona infinitæ dignitatis; quia *per incarnatum Deum* debuit satisfieri; Deus autem incarnatus est persona Diuina, quæ est infinitæ dignitatis; non enim datur personalitas creata in Christo; tum quia illa tantùm persona poterat soluere debitum contractum per peccatum, quæ poterat delere chirographum, quod erat aduersus peccatores, & condonare eis omnia peccata; solus autem Deus incarnatus potuit delere chirographum peccati, & nobis condonare peccata; quia solus Deus potest remittere peccata, vt habet *Apost. Coloss. 2. Donans vobis omnia delicta, & delens, quod aduersum nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci*; ergo offensa Deo irrogata est infinitæ grauitatis simpliciter.

9 Conf. 1. Priuatio commensuratur cum forma, cuius est priuatio; *rectum enim est mensura obliqui*, cùm sit index illius; & in tantùm est index, in quantùm dat cognoscere quantitatem illius; sed peccatum in ratione offensæ est priuatio dignitatis Dei infinitæ, quæ est forma, qua priuat; per offensam enim tollitur dignitas, & honor personæ offensæ, vt *sup.* diximus; ergo peccatum in ratione offensæ commensuratur cum dignitate Dei infinita; atqui dignitas Dei est infinita simpliciter; ergo & peccatum in ratione offensæ est infinitum simpliciter; solùm enim infinitum simpliciter commensurari potest cùm alio infinito simpliciter.

10 Conf. 2. In tantùm peccatum in ratione malitiæ est finitum simpliciter, in quantùm in ratione malitiæ recipitur in creatura, quæ est simpliciter finita; sed in ratione offensæ non recipitur in creatura, sed Deo aduenit extrinsecè eo prorsus modo, ac si intrinsecè reciperetur in illo; vnde quantùm est ex se, ita offendit Deum, ac si intrinsecè reciperetur in illo; & si intrinsecè reciperetur in Deo, læderetur, & tolleretur infinita eius dignitas; sicut cùm recipitur in homine, tollitur totus eius honor eo prorsus modo, quo vulnus receptum in toto corpore tolleret totam venustatem corporis; ergo peccatum in ratione offensæ est infinitum simpliciter.

11 Conf. 3. Si peccatum in ratione offensæ esset aliquod finitũ simpliciter, posset creatura adiuta per gratiam satisfacere pro offensa Deo illata per peccatum, sed conf. est falsum; ergo & ant. Prob. ma. In tantùm homo nequit peruenire ad perfectionem Angeli, qui *est finitus*, quantumuis perficiatur, in quantùm Angelus, & homo sunt diuersæ speciei essentialiter; & species sunt inuariabiles simpliciter; sed actus honoratiuus, & dehonoratiuus, vt est offensa, pertinent ad eandem speciem, quia vnus est priuatio alterius; priuatio autem pertinet ad speciem formæ; negatio enim reducitur ad eandem speciem, cuius est negatio; aliter daretur species constituta per negationem, quæ in nihilo consisteret; ergo, si non obstaret infinitas offensæ, non esset ratio, cur pura creatura non posset æqualiter satisfacere pro offensa Deo per peccatum illata; nam creatura sicut per solum arbitrium potest cadere in quæcunque peccata; ita per gratiam maiorem,

& ma-

& maximam potest prorumpere in actus digniores, & dignissimos sistendo intra lineam finitatis, quæ est propria creaturæ. Mi. probabitur *inf. art.4.*

12 Conf. 4. Offensa irrogata per actum superbiæ, quæ non redimitur nisi per actum humiliationis maiestatis infinitæ, est infinitæ grauitatis simpliciter; sed offensa irrogata Deo per *Adæ* peccatum est irrogata per actum superbiæ, quo *Adam* voluit esse Deus per naturam; & non fuit redempta, nisi per humiliationem maiestatis Filij Dei simpliciter infinitæ; qui humiliauit semetipsum ad esse hominem vsque ad mortem crucis; vt dicitur *Philippen. 2. Qui cùm in forma Dei esset &c. humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*; ergo est simpliciter infinita.

13 Tandem quantò indignior est persona offendens, & quantò dignior est persona offensa, tantò grauior est offensa; offensa enim crescit ad dignitatem personæ offensæ, & indignitatem personæ offendentis; vnde grauior censetur offensa immediatè commissa in personam Regis, quàm in personam plebei; sed indignitas creaturæ est infinita respectu dignitatis Dei; & dignitas Dei est infinita simpliciter respectu dignitatis creaturæ; quia creatura in ratione dignitatis infinitè distat à Deo; ergo idem. Hæc ratio, quæ communiter affertur, traditur *à S. P. Aug. vbi sup.* illis verbis: *Et demonstraretur homini, quàm longè à Deo recesserat, cùm per incarnatum Deum reuocaretur*; ad hoc enim, vt ostendatur infinita distantia inter Deum, & peccatum, sufficit, vt demonstretur solùm per Mediatorem Christum Iesum, qui est persona simpliciter infinita, potuisse peccatorem Deo reuniri, & reconciliari.

14 Obijc. 1. Ita se habet offensa respectu dignitatis personæ, sicut actus respectu obiecti; sed actus respectu obiecti infiniti non est infinitus, quanuis sit nobilior alijs actibus, qui sunt erga obiecta finita; ergo nec offensa personæ infinitæ est infinita, quanuis sit grauior offensis, quæ sunt erga personas finitas. 2. Persona offensa non refundit grauitatem in offensam, nisi sit cognita; nam si quis percuteret Regem nescienter, non committeret crimen læsæ maiestatis; sed cognitio, qua creatura cognoscit Dei maiestatem, est finita; ergo & offensa: 3. Offensa commensuratur cum malitia actus; quia quo maior est malitia, eo grauior est offensa; & commensuratur cum principio elicitiuo; vt si principium operetur ex imperfecta deliberatione, offensa, quæ esset grauis, est leuis, & venialis; sed malitia actus, & principium illius est finitum; vt diximus *to.4. de pecc. q.3. ar.3*; ergo & offensa.

Resp. ad 1. disparitatem esse inter actum, & offensam; quòd actus specificatur ab obiecto formali, & specificat potentiam, à qua elicitur; specificatiuum autem, & specificatum adæquantur; ideo si potentia elicitiua talis actus est finita, etiam actus est finitus; & obiectum licèt sit secundùm se infinitum, attamen non specificat talem actum, nisi modo finito; at offensa specificatur à dignitate personæ offensæ, quia est priuatio dignitatis illius, cùm autem priuatio adæquetur cum forma, quam priuat; ideo si dignitas est infinita, etiam offensa est infinita. Præterea actus limitatur à potentia, in qua recipitur, quia subiectum limitat formam receptam; offensa verò recipitur, vel extrinsecè afficit, & adæquat dignitatem personæ offensæ; quòd si actus reciperetur in obiecto, non in potentia, esset infinitus, non finitus. In forma igitur dist. ma. Ita se habet offensa, sicut actus quantùm ad specificationem, conc; quantùm ad receptionem, neg. Ad 2. dist. ma. Nisi sit cognita ita, vt debeat adæquari cum cognitione, aut ab illa specificari, neg; cognitio enim est mera conditio, cum qua non adęquatur effectus, nec ab illa specificatur; ita, vt cognitio debeat præsupponi, tanquam conditio essentialiter requisita, conc; ideo ad hoc, vt quis Regem offendat, necesse est, vt cognoscat illum esse Regem; non tamen necesse est, vt cognoscat, quantam grauitatem secum afferat offensa Regi irrogata; ideo si quis sciens offenderet Regem, & non cognosceret grauitatem talis offensæ; nec pœnam debitam tali offensæ, non per hoc minori pœna deberet puniri. Ad 3. neg. ma; sicut enim non minùs offendit Regem, qui ex passione illum offendit, quàm qui illum offendit ex electione; quauis ille actus habeat minorem malitiam, quàm iste; ita à pari. Tum quia sicut in actionibus realibus non minùs offendit surripiens centum ex aliqua passione, quæ minuit voluntarium, & ideo malitiam; quàm surripiens sine passione, & æqualiter tenetur ad restitutionem centum; ita in actionibus personalibus, quę pariter ad restitutionem tenentur. Ad aliud dicitur offensam supponere perfectam libertatem, tanquam conditionem, non tanquam specificatiuum, aut specificatum; ideo offensa ex indeliberatione est venialis, quia deliberatio est conditio requisita, vt offensa sit mortalis.

15 Obijc. 2. Peccata mortalia sunt inter se imparia, vt docet *S. P. August. epist. 29. contra Stoicos*; ergo peccatum in ratione offensæ non est infinitum; vnum enim infinitum non est maius, & inęquale alteri. 2. Offensæ prouenientes à peccatis specie diuersis sunt specie diuersæ; ergo sunt inæquales; & ideo vna est minor alia, quod repugnat infinito. 3. Ratio offensæ, & malitiæ non distinguuntur realiter; nam offensa est malũ morale, & ideo inuoluit malitiam moralem; sed malitia est finita;

nita; ergo & offensa. 4. Offensa non meretur pœnam intensiuè infinitam; quia offensa punitur de facto pœna sibi æquali iuxta illud *Apoc.* 18. *Quantùm glorificauerat se in delicijs, tantùm date illi tormentum, & luctum*; pœna autem intensiuè infinita de facto non datur; ergo offensa non est infinita simpliciter, quia offensa infinita simpliciter exigit pœnam infinitam in omni genere, scilicet intensiuè, & extensiuè.

Resp. ad 1. dist. ant. Sunt imparia quantùm ad malitiam, conc; quantùm ad offensam, subdist; materialiter, conc; formaliter, neg; sicuti si essent infiniti leones, & infinitæ formicæ, essent pares formaliter quoad numerum infinitum; & impares quoad corpulentiam numeratorum. Ad 2. dist.conf. Sunt inæquales specificè, conc; formaliter quantitatiuè, neg. Inæqualitas autem specifica non est contra rationem infiniti, vt dictum est de leonibus, & formicis, quæ essent inæqualis speciei. Ad 3. neg. ma; nam malitia, & offensa recipiuntur in diuersis subiectis, vt dictum est; offensa autem dicitur moraliter mala obiectiuè, non formaliter; quia est effectus actus moraliter mali. Vel dicitur non implicare eandem rem secundùm diuersas rationes esse finitam, & infinitam, vt patet de meritis Christi; & si daretur quantitas infinita, esset infinita in esse extensi, & finita in esse entis, quia non esset omne ens. Ad 4. neg. mai; & ad prob. dicitur cum *S.P.Aug. lib.21. de Ciu. Dei cap.24.* Deum punire citra condignum; quia *continet in ira misericordias suas*; vt habetur *psal.76*; aut *cum Fund.Doct; & D.Thom.* intensionem infinitam compensari cum duratione infinita; vt diximus *to.4. de pecc. vbis. ad 4.* Vel Deum tribuere pœnam iuxta quantitatem malitiæ, non offensæ; vt expresè colligitur ex allato *textu Apocalypsis*.

16 Obijc.3. Gratia habitualis tollit offensam, tanquam forma priuationem; sed gratia est finita; ergo & offensa; quia priuatio mensuratur cum forma; & forma finita nequit expellere aliquod infinitum. 2. Si offensa esset infinita, adæquaret merita Christi; & sic non satisfecisset superabundanter, quia vnum infinitum non superabundat alteri; imò offensa superabundaret meritis Christi, quia plures sunt offensæ, quàm actus meritorij Christi. 3. Infinitum in vno genere est in illo immultiplicabile, debet enim continere omnes rationes illius generis; vnde ait *Phil.1. de Cælo to.2*; quòd si daretur corpus infinitum, non possent dari plura corpora; sed offensæ multiplicantùr; ergo non sunt infinitæ. 4. Sequeretur etiam peccatum veniale esse offensam infinitam, quia est contra Deum infinitum; & est à creatura infinitè Deo minùs digna; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. ma. Gratia tollit offensam virtute meritorum Christi, quæ sunt infiniti valoris, & ideo æqualem posuerunt satisfactionem pro offensa, conc; independenter à meritis Christi, neg. Ad 2. dist. ant. Adæquaret quantùm ad intensionem, conc; quantùm ad extensionem, neg. Igitur merita Christi fuerunt infinita intensiuè, quia fuerunt elicita à persona infinita; & extensiuè, quia satisfecerunt pro infinitis offensis; vna autem offensa est tantùm infinita intensiuè, non extensiuè; ideo Christus satisfecit superabundanter extensiuè, & ad æqualitatem intensiuè. Vel dicitur meritum Christi fuisse intensiuè infinitū ex parte principij *quod*, & ex parte termini *qui*; offensam autem tantùm se tenere ex parte termini *qui* offenditur; & cùm dicitur personam offendentem esse infinitè indignam, tunc dicitur comparatiuè ad Deum, non autem absolutè, esse infinitam; & ideo inæqualitatem esse etiam in intensione. *Ad 3. dist. ma.* Infinitum est immultiplicabile per ordinem ad illud, secundùm quod est infinitum, conc; omnes enim offensæ sunt offensæ vnius Dei; per ordinem ad illud, à quo efficitur, neg; sicut enim actus meritorij Christi sunt infiniti simpliciter, & immultiplicabiles per ordinem ad personam, quæ est principium *quod* illorum, & vna est; multiplicantnr tamen per ordinem ad principia formalia, *quibus* eliciuntur; ita offensæ per ordinem ad vnum Deum offensum sunt immultiplicabiles, non enim constituunt plures Deos offensos ex eo, quòd sint plures offensæ; multiplicantur autem per ordinem ad actus, quibus infliguntur; & à quibus dependet earum vnitas numerica; illi enim actus sunt finiti; vnde ex parte Dei offensi offensa dicitur renouari, & repeti, sicut cùm quis reuulnerat vulneratum, renouat vulnus per actus multiplicatos. Hoc autem dicitur de actibus solo numero diuersis, quia si differant specie, non implicat infinitum multiplicari. Ad 4. neg.seq; nam peccatum veniale est contra media, & creaturas, non contra finem, qui est Deus; vt diximus *tom.4. quæst.3. art.1.n.18.*

§. II.

Resoluitur Articulus.

17 VNica concl. Satisfactio Christi ex sua intrinseca ratione, non autem ex sola acceptatione, aut fauore Dei extrinseco, fuit nedum æqualis intensiuè, & extensiuè, sed etiam superabundans pro omnibus peccatis.

Prob. 1. pars concl. *Scripturis*, & rationibus allatis *in sup.art. §.3*; si enim valor satisfactorius operum Christi fuit infinitus simpliciter intensiuè, & extensiuè, quia fuit à persona infi-

infinitè digna; sequitur, quòd sit æqualis infinitis demeritis, quæ haberi possunt in omnibus peccatis. Traditur expresè *Rom.5. Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Ex quo sic. 1. Satisfactio æqualis ex sua ratione formali delicto intensiuè est illa, quæ habet valorem intrinsecum soluendi debitum contractum per delictum; extensiuè autem æqualis est illa; quæ extenditur ad omnes, ad quos extenditur delictum; sed satisfactio Christi est huiusmodi; nam debitum contractum per peccatum originale fuit debitum habendi iustitiam originalem, quam tenebamur seruare, quia cum illa à Deo conditi fuimus *in Adam*, & quam habuissemus in nobis ipsis, *si Adam* non peccasset; hoc autem debitum Christus soluit merendo nobis gratiam iustificantem, per quam absoluimur à debito habendi iustitiam originalem, & ideo absoluimur à peccato, quod importat hoc debitum; & gratiam, per quam absoluimur ab hoc debito, Christus meruit omnibus hominibus, sicut *Adam* demeruit omnibus iustitiam originalem, vt apertè docet *Apost*; & hoc meritum fuit ab infinita sanctitate Christi, quæ est principium *quod* merendi; sanctitas autem erat Christo intrinseca; ideo & opera ab illa procedentia habuerunt valorem intrinsecum; sicut dicitur de valore intrinseco monetæ, qui procedit à quantitate materiæ, quæ monetæ est intrinseca; sicut enim demeritum intrinsecum peccati prouenit ex malitia intrinseca, ita valor meritorius intrinsecus prouenit ab intrinseca bonitate, seu sanctitate. Tum quia si satisfactio Christi non esset intrinsecè meritoria remissionis peccati, esset æquè meritoria effusio sanguinis Christi, ac effusio sanguinis taurorum, & hircorum Deo oblata in antiquis sacrificijs, æquè enim potuit hæc à Deo acceptari in expiationem peccati; sed hoc est contra *Apost. Heb.10. Impossibile est sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata; ideo ingrediens mundum dixit: Hostiam; & oblationem voluisti; corpus autem aptasti mihi; holocautomata pro peccato meo non tibi placuerunt*; idèst pro peccato populi mei, quod tanquam meum expiandum suscepi, cùm hominis indui naturam, & pro quo volui sanguinem fundere; ergo satisfactio habet valorem intrinsecum, non ex sola Dei acceptatione. Tum quia satisfactio tribuitur vnioni naturæ ad Verbum, vt habetur *Extra. Vnigenitus*; sed vnio est intrinseca; ergo idem. 2. Satisfactio, quæ ex sua natura habet delere chirographum debiti, habet ex sua ratione intrinseca æquare iura debitoris, & creditoris; sed satisfactio Christi est huiusmodi; vt habetur *Coloss.2. Delens, quod aduersus nos erat, chirographum*; ergo idem. 3. *S. P. Aug. serm.9; & serm.26. de temp; & in Enchir. cap.108.* sic probat hanc æqualitatem: *Homo sollicitante inimico Deus esse voluit per superbiam; & Deus factus est homo per misericordiam*, seu *per humilitatem*. Ex quo sic. Actus bonus ex diametro oppositus actui malo habet bonitatem adæquatè oppositam malitiæ alterius actus; quia forma habet tantam bonitatem, quantam negat illius priuatio; sed satisfactio Christi fundatur in actu ex diametro opposito ipsi peccato: quia peccatum *Adæ* fuit actus, quo homo voluit superbiendo esse Deus per naturam; & satisfactio Christi fundatur in actione, qua Deus se humiliando voluit esse homo per naturam; quæ actio opponitur actioni *Adæ*, vt constat; ergo fuit æqualis intrinsecè, & ex sua ratione; quia forma ex sua ratione formali intrinseca opponitur priuationi. 4. Si satisfactio Christi non fuisset æqualis peccato ex sua ratione formali, non fuisset necessariũ ad expiationẽ peccati Deũ incarnari; creatura enim pura potuisset ponere satisfactionem inæqualem, quæ à Deo potuisset acceptari, tanquam æqualis; sed cons. est *contra Scripturas, & SS. PP. communiter* docentes Christi incarnationem fuisse necessariam ad reparandum genus humanum à peccatis per æqualem satisfactionem; vt habet *S. P. Aug. in psal.129. Quia Israel vendere se potuit, & fieri venundatus sub peccato; redimere se ab iniquitatibus non potest. Ille potuit redimere, qui se non potuit vendere. Qui non commisit peccatum, ipse est redemptor à peccato; ipse redimet Israel*; ergo & ant.

18 Prob.2. pars concl; quæ communiter ab omnibus traditur; *& apud illos*, qui asserunt peccatum esse finitum in ratione offensæ, & satisfactionem Christi esse infinitam in ratione valoris, ratio est, quia infinitum excedit, & superabundat finito. *Apud illos* verò, qui asserunt etiam peccatum esse infinitum, est difficultas in reddenda sufficienti ratione; vnum enim infinitum non excedit aliud. *Aliqui* dicunt satisfactionem excedere, quia licèt vtrunque sit infinitum simpliciter; attamen satisfactio est in ordine superiori, quia est in ordine Diuino, & ideo excedens; sicut licèt Angelus, & homo sint finiti; ideo quantunuis perficiatur homo, nunquam tamen potest fieri æqualis Angelo. Nec obstat, quod ait *Gonet*, quòd scilicet quanuis non possit fieri æqualis in esse physico, possit tamen æquari moraliter; non obstat, inquam; nam licèt meritum hominis possit æquari moraliter merito Angeli; attamen nequit moraliter æquari merito Dei hominis; quia Deus infinitè distat ab homine nedum physicè, sed etiam in esse moris; vnde sicuti si daretur creatura physicè infinita, illa esset inæqualis Deo; ita infinita grauitas actionis creaturæ est inæqualis formaliter actioni Dei hominis. Nec obstat 2; quòd ait *idem*

Gonet

Gonet non posse reddi rationem, ob quam satisfactio Christi sit superioris ordinis; nam ratio est; quia satisfactio Christi est ordinis Diuini hipostatici; offensa autem ordinis creati. *Gonet* ait satisfactionem excedere, quia homo peccauit postponendo Deum creaturæ solùm affectiuè, & moraliter; Christus verò satisfecit submittendo Deo physicè personam Verbi Diuini. Sed contra posset esse; quòd Christus satisfecit merendo; meritum autem est in esse morali, non physico.

19 Sed quamuis ex his rectè possit probari satisfactionem fuisse intensiuè maiorem sic: Dignitas personæ Diuinæ excedit indignitatem peccati cuiuscunque creaturæ quantumuis infinitam; quia dignitas infinita Dei excludit quamlibet indignitatem; indignitas verò creaturæ includit aliquam dignitatem saltem naturalem; tum quia dignitas Dei est omnis bonitas à se, independens, simpliciter prima; indignitas creaturæ est indignitas proueniens à creatura, quæ est participatiuè bona, dependens &c; tum quia *potest plus Deus ex dignatione suæ bonitatis dimittere, quàm nos committere* ex nostra indignitate; sed satisfactio Christi est à dignitate personæ Diuinæ; ergo excedit indignitatem peccati cuiuscunque creaturæ; & ideo est intensiuè superabundans. Attamen quia sic loquendo non discurrimus conformiter *ad Apost. Rom. 5*; qui superabundantiam satisfactionis sumit extensiuè asserens: *Si enim vnius debito multi mortui sunt; multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit*; abundantia autem in plures est abundantia extensiuè sumpta, sicut abundantia peccati *Adæ* in omnes posteros extensiuè sumitur, vt constat; ideo probanda est superabundantia nedum intēsiua, sed etiam extensiua, vt explicentur *Apostoli* verba, propter quæ hæc quæstio est instituta. Prob. igitur sic. Illud est superabundans intensiuè, & extensiuè ad hominum peccata, quod excedit intensiuè, & extensiuè indignitatem peccati; sed satisfactio Christi est huiusmodi; ergo est intensiuè, & extensiuè superabundans. Ma. patet; quia superabundantia est excessus formaliter. Mi. quoad 1. part. mox probata est. Prob. 2. pars mi. Satisfactio Christi nedum fuit sufficiens pro peccatis omnium hominum descendentium *ex Adam* per seminalem propagationem, sed etiam pro peccatis Angelorum, si illis Christus voluisset sua merita applicare, & etiam in illis ostendere suæ misericordiæ beneficium, non verò rectissimum suæ iustitiæ iudicium, vt loquitur *S. P. Aug*; habetur enim 1. *Io.* 2. de Christo *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris*; idest pro peccatis hominum, pro quibus fuit decreta passio Christi; *non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius Mundi*; Angeli autem sunt in Mundo; illis tamen non fuit applicata mors Christi, quia pro illis Christus non est mortuus, vt inquit *S. P. Aug. in Enchir. c. 61*; potuit tamen etiam illis applicari, si Deus decreuisset non statim eos damnare post peccatum, sed manere peccatores, sicut decreuit de hominibus; & ideo satisfactio Christi quantùm ad sufficientiam excedit omnium peccata; & fuit sufficiens etiam pro peccatis aliorum hominum possibilium, etiamsi non descendissent *ab Adam*, & peccassent personaliter; ergo satisfactio Christi excedit etiam extensiuè omnium peccata; & ideo fuit intensiuè, & extensiuè superabundans.

20 Conf. Ita se habet defectus physicus cuiuscunque creaturæ per ordinem ad bonitatem Dei physicam; sicut indignitas moralis creaturæ per ordinem ad dignitatem Dei moralem; sed bonitas Dei physica superabundat defectui etiam possibili physico cuiuscunque creaturę; ergo & dignitas moralis superabundat indignitati possibili creaturæ, quæ ponitur per quodlibet peccatum. Atqui satisfactio Christi sumitur à dignitate personæ Diuinæ; ergo satisfactio Christi est superabundans ad omnia peccata etiam possibilia. Ma. constat; quia sicut defectus physicus est carentia bonitatis physicæ, quæ est in Deo; ita indignitas moralis est carentia dignitatis moralis, quæ pariter est in Deo. Prob. mi. Defectus physicus alicuius perfectionis, qui est in creatura, cùm debito habendi illam perfectionem, est carentia alicuius bonitatis communicabilis creaturis; non enim debet habere, nisi illud, quod est ei communicabile; sed in Deo sunt multæ bonitates incommunicabiles simpliciter, vt ratio entis à se, infiniti, immutabilis &c; ergo bonitas physica Dei superabundat cuicunque defectui physico cum debito habendi perfectionem, quæ deficit creaturæ. Atqui indignitas moralis est defectus, seu carentia dignitatis moralis, quæ debetur creaturæ, vt sancta est; & ideo est cum debito habendi dignitatem moralem, aliter non esset peccatum; ergo eodem modo est discurrendum.

21 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. *Si Christus satisfecisset ad æqualitatem pro peccatis*, Deus nullam à nobis posset satisfactionem exigere, reddita nanque æquali satisfactione iniustum est aliquid vlteriùs exigere; sed conf. est hæreticum *à Trid. sess. 6. c. 14.* damnatum; debemus enim satisfacere pro pœna temporali debita nostris peccatis; ergo & ant. 2. Christus satisfecit, vt homo, non vt Deus; offensa autem fuit illata Deo, vt Deus est; ergo satisfactio non est æqualis; implicat enim hominem esse æqualem Deo. 3. Offensa magis displicet Deo, quàm ei placeat satisfactio Christi; quia offensa tantùm displicet, quantùm placet Deo sua bonitas, cuius est priuatio; satisfactio autem Christi non placet Deo, quantùm ei placet sua bonitas

bonitas increata; ergo idem. 4. Si per impossibile alius Deus offenderet Deum, valor satisfactorius Christi tantùm æquaret offensam; ergo de facto non adæquat offensam creaturæ, cùm Deus magis offendatur à creatura, quæ est vilior, quàm ab alio Deo, qui esset æqualis. 5. Offensa Deo illata est infinita ex parte dignitatis Dei, & ex parte indignitatis creaturæ; satisfactio verò est infinita tantùm ex parte Christi satisfacientis, quia ex parte Dei deprimitur potiùs, quàm crescat valor satisfactorius; ergo idem. 6. Christus, vt homo, non satisfecit perfectè pro beneficijs à Deo in humanitate susceptis; hoc enim est discrimen inter compensationem ex iustitia, & compensationem ex gratitudine; quòd ad compensationem ex iustitia sufficit reddere æquale; ad compensationem autem ex gratitudine debet reddi plus accepto; quia aliquod debet gratis retribui, quod nequit esse, nisi illud, quod redditur supra acceptum; Christus autem non potuit reddere plus, quàm accepit in humanitate, quia non potuit reddere aliquod maius vnione hipostatica; ideo non potuit satisfacere pro beneficijs acceptis; ergo neque pro peccato.

Resp. ad 1. neg. ma; Christus enim satisfecit merendo nobis gratiam, per quam possumus, & debemus satisfacere pro pœna temporali nostris peccatis debita; sicut enim ipse meruit, vt nos possemus mereri; non autem, vt non mereremur; ita satisfecit pro nostris peccatis, vt nos satisfacere possemus; absque nanque satisfactione Christi nos satisfacere non possumus. Rationem reddit *S. Tho*; quia causa vniuersalis ita operatur, vt non tollat actionem causæ particularis; ideo Christus meruit vniuersaliter omnibus, vt quilibet simul mereretur. Ad 2. neg. ant; Christus enim satisfecit, vt homo Deus ita, vt natura humana sit principium formale elicitiuum actionis meritoriæ, & persona Diuina det valorem actioni. Ad 3. neg. ant. Ad prob. neg. assumptum; aliter sicut Deo placet sua bonitas immutabiliter, ita ei displiceret offensa immutabiliter; & ideo ipsam non decreuisset relaxare per incarnationem; & quanuis offensa sit priuatio bonitatis, est tamen extrinseca Deo, non intrinseca; ideo nequit ei displicere, sicut placet sua bonitas, quæ est intrinseca. Præterea dicitur, quòd satisfactio Christi, prout dignificata à persona Diuina, & per ordinem ad personam Diuinam, ei placet, sicut sua bonitas, quia, sicut sua bonitas, ei placet persona Diuina. Ad 4. dist. ant. Æquaret offensam intensiuè, transeat; extensiuè, neg; nam ita satisfaceret pro alio Deo, vt hæc satisfactio extenderetur etiam ad peccata hominum; valor enim illius, vtpotè à persona Diuina, est adæquatè compensatiuus cuiuscunque læsionis personæ Diuinæ. Ad 5. neg. 2. pars ant; nam quanuis infinitas dignitatis Dei deprimat satisfactionem finitam, adæquatur tamen satisfactioni infinitæ, vt est satisfactio Christi. Ad 6. vel neg. ant; nam vnio hipostatica ex parte naturæ humanæ est quid finitum, sicut & gratia habitualis; reddit autem actum infinitè dignum. Vel omisso ant. neg. cons; nam vnio hipostatica includit Deũ, quo nihil maius esse potest; offensa autem est quid Deo extrinsecum, quo maius est ipse Deus, & actio creata dignificata ab ipso Deo.

22 Obijc. 2. cont. 2. part. concl. Grauitas offensæ est simpliciter infinita; ergo satisfactio nequit esse superabundans; quia infinitum nequit excedi.

Resp. hoc fuisse solutum §. 1. *nu.* 15. *ad* 1. Cæteræ obiectiones solutæ sunt *in eodem* §; *&* §. 3. *art.* 1.

ART. III.

An satisfactio Christi fuerit de rigore iustitiæ?

1 Prima sententia negat. *Ita Scot; & communiter omnes Scotistæ*; quibus adhærent *Vasq; Becc; Lorc; Arrub; Lug; & alij*.

2 Secunda affirmat. *Ita Fund. Doct. hic dist. 2. p. 1. q. 1. art. 3. §. Quinta via; Franc. à Christo; Gibb; & omnes alij ex nostris. Ita etiam S. Tho; & Thomistæ communiter*; sequuntur *Sua; Val; Gran; Tanner; Arriaga; & ferè omnes alij*.

3 Fundamentum, cui *Auctores vtriusque sententiæ* innituntur, plures protulit difficultates contra nostram sententiam, quibus quanuis adhibeantur subtiles responsiones; attamen non omnino præcluditur via *Aduersarijs* eas soluendi. Arbitrantur enim satisfactionem Christi Domini esse actum iustitiæ commutatiuæ; ad quam (si strictè, & rigorosè sumatur) requiritur. 1. Vt sit ad alterũ, cùm ponat æqualitatem perfectam, quæ est relatio realis essentialiter exigens duo extrema realiter distincta. 2. Quòd non fundetur in gratia creditoris, gratia enim, & iustitia pugnant inter se *iuxta Apost. Rom.* 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus*. 3. Quòd non fiat ex bonis creditoris; nam creditor per satisfactionem debet acquirere ius super bona, quæ non habebat sub suo dominio; bona autem creditoris erant iam sub dominio ipsius. 4. Vt satisfactio fiat ex alias per se indebitis; quia si quis debeat centum titulo emptionis, & alia centum titulo mutuationis, reddens centum non satisfacit æqualiter creditori. 5. *Aliqui* addunt satisfactionem debere fieri immediatè, & per se à persona offendente; quia (inquit *Mastr. hic disp.* 4. *q.* 4. *art.* 3.) satisfactio exacta debet resarcire ius læsum offensi quoad substantiam, & omnes circunstantias, inter quas est ille honor, quem offendens personaliter debet offerre personæ offensæ;

offensæ; qui actus, cùm essentialiter pendeat à persona offendente, quia est actus vitalis illius, nequit exhiberi à fideiussore, seu Mediatore. 6. *Alij* addunt satisfactionem ex iustitia non posse non acceptari ab offenso. Primæ quatuor conditiones asseruntur communiter; duæ postemæ affirmantur *ab aliquibus*, negantur *ab alijs*.

4 Prima conditio sic explicatur *Ab Auctoribus nostra sententia*; quòd *satisfactio debet esse ad alterum* in ratione naturæ, non suppositi; diuersæ nanq; naturæ habent diuersas voluntates, & libertates, & per consequens diuersum ius, & dominium; & sicuti non minùs petit esse ad alterum actus obedientiæ, orationis, religionis &c; quàm actus iustitiæ; & ratione solius naturæ humanæ Christus strictè obediuit, orauit &c; ideo ratione solius naturæ humanæ satisfecit ex rigorosa iustitia non obstante identitate suppositi. Addimus, quòd ideo iustitia est ad alterum, quia importat relationem realem æqualitatis, quæ petit esse inter diuersa; sed actio, & passio dicunt relationem realem, vt est manifestum; & tamen eidem supposito Verbi secundùm naturas diuersas conuenit agere, & pati; ergo idem.

5 Resp. *Mastr.* hoc ius, quod habet humana voluntas, esse sub potestate Dei; & sicuti quia ius, quod habet filius, quia est sub potestate patris, ideo non efficit strictam iustitiam inter patrem, & filium; ita à pari.

Sed cont. est; quia ius creaturæ est sub potestate generali Dei, quæ non tollit rationes particulares; sicut ratio vniuersalis agendi Dei non tollit rationem particularem agendi propriam creaturæ. At ius filij est sub potestate particulari patris, quia filius non habet potestatem agendi simul cum patre; ideo non est paritas.

6 Secunda explicatur, quòd *non debet fundari in gratia creditoris*, quæ sit virtualis condonatio totius, aut partis debiti; secus tamen sic; nam si creditor det debitori centum, vt negotiando lucretur, quo lucro satisfaciat debito, est satisfactio rigorosa.

7 Resp. *Mastr.* omnes actus naturæ humanæ fundari in gratia vnionis, & esse dona Dei; adeoque non potuisse satisfacere ex stricta iustitia.

At contra est; nam actus nostri sunt simul dona Dei, & opera nostra, quia illis cooperamur; eisque debetur prœmium ex vera iustitia iuxta *Apost. 2. Tim. 4. Quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex*.

8 Tertia exponitur, quòd *non debet esse ex bonis creditoris*; idèst non debet ita esse sub dominio creditoris, vt non sit etiam sub dominio debitoris; nam si sit sub dominio vniuersali creditoris, & sub dominio particulari debitoris; vt sunt bona subditi respectu Regis; potest satisfieri ex rigore iustitiæ; quia sicut causalitas vniuersalis non impedit causalitatem particularem, ita nec dominium vniuersale tollit particulare.

9 Quarta sic. Quòd *debet esse ex bonis per se alio titulo indebitis*; nam si quis debeat centum titulo emptionis, & alia centum titulo mutui, non satisfacit reddendo centum. At verò si illi tituli cadant supra eandem omnino materiam, vt cùm quis debet centum solummodò titulo emptionis, religionis, pietatis, obedientiæ &c; reddendo centum satisfacit omnibus titulis; sic in casu.

10 His tamen dimissis, quæ rem facilem reddunt difficilem, conformiter ad ea, quæ diximus *cum Fund. Doct. to. 2. de Iust. Dei art. 3*; vbi ostendimus in Deo non esse formaliter iustitiam commutatiuam propter rationes *ibid.* allatas, dicimus satisfactionem Christi esse actum iustitiæ vindicatiuæ, & ideo conditiones allatas non requiri, quia sunt propriæ solius commutatiuæ, vt claret. Hanc sententiam tenet etiam *noster Gibb. disp. 3. dub. 3. nu. 15*; quanuis asserat satisfactionem Christi spectare etiam ad commutatiuam.

11 Vnica concl. Christus satisfecit de toto rigore iustitiæ vindicatiuæ quantùm ad veram afflictionem, & quantùm ad veram satisfactionem offensæ; non quantùm ad obligationem subeundi pœnam per peccatum inductam.

Prob. 1. *Isaiæ 1. A planta pedis vsq; ad verticem capitis non est in eo sanitas; vulnus, & liuor, & plaga tumens*; & *inf. Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Tandem concludit: *Consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis*. Ex quibus sic. Tolerantia formalis veræ pœnæ vsque ad æqualitatem, & deletionem culpæ est actus veræ, & rigorosæ iustitiæ vindicatiuæ; sicut enim inflictio pœnæ est actus veræ, & rigorosæ iustitiæ vindicatiuæ formaliter ex parte Iudicis exigentis culpæ satisfactionem in reo; ita tolerantia pœnæ ex parte satisfacientis iustitię est actus iustitiæ vindicatiuæ formaliter, & rigorosæ; iustitia enim vindicatiua essentialiter exigit duas personas, in quibus existit; in vna quidem inflictiuè, & actiuè; & in alia passiuè, & satisfactiuè; sed in Christo fuit formalis tolerantia veræ pœnæ vsque ad æqualitatem, & deletionem culpæ; quia in ipso fuit *vulnus, liuor, & plaga*; quibus peccata nostra, quæ sunt essentialiter nigra, & turpia, facta sunt alba, vt nix, & ideo deleta; ergo in Christo fuit satisfactio de toto rigore iustitiæ vindicatiuæ quantùm ad veram afflictionem, & pœnam, & quantùm ad satisfactionem offensæ; & *c. 53. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit &c. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra*;

stra; disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos, quasi oues, errauimus, vnusquisq; in viam suam declinauit; & posuit Deus in eo iniquitates omnium nostrum &c. Propter scelus populi mei percussi eum; & dabit impium pro sepultura, & diuitem pro morte sua eo, quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius; & Dominus voluit conterere eum in infirmitate: Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum &c. Pro eo, quòd laborauit anima eius, videbit, & saturabitur; in scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ex quibus arguitur. Assumens culpas alienas, tanquam proprias, & pro illis tolerans pœnam debitam, & condignam, satisfacit de toto rigore iustitiæ vindicatiuæ; sed Christus assumpsit culpas omnium hominum, & pœnam illis debitam tolerauit; ergo satisfecit de toto rigore iustitiæ vindicatiuæ. Ma. constat; sicut enim in iustitia commutatiua assumens debitum alterius, & illud soluens ex integro dicitur satisfacere pro debito alterius de toto rigore iustitiæ commutatiuæ; ita dicendum de iustitia vindicatiua, quæ non minorem exigit æqualitatem inter culpam, & pœnam; quàm iustitia commutatiua exigat inter debitum, & creditum. Mi. est de fide, habetur enim explicitè *in textu*.

12 Dices *cum Mastrio*. Ad satisfactionem exactam resarciẽdum est ius læsum quoad substantiam, & circunstantias, inter quas est honor personaliter offerendus ab offendente; ergo sola persona offendens potuit satisfacere de rigore iustitiæ.

Resp; quòd sicuti pater est moraliter vna persona cum filio, quia filius dicitur pars patris; & Caput morale censetur moraliter vnum cum membris; ita Christus, qui est Pater nos regenerans ad vitam, & Caput nostrum, censetur moraliter vnum, & idem cum omnibus hominibus, pro quibus satisfecit; & ideo eius satisfactio fuit exacta etiam quoad circunstantias. Nec obstat, quòd purus homo, etiansi sit caput morale, attamen non potest satisfacere pro iniuria personali illorum, quorum est Caput; non obstat, inquam; nam valor satisfactorius puræ creaturæ est finitus, ideo non includit valorem alterius creaturæ; at valor operum Christi est infinitus simpliciter, ideo includit valorem operum omnium hominum; adeoque potest satisfacere pro eorum offensis. Tum quia si Christus non resarcuisset ius læsum quoad substantiam, & circunstantias, plenè, & adæquatè non satisfecisset pro peccato, quia non satisfecisset quoad circunstantias, quoad quas Deus mansisset adhuc insatisfactus etiam posita satisfactione Christi; & sic Deus posset illas vindicare; & Christus non meruisset nobis iustitiam adæquatè, sed solùm quoad substantiam, non quoad circunstantias, quod est expressè *contra Scripturas*.

13 Prob. 2. *ex Conc. Ephes;* in quo *Proculus* inquit: *Pretiũ pro nobis à Christo Domino oblatum exæquasse ad iustitiæ amussim; & S.P. Aug. in Ench. c.*49. loquens de Diabolo ait: *Quoniam ipsum sine vllo peccati merito iniquissimè occiderat; per ipsum* (idèst per Christum) *iustissimè amitteret, quos peccati merito detinebat*; & *lib.* 2. *de pecc. merit; & remiss. c.* 30. super illud *Coloss.* 2. *Delens, quod erat aduersum nos, chirographum decreti*; inquit: *Vt fuso sanguine sine culpa omnium culparum chirographa deleret, quibus debitores, qui in eum credunt, à Diabolo antea tenebantur*. Ex quibus sic. Actus, quo quis exæquat iustitiam vindicatiuam, & delet chirographum pœnarum, quæ propter delicta sunt decretæ, est actus iustitiæ vindicatiuæ; in hoc enim formaliter distinguitur iustitia vindicatiua à commutatiua, & retributiua præmij; quòd vindicatiua est circa pœnas infligendas; commutatiua est circa res, quę commutantur absque vlla pœna; & retributiua præmij est circa honores, & beneficia, quæ conferuntur; sed Christus sui sanguinis effusione exæquauit iustitiam vindicatiuam culparum omnium hominum, & deleuit decretum pœnarum, quę propter omnium delicta erant hominibus à Deo decretæ; ergo Christi satisfactio fuit actus iustitiæ vindicatiuæ rigorosè sumptæ.

14 Conf. In hoc distinguitur commutatiua à vindicatiua, quòd illa ponit æqualitatem in rebus extrinsecis; vt v.g. qui dedit tantùm pecuniæ, tantùm tritici accipiat; hæc verò ponit æqualitatem inter personas in ratione culpæ, & pœnæ iuxta illud *Apoc.* 18. *Quantùm glorificauerat se in delicijs, tantùm ei tormentum, & luctum date*; vnde illa potest esse sine pœna intrinsecè inflicta; hæc verò sine pœna, & dolore esse non potest; sed Christi satisfactio fuit actus, quo in propria persona subiuit pœnam æqualem peccatis omnium hominum; ergo fuit actus iustitiæ rigorosè sumptæ; & quanuis erogauerit sanguinem, quo satisfecit; quia tamen sanguis non est res externa à satisfaciente; ideo hæc erogatio non est actus commutatiuæ; sicut quanuis reus alicuius delicti effundat sanguinem, & det vitam pro morte proximo illata, nullus diceret talem actionem esse actum iustitiæ commutatiuæ, sed vindicatiuæ; quia est actio pænalis compensatiua grauitatis delicti. *Vid. aliæ rationes to.* 2. *vbis.*

15 Tandem satisfactio pænalis est actus rigorosæ iustitiæ vindicatiuæ; sicut enim satisfactio realis est actus commutatiuæ, quæ habet ponere æqualitatem in rebus; ita satisfactio pęnalis est actus vindicatiuæ, quæ habet ponere æqualitatem inter culpam, & pœnam; sed satisfactio Christi fuit pęnalis; sua nanque morte satisfecit omni pœnæ infligendæ omnibus hominibus propter eorum peccata; dicitur enim:

enim: *Dolores nostros ipse portauit &c*; ergo satisfactio Christi fuit actus rigorosæ iustitię vindicatiuæ.

16 Prob. 2. pars concl. *ex Fund. Doct. dist. 2. vbis*; vbi docet, quòd pœna potest comparari. 1. Ad afflictionem. 2. Ad satisfactionem. 3. Ad obligationem per peccatum inductam. Primo modo summa pœna fuit in Christo, quia in ipso fuit summa afflictio iuxta illud: *Videte, si est dolor similis, sicut dolor meus*; & in hoc sensu fuit vera iustitia vindicatiua, quæ respicit veram pœnam infligendam propter peccata. Secundo modo etiam fuit summa, & superexcellens iustitia; *quia* (inquit *Fund. Doct.*) *cùm esset infinita persona, quæ pateretur, plus satisfecit eius passio, & eius mors, quàm omnes homines, qui sunt in Mundo, demeruissent*; & ideo superabundauit ad culpam. Sed tertio modo non obligantur iusti ad pœnam ratione peccati, nisi qui commiserunt peccata; at Christus nō commisit peccatum; ergo ratione peccati non obligatur ad pœnam; & ideo ratione obligationis per peccatum contractæ non fuit vera iustitia in Christo. Hoc tamen non obstante fuit in ipso quædam similitudo iustitiæ, quia assumpsit carnem in similitudinem carnis peccati, vt inquit *Apost*; & de peccatoribus nasci dignatus est, *vt omnium peccata deleret*; ergo quantùm ad obligationem inductam per peccatum non satisfecit de rigore iustitiæ, quia iustitiæ rigor non potest punire, nisi reos peccati, non autem innocentes. Diximus *ratione obligationis per peccatum inducta*; quia Christus potuit obligari ad patiendum pro homine ratione obedientiæ, misericordiæ, charitatis &c.

17 Obijc. 1. Ad satisfactionem de toto rigore iustitiæ requiritur, *quòd sit ad alterum*; nemo enim rigorosè sibimetipsi dicitur satisfacere, sicut nec se offendere; sed satisfactio Christi non est ad alterum; quia persona Christi satisfaciens est suppositum Diuinum, quod est Deus, cui debet fieri satisfactio; ergo non est de rigore iustitiæ. Sic dicendum de alijs conditionibus superiùs assignatis.

Resp. *esse ad alterum* esse conditionem requisitam ad omnem speciem iustitiæ; tres autem conditiones sequentes esse proprias solius iustitiæ commutatiuæ; quæ respicit bona externa, inter quę ponit æqualitatem, vt diximus. Dist. igitur ma. Satisfactio est ad alterum in natura, conc; in supposito, subdist; æquiualenter, conc; realiter, neg; sicut enim actus religionis, orationis, oblationis, & aliarum partium potentialium iustitię essentialiter sunt ad alterum; quia nemo dicitur colere, orare se ipsum &c; & tamen stante sola distinctione reali naturæ cum identitate suppositi gerentis munus suppositi creati Christus *in Scripturis* verè, & propriè dicitur orasse; nemo enim dicere auderet orationem Christi non fuisse veram, & propriam orationem; ita à pari.

18 Obijc. 2. *Vasq*. Iniuria per peccatum Deo illata non est rigorosa iniustitia; ergo nec satisfactio est rigorosa iustitia. Prob. ant. 1. Vbi non est damnificatio, ibi non est propriè iniustitia; sed iniuria Deo illata per peccatum non damnificat Deum; dicitur enim *Iob. 35. Si peccaueris, quid nocebis ei? & c. 22. Quid prodest Deo, si iustus fueris*; & ideo sicuti per opera nostra bona nullum confertur Deo bonum vtile; ita per opera mala nullum malum infertur; ergo peccatum non est rigorosa iniustitia. Prob. 2. Iniuria contra iustitiam rigorosam illata relinquit continuum debitum satisfaciendi; sed peccatum non est huiusmodi; aliter peccator differens contritionem semper peccaret; ergo idem.

Resp. neg. ant; vt diximus *to. 4. de iust. & iure q. 1. art. 2. §. 2.* Ad *1.* prob. dist. ma. Vbi non est damnificatio in bonis internis, vel externis, conc; in bonis tantùm internis, neg. Sic dist. mi. Non damnificat Deum in bonis internis, in quo sensu loquitur *Iob*, conc; in bonis externis, vt sunt cultus debitus, obsequium &c. neg. Ad 2. prob. dist. ma. Si ex dilatione satisfactionis persona offensa semper nouum damnum patiatur, conc; vt cùm quis furatur nummos Mercatori, quibus continuò lucratur emendo, & vendendo, tunc enim ratione continui nocumenti dilatio satisfactionis est culpabilis; si ex dilatione nouum damnum non patiatur, neg; & sic quia peccator differendo confessionem nullum nouum damnum infert Deo in bonis extrinsecis, ideo non peccat mortaliter differendo.

19 Obijc. 3. Fideiussor non habet maiorem obligationem satisfaciendi, quàm habeat debitor principalis; sed homo peccator non habebat obligationem satisfaciendi Deo ex rigorosa iustitia pro suis peccatis; ergo neque Christus, qui est fideiussor, seu mediator satisfaciens pro homine. Prob. mi. 1. In puro homine nequit esse actus satisfactorius ad ęqualitatem pro suis peccatis; vt *in seq. art*; ergo neque potest esse obligatio ad satisfaciendum Deo ex rigorosa iustitia; quia *ad impossibile nemo tenetur*. Prob. 2. Actus, quo pura creatura satisfacit Deo, est actus virtutis pœnitentiæ; ergo non est actus rigorosæ iustitiæ.

Resp. ma. esse vniuersaliter falsam; nam si quis damnetur ad supplicium corporis eo, quia non habet, vnde soluat ablatum, iuxta illud effatum legale: *Qui non habet in ære, soluat in corpore*; ille profectò ob impotentiam non obligatur ad soluendum in ære, obligatur tamen ad subeundum supplicium in corpore. At fideiussor volens eum liberare à supplicio corporis habet obligationem soluendi in ære. Sic creatura quamuis sit impotens ad satisfacien-

ciendum Deo pro peccatis, & ideo non habeat obligationem satisfaciendi, vt eximatur à pœnis; tamen obligatur ad subeunda supplicia, ad quæ pro peccatis damnatur. At Christus mediator nequit eam liberare à supplicijs, nisi ponendo æqualem satisfactionem pro peccatis. Mi. etiam hoc modo dist. Peccator non habet obligationem satisfaciendi Deo subeundo supplicia ex iustitia illi debita, neq; vt liberetur à supplicijs, conc. Quia tamen Christus mediator se obligauit liberare homines à pœnis illis debitis propter peccata, ideo habuit obligationem ad satisfaciendum ex iustitia, vt liberentur à peccatis; quam obligationem homines non habebant ob impotentiã; per quod patet ad vtranq; prob; neg. enim cons. vtriusque ob allatam rationem.

20 Obijc. 4. Ad rigorosam satisfactionem requiritur, quòd inducat obligationem in creditore ad acceptandam satisfactionem; sed satisfactio Christi nõ fuit huiusmodi; quia Deus nequit obligari, aut necessitari per aliquod ad extra; tum quia licèt Deus possit obligari ratione fidelitatis, aut veracitatis, non tamen ratione iustitiæ, quia non datur in Deo iustitia commutatiua; ergo idem.

Resp. omissis ijs, quæ congerunt *Recentiores* etiam ad hanc obiectionem neg. mi. Ad prob. infert. dicitur non posse Deum obligari, & necessitari simpliciter, & absolutè, bene tamen secundùm quid, & ex suppositione; quod esset in casu; supposito enim, quòd decreuerit Christi mortem ad satisfaciendum suæ iustitiæ pro hominum peccatis; obligatur ex iustitia ad acceptandam satisfactionem. Sicut licèt non teneatur absolutè dare gloriam hominibus, tenetur tamen ex suppositione, quòd illos elegerit ad gloriam; quam reddit, vt *iustus Iudex*, vt ait *Apost*; & quam si negaret, esset iniustus; vt conformiter *ad Apost.* loquitur *S.P. Aug. de nat; & grat. cap. 2.* super illud *Hebr. 6. Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri.* Ad aliud dicitur Deum obligari nedum ex commutatiua, sed etiam ex vindicatiua.

21 Obijc. 5. Vbi datur emptio, & pretium, ibi est commutatiua; sed satisfactio fuit emptio, & pretium; habetur enim *1. Corin. 6. Empti enim estis pretio magno*; ergo fuit actus iustitiæ commutatiuæ.

Resp. hæc soluta fuisse *to. 2. vbis.* Dist. ma. Vbi datur emptio ab iniuria, & pretium intrinsecum, neg; vbi datur emptio, & pretium rei extrinsecæ commutatæ, conc. Satisfactio Christi fuit emptio, redemptio, & pretium primo modo, quæ pertinent ad vindicatiuam, quæ etiam habet reddere æquale pro æquali &c. *Vid. vbis.* Mirum est, quòd *Recentes Thomistæ*, inter quos *Gonet*, negent commutatiuam in Deo *in de Volunt. Dei*; & *hic* illam asserant; certum enim est commutatiuam debere esse in vtroque commutante.

A R T. IV.

An pura creatura possit ad æqualitatem satisfacere pro peccato?

1 Non est quæstio de pura creatura in puris viribus naturalibus, sed de creatura, quæ non est simul Deus, vt est Christus, qui est Deus homo. Nec de satisfactione ex toto rigore iustitiæ, aut eiusdem valoris cum satisfactione Christi; concedunt enim etiam *Aduersarij* satisfactionem elicitam à pura creatura fore minoris valoris, quàm sit satisfactio Christi; ista enim est excedens, & superabundans; illa verò esset tantùm æqualis; quòd si Christi satisfactio in eorum sententia nõ est ex toto rigore iustitiæ, à fortiori id concedunt de pura creatura. Nec est quæstio de peccato veniali, sed mortali.

2 Prima sententia ait puram creaturam innocentem sine vllo peccato; v. g. Angelum bonum, aut hominem creatum à Deo in gratia absque eo, quòd descendat *ab Adam*, & contrahat peccatum originale, potuisse satisfacere pro peccatis omnium hominum; & ideo pro suo, & alieno peccato. *Ita Scot. cum suis apud Mastr. hic disp. 4. q. 5*; quibus fauent *Alex; Paludan; Ricard; & Caiet.*

3 Nostra docet nec pro suo, nec pro alieno posse satisfacere. *Ita Fund. Doct. hic dist. 1. par. 2. q. 1. art. 2. §. Ostenso; & ad 5; & in ep. ad Rom. cap. 3. lect. 12. dub. vlt. prope finem; & de Diuina influentia in beatos c. 2; & de Renunc. Papæ cap. 20; noster Gibb. disput. 2. dub. 4*; apud quem *Bernardin; omnes Thomistæ, & Neoterici ferè communiter.*

4 Non est sensus, an Deus possit acceptare aliquod opus bonum creaturæ, & intuitu ipsius remittere peccata; vel an possit absolutè condonare; vel quocunque alio modo in eius sapientia recondito hominem liberare; certum enim est *apud omnes* hoc Deo non repugnare; vt docet *S.P. Aug. lib. 13. de Trinit. cap. 10; & de Agone Christiano cap. 11.* Sed sensus est; an aliqua pura creatura quantauis gratia insignita, excepta gratia vnionis hipostaticæ, possit elicere opera meritoria habentia valorem, & condignitatem intrinsecam æquiualentem indignitati peccati mortalis; & hoc de potentia Dei absoluta.

5 Vnica concl. Nulla pura creatura etiam de potentia Dei absoluta, quantauis puritate, & gratia insignita, potuit ad æqualitatem satisfacere pro peccato mortali proprio, vel alieno.

Prob. 1. *ex 1. Tim. 2. Vnus mediator Dei, & ho-*

& hominum homo Christus Iesus; super quod *S.P. Aug. in Enchir. cap.*108. inquit: *Nam neque per ipsum liberaremur vnum Mediatorem Dei, & hominum hominem Christum Iesum, nisi esset & Deus*; & statim reddens rationem subdit: *Vt & humana superbia per humilitatem Dei argueretur, & sanaretur*. Formatur autem sic ratio. Solus ille actus, cuius valor intrinsecus est æqualis indignitati peccati *Adæ*, est ex sua ratione formali satisfactorius ad æqualitatem; sed nulla pura creatura etiam Diuinitus potuit habere actum, cuius valor sit æqualis indignitati peccati *Adæ*; ergo nulla creatura etiam Diuinitus potuit satisfacere ad æqualitatem. Ma. constat; hoc enim intelligitur nomine satisfactionis ad æqualitatem, vt dictum est. Prob. mi. Valor æqualis indignitati peccati *Adæ* competit solùm actui adæquatè opposito *Adæ* peccato; *oppositorum* enim *opposita sunt differentiæ*; valor autem, qui est idem, ac dignitas, opponitur indignitati, seu grauitati; quotiescunque autem duo opponuntur; si opponantur solùm inadęquatè, eorum differentiæ sunt inæquales; si verò adęquatè, differentiæ sunt æquales; ęqualitas enim, & inęqualitas sumitur formaliter ab oppositione adęquata, vel inadęquata; sed nulla pura creatura potuit etiam Diuinitus habere actum adęquatè oppositum *Adæ* peccato; nam *Adæ* peccatum fuit hominem velle superbiendo esse Deum per naturam; actus autem adęquatè oppositus est Deum velle se humiliando esse hominem per naturam assumptam vsque ad mortem crucis; repugnat autem creaturam puram esse Deum etiam Diuinitus; sicut nanque si plebeius offendat Regem, nullus actus elicitus à plebeio est adæquatè oppositus tali offensioni; quia plebeius non opponitur sibi ipsi; at si plebeius fieret Rex & Rex plebeius; tūc plebeius factus Rex posset elicere actum oppositum adæquatè satisfactorium honorando Regem factum plebeium; ergo nulla creatura potuit etiam Diuinitus habere actum, cuius valor sit æqualis inindignitati *Adæ* peccati. 2. Per solam actionem Mediatoris inter Deum, & homines potest poni æqualis satisfactio peccati hominis erga Deum; peccator enim per se ipsum nequit satisfacere, vt fatetur *Mastr*; sed nulla pura creatura etiam Diuinitus potuit esse mediatrix inter Deum, & homines; quia medium debet participare naturam extremorum, & illam æquare; hinc solus Christus, quia vt Deus, habet naturam Diuinam; & vt homo, humanam, dicitur *ab Apost. Vnus Mediator Dei, & hominum*; ergo nulla creatura pura potuit etiam Diuinitus satisfacere ad æqualitatem.

6 Prob. 2. *ex ps.* 129. *Quia apud te propitiatio est &c; & ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus suis*: super quod *S. P. Aug.* ait: *Quia Israel vendere se potuit, & fieri venundatus sub peccato, redimere se ab iniquitatibus non potest. Ille potuit redimere, qui non potuit se vendere*. Ex quibus sic. Ille potuit satisfacere æqualiter pro peccato, apud quem est propitiatio pro peccato; & qui non potuit peccando se vendere; sed nulla pura creatura est huiusmodi; quia propitiatio est solùm apud Deum, non apud creaturam; nam solus Deus potest propitiare creaturam peccantem Deo irato per peccatum; quia propitiatio *in Scripturis* dicitur de solo Christo. 1. *Io.* 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris*; & 4. *Misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris*; & non posse peccando se vendere est esse per naturam impeccabilem, repugnat autem creaturam impeccabilem per naturam; vt diximus *to.*3. *de Ang. q.*9. *art.*1. §.3; ergo nulla creatura potuit etiam Diuinitus satisfacere pro peccato ad æqualitatem.

7 Prob. 3. *ex Luc.* 17. *Quis autem vestrum habens seruum arantem, aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, & recumbe; & non dicat ei: Para, quòd cęnem; & præcinge te, & ministra mihi, donec manducem, & bibam; & post hæc tu manducabis, & bibes. Nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit, quæ imperaueras? Non puto. Sic & vos, cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis; dicite: Serui inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus*. Ex quo sic arguit *Fund. Doct.* Ille potest satisfacere pro aliquo, qui potest supererogare supra id, quod debet; vt si quis debeat *Titio* centum, potest etiam satisfacere pro alio debente quoque centum, qui potest erogare centum, quæ debet, & supra illa potest erogare etiam alia centum, quæ ab alio debentur; sed nulla pura creatura potest superogare Deo supra id, quod debet; quia omnis pura creatura essentialiter est Dei serua, & seruus se, & omnia Domino debet; solus autem Christus non est serua creatura, sed Filius per naturam; ideo non est debitor, & per consequens potuit erogare supra id, quod debuit, quia nihil debuit; & omnia opera eius fuerunt supererogationis omnino gratuitæ; ergo nulla pura creatura potuit ad æqualitatem satisfacere pro peccato.

8 Prob. 4. *à Fund. Doct.* ex infinitate indignitatis peccati. Sola satisfactio infiniti valoris est æqualis indignitati peccati; sed nulla creatura potuit elicere actum satisfactorium infiniti valoris, quia omnis creatura essentialiter est finita; ergo idem. *Ma.* patet; nam peccatum est infinitum in genere offensæ; vt diximus *art.*2. §.1. Addunt *Gibb; & alij Recentes*; quòd etiansi peccatum esset finitæ grauitatis in genere offensæ; adhuc quia offensa esset altioris ordinis, quia mensuratur à dignitate personæ Diuinæ, ad quam nequit pertingere dignitas personæ creatæ satisfacientis; ideo nec posset æqualiter satisfieri.

9 Prob.

9 Prob.5. Ille solùm, qui potuit esse Caput totius Ecclesiæ, potuit satisfacere ad æqualitatem pro peccatis omnium hominum; sed implicat puram creaturam esse Caput totius Ecclesiæ; ergo implicat puram creaturam satisfacere ad æqualitatem pro peccatis omnium hominum. Ma. constat *ex Apost. Rom.* 5. docente, quòd sicuti solus *Adam*, qui fuit caput omnium hominum, potuit omnes homines perdere in eos transfundendo peccatum; ita solus Christus, qui est Caput morale omnium hominum, potuit omnibus hominibus gratiam iustificantem mereri interponendo satisfactionem debitam eorum peccatis. Mi. probata est *in sup. q. art.* 3; vbi *vid.* aliæ rationes, quib. hæc concl. prob.

10 Tandem communis est *SS. PP.* doctrina asserentium potuisse homines solùm à peccato liberari per Filium Dei vnigenitum, qui nisi Deus esset, Redemptor non esset; quia ad placandum Deum peccatis offensum necesse fuit Deum hominem Deo offenso satisfactionẽ offerre; ergo pura creatura non fuit sufficiens.

Resp. *Mastr. SS. PP.* esse intelligendos ex suppositione, quòd Deus decreuerit Verbum Diuinum incarnari, & in carne assumpta hominem redimere; & in hoc includitur, quòd Deus nollet acceptare satisfactionem puræ creaturæ; & ex duobus hoc colligit. 1. Quia multi *SS. PP.* dicunt nedum incarnationem, sed etiam mortem Christi fuisse necessariam ad liberandum hominem; & tamen certum est potuisse Christum alijs actionibus citra mortem satisfacere. Sicut ergo quando asserunt Christum, nisi mortuus esset, homines non liberasse, est intelligendum ex suppositione præsentis decreti; ita similiter intelligendum est, cùm aiunt, quòd nisi Deus esset, homo non liberaretur. 2. Quia asserunt Deo fuisse possibilem alium modum liberandi hominem; ergo non fuit necessarium Deum incarnari; & ideo pura creatura potuit ad æqualitatem satisfacere.

Sed incongruentia huius responsionis apertè conuincitur. 1. Quia explicantes illud *Apost. Vnus mediator &c.* asserunt solùm hominem Deum potuisse esse Mediatorem inter Deum, & homines, quia medium inter creaturas, & Deum nequit esse vel creatura pura, vel Deus tantùm; pura enim creatura, & Deus sunt duo extrema, inter quæ cadit medium, vt *sup.* diximus *ex S. P. Aug*; medium autem debet esse quid distinctum ab extremis, aliter esset extremum, non medium; ergo asserunt, quòd mediator inter creaturam, & Deum essentialiter, & per consequens absolutè, & simpliciter debet esse Deus homo. 2. Quia ad hoc, vt ponatur satisfactio ęqualis, debet poni actus adæquatè oppositus *Adæ* peccato; qui non potuit esse, nisi à Deo homine, vt *sup.* diximus. 3. Quia docent illum solùm posse liberare hominem à peccato, cui per naturam competit non posse peccare; hoc autem nequit competere puræ creaturæ, quæ ex sua natura, cùm ex nihilo sit, defectibilis est; vnde sicut Deus de potentia absoluta non potest facere creaturã, quæ non sit ex nihilo; ita nequit facere creaturam ex sua natura indefectibilem, & impeccabilem; & ideo nequit facere creaturam, quę possit satisfacere ad æqualitatem pro peccato. 4. Quia inquiunt neminem posse per aliquem liberari à peccato, nisi ille, qui liberat, possit gratiam tribuere, per quam à peccato liberatur; & id probant *ex Apost. Rom.* 5. docente, quòd sicut per peccatum vnius hominis omnes mortui sunt; ita omnes per iustitiam vnius hominis viuificati sunt; hæc autem vita est gratia iustificans à peccato, qua viuimus Deo; vnde *S. P. Aug. tract.* 80. *in Io.* inquit: *Nisi Deus esset, vitam palmitibus non præberet*; sed nulla pura creatura potest gratiam conferre etiam de potentia absoluta; ergo nec satisfacere. Ad 1. autem dicitur mortem Christi fuisse necessariam ad satisfactionem externè consummatiuè, non autem formaliter essentialiter; & hæc est communissima omnium doctrina; externa autem consummatio omnino contingenter se habet ad actum intrinsecum; quia potest haberi valor actus liberi intrinseci absque externa consummatione, vt si quis velit eleemosinam facere, & non sit, cui eleemosinam tribuat; & sic dicitur de malitia peccati; implicat autem dari valor intrinsecus proprius talis actus intrinseci sine tali actu intrinseco; vnde cùm valor satisfactorius pro peccato, vt asserunt *SS. PP*; sit proprius actuum Christi Domini, prout est Deus homo, ideo implicat dari satisfactionem in actibus puræ creaturæ; quòd autem talis actus consummetur externè per mortem, vel per quid aliud, pendet omnino à libera voluntate Dei. Ad 2. dicitur non defuisse Deo alium modum liberandi hominem per liberam condonationem, vel per acceptationem actus inadæquati; hoc autem esset ex gratia saltem inadæquatè, quæ suppleret defectum satisfactionis; non autem esset ex adęquata iustitia; vnde *S. P. Aug. loc. cit.* subdit hunc fuisse conuenientiorem; vt ostenderetur iustitia respectu Christi; & Christi gratia in omnes homines; & hanc esse mentem *S. P. Aug.* constat ex concordia suæ doctrinæ *cum textibus sup.* adductis.

11 Obijc. 1. *Mastr. nu.* 209. Satisfactio non constituit æqualitatem inter personam, & personam, sed inter iniuriam, & obsequium; aliter plebeius non posset ad ęqualitatem satisfacere pro iniuria illata Regi; quod est falsum; nam quamuis plebeius non possit aliqua submissione satisfacere pro alapa Regi illata; attamen si manifesto suæ vitæ periculo Regem liberet à morte,

morte, vel à captiuitate, prudenti æstimatione censetur ad æqualitatem satisfacere; ergo à pari. 2.*nu*.215. Potuit Deus constituere *Adam* caput morale omnium hominum, quod transfunderet non peccando gratiam in omnes; ergo potuit constituere puram creaturam, quæ gratiam omnibus merẽdo restitueret. 3.*n*.225. Infinitas peccati est tantùm secundùm quid, non simpliciter; sed excessus secundùm quid non est ita notabilis, vt non possit adæquari; ergoquanuis offensa sit altioris ordinis; attamen per actionem puræ creaturæ potuisset adęquari. 4. Ideo iustus per gratiam adoptionis nequit gratiam alteri, sed sibi tantum mereri; quia deest pactum ipsius Dei; sed in casu adesset pactum; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. ma; nam si satisfactio constituit æqualitatem inter iniuriam, & obsequium, constituit etiam æqualitatem inter personam offensam, & satisfacientem, à quibus sumitur magnitudo iniuriæ, & obsequij. Ad prob. infert. dicitur esse *contra Euang. vbi s*; nam seruus semper facit id, quod debet; & licèt mereatur, vt Rex gratis omnino illi dimittat iniuriam, non tamen ex iustitia, quæ nequit esse inter seruum, & Regem. Ad 2. neg. cons; nam ad hoc, vt *Adam* transfunderet gratiam, non fuisset necesse, vt mereretur ex iustitia illam transfusionem, sed ex mera gratia Dei illam transfudisset; at ad hoc, vt pura creatura ex iustitia satisfecisset, necesse fuisset, vt gratiam omnibus ex iustitia meruisset delendo peccatum, quod gratia demeruit. Ad 3. neg. ma; vt diximus *art*. 2. §. 1. Vel omissa dist. mi. Excessus secundùm quid in eodẽ ordine, conc; in diuerso ordine, neg; peccatum autem in ratione offensæ est deuiatio ab ordine Diuino; actus verò puræ creaturæ est in ordine creato. Ad 4. neg. ma; iustus enim nequit sibi, nec alteri mereri primam gratiam; & augmentum gratię meretur, non ratione pacti, sed ratione valoris intrinseci ipsius actus, vt diximus *to*.4. *de grat. q*. 5. *art*. 2; 4; *&* 5.

12 Obijc. 2. Creatura eliciens actum charitatis reddit Deo totum, quod abstulerat per peccatum, quia reddit rationem vltimi finis, quam per peccatum posuerat in creatura; ergo satisfacit ad æqualitatem. 2. Ideo homo nequit satisfacere pro peccato proprio; quia talis satisfactio nequit procedere à subiecto iusto per gratiam; sed satisfactio pro alio potest procedere à subiecto iusto per gratiam; illa enim creatura esset sancta; ergo idem. 3. Reddens, quod potest, perfectè satisfacit; ergo quanuis offensa sit infinita, & satisfactio finita, quia tamen creatura nequit reddere satisfactionem infinitam, perfectè satisfacit. 4. *D. Stephanus* meruit conuersionem *D. Pauli*; vt docet *S. P. Aug*; ergo idem. 5. Possibile est peccatum mortale cum ignorantia inuincibili, quòd sit contra Deum; ergo tunc non esset offensa Dei; ergo in tali casu posset fieri satisfactio.

Resp. ad 1. dist. ant. Reddit totum in ratione bonitatis, & malitiæ, quę commensuratur cum actu, conc; in ratione offensæ, quæ mensuratur cum dignitate personę, neg. Ad 2. neg. ma; nam quanuis satisfactio exigat esse à persona iustificata; attamen *hoc non sufficit* ad exęquandam offensam, sed requiritur, vt exeat à persona gratiam efficienter tribuente, qualis non est persona creata. Ad 3. neg. ant; quanuis enim impotentia excuset à satisfactione, non tamen satisfacit. Ad 4. dist. ant. Meruit impetratiuè, conc; satisfactiuè, neg. Ad 5. neg. ant; nam ex eo, quòd quis scit peccatum esse contra naturam, scit etiam peccatum esse contra Deum, qui est Auctor naturę; & ideo non datur ignorantia iuris inuincibilis. *Si autem* daretur, non esset peccatum; quod essentialiter est contra Deum.

13 Quæres; an saltem creatura possit satisfacere pro peccato veniali?

Resp. *Vasq; Lug; Gonet, Arriag; & alij communiùs* affirmatiuè; quia peccatum veniale est offensa leuis, quę est contra media ad Deum, non contra Deum, qui est finis; ideo eius indignitas potest adęquari per dignitatem mediorum, cui opponitur. *Sua.* [illegible] *hic, & alij* docent omnes actus creaturę esse alijs titulis Deo debitos, & ideo quanuis habeant valorem ęqualem indignitati veniali; attamen non esse satisfactorios, quia non erogant aliquod supra id, quod debent; adeoque non *delentur* à Deo, nisi per gratuitam condonationem. Hæc doctrina conformis est rationi *sup*. allatę *à Fund. Doct, Luc*. 17.



QVAE-

QVÆST. IX.

De Scientia Christi.



E Scientia Christi, vt gratia est, iam egimus *q. 7. art. 2*; nunc superest agendum de ipsa, vt est perfectio intellectus. Quoniam autem videmus in natura intellectuali creata eleuata per gratiam ad ordinem supernaturalem esse scientiam naturalem innixam lumini naturali intellectus, qua cognoscuntur res naturales; & scientiam supernaturalem innixam lumini supernaturali, qua noscuntur obiecta supernaturalia; ideo de vtraque tractandum est. Non enim *hic* agimus de scientia, quæ competit Christo, vt Deus est; de illa nanque sermo fuit *to. 2. de Scientia Dei*; vbi diximus Deum omnia cognoscere in se ipso, qui est obiectum omnia continens, & perfectissimè repræsentans; & ideo vnam tantùm specie esse in ipso scientiam, sicut vnum est obiectum formale specificans; & tantùm materialiter ratione obiecti secundarij diuidi in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis; eamque esse simpliciter infinitam, comprehensiuam &c. Agimus ergo de scientia, quæ competit Christo, vt homo est; & quæ potest ei conuenire ratione naturæ humanæ, cui non repugnat scientia naturalis rerum in se ipsis, & supernaturalis rerum in Deo.

ART. I.

An Christus per visionem, seu scientiam beatam viderit omnia possibilia, & futura?

1 CErtum est secundùm fidem in Christo nedum esse duplicem naturam inconfusè in vnitate personæ coniunctam; vt statutum fuit *in Concil. Chalced. cont. Eutych*; sed etiam esse duplicem potentiam intellectiuam, & volitiuam, quæ sunt facultates operatiuæ sequentes essentialiter ad naturam, quæ est principium formale *quo* operandi; & non potest operari, nisi mediante potentia operatiua, quæ est determinata ad talem speciem operationis, ad quam natura est indifferens; propter quod nequit ab ipsa immediatè procedere talis operatio determinata; quia ab indifferenti, vt indifferens est, nequit esse determinatio, quæ indifferentiæ est opposita. Igitur cùm natura humana v. g. sit indifferens ad intelligendum, & volendum, quod importat actiones specie diuersas; est enim generale principium harum operationum; & generale est indifferens ad species, à quibus contrahitur; ideo ad hoc, vt eliciat actiones intellectiuas, & volitiuas, necessariò debet ei superaddi potentia intellectiua, & volitiua, quibus determinatè tales actiones eliciat; sicuti enim quia animal est indifferens, nam genus est ad rationalitatem, & irrationalitatem; ideo nequit élicere actiones rationales, & irrationales, nisi ei superaddatur rationalitas, & irrationalitas, quibus determinetur ad tales operationes; ita seruatis seruandis à pari. Ex hoc sequitur in Christo fuisse pariter duplicem operationem, Diuinam scilicet, quæ est actio naturæ Diuinę; & creatam, quæ est actio naturæ creatæ; vt definitum est *in VI. Syn. Gen. contra Monothelitas sub Papa Agathone* admittentes tantùm vnam voluntatem, & vnam operationem. Insuper pro certo habemus, quòd sicuti etiam de potentia Dei absoluta duæ naturæ ita fuerunt in Christo diuisæ, vt nequiuerint in vnam confundi; ita dicendum de potentijs, & operationibus proprijs vtriusque naturæ, vt docet *S. P. Aug. serm. 58. de Verbis Domini* asserens: *Quæ tamen substantiæ non sunt confusæ, sed vnitæ; atque in vna, eademque persona inseparabiles, & in sua semper proprietate manentes. Quapropter vnicuiq; substantiæ propria aptanda sunt &c. In tantùm enim hæ duæ naturæ sibimet vnitæ sunt, atque coniunctæ, vt idem Christus Deus, & homo aliquando res aut agat, aut loquatur humanas, aliquando Diuinas*. Si autem per operationem Diuinam posset homo operari, natura humana non esset ad talem operationem necessaria, quia ad illam eliciendam sufficeret natura Diuina. *Vid. to. 3. de Beat. q. 2. art. 1*; vbi ex doctrina *VI. Syn.* ostensum fuit repugnare naturam creatam operari vitaliter per actiones vitales increatas, quæ essentialiter petunt oriri à principijs naturæ intrinsecis; Hoc euertitur *Hug. Victorin. to. 3. de Sapientia animæ Christi* putans in anima Christi non esse admittendam, nisi scientiam increatam; *& alij relati to. 3. vbi s.*

2 Præterea ex dictis *q. 7. art. 2.* deducitur animam Christi Domini à primo instanti suæ conceptionis intuitiuè vidisse Diuinam essentiam, & ideo habuisse visionem beatam. Est *cont. Erasmum Roterodam*; qui circa hoc dubitauit; & *cont. Bucerum* asseueranter substinentem animam Christi non fuisse beatam ante mortem, vt refert *Can. lib. 12. de Loc. Theol. c. 14*; *& cont. Caluin; aliosque nostri temporis hæreticos apud Bellarm. lib. 4. de an. Christi c. 8.* mentientes animam Christi saltem in triduo caruisse visione beata, quia pro illo tempore debebat pro nostra salute pęnas damnatorum tolerare. *Omnes* tamen *DD.* oppositum docent; inter

quos *Fund. Doct. Quodl.* 2. *q.*4; vbi ex illo *Io.*1. *De plenitudine eius omnes accepimus*; sic arguit. Ille, qui est plenus omnis gratiæ, quam potest recipere creatura siue in hac, siue in alia vita, debet habere in se nedum gratiam, quam in hac vita habet creatura, sed etiam visionem beatam, quæ est gratia consummata, & maxima, quam creatura recipit in alia vita; *nemo enim dat, quod non habet*; nec plenus potest dici eo, quo caret, sed vacuus; sed Christus à primo instanti suæ conceptionis dicitur plenus gratiæ, quia natus est Filius Dei naturalis summè dilectus à Patre, & ideo omni gratia perfectissima, & consummata exornatus; dilectio enim Dei gratiam in dilectis operatur; & sic summa dilectio summam gratiam; ergo Christus à primo instanti suæ conceptionis habuit etiam visionem beatam; aliter qui minor fuisset in Regno Cœlorum, vt minor Angelus, maiorem gratiam, quàm Christus, habuisset; habetur enim *Luc.*7; *& Matth.* 11. *de Ioanne*, qui in hac vita habuit maiorem gratiam, quàm quilibet alius homo: *Qui autem minor est in Regno Cælorum, maior est illo*; quia gratia consummata, & perfecta maior est qualibet gratia viatoribus concessa; cùm hæc sit inchoatio quædam illius. 2. *Io.* 3. *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu sua.* Super quod *vid. q.*7. *art.* 2. §. 2. *n.* 48. rationem *ex S. P. Aug.* desumptam. 3. *Ep.* 1. *ad Tim.* 2. *Mediator Dei, & hominum.* Medium debet participare naturam extremorum; sed Christus conceptus est medius inter Deum, & homines; ergo debuit participare naturam Dei, & hominum; at non potuisset participare naturam Dei hominibus, nisi ipse vidisset Diuinam essentiam; non enim participauit vniendo homines Deo hipostaticè, sed illos vniendo per visionem beatam; non potuisset autem eos vnire per visionem beatam, nisi etiam ipse sic esset vnitus, quia medium nequit vnire extremũ alteri extremo, nisi per id, quod est in se; ergo idem. 3. Christus debebat nos erigere in spem salutis æternæ; dicitur enim 1. *Tim.*1. *Christi spei nostræ*; ergo debuit in primo instanti suæ conceptionis vidisse Diuinam essentiam; aliter motiuum desperandi, non sperandi, habuissemus; videntes enim quòd natura humana, quanuis hipostaticè vnita, attamen non videret Deum, multò magis inferre potuissemus nos, qui sumus infinitè à Deo distantes, Deum non visuros. Deinde ex illo *Io.* 1. *Deum nemo vidit vnquam; vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis*; sic prob. Ille, qui enarrauit nobis, Deum intuitiuè vidit; *hic* enim sermo est de visione intuitiua; nam Prophetæ Deum abstractiuè viderunt; & ideo sermo est tantùm de visione intuitiua, quæ nulli Prophetæ fuit concessa saltem per modum permanentis; sed Christus, vt homo, enarrauit nobis; ergo, vt homo, Deum intuitiuè vidit. Item *Io.* 3. *Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo, Filius hominis, qui est in Cœlo; & Luc.*24. *Hodie mecum eris in Paradiso*; quod *S. P. Aug. tract.* 111. *in Io; & lib.* 12. *de Gen. ad lit. c.* 34. explicat de visione beata; & facit sensum; *Hodie mecum beatus eris; quia sicut Ego video; ita & tu Deum clarè videbis.* Tandem *Matth.*17. habetur transfiguratio corporis Christi in gloriam, qua fruebatur anima; non enim potuisset gloria Diuinitatis splendescere, nisi lumen gloriæ creatum, quo solùm manifestatur Diuinitas, in illo non fuisset; in quo autem est lumen, quo Deus præsens manifestatur, est visio beata; ergo idem.

3 Dices. 1. cum hęreticis. *Matth.* 27; *& psal.* 21. habetur: *Deus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti; longè à salute mea verba delictorum meorum*; quæ verba sunt peccatoris desperantis. 2. *Act.* 1. de Christo dicitur: *Quem Deus suscitauit à mortuis solutis inferni doloribus*; sed cum doloribus inferni incompossibilis est visio beata; quia summa tristitia pugnat cum summa lætitia; ergo Christus non habuit visionem beatam. 3. *Luc.* 22. *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam; & Io.* 4. *Nondum spiritus erat datus; quia Iesus nondum erat glorificatus*; intrare autem in gloriam, & non esse glorificatum dicit carentiam visionis beatæ, in qua consistit gloria, vt constat. 4. Videns Diuinam essentiam in hac vita ita absorbetur, vt nequeat sensibus vti; sed Christus vsus est sensibus; ergo non vidit Diuinam essentiam.

Resp. ad 1. *S. P. August. epist.*120. *ad Honorat. c.*6. *Hæc ex persona sui corporis Christus dicit, quod est Ecclesia. Hæc ex persona dicit infirmitatis carnis peccati, quam transfigurauit in eam, quam sumpsit ex Virgine, similitudinem carnis peccati. Hæc Sponsus ex persona Sponsæ loquitur; quia vniuit eam sibi &c. Erunt duo in carne vna; sacramentũ magnum dixit Apost. Ephes.*5. *in Christo, & in Ecclesia. Igitur iam non duo, sed vna caro. Si ergo caro vna, profectò competenter etiam vna vox.* Vocat igitur sua, quæ sunt nostra, delicta, quia venit illa delere, vt sua. Nec hęc vox est desperantis, sed deprecantis. Nam cùm ait: *Quare me dereliquisti*; idem significat, ac *quare non me exaudisti*; cùm deprecarer, vt *transiret à me calix passionis*, derelinquendo me in medio tormentorum. Hæc tamen verba sunt verba delictorum, quæ delenda suscepi; & sunt longè à salute mea, idest quam meo populo, qui mea morte est redimendus, solùm patiendo debui mereri; idcirco si me exaudisses, cùm peterem: *Transeat à me calix iste*; salus longè esset ab hominibus, quia mea morte saluati non essent. Ad 2. resp. *idem S.P. Aug. lib.*12. *de Gen. ad lit. c.*29. intelligi non posse; *nisi vt quorundam dolores apud inferos eum soluisse*

uisse accipiamus ea potestate, qua Dominus est, cui omne genuflectitur cælestium, terrestrium, & infernorum, per quam potestatem etiam illis doloribus, quos soluit, non potuit teneri. Soluit ergo dolores aliorum, tanquam proprios, sicut deleuit aliena peccata, vt sua; & vt suam, alienam salutem est operatus. Ad rationem dicitur, quòd summa tristitia, quam Christus passus est moriendo, non pugnat cum summa lætitia, quam percipiebat Deum videndo; quia illa erat secundùm partem inferiorem; & ideo anima affligebatur, prout operabatur circa partem sensitiuam, secundùm quam non erat beata; & iucundabatur secundùm partem superiorem, secundùm quam beatitudine fruebatur; hoc enim miraculum fuit in Christo, vt gloria animæ non transfunderetur in corpus; & ideo per corpus eadem anima potuit affligi, quæ videndo Deum summa afficiebatur lætitia. Ad 3. dicitur sermonem esse de gloria corporis; corpus enim glorificari non debuit, nisi post passionem. Ad aliud resp. *S. P. Aug. lib. 83. qq. q.62.* Spiritum non fuisse datum manifestè, sed latenter; *quia nondum sic apparuerat, vt omnes eum datum esse faterentur; sicut etiam nondum erat glorificatus inter homines; sed tamen clarificatio eius æterna nunquam esse destitit*; idêst glorificatio latens, qua Deus ab æterno statuit Christum glorificare, nunquam destitit esse in Christo. Ad 4. dicitur ma. esse veram secundùm potentiam ordinariam, secundùm quam ordinantur puræ creaturæ, quæ ita beatificantur secundùm vires superiores, vt etiam beatificentur secundùm inferiores; falsam verò de Christo, qui vi Diuinæ potentię ita fuit ordinatus, vt per vires superiores Deo frueretur; & per inferiores patiendo Deum nobis peccatoribus propitiaret. *Vid. q.3. art.3. §.1. à n.29. His supp.*

4 Prima sententia vult animam Christi vidisse omnia possibilia. Ita *Hug. à S. Vict.* asserens animam Christi intelligere per intellectionem increatam, vt *sup.* diximus. *Alex.* verò, *Dur*; *& alij antiqui* dixerunt ea videre per intellectionem creatam. Tribuitur etiam *Scot*; sed *Mastr. hic disp.5. q.1. art.1; & 2.* ait *Scotum* probabiliter tantùm docuisse hanc sententiam de facto, & actualiter eo, quia nulla apparet repugnantia; posse tamen verificari habitualiter, non actualiter, quia alijs Beatis Verbum iuxta determinatam mensuram meritorum, quę sunt finita, est speculum voluntariè repræsentans has determinatè creaturas ita, vt plures non possint Beati videre; at verò respectu Christi est speculum voluntariè repręsentans omnia possibilia, quanuis Christi intellectus ob suam finitatem non possit omnia simul actu intelligere; potest tamen quascunque, finitas tamen, cognoscere, quia obiectum secundùm se est ostensiuum omnium in actu primo. Hunc secundum modum dicendi amplectuntur *Bellut; Fab; Ferch; & alij Scotistæ*.

5 Secunda vult non videre omnes creaturas possibiles, sed tantum omnia præterita, præsentia, & futura ita, vt scientia beata Christi æquetur scientiæ visionis Dei, non scientiæ simplicis intelligentiæ. *Ita plures Thomistæ*, inter quos *Godoy, & Gonet, Vasq; & ferè omnes Recentiores; & ex nostris Gibb*; qui propterea addunt animam Christi simul videre in Verbo actu infinita categorematicè, quod esse intelligendum de infinitate categorematica accidentium, non substantiarum addit *Gonet*.

6 Nostra docet scientiam Christi beatam non æquare nec in claritate cognitionis, neq; in numero scitorum scientiam simplicis intelligentiæ; scientiam tamen visionis æquare in numero scitorum, non tamen in claritate, adeoque non cognoscere infinita categorematicè. *Ita Fund. Doct. hic dist. 14. q.1. art. 1; Argent. ibid. art.3; Franc. à Christo lib.4. q.7; Amic; Sal; & alij.*

7 Not. scientiam visionis, quæ est in Deo, considerari posse positiuè, prout versatur circa futura aliquando ponenda sub actuali existentia; & negatiuè, prout versatur circa non futura, quæ decreuit Deus non esse futura. De scientia visionis negatiuè idem dicendum, ac de scietia simplicis intelligentiæ; versatur enim circa omnes creaturas possibiles, quæ remanserunt in statu possibilitatis; non quatenus possibiles sunt, sic enim circa illas versatur scientia simplicis intelligentiæ; sed quatenus sunt non futuræ, seu negatiuè futurę; sic enim circa ipsas versatur scientia visionis, vt diximus; *to.2. de Scient. Dei q.3. art.4.*

8 Vnica concl. Christus per scietiam beatam non cognoscit omnia possibilia, nec omnia futura negatiuè; sed tantùm omnia præterita, & futura positiuè, quæ tamen non cognoscit, vt formaliter infinita, sed vt finita; atq; adeo visio Christi beata non æquatur neque in claritate, neque in numero scitorum scientię simplicis intelligentiæ; & licèt in numero scitorum æquetur scientiæ visionis Dei, attamen ei non æquatur neque in claritate, neque in modo cognoscendi.

Prima pars concl. probata est *to. 1. de Inuisib. Dei q.5. art.1*; vbi ostendimus visionem beatam, quæ terminatur essentialiter ad omnia, quę sunt formaliter in Deo, aliter non esset beata, si terminaretur etiam ad omnia possibilia, quæ sunt eminenter in Deo, fore comprehensiuam, quia cognosceret Deum omnibus modis, quibus cognoscibilis est ita, vt nihil esset in Deo, quod lateret videntem; cognitionem autem comprehensiuam repugnare naturæ creatæ eo, quia propria est solius naturæ Diuinæ, *ibid. ex Scripturis, SS. PP*; & rationibus satis ostendimus. Tum quia implicat natu-

naturam humanam Christi æquari in perfectione naturæ Diuinæ; nam *in Symb. D. Athan.* dicitur: *Minor Patre secundùm humanitatem*; quod sæpissimè vrget *S. P. Aug. cont. Arrianos*; ergo implicat proprietatem essentialem naturæ humanæ æqualem esse proprietati naturæ Diuinæ; proprietas enim sequitur, & commensuratur cum sua essentia, à qua fluit; sed cognitio est proprietas essentiæ humanæ, sicut comprehensio est proprietas naturæ Diuinæ; ergo implicat cognitionem, quæ est propria naturæ humanæ, quantumuis eleuatæ per gratiam etiam vnionis, esse æqualem cognitioni, quæ est propria ipsius Dei; & ideo repugnat scientiam creatam Christi Domini cognoscere omnia possibilia, æquaretur enim cognitioni Dei; quia aliunde cognosceret omnia futura, & omnia prædicata, quę sunt in Deo formaliter; nihil aliud autem est assignabile, quod cognoscatur à Deo; quia sicut nullum aliud ens est reperibile; ita nullum aliud est cognoscibile, quod sequitur ad ens. Tum quia naturæ creatę repugnat omniscientia, sicut ei repugnat omnipotentia; sed scire omnia possibilia est actus omniscientiæ; sicut posse producere omnia possibilia est actus omnipotentię; ergo repugnat naturę creatæ etiam Christi scire omnia possibilia. Hęc probant etiam de omnibus futuris negatiuè sumptis; quia non sunt, nisi possibilia à Deo nolita, vt diximus. *Vid. vbis.* Tandem obstat infinitas; vt mox dicemus.

Refellitur autem *Mastr.* Ad hoc, vt sequatur visio, non sufficit obiectum esse manifestum, & ostensiuum, sed requiritur virtus cognoscitiua, & lumen proportionatum potentiæ, vt constat; sed in anima Christi Domini non est virtus cognoscitiua creaturarum possibilium modo allegato *à Mastr*; neque lumen proportionatum; quia talis virtus cognoscitiua deberet extendi ad omnes creaturas possibiles, & lumen deberet illas manifestare; adeoque adæquari infinitę cognoscibilitati ipsius Verbi; v.g. quamuis perfectus Theologus modò cognoscat actu has, vel illas veritates in particulari, non omnes simul; attamen virtus cognoscitiua, & lumen Theologicum extenditur ad omnes veritates, & illis adęquatur; implicat autem virtutem cognoscitiuam, & lumen Christi adęquare cognoscibilitatem infinitam Verbi; quia implicat habere vim infinitam; ergo licèt Verbum secundùm se sit ostensiuum omnium creaturarum possibilium; attamen Christus nequit illas disiunctiuè, & successiuè cognoscere.

9 Prob. 2. pars concl. *ex Io.13. Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*; super quod *S. P. Aug. tract.55. Omnia dederat Pater in manus eius, & in vsum mala, & in effectum bona*. Ex quo arguitur. Omnia, quæ fuerunt posita à Deo in manu Christi, fuerunt euidenter cognita per scientiam beatam à Christo; sed prętерita, pręsentia, & futura positiuè fuerunt posita à Deo in manu Christi; ergo fuerunt euidèter cognita per scientiam beatam à Christo. Ma. patet ex allato *textu*; nam Christus sciuit omnia, quę Pater dedit in manus eius; scire autem est euidenter videre. Mi. etiam constat; nam si prętérita, vel pręsentia, aut futura positiuè non fuissent posita in manu Christi, non omnia, quę Deus decreuit facere, posuisset in manu Christi; vt malis bene vteretur, & efficeret bona. Item ex illo *Io.7. De die, & hora nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, nisi Pater*. Super quod *S.P. Aug. lib.1. de Trinit. c.12.* inquit: *Hoc enim nescit, quod nescientes facit, idèst quod non ita sciebat, vt tunc Discipulis indicaret; sicut dictum est ad Abraham: Nunc cognoui, quòd timeas Deum, idèst nunc feci, vt cognosceres; quia & ipse sibi in illa tentatione probatus innotuit. Nam & illud vtique dicturus erat Discipulis tempore opportuno, de quo futuro, tanquam de præterito loquens ait: Iam non dicam vos seruos, sed amicos; seruus enim nescit voluntatem Domini sui; vos autem dixi amicos; quia omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis; quod nondum fecerat; sed quia certò facturus erat, quasi iam fecisset, locutus est; ipsis enim ait: Multa vobis habeo dicere, sed non potestis portare modò; inter quæ intelligitur & de die, & hora*. Ex quo sic. Ille, qui omnia audiuit à Deo, & loquitur de futuris positiuè, sicut de prętеritis, nouit prętérita, pręsentia, & futura positiuè; aliter nec omnia audijsset à Deo, nec de illis loqui posset; quia de eo, quod non cognoscitur, nequit esse locutio humana, quę est signum verbi, quod intus latet; sed Christus omnia audiuit à Patre per visionem beatam, per quam ei clarè reuelata sunt omnia; sicut enim nobis obscurè, & imperfectè reuelantur per fidem, quia sumus simplices viatores, non comprehensores; ita Christo per visionem beatam, quę stato loco fidei, sed cum perfectione cognitionis *iuxta Apost. 1. Cor. 13. Cùm venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est*; reuelata sunt omnia; & de futuris positiuè locutus est, sicut de prętеritis; quia inquit Discipulis reuelasse omnia, quę reuelauit ei Pater, inter quę sunt etiam futura positiuè, quę debet eis reuelare per totam ęternitatem; de illis enim illuminabuntur ab ipso; ergo per scientiam beatam nouit omnia prętérita, pręsentia, & futura positiuè. Item *ex Io. 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis*; de quo *vid. q.7. art.2. §. 2. à n.47*; ex quibus sic. Illa gloria, seu visio beata, quę ita plena est veritatis, vt nec Diuinitus possit augeri, attingit præterita, pręsentia, & futura positiuè; si enim aliquod ex his non attingeret, posset augeri, & per consequens non esset plena veritatis; quia plenum

plenum est illud, quod ampliùs capere non potest; sed Christus fuit preditus gloria, seu visione beata, quę fuit plena veritatis ita, vt non potuerit etiam Diuinitus augeri; aliter non esset expleta eius capacitas actualis, & potentialis; & ideo plenitudo veritatis, quę est in Christo, non excederet plenitudinem, quę est in *Maria*, *& Ioanne*, in quibus sola capacitas actualis fuit expleta, non potentialis; quia natura ipsorum potuisset assumi in vnitatem personę Diuinę, & sic recipere gloriam correspondentem naturę assumptę; tum quia gloria essentialis, quę est proprietas vnionis hypostaticę, est maxima, sicut illa vnio maxima est; maximum autem implicat fieri maius, quia maximum est summum, & summum nequit crescere; ergo Christus fuit præditus visione beata, quæ attingit præterita, præsentia, & futura positiuè. Tandem prob. Omnes beati per visionem beatam cognoscunt in Verbo ea omnia, quæ spectant ad statum cuiuslibet, vt diximus *to.1. vbis. q.4. art.3*; sed omnes creaturæ præteritæ, pręsentes, & futuræ positiuè; & & earum actiones spectant ad statum Christi, qui est vniuersalis omnium Redemptor, & Iudex; ergo idem.

10 Prob.3. pars concl. Nullus actus finitus potest attingere creaturas futuras formaliter, vt infinitas; sed visio beata animæ Christi est actus finitus; ergo nequit attingere creaturas futuras formaliter, vt infinitas. Mi. est certa; quia visio beata animæ Christi est actus creatus, & omne creatum est finitum. Ma. probata est *to.1. q.2. proem. art.1*; vbi ostendimus, quòd inter potentiam, actum, & obiectum debet dari proportio aritmetica, quia debet dari adęquatio; obiectum enim adęquatum est mensura per adæquationem actus, & potentiæ, aliter non esset obiectum adæquatum, si aritmeticè non adæquaret actum, & potentiam; & ratio clara est; nihil enim est magis notũ, quàm specificatiuum, & specificatum adæquari inter se ita, vt vnum aliud non excedat; obiectum autem adæquatum est specificatiuum, & ideo debet aritmeticè adæquari cum actu; per quod euertitur responsio *Gibb.* Quòd si obiectum primarium specificatiuum nequit excedere actũ, & potentiam, quia debet illis adæquari; multò magis verificabitur de obiecto secundario, quod non attingitur, nisi ratione obiecti primarij specificatiui; tum quia si obiectum secundarium potest excedere actum, & potentiam, secundùm illud, secundùm quod excederet, non attingeretur ratione obiecti primarij, quia obiectum primarium ad illud non extenderetur; & sic attingeretur ratione sui, & non esset obiectum secundarium, quod attingitur ratione obiecti primarij, sed esset primarium; sed creaturæ infinitæ formaliter, vt infinitæ, non adęquantur actui finito formaliter, vt finito; quia infinitum, vt infinitum, excedit finitum; ergo nullus actus finitus potest attingere creaturas futuras formaliter, vt infinitas. 2. Si non daretur adæquatio aritmetica inter cognitionem, & obiectum cognitum, nulla esset ratio, cur creatura per actum finitum non posset cognoscere Deum, vt infinitum formaliter, & ipsum comprehendere, seu attingere omnes rationes cognoscibiles, quæ sunt in ipso; tota enim ratio est, quia ad comprehensionem requiritur, quòd tanta sit cognoscitiuitas actus, & potentię, quanta est cognoscibilitas obiecti; si autem obiecti cognoscibilitas esset infinita, & cognoscitiuitas actus finita, iam hęc non esset tanta, quanta est illa; ergo sequeretur creaturam posse Deum comprehendere. *Vid. vbis.*

11 Resp. *Gonet 1. cum Caiet.* per actum finitum non posse videri infinitas substantias, bene tamen infinita accidentia; quia anima Christi videt omnes cogitationes beatorum, & damnatorum, quæ erunt per totam æternitatem successiuè quidem in suis durationibus, actu verò in æternitate, quæ cùm sit mensura infinita tota simul, actu continet omnia, quæ in proprijs durationibus sunt successiuè. 2. Quamuis multitudo infinita specie diuersa non possit attingi per actum finitum; multitudo tamen solo numero distincta potest attingi; quia multitudo eorum, quæ specie differunt, ita se habet, vt vnum addat supra aliud perfectionem formalem, ideo arguit maiorem perfectionem in actu illam attingente, cùm illum specificet; at multitudo eorum, quæ differunt numero, non addit perfectionem specificam, ideo ab actu finito attingente talem perfectionem specificam in vno indiuiduo potest attingi talis perfectio in infinitis indiuiduis absque eo, quòd augeatur perfectio specifica actus. 3. Licèt actus finitus, quando attingit plura in se ipsis per proprias species adæquatas, non possit attingere infinita; attamen quando illa plura attinguntur per vnam, & eandem speciem, vt est Diuina essentia, in qua videt anima Christi, potest attingere.

Sed hæc non soluunt. Ad 1. dicitur, quòd adæquatio, & proportio actus cum obiecto nedum sumi debet secundùm perfectionem entitatiuam intensiuã, sed etiam secundùm quantitatem, & latitudinem extensiuã; implicat enim, quòd actus extendatur ad aliquod, quod non sit contentum sub suo obiecto formali, & è contra; sed actus finitus, vt finitus, nequit extendi ad infinita, vt infinita, siue sint substantiæ, siue accidentia; ergo allata distinctio ruit. Tum quia actus finitus nequit attingere substantias infinitas, non quia substantiæ sunt, sed præcisè quia sunt infinitæ ita, vt non ratio substantiæ, sed ratio infinitatis sit impedimentum attingentiæ, vt docet etiam *D. Thom*; sed infinitas

finitas reperitur etiam in accidentibus; ergo vtrobique idem impedimentum. Tum quia Diuina essentia etiam modo finito attacta est maioris perfectionis, quàm omnes substantiæ creabiles; perfectio enim Dei infiniti superat perfectiones omnium creaturarum; vnde illa potest beatificare, iste verò sine illa non beatificarent; sed perfectio Diuinæ essentiæ non impedit, ne attingatur per actum finitum modo finito; infinitas autem illius impedit; ergo sola, pura, & præcisa ratio infinitatis, siue sit in substantijs, siue in accidentibus, quæ solùm materialiter se habent, efficit, ne actus finitus possit illam attingere, quia nequit illam adæquare, aut ei proportionari. Tum quia sequeretur posse beatum per visionem beatificam cognoscere omnes homines possibiles, qui solo numero differunt; conſ. à nullo admittitur; ergo idem; & per hoc patet ad 2. Ad 3. dicitur, quòd si verum esset assumptum, sequeretur, quòd licèt beati non possint attingere omnes creaturas possibiles in se ipsis, attamen illas possent videre in Diuina essentia, quod non admittit *Gonet*.

Dicimus itaq; Christum cognoscere cogitationes Beatorum, & Damnatorum, vt finitas in infinitum, & ideo tantùm vt syncategorematicè infinitas. Nec aliter repræsentantur in Diuina essentia, aliter falsò repræsentarentur, quia repræsentarentur aliter, ac sunt in se ipsis. Et quanuis in Diuina essentia mensurentur æternitate, & ideo non habeant successionem temporis; attamen repræsentantur, vt successiuæ; quatenus æternitas habet virtualiter cōtinere omnes temporis durationes. Nec sequitur, quòd Christus non videat omnes, sed tantùm, quòd illas videat, vt finitas in infinitum. Sicut quanuis Deus videat infinitatem syncategorematicam continui in Diuina essentia; attamen non videt omnes partes continui actu diuisas, & discretas, tunc enim non videret continuum, sed discretum; sed videt illas, vt semper diuisibiles in infinitum; hoc enim exigit essentia continui, & ideo sic debet cognosci; & tamen non sequitur, quòd Deus non videat omnes partes continui, sed tamen semper, vt diuisibiles in infinitum; ita Christus videt omnes cogitationes, sed vt finitas in infinitum, non autem vt actu, & categorematicè infinitas; tunc enim non videret successiuum; quod ex sua natura exigit sic esse, & per consequens sic cognosci; nec sequitur, quòd non videat omnes, sed tantùm quòd illas videat, vt finitas in infinitum; quæcunque enim illarum est essentialiter finita, licèt post quanlibet possint dari aliæ finitæ in infinitum; nunquam tamen erunt actu formaliter infinitæ categorematicè, quia ex sua ratione petunt habere successionem aliarum in infinitum. *Vid. tom. 2. de scient. Dei quæst. 2. artic. 4*; vbi hanc rem fusè examinauimus.

12 Probantur aliæ partes concl. 1. Quòd scientia visionis Christi non æquetur scientiæ visionis Dei sic. Scientia visionis Dei regulatur lumine increato; & visio animæ Christi lumine gloriæ creato; sed lumen increatum est infinitè clarius lumine creato; & visio eò clarior est, quò fit sub clariori lumine; ergo visio creata Christi est inæqualis in claritate visioni increatæ ipsius Verbi. Præterea non cognoscit per visionem beatam omnia possibilia; ideo non æquatur scientiæ simplicis intelligentiæ, qua possibilia comprehenduntur, & licèt cognoscat omnia futura positiua, non tamen omnia futura negatiuè; ergo neque æquatur per omnia scientiæ visionis; & ideo nedum *secundùm humanitatem est minor Patre*, sed etiam secundùm scientiam propriam humanitatis est minor scientia, quæ est propria Diuinitatis.

13 Ex dictis collig. visionem beatam animæ Christi Domini esse minorem visione increata, maiorem tamen visione creata cuiuslibet alterius creaturæ; quia non omnia comprehendit, vt Deus; & plura cognoscit, quàm pura creatura; cognoscit enim omnia futura, quod non conuenit cuiuis creaturæ; nulli enim reuelata est dies iudicij, vt habetur *ex Scriptura*; & ideo nulla pura creatura cognoscit omnia futura.

14 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. *Coloss. 2.* dicitur de Christo: *In quo sunt omnes thesauri scientiæ, & sapientiæ Dei. 2. Apocal. 5. Dignus est Agnus accipere sapientiam*; super quod *Glos.* inquit: *Id est omnium cognitionem, sicut Verbum, cui vnitus est. 3.* In Christo non est ignorantia, quia ignorantia est pœna peccati, quod non fuit in Christo; ergo sciuit omnia possibilia. 4. Ex cognitione eorum, quæ sunt formaliter in Deo, non sequitur comprehensio Dei; ergo nec ex cognitione eorum, quæ sunt in ipso tantùm eminenter; hæc enim sunt minùs perfecta, quàm illa.

Resp. ad 1. intelligi de Christo, vt Verbum est, quod est *virtus, & sapientia Patris*; cùm enim cognitio comprehensiua sit pretiosissima notitia contenta in thesauris sapientiæ Dei, si in Christo, vt homo est, essent omnes thesauri sapientiæ Dei, Christus, vt homo, comprehenderet Deum; & sic vt homo, non esset minor Patre secundùm intellectualitatem; & quia intellectualitas est constitutiua naturæ Diuinæ, ideo vt homo, non esset minor Patre, quod est contra fidem; sicut enim à proprietate naturæ humanæ arguitur ad proprietatem naturæ Diuinæ; ita à natura humana argui potest ad naturam Diuinam. Vel dicitur *Apost.* intelligendum esse de scientia, & sapientia visionis quoad numerum scitorum, non de scientia simplicis intelligentiæ. Ad 2. resp. *noster Argent. Glosam* loqui de scientia visionis,

sionis, quæ respicit futura, non possibilia. A 3. dist. ant. Ignorantia positiua, quæ est idem, ac nescientia eorum, quæ scire non potest, neg; hæc enim non est pœna, sed defectus proprius naturę creatę; ignorantia priuatiua eorum, quę scire potest, & tenetur, conc; ignorantia autem possibilium non est priuatiua, vt constat. Ad 4. neg. cons; nam ea, quę sunt in Deo formaliter, sunt finita secundùm numerum, vt diximus *to. 1. q. 1. de Attr. in com. art. 6*; ideo ad ea cognoscenda non requiritur cognitio infinita; at possibilia sunt infinita secundùm numerum, ideo ad ea cognoscenda requiritur cognitio infinita; & quanuis hæc cognitio, licèt infinita, sine cognitione eorum, quæ sunt formaliter in Deo, non esset comprehensiua, quia esset tantùm infinita in genere, non simpliciter in omni genere; attamen supposita cognitione eorum, quæ sunt formaliter in Deo, quæ cognitio essentialiter conuenit omni beato, quia sine illa beatus non esset, esset comprehensiua; nam nihil Dei lateret videntem; vt diximus *to. 1. de Inuisib. Dei vbis; vbi vid. aliæ obiectiones*.

15 Obijc. 2. cont. 2. part. concl. Visio beata Christi non attingit se ipsam per modum obiecti secundarij; quia obiectum debet antecedere visionem, quæ paritur ex illo; vt docet *S. P. Aug. lib. 9. de Trin. cap. 12*; ergo non attingit omnia præsentia. 2. Si Christus per suam visionem beatam cognosceret suam visionem, cognosceret etiam eius æternitatem; sed cons. est falsum; aliter cognosceret se esse indefectibilem etiam de potentia Dei absoluta; quia repugnat visioni beatæ falsitas non minùs, quã repugnet fidei; & ideo semel posita visione, Deus non posset illam destruere, quia non potest illã falsificare; quod eueniret, si dato, quòd cognosceret se esse æternam, Deus illam destrueret, sic enim æterna non esset; sed visio beata ex sua natura est defectibilis, quia Deus de sua potentia absoluta potest illam destruere; solus enim Deus est simpliciter indefectibilis iuxta illud *1. Tim. 2. Qui solus habet immortalitatem*; ergo falsum est ant. 3. Si Christus vidisset omnia futura, vidisset etiam omnes suos actus liberos futuros; sed cons. repugnat; aliter sequeretur, quòd stante tali visione, quæ infallibilis est, non potuisset eos non elicere, quod pugnat cum eorum libertate; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. ant. Non attingit se ipsam in se ipsa formaliter, transeat; in Deo, vt in obiecto, in quo eminenter continetur, & à quo effectiuè causatur, neg. Ad 2. neg. mi. Ad prob. dicitur, quòd per visionem beatam cognoscitur illam esse indefectibilem de potentia ordinaria, defectibilem tamen de potentia absoluta; ideo si de potentia absoluta destrueretur à Deo, non falsificaretur, quia cognouisset se esse æternam solùm de potentia ordinaria, non de absoluta. Ad 3. neg. mi. Ad prob. dicitur infallibilitatem scientię non tollere libertatem actuum, qui per illam præuidentur; sicut ex eo, quòd Deus infallibiliter præuideat actus nostros liberos, non tollit libertatem ab illis, vt arguebant *Stoici, & Epicurei*, quorum est hoc argumentũ, qui propterea negabant Deo prę scientiam futurorum; ita à pari. *Vid.* solutionem huius *to. 2. de scient. Dei q. 3. art. 3.*

16 Obijc. 3. Si Christus cognosceret omnia pręsentia, pręterita, & futura, eius visio æquaretur scientię visionis Dei, quę tantùm ista cognoscit; sed cons. est falsum; tum quia sicut implicat naturam creatam æquari naturę Diuinę; ita repugnat actũ naturę creatę æquari actui naturę Diuinę; tum quia sequeretur animam Christi comprehendere futura, sicut illa comprehendit Deus. 2. In tantùm Christus cognoscit omnia futura, in quantùm pertinent ad eius statũ; sed hęc ratio non probat 1. Quia Angeli quoad beatitudinem, & damnationem essentialem non pertinent ad statum Christi; nam vt docet *D. Thom. hìc qu. 59. art. 6*; Christus non est Iudex Angelorum quoad beatitudinem, & damnationem essentialem; non enim quoad hoc est Caput illorum. 2. Omnes creaturæ pertinent ad statum proprium B. Virginis eo, quia est illarum Regina; & tamen B. V. non cognoscit omnes actus futuros creaturarum. 3. Dies iudicij vniuersalis pertinet ad statum proprium Apostolorum, quia ipsi erunt Iudices iuxta illud: *Sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel*; & tamen dies Iudicij ignoratur ab Apostolis *Ioan. 7; & Marc. 13*; ergo idem.

Resp. ad 1. *cum Fund. Doct.* dist. seq. Æquaretur quoad numerum scitorum, conc; quoad modum, & claritatem cognoscendi, neg. Vel æquaretur visioni Dei, quatenus limitatur ad sola entia positiua, conc; quatenus extenditur ad positiua, & negatiua, neg; & hoc sufficit ad hoc, vt hęc ęqualitas sit imperfecta, quę non repugnat inter Deum, & creaturas. Ad 1. prob. dicitur repugnare naturam creatam perfectè adęquari, non autem imperfectè. Ad 2. prob. neg. assumpt; quia comprehensio debet esse adęquatissima obiecto; vnde imperfecta adęquatio, seu assimilatio non est comprehensio. Ad 2. neg. mi. Ad 1. prob. dicitur Angelos pertinere ad guberniũ extrinsecum, & intrinsecum accidentale, & hoc sufficere, vt omnes actus illorum, qui procul dubio spectant ad gloriam accidentalem, pręuideantur. Ad 2. prob. dist. Omnes creaturę pertinent ad statum B. Virginis, tanquam ad suppositum influens immediatè in illas, neg, tanquam ad Matrem suppositi influentis in illas, conc; vnde ratione maternitatis dicitur Regina. Ad 3. dicitur Apostolos venturos ad iudicium,

dicium, tanquam Iudices, non auctoritate propria, sed aliena, scilicet Christi; ideo cognitio illius diei non spectat ad statum proprium illorum; solus enim Iudex debet scire, quomodò, & quando &c.

A R T. II.

An vltra visionem beatam scientia supernaturalis per se infusa sit in anima Christi?

1 QVæritur; an sicuti Christus cognouit in Verbo creaturas, per visionem beatam; ita illas cognouerit in proprio genere, seu in se ipsis extra Verbum; & sermo est de mysterijs gratiæ, quæ sunt supernaturalia; & ideo an fuerit in Christo aliqua scientia supernaturalis, per quam illa cognouerit; nam de creaturis ordinis naturæ, & de scientia naturali, qua illas cognouit, *in seq.* dicemus. Tandem sermo est de scientia per se infusa, quæ ita à solo Deo infunditur, vt nequeat per actus acquiri; non autem de scientia per accidens infusa, quæ potuisset acquiri per actus, vt fuerunt scientiæ naturales *in Adam* congenitæ.

2 Prima sententia vult in Christo non fuisse scientiam supernaturalem per se infusam, sed tantùm infusam per accidens. Tribuitur *Alen; D. Bon; Scot. in 3. d ist. 14. q. 3; Dur. ibid. quæst. 4; Gabr. ibid. quæst. 1. art. 1. concl. 4; & Nominalibus.*

3 Secunda sententia, quæ communissima est, concedit in Christo vltra visionem beatam scientiam supernaturalem per se infusam. *Ita nouissimè Godoy hìc q. 9. tract. 7. disp. 42. §. 4; Gonet disp. 17. art. 1; Gibb; & omnes alij.* Sed isti rem non explicant; aiunt enim, quòd Christus hac scientia cognouit abstractiuè Diuinam essentiam, & Trinitatem; propter quod illam vocant abstractiuam, non quiditatiuam; quamuis *aliqui* concedant eam, prout versatur circa entia supernaturalia creata, esse quiditatiuam, imò & comprehensiuam. Tandem videntur asserere hanc scientiam esse distinctã à scientia, quæ est donum Spiritus Sancti, quam dicunt ad illam reduci, sicut reducuntur intellectus, & sapientia. Vt igitur distinctiùs procedamus; & rescindantur difficultates, quas suis inuolucris pepererunt sibi *Recentiores.*

4 Vnica concl. Datur in Christo scientia supernaturalis per se infusa, quæ non est, nisi scientia, quæ est donum Spiritus Sancti. Prob. 1. *ex Rom. 8. Cum illo omnia nobis donauit*, sic. Scientia per se infusa, vt contradistincta à scientia, quæ est donum Spiritus Sancti, non datur in anima iustorum; ergo neque in anima Christi. Prob. ant. Anima iusti, vel consideratur in via; & sic in ipsa vltra scientiam, quæ est donum Spiritus Sancti, non datur, nisi fides, vel habitus Theologicus fidei innixus, quo cognoscuntur entia supernaturalia, vt constat; vel consideratur in patria; & sic in ipsa datur visio beata, quæ fidei, vel habitui Theologico subrogatur *iuxta Apost. 1. Cor. 13. Siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est*; idest cùm succedet visio beata, quæ est perfecta cognitio Dei, cessabit, & destruetur quælibet cognitio imperfecta, quæ ex parte, idest abstractiuè cognoscit; & rationem reddit: *Cùm essem paruulus, loquebar, vt paruulus; sapiebam, vt paruulus; cogitabam, vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui, quæ erant paruuli.* Iusti autem in via sunt paruuli, quia semper debent crescere in perfectione; & doctrinæ cœlestis pabulo debent nutriri; cùm autem sunt in patria, iam sunt *in plenitudine ætatis Christi*; ergo iusti in alia vita vltra scientiam, quæ est donum Spiritus Sancti, non habent, nisi visionem beatam; quapropter concludit *Apost*; quòd visio specularis in ænigmate cessabit, cùm videbimus facie ad faciem; cognitio scilicet, qua nunc abstractiuè cognoscimus, cessabit, cùm visio intuitiua succedet. Prob. cons. Si aliquis habitus per se infusus esset in Christo, & non in nobis, Deus non omnia nobis donasset, nec Christus nobis omnia dona creata, quæ in ipso sunt, meruisset; quod est *cont. Apost. Vid. to. 1. q. 4. proœm. art. 2.* Tum quia si daretur in Christo scientia supernaturalis per se infusa distincta à visione beata, & à scientia, quæ est donum Spiritus Sancti, vel colligeretur *ex Scripturis*; vel ex ijs, quæ videmus in nobis; neutrum dici potest; ergo neque primum. Ma. patet; quia nulla est alia via ad id probandum, nisi per auctoritatem, & per rationem, quæ procedit ex naturalibus eleuatis per lumen supernaturale. Prob. mi. *Textus*, qui afferuntur *ex Scripturis*, manifestè loquuntur de scientia, quæ est donum Spiritus *Sancti*, vt *Isaiæ 11. Requiescet super eum Spiritus Domini &c; Spiritus scientiæ*; item in nobis non datur præter scientiam, quæ est donum, nisi habitus Theologicus lumini fidei innixus; qui in Christo non est, cùm in ipso non sit fides, cui innititur iste habitus; ergo idem. 2. Quælibet scientia innititur alicui lumini; & per consequens vel lumini gloriæ, quod est clarum, & euidens; vel lumini fidei, quod est obscurum; vel lumini naturali; nam præter ista tria lumina nullum aliud lumen dari diximus *to. 1. q. 2. proœm. art. 3. etiam ex D. Tho. 1. p. q. 106. art. 1. ad 2*; quòd autem scientia inniti debeat alicui lumini, constat; quia nulla cognitio fit sine lumine, vt docet *S. P. Aug. 12. de Trin. c. vlt*; & ratio

& ratio est; quia nihil potest sciri, nisi sit manifestum intellectui scientis; quandiu enim est occultum, nescitur; non manifestatur autem, nisi per lumen iuxta *illud omne, quod manifestat, lumen est*; tum quia intellectus est oculus animæ, sicut autem oculus corporis nequit sine lumine videre; ita neque intellectus; sed scientia abstractiuè cognoscens entia supernaturalia non innititur lumini gloriæ; quia hoc ostendit euidenter, non abstractiuè, seu obscurè; abstrahens enim ab aliquo non videt id, à quo abstrahit; & ideo ei est obscurum; neque lumini fidei; quia hoc non est in Christo; neque lumini naturali, quod nequit ostendere obiecta supernaturalia; ergo hæc scientia non est in Christo. 3. *S.Tho. opusc.2. c.216.* ait: *Quia nulla perfectio creaturis exhibita animæ Christi deneganda est, conuenienter præter cognitionem, qua Dei essentiam vidit, & omnia in ipsa, triplex alia cognitio est ei attribuenda; vna quidem experimentalis, sicut alijs hominibus, in quantùm aliqua per sensus cognouit; alia Diuinitus infusa ad cognoscenda omnia illa, ad quæ naturalis cognitio hominis se extendit, vel extendere potest &c. Sed quia Christus secundùm humanam naturam non solùm fuit Reparator naturæ, sed etiam gratiæ propagator, affuit etiam ei tertia cognitio, qua plenissimè cognouit, quidquid ad mysteria gratiæ potest pertinere, quæ naturalem hominis cognitionem excedunt, sed cognoscuntur ab hominibus vel per donum sapientiæ, vel per spiritum prophetiæ.* Ex quibus sic. Quæ versantur circa idem obiectum formale specificum, specie non distinguuntur; distinctio enim specifica sumitur ab obiecto formali specifico; sed scientia supernaturalis per se infusa Christi versatur circa idem obiectum formale specificum, circa quod versatur scientia per se infusa alijs hominibus, quæ est donum Spiritus Sancti; ergo ab ipsa non distinguitur. Tum quia si scientia per se infusa Christi distingueretur à scientia, quæ est donum Spiritus Sancti, sequeretur, quòd præter visionem beatam, daretur in Christo quadruplex, non triplex scientia; quia daretur scientia, quæ est donum; scientia infusa; scientia naturalis; & scientia experimentalis; sed cons. est *cont. S. Tho.* asserentem, quòd præter visionem beatam *triplex alia cognitio est ei attribuenda*; ergo dicendum est *S.Thomam* tenuisse scientiam per se infusam Christi non fuisse distinctam à scientia, quæ est donum Spiritus Sancti. 4. Sola scientia, quæ est donum Spiritus Sancti, ita infunditur à Deo, vt non possit per actus acquiri, vt constat; & per ipsam cognoscuntur res supernaturales; sed hæc datur in Christo; ergo nomine scientiæ per se infusæ rectè intelligitur scientia, quæ est donum. Prob. ma; nam scientia abstractiua, quæ est habitus Theologicus, ita infunditur, vt possit etiam acquiri per actus; ideoque est infusa per accidens. 5. Omnis perfectio intellectus propria naturæ humanæ, quæ non est incompossibilis cum statu beatitudinis perfectæ, in Christo est admittenda; sed scientia per se infusa, quæ est donum Spiritus Sancti, est huiusmodi; ergo idem. Ma. probata est *q. 7. art.2. §. 3.* ex illo *Io. 1. Plenum gratiæ, & veritatis*; si enim Christus in instanti suæ conceptionis non habuisset omnem perfectionem intellectus, non fuisset plenus gratiæ, & veritatis; quia ei defuisset perfectio supernaturalis, quæ gratia est, cùm sit naturæ indebita, qua veritates supernaturales potest cognoscere. Prob. mi. Habitus, quo per species supernaturales potest intellectus humanus entia supernaturalia in proprio genere, seu in se ipsis extra Diuinam essentiam cognoscere, est perfectio propria intellectus creati Angelici, & humani; in hoc enim distinguitur intellectus creatus ab intellectu Diuino, quòd Diuinus ita cognoscit omnia in Diuina essentia, & per Diuinam essentiam, tanquam per speciem omnia repræsentantem, vt repugnet ipsum per species acceptas cognoscere aliquid extra ipsam; intellectus verò creatus ita cognoscit per Diuinam essentiam in Diuina essentia, vt non repugnet cognoscere etiam per species extra Diuinam essentiam; aliter non daretur in beatis scientia naturalis, qua cognoscunt res naturales in se ipsis, cùm per visionem beatam illas videant in Diuina essentia; & aliunde iste habitus non pugnat cum visione beata, quia non est abstractiuus lumini obscuro fidei innixus, vt dictum est; sicut propter eandem rationem cum illa non pugnat habitus scientiæ naturalis; sed scientia, quæ est donum Spiritus Sancti, est habitus, quo per species supernaturales cognoscuntur entia supernaturalia in se ipsis; aliter non distingueretur à visione beata, & sic in Christo non darentur dona Spiritus Sancti, vt diximus *q. 7. vbis*; ergo scientia, quæ est donum Spiritus Sancti, est perfectio propria intellectus creati, quæ non est incompossibilis cum statu beatifico. Tandem scientia abstractiuè cognoscens est rusticana, adeoque imperfectissima; rusticus enim non minùs, ac sapiens dicitur Solem cognoscere quoad *an est*; & tamen ille dicitur cognoscere imperfectissimo modo, quia non penetrat Solis quiditatem; iste verò perfectè, quia quiditatem agnoscit; sed in Christo non fuit scientia imperfecta, quia in ipso fuit plenitudo omnium perfectionum, quæ possunt creaturis communicari; ergo scientia abstractiuè cognoscens non est in Christo. Sed hæc omnia magis patebunt ex solutione argumentorum.

5 Obijc. 1. *Io. à S. Tho.* Ad maiorem perfectionem animę Christi pertinet, vt cognoscat res pluribus modis; aliter si sufficeret cognoscere vno modo, esset in ipsa tãtùm visio beata,

qua cognoscit in Verbo omnes res naturales, & sic remouenda esset ab ipsa scientia naturalis, qua cognoscit res naturales in se ipsis; ergo nedum ponenda est in ipsa visio beata, qua cognoscit mysteria gratiæ in Verbo, sed etiam scientia supernaturalis per se infusa, qua cognoscit mysteria gratiæ abstractiuè in se ipsis. 2. Modus cognoscendi per species obiecta in se ipsis extra Deum est connaturalis animæ creatæ; nam cognoscere omnia in Verbo propter excessiuam perfectionem superat modum cognoscendi naturalem proprium creaturæ; sed est magna imperfectio priuari intellectum modo sibi naturali cognoscendi; ergo est magna imperfectio non ponere in anima Christi scientiam per se infusam cognoscentem per species creatas entia supernaturalia. 3. Vt aliquis Doctor possit alios docere, & illuminare, debet communicare in doctrina cum addiscente, & ei proportionari; vnde Angeli superiores illuminant inferiores diuidendo species vniuersales, quas habent, & illas accommodando capacitati intellectus Angelorum inferiorum, qui nequeunt per species adeo vniuersales intelligere; sed Christus est supremus Doctor Ecclesiæ militantis, & triumphantis docens, & illuminans homines, & Angelos; ergo in Christo debet esse scientia supernaturalis vtens speciebus creatis, quas solùm potest diuidere, & partiri; nam essentia Diuina est impartibilis, & indiuisibilis. 4. In Christo debet esse scientia supernaturalis regulatiua meriti supernaturalis; sed visio beata nequit esse huiusmodi; quamuis enim possit regulare actus circa ea, quæ liberè diliguntur in Deo; attamen nequit regulare actum charitatis, quo diligitur Deus in se in ipso, in quo actu consistit principaliter ratio meriti; ergo idem.

Resp. hæc omnia rectè concludere de scientia, quæ est donum Spiritus Sancti, quæ vtpotè perfectissima, ponenda est in Christo, non autem de scientia abstractiua, quæ propter suam imperfectionem remouenda est ab anima Christi. Ad 1. dist. ant. Ad perfectionem animę Christi pertinet cognoscere pluribus modis perfectis possibilibus intellectui creato, conc; imperfectis, qui conueniunt intellectui imperfectè cognoscenti, neg; aliter in Christo esset etiam modus cognoscendi per fidem, & per species intellectuales acceptas à rebus, quod tamen est falsum. Ad 2. dist. ma. Modus cognoscendi per species clarè, & quidditatiuè est connaturalis, & perfectus, & intellectum hoc priuari est magna imperfectio, conc; modus cognoscendi abstractiuè, neg; & in hoc sensu neg. mi. Ad 3. iam dictum est *to. 3. de Ang. q. 6. art. 1. §. 2.* Dist. igitur ma. Doctor debet communicari in doctrina, & proportionari addiscenti quantùm ad locutionem externam, conc; quantùm ad modum habendi scientiam, neg; de Deo enim *psal. 93.* dicitur: *Qui docet hominem scientiam*; & tamen Deus non intelligit per species creatas. Sufficit ergo Doctorem accommodari capacitati addiscentis secundùm locutionem, secundùm quam potest diuidere id, quod simul repræsentatur, vt diximus *vbi s.* Ad 4. iam diximus *in sup. q. art. 1. §. 2.*

6 Obijc. 2. *Godoy.* Intellectus animæ Christi fuit creatus cum omni perfectione, cuius est capax; aliter si non habuisset actu omnem perfectionem, cuius est capax, fuisset in potentia passiua ad illam recipiendam; & sic fuisset imperfectus, quia potentia passiua excludens actum, ad quem est in potentia, est imperfecta; sed intellectus animæ Christi est capax cognoscendi res creatas in se ipsis extra Deum per species creatas; ergo in Christo fuit scientia per se infusa, qua cognoscuntur res creatæ in se ipsis. 2. *S. P. Aug. in libris de Gen. ad lit.* docet in Angelis esse cognitionem *matutinam*, qua cognoscuntur res in Verbo; & *vespertinam*, qua cognoscuntur res extra Verbum per species à Deo infusas; ergo & in Christo, qui perfectiori modo cognoscit, quàm Angelus, præter visionem beatam, qua omnia in Verbo cognoscit, statuenda est alia scientia per se infusa, qua per species à Deo concreatas omnia in se ipsis cognoscit.

Resp. eodem modo hæc procedere de scientia, quæ est donum Spiritus Sancti, & quę perfecta est, non de scientia abstractiuè cognoscente, quæ ob suam imperfectionem remouenda est à perfectissimo cognoscente, sicut est Christus. Ad 1. dist. mi. Intellectus Christi est capax cognoscendi per scientiam perfectam, quæ est donum, conc; per scientiam abstractiuam, neg; talis enim scientia, vtpotè imperfecta, non est perfectio conueniens intellectui perfectissimo inter omnes intellectus creatos. Ad 2. dictum fuit *to. 1. q. 4. proœm. art. 2. nu. 9. & to. 3. in Hexam. q. 1. art. 10. nu. 32.* scientiam matutinam, prout distinctam à cognitione meridiana, qua significatur visio beata, esse cognitionem naturalem; sicut enim eadem scientia naturali cognoscuntur res naturales dupliciter, scilicet à posteriori, cùm causa cognoscitur per suos effectus; & à priori, cùm effectus cognoscuntur per causam; ita cognitio vespertina, qua per creaturas cognoscitur Deus; & cognitio matutina, qua cognoscuntur creaturæ, vt exeunt à Verbo, quod est principium, per quod facta sunt omnia, pertinent ad eandem scientiam naturalem; & distinguuntur à scientia, qua res cognoscuntur in Verbo. Vnde sicuti in Angelis præter has duas cognitiones, qua cognoscuntur res naturales extra Verbum; siue à priori, prout exeunt à Verbo; siue à posteriori, prout sunt in se ipsis, non datur alia scientia, qua cognoscuntur res supernaturales extra Verbum, nisi illa, quæ

est

est donum Spiritus Sancti, qui diffundit sua dona nedum in cordibus hominum, sed etiam Angelorum, vt docet *S. P. Aug. de Ciu. Dei lib. 12. c. 9.* asserens: *Confitendum est igitur cum debita laude Creatoris non ad solos sanctos homines pertinere; verum etiam de sanctis Angelis posse dici, quòd charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est eis.* Ita dicendum est de anima Christi.

7 Obijc. 3. Scientia supernaturalis, qua anima Christi cognoscit mysteria gratiæ extra Verbum, nequit attingere Deum quiditatiuè intuitiuè; quia nulla species creata potest repræsentare quiditatiuè Deum, vt diximus *to. 1. de Inuisib. Dei*; & intuitio terminatur ad rem in se ipsa, non in alio visam; ergo talis scientia est abstractiua, non intuitiua, aut quiditatiua.

Resp. hoc petere, quid sit scientia propriè abstractiua; & quid sit obiectum formale scientiæ, quæ est donum Spiritus Sancti? Quoad 1. dicitur scientiam abstractiuam propriè esse illam, quæ ex pluribus veritatibus contentis sub suo obiecto formali potest vnam cognoscere alia non cognita; vt quia animalitas, & rationalitas in homine continentur sub obiecto formali intellectus creati naturalis, ideo intellectus cognoscens animalitatem sine rationalitate dicitur abstractiuè cognoscere. Ex eo autem; quòd vna scientia non cognoscat aliquod, quod non continetur sub suo obiecto formali, non dicitur abstractiuè cognoscere; aliter visio beata, qua non cognoscitur Deus, vt comprehensibilis infinitè, esset abstractiua. Igitur quotiescunque aliqua res *quoad an est*, & *quoad quid est* continetur sub obiecto formali alicuius scientiæ, tunc cognoscens illam rem *quoad an est* tantùm dicitur abstractiuè cognoscere. At si illa res contineatur sub aliquo obiecto tantùm *quoad an est*, non *quoad quid est*; tunc cognoscens illam tantùm *quoad an est* non dicitur abstractiuè cognoscere. Quoad 2. dicitur obiectum scientiæ, quæ est donum Spiritus Sancti, esse ens supernaturale creatum, prout à Deo, vt est Auctor gratiæ, producitur; vnde Deus secundùm suam quiditatem intrinsecam, seu *quoad quid est* non ingreditur obiectum formale huius scientiæ, vt dicemus *in seq. §.* Vnde ad arg. neg. cons; quia Deus *quoad quid est* non spectat ad obiectum formale huius scientiæ; ideo hæc scientia non est abstractiua ex eo, quòd non cognoscat Dei quiditatem; sufficit enim, quòd Deum cognoscat, vt habet rationem principij entium supernaturalium; sicut ex eo, quòd scientia naturalis cognoscat Deum tantùm *quoad an est*, vt habet rationem principij naturalis, non dicitur scientia naturalis abstractiua; non enim dicitur abstractiua ex eo, quòd non possit aliquid cognoscere; sed ex eo, quòd non cognoscat aliquod, quod potest cognoscere; aliter omnes scientiæ naturales essent abstractiuæ, non enim omnia cognoscunt; quia non habent pro obiecto omnes res; nec dicuntur imperfectæ ex eo, quòd non cognoscant aliquod non contentum sub suo obiecto formali; sed perfectæ, quia omnia cognoscunt, quæ continentur in latitudine sui obiecti formalis. Sic dicendum de scientia Christi.

8 Quæres; an hæc scientia comprehendat entia supernaturalia?

Resp. negatiuè; cognitio enim comprehensiua cuiuslibet rei ita est propria Dei, vt repugnet cuicunq; naturæ creatæ; vt diximus *in sup. art; & to. 1. de Inuisib. Dei q. 5. art. 1; & alibi*; vbi ostendimus Angelum nec paruissimam formicam posse comprehendere.

9 Obijc. 4. pro 1. sent. Carentia negatiua formæ non arguit imperfectionem in subiecto; vt carentia perfectionis Angelicæ in homine non arguit imperfectionem in illo; sed carentia scientiæ per se infusæ in Christo est negatiua, quia talis scientia est indebita naturæ humanæ, cùm sit supernaturalis; ergo nulla esset imperfectio in Christo, si in eo non esset talis scientia. 2. Potentia obedientialis animę Christi sufficienter expletur per visionem beatam, per quam cognoscuntur omnia gratiæ mysteria, & omnia entia naturalia; ergo scientia per se infusa superfluit.

Resp. ad 1. neg. mi. Ad prob. insert. dist. Scientia per se infusa est indebita naturæ humanæ præcisè sumptæ, conc; vt eleuatæ ad ordinem hipostaticum, cui competit omnis perfectio supernaturalis secundùm capacitatem actualem, & potentialem, neg. Ad 2. dist. ant. Potentia obedientialis animæ expletur per visionem beatam per ordinem ad eundem modum cognoscendi, conc; per ordinem ad diuersos modos cognoscendi, neg. Hoc probaret neque scientiam naturalem esse in Christo.

§. I.

Afferuntur aliquot corollaria.

10 Collig. 1. obiectum scientiæ per se infusæ esse omnes actus creatos ad vitam æternam consequendam conducentes ex motione Spiritus Sancti, atque adeo obiectum formale esse entia supernaturalia creata, quia virtutes, & operationes earum sunt quid creatum; Deum autem non includi in hoc obiecto, nisi quatenus principium effectiuum, & finis; eius tamen quiditas nullo modo pertinet ad obiectum formale huius scientiæ, & anneitas præsupponitur. Primum docent *omnes Theologi teste Lug; aliqui* tamen aiunt per hanc scientiam cognosci mysterium Trinitatis per euidentiam in attestante; quæ cognitio, cùm per-

tineat ad fidem, remouenda est à Christo, sicut remouetur fides; *& alij* sentiunt *ferè communiter* cognosci Trinitatem euidenter *quoad an est*. Deducitur tamen *ex Fund. Doct. in 3. dist. 32. p. 1. q. 1. art. 1; & dist. 33. p. 1. q. 1. art. 1. §. Fugiens*; vbi ait; quòd *iudicare de rebus creatis pertinet ad donum scientiæ; & Argent. ibid. dist. 35. q. 1. art. 2.* Prob. *ex S. P. Aug. lib. 1. de serm. Domini in monte c. 9; & de temp. serm. 209*; vbi ait *omnes gentes de septiformis Spiritus gratia esse repletas in vitam æternam*; ex quo sic. Illud, ad quod ordinatur aliquis habitus, vel actus, est obiectum formale illius; sed scientia, quæ est donum Spiritus Sancti, ordinatur ad vitam æternam consequendam per actus virtutum ex speciali impulsu Spiritus Sancti, per hoc enim constituitur donum scientiæ, vt diximus *to. 4. de Donis Spiritus Sancti art. 1*; vita autem æterna *hìc* sumitur formaliter pro actu beatifico, non obiectiuè pro obiecto beatifico; ergo vita æterna consequenda per actus virtutum ex impulsu Spiritus Sancti est obiectum formale scientiæ per se infusæ, quam diximus esse donum Spiritus Sancti. *Vid. vbi s. alias rationes*. 2. Si scientia per se infusa haberet pro obiecto formali primario Deum, & pro obiecto secundario creaturas, non haberet, per quid specie distingueretur à visione beata; non enim sufficeret tendere in Deum ex impulsu Spiritus Sancti, quia distinctio formalis sumitur ab obiecto formali, non à modo tendendi in obiectum; hinc licèt Theologia beatorum, & viatorum diuersimodè tendat in Deum, quia illa tendit sine discursu; hæc cum discursu; attamen est eiusdem rationis, & speciei, quia vtriusque est idem obiectum formale; ergo scientia per se infusa habet pro obiecto formali tantùm entia creata. 3. Dona Spiritus Sancti sunt proprietates in Christo sequentes ad visionem beatam; & in hominibus iustis sequentes ad fidem, spem, & charitatem; ergo supponunt illarum obiecta; sicut enim se habet actus ad actum; ita obiectum ad obiectum; & ideo sicut actus proprietatis supponit actum essentiæ, ad quam sequitur proprietas; ita obiectum formale vnius actus supponit obiectum formale alterius; sed visio beata, & fides habent pro obiecto formali Deum secundum quiditatem, & anneitatem; ergo actus scientiæ, quæ est donum, supponit Deum *quoad quid est, & quoad an est*. Idem docet *S. Tho. hic q. 11. art. 1*; vbi ait, quòd Christus *ipsam Dei essentiam per hanc scientiam non cognouit, sed solùm per visionem beatam*.

11 Dices *cum Io. à S. Tho.* 1. Christus per scientiam infusam cognouit omnia mysteria gratiæ; sed multa mysteria nequeunt cognosci absq; cognitione quiditatis, & anneitatis Dei; baptismus enim nequit cognosci sine cognitione Trinitatis; ergo per scientiam infusam cognoscitur formaliter quiditas, & anneitas Dei. 2. Christus per hanc scientiam debuit docere omnes quiditatem, & anneitatem Dei; ergo per hanc scientiam formaliter cognouit Deum quoad quid est, & quoad an est. 3. Si per hanc scientiam non cognouisset quiditatem Dei, fuisset imperfecta intra suum genus; ergo idem. 4. Per hanc scientiam quiditatiuè cognouit omnes visiones beatas hominum, & Angelorum; ergo cognouit quiditatiuè Deum; quia nequit quiditatiuè cognosci specificatum, nisi quiditatiuè cognoscatur specificatiuum.

Resp. ad . dist. mi. Multa mysteria nequeunt cognosci absque cognitione Trinitatis præsupposita, conc; non præsupposita, neg; sicut enim scientia subalternata quiditatiuè cognoscit conclusiones scientiæ subalternantis, & præsupponit cognitionem principiorum, ex quibus conclusiones deducuntur, elicitam per scientiam subalternantem; ita à pari. Ad 2. eodem modo neg. cons; nam sicut scientia subalternata clarè explicat conclusiones scientiæ subalternantis, & tamen non cognoscit earum principia, nisi per scientiam subalternantem; ita scientia per se infusa clarè explicat gratiæ mysteria, quanuis Deum, qui est principium effectiuum illorum, supponat cognitum per scientiam altiorem, quæ est visio beata. Ad 3. neg. ant; genus enim scientiæ, quæ est donum, non extenditur ad cognoscendam quiditatem Dei, ideo est perfectum sine tali cognitione; sic scientia subalternata non dicitur imperfecta, quia non extenditur ad cognoscenda principia scientiæ subalternantis, quia non pertinent ad eius specificatiuum. Ad 4. neg. cons. Ad prob. insert. dicitur veram esse de specificatiuo intrinseco, vt nequit cognosci quiditatiuè homo, nisi cognoscatur quiditatiuè rationalitas; falsum tamen de specificatiuo extrinseco, quale est obiectum; ideo videns clarè omnes visiones beatas videt quidem ordinem ad obiectum beatificum, à quo ordine specificantur intrinsecè; non tamen videt clarè obiectum beatificum; quia extrinsecè tantum specificat. Quia tamen ignorare obiectum beatificum esset imperfectio in Christo; ideo in ipso talis visio supponit obiectum beatificum quiditatiuè visum per visionem beatam; quanuis per scientiam infusam non videatur, quia non continetur intra latitudinem sui obiecti formalis; propter quod nulla imperfectio resultat in scientia per se infusa.

12 Collig. 2. Christum per scientiam infusam cognouisse omnia futura contingentia, & cogitationes cordium. *Ita communiter omnes*. Prob. 1. *ex S.P. Aug. in Io. tract. 25*. docente de futuris. *Si Christus nihil annunciaret, Angelus non diceretur, si Christus nihil prophetaret, Propheta non diceretur. Exhortatus est nos ad fidem, & ad capescendam vitam æternam: Aliquid præsens*

præsens annunciauit; *aliquid futurum prædixit*; & de cogitationibus cordium *serm. 30. de Verbis Domini in Luc*; vbi *Pharisæis* exprobrantibus Discipulos; *quare manus non lauant, cùm panem manducant*, respondit Christus ad cogitationes eorum; inquit *S.P. Ille dicebat, qui videbat*; *non enim tantùm facies eorum, sed etiam interiora cernebat. Denique vt hoc sciatis, ille Pharisæus, cui respondit Christus, apud seipsum cogitauit, voce non sonuit*; *& ille tamen audiuit &c. Ille cogitabat*; *& hic audiebat*. 2. Ratione. Pluribus creaturis fuerunt à Deo reuelata futura, & cordium secreta; vt constat de Prophetis, & alijs Sanctis; sed Christus in instanti suæ conceptionis fuit repletus omni gratia, & cognitione, quæ potest communicari creaturis; quia fuit *plenus gratiæ, & veritatis*, vt habetur *Io. 1*; secundùm capacitatem actualem, & potentialem, vt diximus *qu. 7. artic. 2*; vbi *vid. aliæ rationes*; ergo habuit cognitionem omnium futurorum, & secretorum cordis. 3. Christus ita fuit plenus gratia, & veritate, idest scientia, qua cognoscuntur veritates, in instanti suæ conceptionis, vt eius gratia, & scientia non potuerit augeri, vt diximus *vbis. §. 2. à num. 47*; ergo cognouit omnia futura, & cordium secreta per scientiam per se infusam; aliter hæc potuisset augeri, quia adueniente differentia temporis, in quo erunt futura, illa per hanc scientiã cognosceret, & sic eius scientia augeretur. 4. Proprium est donorum Spiritus Sancti, & gratiarum gratis datarum cognoscere futura, & cordium secreta; illa enim cognoscuntur per prophetiam, quæ est gratia gratis data; & hæc per scientiam, quæ est donum, quo impellimur ad iudicandum de rebus humanis occultis; sed in Christo fuerunt omnia dona, & gratiæ gratis datæ; ergo idem. 5. Per donum consilij, quod fuit in Christo, debuit exhortari nos ad fugienda omnia mala, & sequenda omnia bona; sed futura, & secreta cordium alia sunt mala, alia bona; ergo per donum consilij debuit Christus nos exhortari ad fugienda, vel sequenda futura, & cordium secreta; atqui donum consilij regulatur per donum scientiæ; ergo per donum scientiæ cognouit omnia futura, & cordium secreta.

13 Dices 1. Cognitio, vel est intuitiua, vel abstractiua; sed Christus non cognoscit futura intuitiuè, quia non sunt præsentia; nec abstractiuè, quia cognitio abstractiua dicit imperfectionem; ergo neutro modo cognoscit.

Discrepant *Auctores* in assignando medio, per quod cognoscuntur futura. *Sua*; *& Gabr.* volunt cognosci per euidentiam attestantis in reuelatione Diuina. Sed reijciuntur ex eo, quòd euidentia attestantis non tollit obscuritatem rei attestatæ; Christus autem euidenter cognouit futura. Præterea ad cognitionem vltra euidentiam attestãtis requiritur species, vel obiectum ipsum vnitum intellectui; nam *ex obiecto, & potentia pariter notitia*, seu cognitio, vt docet *S. P. Aug*; ad hoc enim, vt intellectus, qui secundùm se est indifferens, determinetur ad cognoscendum hoc potiùs, quàm aliud, debet determinari, quod nequit esse, nisi per hoc obiectum, vel per speciem huius obiecti, quando ipsum obiectum nequit esse per se ipsum præsens intellectui; vt diximus *to. 1. de Inuisib. Dei q. 3*; *& in lib. de an.*

14 Resp. igitur iuxta ea, quæ diximus *to. 1. de subst. Dei q. 1. art. 1. §. 1.* cognitionem aliam esse intuitiuam obiecti in se ipso; aliam quiditatiuam adæquatam in specie expressa, quæ dici potest abstractiua, quatenus abtrahit à præsentia obiecti, non tamen quatenus obiectum inadæquatè cognoscit; & aliam inadæquatam abstractiuam. Hoc supp. dist. mi. Christus non cognoscit futura abstractiuè inadæquatè, conc; talis enim cognitio dicit imperfectionem; quiditatiuè adæquatè in speciebus infusis expressis, neg.

15 Inst. Species Angelicæ non repræsentant futura, nisi cùm existunt à parte rei; ergo vltra speciem requiritur actualis existentia, vt cognoscantur. 2. Vel illæ species essent naturales, vel supernaturales? Non primum; aliter connaturale esset omni intellectui habere illas species, & cognoscere futura. Nec secundum; quia per speciem supernaturalem nequit cognosci obiectum naturale. 3. Futura in se ipsis nullam habent determinatam veritatem; ergo ab ipsis nequit haberi species determinatè repræsentans eorum veritatem. 4. Species nequit repræsentare determinationem Diuinæ voluntatis, à qua res fit futura; ergo licèt possit repræsentare rem, cùm existit, nequit tamen ipsam repræsentare, vt futuram.

Resp. ad 1. dist. conf. In Angelis, conc; in Christo, neg; & disparitas est; quia in Angelis lumen non est adeo intensum, vt manifestet relationem determinationis, quam dicunt futura ad Diuinam voluntatem, ideo Angeli nequeunt illa videre. At in Christo longè maius est lumen, & ideo ostendit etiam relationem futurorum ad Diuinam voluntatem decernentem illa pro tali differentia temporis; atque adeo Christus illa cognoscit. Ratio autem est; quia futura spectant ad statum Christi, non Angelorum; quia *Pater dedit ei omnia in manus*, vt habetur *Io. 3*; nedum præsentia, sed etiam futura, & præterita; non autem dedit omnia in manus Angelorum; ideo in Christo debuit esse lumen ostendens omnia etiam futura, non in Angelis; magna enim imperfectio esset nõ cognoscere, quæ sua sunt, & quæ sibi à Patre tradita sunt. Ad 2. dicitur illas species esse supernaturales, nec implicat per speciem supernaturalem repræsentari obiectum naturale; sicut non implicat Diuinam essen-

essentiam, quæ est supernaturalis, repræsentare res naturales; implicat tamen per speciem naturalem repræsentari ens supernaturale; quia per inferius nequit repræsentari superius; per superius tamen potest cognosci inferius; sicut per intellectum cognoscuntur sensibilia, per sensum tamen nequeunt cognosci spiritualia. Ad 3. dist. ant. Futura, vt relata ad determinationem Diuinæ voluntatis, neg; præcisa tali relatione, conc. Ad 4. dist. ant. Species nequit repræsentare determinationem actiuam, quæ est actus immanens Diuinæ voluntatis in se ipso formaliter, conc; nequit repræsentare determinationem passiuam, quæ fundat relationẽ ad actum voluntatis Diuinę, à qua determinatione passiua redditur formaliter futurum in se ipso; sicut à determinatione actiua efficienter fit futurum, neg. Species ergo potest repræsentare nedum ipsam entitatem, sed etiam ipsam futuritionem; quia repræsentat relationem ad determinationem Diuinæ voluntatis, quæ decreuit talem rem exstituram in tali differentia temporis; sicut de facto Prophetæ cognouerunt futura pro differentijs temporum, quæ erunt.

16 Dices 2. Cognoscere secreta cordium est proprium solius Dei; vt habetur *ex Scripturis locis cit. to. 3. de Ang. q. 4. art. 9*; ergo nequit conuenire scientiæ creatæ Christi.

Resp. dist. ant. Cognoscere secreta cordium virtute propria, & connaturali est proprium solius Dei, conc; ex diuina reuelatione, & ex gratia facta naturę creatę, vt est in Christo, neg.

17 Collig. 3. per scientiam infusam supernaturalem Christum cognouisse omnes res naturales, quatenus aliquo modo ordinantur ad ordinem gratiæ vel tanquam fundamentũ, in quo gratia fundatur; vel tanquam subiectum, in quo est gratiæ priuatio, in quo tamen gratia debuit esse, vt in damnatis. Collig. *ex Fund. Doct. hìc dist. 33. q. 1. art. 1*; vbi docet ad scientiam, quę est donum, pertinere rectè iudicare de rebus creatis generaliter; res autem naturales sunt creatæ, vt constat; *& S. Thom. hìc q. 11. art. 1.* docet *Christum per hanc scientiam cognoscere omnia, quæ cognosci possunt ab homine per virtutem intellectus agentis*; per quam procul dubio cognoscuntur omnes res naturales. Ratio sumitur *ex S. P. Aug. vbi s.* Christus per hanc scientiam cognoscit omnia futura, & cordium secreta; sed multa futura, & secreta cordis sunt entia naturalia secundùm entitatem; ergo per hanc scientiam cognoscit omnes res naturales. 2. Per scientiam superiorem cognoscuntur omnia inferiora; sicut per potentiam intellectiuam cognoscuntur omnia, quæ cognoscuntur per sensus; & per visionem beatam videntur in Diuina essentia omnia, quæ videntur per scientias naturales; sed scientia supernaturalis infusa est superior scientia naturali, qua cognoscuntur res naturales; ergo per scientiam supernaturalem infusam cognoscuntur omnes res naturales. 3. Quanuis idem obiectum sub eadem ratione formali nequeat attingi à pluribus scientijs specie distinctis; attamen sub diuersa ratione formali attingitur; vt patet de corpore, quod sub ratione quantitatis attingitur à mathematica, & sub ratione sanitatis a medicina; ergo res naturales, quatenus ordinantur ad actus supernaturales, attingũtur à scientia supernaturali; quanuis secundùm suas rationes formales attingantur à scientijs naturalibus.

18 Dices 1. Ad cognoscendas res naturales, quæ sunt proportionatæ intellectui creato, sufficit potentia naturalis; ergo non indiget scientia supernaturali, quæ conuenit animæ secundùm potentiam obedientialem. 2. Implicat habitum supernaturalem specificari ab aliquo naturali; sed scientia specificatur ab obiecto; ergo implicat scientiam supernaturalem habere pro obiecto res naturales. 3. Species infusæ Christi sunt minùs vniuersales, quàm species infusæ Angelorum, vt docet *D. Tho*; sed Angeli per species naturales cognoscunt res naturales; ergo Christus per easdem species nequit simul cognoscere res naturales, & supernaturales; aliter eius species essent vniuersaliores. 4. Vel Christus cognouit particularia secundùm rationes particulares; vel secundùm rationes vniuersales? Non primum; quia *de particularibus non est scientia*. Nec secundum; quia solùm imperfectè cognosceret; cognosceret enim solas rationes vniuersales non cognitis rationibus particularibus, quod est abstractiuè, & imperfectè cognoscere. Quòd si mediantibus rationibus vniuersalibus cognosceret etiam rationes particulares; iam illius species nõ essent minùs particulares, quàm in Angelis; sunt enim Angeli infimi, qui per speciem naturæ athomæ cognoscunt singularia.

Resp. ad 1. dist. ant. Ad cognoscendas res naturales, vt ordinatas ad res supernaturales, sufficit potentia naturalis, neg; secundùm suas rationes formales naturales præcisa tali ordinatione, conc. Ad 2. dist. mi. Scientia specificatur ab obiecto primario, ad quod omnia ordinantur, conc; ab obiecto ordinato ad aliud; sicut sunt res naturales, quæ ordinantur ad res supernaturales, quæ specificant scientiam supernaturalem; & ideo à rebus naturalibus non specificatur, neg. Ad 3. dist. mi. Species infusæ supernaturales Christi sunt minùs vniuersales, quàm species supernaturales Angelorũ, quibus vtitur scientia, quæ est donum, neg; species naturales, quibus vtitur scientia naturalis, conc. Ad 4. dicitur cognoscere rationes vniuersales, & particulares, & ideo perfectè.

Ad

Ad improb. dist. De particularibus, vt sunt in se ipsis, non est scientia, quia in se ipsis mutationi subduntur, & scientia est de immutabilibus, conc; vt sunt in speciebus deriuatis à Diuinis Idæis, quæ immutabiles sunt, non est scientia, neg. An autem per species vniuersales cognoscantur particularia, *vid. to. 3. de Ang. q. 4. art. 4. §. 4.*

19 Collig. 4. Christum per scientiam infusam potuisse intelligere sine, & cum conuersione ad phantasmata materialia; nam in tantùm intellectus humanus in hac vita necessitatur intelligere per conuersionem ad phantasmata; in quantùm nascitur sine speciebus, tanquam tabula rasa; & ideo solùm mediantibus phantasmatibus potest acquirere species intelligibiles, quibus solummodò potest intelligere; ait enim *Phil*; quòd *omnis nostra cognitio ortum habet à sensu*; ex eo nanque, quòd oculus videat, vel auris audiat aliquod, educitur de potentia passiua oculi, vel auris species repræsentatiua talis obiecti; quæ species posita in prospectu sensus communis educit de potentia passiua illius speciem pariter materialem, per quam sensus communis educit de potentia passiua illius speciem pariter materialem, per quam sensus communis iudicat de tali obiecto; & hæc posita in prospectu imaginatiuæ educit de potentia passiua illius speciē; & sic de imaginatiua respectu æstimatiuæ; & de æstimatiua respectu phantasiæ; non enim vna, & eadem species potest transire de vna potentia sensitiua ad aliam, quia *nullum accidens potest migrare de subiecto in subiectum*. Tandem species educta de potentia passiua phantasiæ illustratur à lumine intellectus agētis, & instrumentaliter eleuatur, vt ad illius præsentiam, & prospectum educatur de potentia passiua intellectus possibilis species intelligibilis, qua mediante intellectus intelligit; hoc enim ordine fit intellectio hominis pro hac vita; sed intellectus Christi in instanti suæ conceptionis habuit omnes species intelligibiles infusas; quia fuit creatus cum omni perfectione, *& plenus omnis veritatis*; intellectus autem sine speciebus est imperfectissimus; quia se habet, sicut materia sine omni forma, quæ est prope nihil; ergo Christus potuit intelligere sine conuersione ad phantasmata. Tum quia intellectus animæ separatæ intelligit sine conuersione ad phantasmata; & intellectus animæ beatæ, quantumuis vnitus corpori, potest intelligere sine tali conuersione non ob aliam rationem, nisi quia pro eo statu habet perfectum modum cognoscendi, qui est independens essentialiter à phantasmatibus; sed Christi intellectus etiam in via fuit perfectissimus in cognoscendo, quia simul secūdùm partem superiorem fuit beatus; ergo potuit intelligere independenter à phantasmatibus. Tum quia ideo necessaria sunt phantasmata ad intelligendum, quia species etiam postquam sunt acquisitæ, sunt valde debiles, & semisopitæ, ac sensibus illigatæ; adeoque per phantasmata excitantur, roborantur, & ponuntur in prospectu mentis ad hoc, vt intellectus actu per illas intelligat; sed in Christo fuerunt species perfectissimæ, actiuissimæ, deriuatæ fuerunt enim ab idæis Diuinis perfectiori, & intensiori modo; ergo Christus non habuit necessitatem simpliciter intelligendi per conuersionem ad phantasmata.

20 Hoc tamen ita intelligendum non est, vt intellectus humanus Christi non potuerit intelligere mediantibus phantasmatibus, sed solùm quòd ita ab illis non dependidit, vt sine illis non potuerit intelligere; si enim perfectio animæ separatæ, & animæ beatæ coniunctæ corpori est intelligere sine conuersione ad phantasmata; magna enim priuaretur perfectione, si separata intelligere non posset; hęc perfectio non est deneganda intellectui Christi, qui fuit omni perfectione communicabili creaturis repletus. Sicut autem anima coniuncta potest intelligere etiam per conuersionem ad phantasmata; quia hic est connaturalis modus cognoscendi, dum est corpori vnita; sensus enim sunt organa deseruientia intellectui ad intelligendum; & hic modus cognoscendi est tantùm imperfectus; quando intellectus propter carentiam specierum necessitatur simpliciter ad sic intelligendum; est autem perfectus, cùm possidendo species per sua organa perfectè operatur; ideo Christus potest etiam per conuersionem ad phantasmata ad exercitium suorum sensuum intelligere; sine quo sensus Christi hac perfectione carerent; ergo potuit sine, & cum conuersione ad phantasmata intelligere; quod arguit in ipso summam in cognoscendo perfectionem; nam quòd intelligat sine conuersione, arguitur perfectio intellectus, qui non obruitur sensibus, vt non possit sine illis intelligere; quòd autem intelligat cum conuersione, arguitur perfectio sensuum, qui eleuantur ad ordinem spiritualem; & perfectio intellectus, qui pluribus modis operatur; scilicet per se ipsum immediatè, & mediantibus suis instrumentis.

21 Dices *cum Vasq.* Scientia per se infusa est simpliciter independens à sensibus, quia nullo modo per ipsos est comparabilis; ergo nullo modo potest intelligere per conuersionem ad phantasmata. 2. Ex hoc sequeretur etiam visionem beatam posse fieri per conuersionem ad phantasmata; quia posset beatus Deum videns formare aliquod phantasma de his, quę videt in Deo; sed cons. est falsum; ergo & ant.

Resp. ad 1. dist. ant. Est simpliciter independens à sensibus quantùm ad acquisitionem, conc;

conc; quantùm ad operationem, subdist. Est independens independentia excludente necessitatem, conc; excludente connaturalitatem operandi, neg. Vel neg. cons; ex eo enim, quòd scientia infusa operatur mediante phantasmate, tanquam instrumento, non sequitur, quòd ab illo dependeat eo, quia potest sine illo operari, & ab illo non causatur; dependentia autem sumitur ab acceptione esse; sicut ex eo, quòd Deus possit se solo, & cum creaturis tanquam instrumentis operari; non dicitur dependere à creaturis, sed potiùs è contra; quia instrumenta dependent à causa principali; ita à pari. Præterea hoc probaret scientiam per se infusam in nobis non posse intelligere per conuersionem ad phantasmata; quod nullus dixit. Ad 2. neg. ma; nam visio beata semper durat; ideo intellectus nequit excitari à phantasmate, vt Deum videat. Item est adeo perfecta, & sublimis, vt nullum phantasma possit eleuari, vt instrumentum ad illam efficiendam. Tandem Deus non est phantasiabilis, quia est purissimus actus; creaturæ autem etiam spirituales, cùm habeant admixtam potentialitatem passiuam, quæ dicitur *hileachim*, seu materialitas, possunt attingi per phantasmata instrumentaliter eleuata.

22 Dices 2. *cum Dur. in 4. dist. 14. art. 3.* negante alteram partem. 1. Quanuis anima separata à corpore possit operari independenter à corpore, attamen quando est coniuncta, nequit operari, nisi per corpus; ergo quanuis scientia infusa possit intelligere secundùm se sine conuersione ad phantasmata; attamen ratione subiecti, cui coniungitur, necessitatur ad operandum per conuersionem ad illa. 2. Si scientia infusa posset sine conuersione intelligere, maximè, quia est supernaturalis; sed hoc est falsum, quia fides est supernaturalis, & tamen credit per conuersionem ad phantasmata; ergo idem. 3. In tantùm Beati vti possunt scientia infusa sine conuersione ad phantasmata, in quantùm eorum corpora erunt perfectè subdita animabus; sed corpus Christi non fuit in hac vita perfectè subditum animæ; quia dominium animæ in corpus prouenit à dotibus corporis gloriosi; corpus autem Christi in via non fuit glorificatum, aliter fuisset beatus etiam secundùm partem inferiorem, & sic fuisset impassibile; ergo idem. 4. Sequeretur etiam scientiam naturalem posse intelligere sine conuersione ad phantasmata.

Resp. ad 1. neg. ant; si enim scientia per se infusa posset operari independenter à corpore, necessariò anima sic posset operari; quia intelligens per scientiam infusam est anima. Quanuis ergo anima quoad operationes materiales non queat operari, nisi dependenter à corpore; attamen quoad operationes spirituales potest operari independenter, si habeat perfectionem, quam habet anima separata. Ad 2. neg. ma; non enim quia supernaturalis, sed quia perfectissima est, habet modum perfectissimum operandi, qui est independenter à corpore; fides autem habet modum imperfectum operandi, qui est ex auditu; & ideo cessat in patria. Ad 3. neg. mi. Ad prob. insert. dicitur, quòd dominium in corpus prouenit à dotibus ipsius animæ, quæ eleuant ipsam supra corpus, non autem à dotibus corporis. Ad 4. dicitur, quòd si anima separata, & Beati possunt intelligere per species naturales sine conuersione ad phantasmata, nullum videtur inconueniens, si hoc concedatur de anima Christi maximè; quia species sunt infusæ. *Sed de hoc in seq. art.*

23 Collig. 5. scientiam Christi per se infusam non esse discursiuam quantùm ad acquisitionem, nec quantùm ad intellectionem rerum sine conuersione ad phantasmata; sed tantùm per conuersionem ad phantasmata. Deducitur *ex Fund. Doct. Quodl. 4. q. 16.* & patere potest ex dictis *to. 3. de Ang. q. 4. art. 6.*

24 Prima pars patet; quia scientia per se infusa Christi non fuit acquisita per discursum, idèst per successionem cognitionum vnius ex alio, sed tota simul in eius intellectu vnico instanti à Deo congenita; simul autem infusum, & successiuè acquisitum opponuntur.

25 Secunda pars, si intelligatur de discursu vocali, est innegabilis; habemus enim innumeros Christi discursus de rebus humanis, & Diuinis *in Euangelijs*. Difficultas ergo est de discursu mentali; & prob. Discursus essentialiter est *illatio alicuius ignoti ex altero noto*; propter quod negamus Deo discursum, nihil enim potest esse ignotum Deo; & quanuis Angeli possint aliquid nescire, vel non aduertere; attamen quando est in prospectu mentis, nequeunt illud non cognoscere eodem actu, quo cognoscunt illud, ex quo deducitur; & ideo nec in Angelis est propriè discursus, vt diximus *to. 3. vbi s.* sed tantùm in cognitione Christi per conuersionem ad phantasmata potest esse aliquod Christo ignotum, non autem in cognitione sine conuersione ad phantasmata; ergo scientia infusa Christi est discursiua tantùm per conuersionem ad phantasmata, non autem sine tali conuersione. Ma. est definitio discursus, quam nemo potest inficiari, nisi qui velit communem sensum negare, quo communiter admittuntur rerum definitiones. Prob. mi. Aliquod potest esse ignotum intellectui hominis vel defectu luminis, quod illud non manifestat; vel defectu speciei, quæ illud non repræsentat; vel defectu phantasmatis materialis, quod non excitat intellectum ad illud cognoscendum; sed in cognitione sine conuersione ad phantasmata nihil potest esse ignotum Christo defectu luminis, quod clarè omnia mani-

manifestat; nec defectu speciei, quæ perfectissimè omnia repræsentat; nec defectu phantasmatis materialis, quia talis cognitio est sine conuersione ad phantasmata; in cognitione autem per conuersionem ad phantasmata, licèt nihil posset esse ignotum defectu luminis, & speciei; potest tamen esse ignotum ratione talis phantasmatis, quod non habet illud ex sua ratione repræsentare, sed tantùm aliud, ex quo illud deducitur; ergo tantùm in cognitione per conuersionem ad phantasmata potest esse aliquod ignotum; non autem in cognitione sine tali conuersione.

26 Conf. Quanuis anima Christi per scientiam infusam possit pro suo libito aliquod obiectum inadæquatè cognoscere secũdùm vnam veritatem, & non secundùm aliam; sicut potest Angelus reflectere supra vnam rem naturalem, non super aliam; attamen nequit habere in prospectu mentis vnam, & aliam veritatem; & vnam ignorare in se ipsa, & cognoscere illam solùm ex vi illationis ex altera veritate; tunc enim lumen manifestat, & species repræsentat vtranque; vt dictum est de Angelis; ergo hoc non obstante eius scientia non est discursiua, nisi per conuersionem ad phantasmata, quæ possunt vnam rem manifestare alia occultata, cùm sint limitatissimæ repræsentationis. *Vid. to. 3. vbis.*

27 Dices. 1. Species Christi repræsentant nedum veritates, sed etiam connexiones earum; & intellectus ipsius potest diuidere conceptus; quia hoc ei naturaliter competit; ergo potest discurrere etiam sine conuersione ad phantasmata; nam si Angelus posset diuidere conceptus, quod ei repugnat propter perfectissimum modum cognoscendi; & cognoscere illas veritates præcisè in ratione connexionis, qua vna infert aliam, procul dubio discurreret. 2. Per creaturas cognoscit Deum *quoad an est*; ergo idem.

Resp; quòd si ad discursum sufficeret diuidere conceptus, & cognoscere connexiones, quibus vna res infert aliam, non posset negari discursus in Angelis; Angeli enim superiores *à D. Dion. de Cæl. Hier. c. 15.* dicuntur diuidere, & multiplicare conceptus, vt illos capere possint inferiores; vt diximus *to. 3. de Ang. q. 4. art. 5. nu.* 12. Sed Angeli nequeunt discurrere, quia est proprium hominis; ergo discurrere non consistit in cognitione connexionum, & diuisione conceptuum; sed essentialiter requiritur illatio vnius ignoti, vt dictum est. Neg. igitur conf. Ad 2. neg. ant; vt *sup.* dictum est. *Alias obiect. vid. to. 3. art. 6. vbis.*

28 Dices 2. cont. aliam partem *cum Vasq.* Hæc scientia est independens à speciebus sensibilibus; ergo nequit cognoscere per conuersionem ad phantasmata. 2. *cum Sua.* Ex sua natura non est illatiua, quia non est acquiribilis per actus illatiuos; ergo idem. 3. Quanuis vnum phantasma, vtpotè determinatum, non repræsentet, nisi vnum; attamen intellectus propter eminentiam luminis simul & aliud cognoscit; ergo nequit inferre ignotum.

Resp. ad 1. dist. ant. Est independens secundùm se ipsam, conc; ratione subiecti, in quo est, neg. Sicut anima rationalis secundùm se est independens à sensibus, attamen prout est in corpore, dependet quoad modum operandi. Ad 2. eodem modo; sic enim anima non est educibilis de potentia passiua materiæ, & tamen cùm est in illa, dependet quoad operationes. Ad 3. dist. conf. Nequit inferre ignotum ex defectu luminis, conc; ex defectu phantasmatis non excitantis lumen, neg.

29 Quod diximus de discursu, qui spectat ad tertiam operationem nostri intellectus, dicendum proportionaliter est de compositione, & diuisione, quæ pertinent ad secundam operationem intellectus; vt exactè ostendit *Fund. Doct. Quodl. 4. vbis.* non enim minùs propria intellectus humani operatio est compositio, & diuisio, seu enunciatio affirmatiua, quæ significatur nomine compositionis; & enunciatio negatiua, seu diuisio; quàm sit ei proprius discursus; ideo idem iudicium de vtroque est ferendum.

30 Collig. 6. Species in Christo fuisse minùs vniuersales, quàm in Angelis; multò plura tamen indiuidua, & clariori modo cognouisse, quàm Angelos. Prima pars probata fuit *to. 3. de Ang. q. 4. art. 5*; quia proprietates naturæ abstractioris à materia sunt magis vniuersales, quàm proprietates naturæ minùs abstractæ à materia; ideo intellectus, qui est proprietas naturæ spiritualis, quæ magis est separata à materia, quàm natura sensitiua; ideo intellectus abstrahit à materia secundùm esse, & operari, & ideo est magis vniuersalis, quàm sensus, qui abstrahit à materia tantùm secundùm modum operandi, non secundùm esse; intellectus enim abstrahit à materia; & à conditionibus materiæ, quæ sunt *hic, & nunc*; sensus autem, licèt abstrahat à materia, non tamen abstrahit à conditionibus materiæ, quia nequit percipere, nisi obiecta præsentia, & actu existentia; maior autem abstractio à materia est maior vniuersalitas, vt constat; sed species sunt proprietates sequentes naturam intellectualem; ergo species Angelorum, quę sequuntur naturam Angelicam, quæ est magis abstracta à materia, quàm natura humana, sunt magis vniuersales, quàm species Christi Domini. *Vid. alias rationes vbis.* Secunda pars prob. Plura indiuidua clariori modo cognoscere non prouenit ex vniuersalitate specierùm, sed ex perfectiori lumine, & ex maiori actualitate specierum; nam claritas prouenit à lumine, vt constat; & sicut maior vniuersalitas speciei repræ-

repræsentat plures naturas, quia actu continet plures species; ita maior actualitas speciei minùs vniuersalis plura indiuidua actu repræsentat; & ideo quia species Christi sunt actualiores, quàm species Angelorum; ideo repræsentant etiam futura, quæ non repræsentantur à speciebus Angelorum; & per consequẽs Christus plura indiuidua cognoscit, quàm Angeli, licèt per species minùs vniuersales.

31 Dices. Quò perfectiores sunt species, plura clariori modo repræsentant; maior enim perfectio speciei sumitur à maiori repræsentatione; sed species vniuersaliores sunt perfectiores, quàm minùs vniuersales; ergo plura clariori modo repræsentant.

Resp. dist. ma. Plura specificè, conc; indiuidualiter, neg. Species enim viuentis plura specificè repræsentat, quàm species animalis, quia illa continet sub se plures naturas specificè diuersas, quàm ista; ista tamen potest plura indiuidua repræsentare, quàm illa, si sit magis illustrata, & magis actuata, ac determinata ad illa repræsentanda. Ratio est; quia maior vniuersalitas magis elungatur ab inuiduis, quàm minor vniuersalitas, vt patet; elungatio autem est ratio impediens, vel minuens actionem, sicut approximatio est conditio ad agendum. Quod est intelligendum de elungatione secundùm potentialitatem passiuam, vt est abstractio, quæ conuenit creaturæ; non secundùm actualitatem, vt est elungatio, quæ competit Deo; ista enim est ratio maximæ, & summæ repræsentationis, & cognitionis.

32 Collig. 7. scientiam per se infusam distingui à speciebus, & à lumine, & esse vnum habitum specie. Primum *cont. Vasq.* prob. Species naturales distinguuntur à lumine naturali; nam lumen naturale est inditum à natura, & species acquiruntur in tempore; item lux corporalis distinguitur à specie existente in oculo; ergo idem dicendum de habitu, & lumine supernaturali; ex ijs enim, quæ videmus, nisi fides obstet, optimè arguuntur ea, quæ non videntur. Secundum prob. *cont. Io. à S. Tho.* eodem modo. Lumen est indifferens, & commune ad plures habitus; vt constat de lumine naturali, quod est intellectus agens, qui inseruit omnibus scientijs naturalibus; & de lumine gloriæ, quod inseruit omnibus habitibus supernaturalibus existentibus in intellectu beatorum, & ab illis realiter distinguitur; & de luce corporali, ex qua euidenter arguere possumus; ergo distinguitur ab habitu scientiæ per se infusæ. Tertium *cont. eundem Io. à S. Tho.* prob. Multiplicitas scibilium, quæ attinguntur sub vna ratione formali adæquata specificatiua, non multiplicat habitum, vt constat; quia multiplicitas obiectorum partialium non multiplicat principium tendens in illa; aliter non esset ratio, cur non multiplicet etiam potentiam; non minùs enim potentia, quàm habitus specificatur ab obiecto; & sic tot essent potentiæ intellectiuæ, & visiuæ, quot obiecta earum partialia; quod est euidenter falsum; sed omnia scibilia, quæ respicit scientia per se infusa Christi, attinguntur sub vna ratione formali adæquata specificatiua; nempe sub ratione entis creati supernaturalis cognoscibilis; ergo non multiplicant habitum scientiæ per se infusæ. *Sed de his in Log. & Met.*

33 Collig. 8. scientiam, & alia dona, & habitus fuisse in Christo per modum habitus immobiliter permanentis; quia fuerunt in ipso perfectissimo modo; aliter aliquando caruisset tali habitu, & sic non semper fuisset plenus gratia, & veritate, vt dicitur *Io.* 1.

ART. III.

An scientia naturalis infusa, vel acquisita fuerit in Christo?

1 QVanuis anima Christi per scientiam supernaturalem cognouerit etiam res naturales, vt diximus *in sup.* §; attamen ex hoc non sequitur, quòd in ipso scientiæ naturales fuerint otiosæ, & superfluæ; quia non implicat eandem rem sub diuersa ratione formali specificatiua à pluribus habitibus, & potentijs attingi; vt licèt sensibilia sub ratione veri attingantur ab intellectu, & habitu scientiæ in intellectu existente; attamen non fit, vt etiam non attingantur à sensibus sub diuersis rationibus sensibilibus. Quæritur igitur, an præter scientiam infusam supernaturalem, qua Christus cognouit nedum entia supernaturalia creata, sed etiam naturalia, quatenus ordinata ad ordinem supernaturalem, in ipso admittenda sit etiam scientia naturalis, qua res naturales in se ipsis extra Deum cognouerit per species creatas infusas, vel acquisitas ministerio sensuum, & intellectus agentis; & ideo inquiritur, an hæc scientia sit infusa, vel acquisita; & an sit infusa per se, vel per accidens?

2 Prima sententia vult scientiã naturalem in Christo fuisse proprijs actibus acquisitã per species à phantasmatibus abstractas. *Ita Caiet; Io. à S. Tho. hìc, q. 9. disp.* 11. *art.* 3; qui ostendit hanc sententiam tenuisse *S. Thomam q.* 9. *art.* 4; *& q.* 12. *art.* 2; vbi retractauit oppositam, quam docuerat *in* 3. *dist.* 14. Sequuntur *Med; Cabr; Godoy, Gonet; Vasq; Val; Gran; Merat; Becc; & alij.*

3 Nostra docet in Christo fuisse scientiam naturalem infusam per accidens, & solam scientiam experimentalem fuisse acquisitam eo, quia ministerio sensuum, & intellectus possibilis acquisiuit solùm phantasmata materialia, & ha-

& habitum, seu virtutem in cogitatiua existentem; species autem intelligibiles, & habitus scientiæ existentes in intellectu fuerunt in eius animam infusæ in primo instanti suæ conceptionis. *Ita Fund. Doct. hìc dist.* 13. *p.*2. *q.*1. *art.* 1; *& alibi; D. Tho. in* 3. *dist.* 14. *q.* 3. *art.*3; *& in Opusc.q.*216; quem concordat *noster Gibb*; qui hanc docet sententiam; *D. Bon. art.*3. *q.*2; *Gabr. q.* 1; *Scot. ibid; Sua. disp.* 30. *sect.* 2; *Lug. disp.* 22. *sect.* 1; *Gaspar Hurt; & alij apud Gibb.*

4 Fundamentum primæ sententiæ sumitur ex eo, quòd si Christus proprijs actibus non acquisijsset scientias naturales, in ipso fuisset superfluus, & otiosus intellectus agens. Hanc rationem exponit sic *Io. à S. Tho.* Modus connaturalis homini habendi scientias naturales est illas per proprios actus acquirere per actionem intellectus agentis ministerio sensuum; sed Christus habuit modum connaturalem homini habendi scientias naturales; ergo illas acquisiuit per proprios actus per actionem intellectus agentis sensuum ministerio. Ma. sic probat. Quanuis in prima rerum creatione *Adam* fuerit creatus cum omnibus scientijs naturalibus sibi infusis à Deo eo, quia debebat alias instruere; attamen eius filij, qui ex eo nasci debebant extra statum primæ creationis in statu propagationis, debebant scientias naturales proprijs actibus per actionem intellectus agentis ministerio sensuum acquirere; sicuti quia *Adam* fuit creatus in statu perfecto corporis, potentia augmentatiua non potuit exercere actus augendi corpus; eius tamen filij, qui nasci debebant in statu propagationis extra statum primæ creationis, debebant habere potentiam augmentatiuam exercentem actus augendi corpus; sicut quia in prima creatione creauit Deus plantas in statu perfecto; creauit enim omnes naturas perfectas non solùm, vt essent in se ipsis, sed etiam, vt essent aliorum principia in esse naturali; ideo potentiæ, quæ datæ sunt plantis, & animalibus ad acquirendum augmentum, & perfectionem naturæ in statu primæ creationis, debuerunt vacare quoad actus augmentandi, & perficiendi naturam; non tamen debuerunt vacare in statu propagationis; quia plantæ, & animalia, quæ debebant ex primis propagari extra principium creationis, debebant incipere ab infima paruitate, & crescere vsque ad augmentum perfectum; hic enim status est connaturalis naturæ extra principium creationis; adeoque licèt *Adam* in prima creatione debuerit creari cum omnibus scientijs naturalibus, quia debebat filios instruere, easque in illis propagare; attamen eius filij ex illo propagati debebant illas acquirere per actionem intellectus agentis sensuum ministerio; hic enim modus connaturalis est statui propagationis; sed Christus Dominus non assumpsit naturam humanam in prima creatione, sed in statu propagationis; ergo modus ei connaturalis habendi scientias naturales fuit illas acquirere sensuum ministerio per actionem intellectus agentis. Mi. sic probat. Christus assumpsit in natura humana, *quidquid Deus plantauit*, vt docet *D. Dam*; sed Deus plantauit in natura humana nedum omnes potentias naturales, sed etiam modum connaturalem agendi proprium illarum; modus autem connaturalis agendi intellectus agentis, & sensuum in statu propagationis est acquirere scientiam naturalem per actionem intellectus agentis ministerio sensuum; ergo Christus habuit modum connaturalem habendi scientias naturales; si autem habuisset scientiam naturalem infusam, priuatus fuisset hoc modo connaturali proprio status propagationis, & sic habuisset aliquam imperfectionem; quia ei defuisset modus proprius illius status. Quia tamen Christus venit, vt Caput supremum in ordine supernaturali, ideo in primo instanti suæ conceptionis habuit omnes scientias supernaturales, atque adeo etiam visionem beatam.

5 Verùm obstat *S. P. Aug.* doctrina communiter recepta, quam latè prosequitur *noster Greg. in* 2. Docet ergo *in Enchir. cap.*24; quòd ignorantia, & malitia duo sunt vulnera animæ inflicta pec peccatum originale; vulnere ignorantiæ intellectus fuit læsus, quo trahitur in errores; & vulnere malitiæ affecta voluntas, quo ad noxias concupiscentias distenditur. Sicut autem voluntatis malitia non frenatur, nisi per acquisitionem virtutum moralium, quę proprijs actibus acquiruntur, vel à Deo misericorditer donantur; sic ignorantia, aut cęcitas mentis non corrigitur, nisi per longos labores proprijs actibus Deo adiuuante scientiæ acquirantur; vel à Deo gratis infundantur. Christus autem, quanuis assumpserit pœnalitates corporis; quia *oportuit Christum pati*; venit enim *in similitudinem carnis peccati*; quia assumpsit carnem mortalem, quæ per peccatum mortalis effecta fuit; attamen nō assumpsit animam in similitudinem animæ peccati; quia non assumpsit animam, quæ posset mori peccato; sicut est anima originali peccato sauciata; adeoque non assumpsit animæ vulnera, quę sunt ignorantia, & malitia. Non quidem malitiam, quia non potuit peccare; nec ignorantiam, quia est origo malitiæ; etenim *omnis peccans ignorans.* Docet ergo *S.P. Aug; & Doct. Deinde etiam iam nolentibus subintrauit ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia noxiarum, quibus comites subinferuntur error, & dolor*; & mox: *Ex his morborum, non vbertatis, sed indigentiæ tanquam fontibus omnis miseria naturæ rationalis emanat &c. Verùm hæc communia mala sunt & hominum, & Angelorum pro sua malitia Dei iustitia damnatorum; & c.*27. *Ad iram quippe*

Dei pertinet iustam, quidquid cæca, (idèst ignoranti) *& indomita concupiscentia faciunt libenter mali*. Itaque si non fuisset peccatum, sicut nulla fuisset malitia, seu concupiscentia rerum naturalium lege naturali vetitarum; ita nulla fuisset earum ignorantia, quæ comes fuit, vel antesignana malitiæ, sed filij *Adam* ab eo trahentes originalem iustitiam, per quam constituti fuissent in eodem fœlicissimo statu, in quo Pater omnium fuit creatus, traxissent pariter omnes scientias simul cum alijs dotibus naturalibus, & supernaturalibus, quæ illum statum fœlicitatis formabant; & sine quibus illa fœlicitas non parum imminuta fuisset. Ergo Christus, in quo fuit innocentia eminentior, quàm *in Adam*; quia per illam *Adam poterat non peccare*; Christus autem non potuit peccare; magis autem est non posse peccare, quàm posse non peccare, vt docet *idem S. P. August. lib de corr; & grat. cap.* 11; habuit in primo instanti suę conceptionis omnes animæ dotes longè maiores, quàm habuerit *Adam*, comitantes iustitiam originalem; & per consequens habuit etiam scientias naturales; quarum carentia potest trahere in errores, qui sunt defectus morales, quibus annectitur malitia. Acquirere igitur scientias per proprios actus per longos labores est connaturale statui peccati, non statui iustitiæ originalis; ideo Christus, qui non fuit in statu peccati, sed summæ innocentiæ, non habuit connaturale sibi scientias naturales per proprios actus acquirere.

6 Vnica concl. In Christo simul cum donis supernaturalibus fuerunt infusę etiam omnes scientię naturales quoad habitus, & quoad species; & solùm proprijs actibus acquisiuit scientias experimentales.

Prob. 1. pars concl. 1. *ex Io.* 1. *Plenum gratia, & veritatis*. Christus in primo instanti suę conceptionis fuit plenus omnis veritatis tam supernaturalis, quàm naturalis; ergo in Christo fuit omnis scientia naturalis infusa; non enim in instāti potuit illas acquirere per multiplicationem actuum, quæ necessariò exigit temporum successionē. Prob. ant. Ex eo, quòd Christus fuerit plenus gratiæ, arguitur, quòd sit repleta omnis eius capacitas tam actualis, quàm obedientialis, vt diximus *quæst.* 7. *art.* 2; ergo ex eo, quòd sit plenus veritatis, arguitur, quòd sit expleta capacitas scientiæ tam supernaturalis, quàm naturalis; si enim fuisset in potentia ad acquirendam aliquam scientiā suis actibus, iam non fuisset plenus simpliciter; sicut si fuisset in potentia ad acquirendam aliquam gratiam, vel aliquod gratiæ augmentū, non fuisset plenus gratiæ. Prob. conf. Ex eo, quòd fuerit plenus gratiæ, infertur, quòd in illo fuerit omnis habitus supernaturalis, qui pertinet ad ordinem gratię, quia datur gratis à Deo; ergo ex eo, quòd fuerit plenus veritatis, infertur, quòd in eo fuit omnis habitus scietificus tā supernaturalis, quàm naturalis; quilibet enim pertinet ad veriatem, quam habet pro obiecto.

7 Conf. euertendo euasionem. Si Christus non habuisset scientias naturales infusas per accidens, maximè, quia earum carentia esset negatiua, non priuatiua; scientiæ enim naturales non debebantur pro statu infantiæ, vt dicunt *Aduersarij*; sed conf. est falsum; ergo & ant. Prob. mi. Carentia scientiarum naturalium pro statu infantiæ esset cum aptitudine ad illas habendas; si enim anima Christi in primo instāti cōceptionis fuit capax, & apta ad habēdas scientias supernaturales; multò *magis* fuit capax, & apta ad recipiēdas sciētias naturales, quę sūt magis proportionatę eius naturę; sed carētia cum aptitudine est verè, & propriè, priuatio, etiansi nō adsit debitū, quod importat obligationem habendi formam, qua caret; nullam enim habet lignum *necessitatem* naturalem, vel debitum habendi formam ignis; quia non omne lignum necessariò comburitur; & tamen in ligno est priuatio formę ignis eò, quia præcisè est in ipso carentia cum aptitudine; ergo quanuis in Christo non esset debitum habendi sciētias naturales pro tempore infantię; attamen quia in illo esset capacitas, ideo esset in illo vera priuatio; ac per consequens vera ignorantia priuatiua, quæ dicit imperfectionem. Pręterea in homine post peccatum originale remansit debitum habendi omne illud, quod per peccatum fuit amissum; sed scientię naturales fuerunt amissę per peccatū, quo homo fuit vulneratus in naturalibus; ergo ab instanti conceptionis homo habet debitum habendi etiam scientias naturales. Prætereà in tantùm post peccatum non debentur scientię naturales pro tempore infantię; quia pro eo tunc infans caret vsu rationis, aliter nunquam ei deberentur, & sic nunquam in homine esset carētia priuatiua scięntię, si recepto vsu rationis scientię ei non deberentur; sed Christus in primo instanti conceptionis habuit vsum rationis; ergo ei debitę fuerunt scientiæ naturales in primo instanti vsus rationis.

8 Pręterea *ex D. Tho. quæst.* 11. *art.* 1. Decuit, vt Verbum assumeret humanitatem perfectam, & ideo assumere eius potentialitatem naturalem reductam ad actum; quo probat assumpsisse scientiam per se infusam supernaturalem; potentialitas enim passiua excludens actum sonat imperfectionem; sed ex hoc arguitur etiam debuisse assumere scientias naturales; ergo idem.

9 Conf. Carentia scientię naturalis pro nullo tempore fuit in Christo; sed scientia naturalis proprijs actibus acquisita supponit essentialiter pro aliquo tempore carentiā scientię naturalis; ergo scientia naturalis proprijs actibus acquisita non fuit in Christo. Mi. constat

ſtat ex dictis. Prob. ma. Vulnus ignorantię inflictum animę per peccatum originale eſt carentia ſcientiæ naturalis; nam *Adam* peccando amiſit ſupernaturalia, & vulneratus eſt in naturalibus, vt docet *Trid. ſeſſ. 5. decret. de pecc. orig; & Araux. II. cap. 2;* & quia fuit Caput omnium hominum, ideo hoc vulnus in ſe ipſo receptum tranſmiſit in omnes; ſed in Chriſto non fuit pro vllò tempore vulnus ignorantiæ, ſicut non fuit vulnus malitiæ, vt dictum eſt; ergo in ipſo non fuit pro vllo tempore carentia ſcientiæ naturalis. Tandem fundamentum aduerſum eſt inſubſiſtens, vt *inf.* patebit; ergo ruit ſententia ſuper illud fundata.

10 Prob. 2. pars concl. Scientia experimentalis propriè ſumpta non eſt habitus intellectus formaliter exiſtens in illo, ſed eſt quædam virtus exiſtens in potentia ſenſitiua cogitatiua, qua per phantaſmata materialia ex ſenſibus educta percipiuntur ſingularia; vt docet *Phil. 2. Poſt. cap. vlt; & in prol. Met; & omnes illius Interpretes cõmuniter*; ſed Chriſtus per ſenſus accepit phantaſmata materialia, quibus percepit ſingularia; habuit enim perfectas operationes ſenſitiuas, vt docet *S. P. Aug. de Ciu. Dei lib. 14. c. 9; & ſæpe alibi*; ergo proprijs actibus acquiſiuit ſcientiā experimentalem. Hinc optimè explicatur illud *Luc. 2. Puer Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate*; quanuis enim eius ſapientia quoad habitum intellectualem, & ſpecies naturales infuſas non potuerit creſcere, & proficere; attamen quoad actualem experientiam, quam ſumebat ex ſenſibilibus, ad quorum præſentiam educebantur phantaſmata materialia, quæ illuſtrata ab intellectu agēte excitabant ſpecies intelligibiles ingenitas in intellectu; dicebatur proficere ſapientia, quatenus illæ ſpecies, & habitus infuſi per phantaſmata materialia reducebātur ad actuale exercitium cognitionis ſcientificæ; & in hoc ſenſu vult *Gibb.* intelligendum eſſe *S. Thomam*. 2. Chriſtus debuit habere omnes illas operationes, quæ homini conueniunt, & non repugnant vnioni hipoſtaticæ; quia ex illis redargui debebant *Manichæi, & alÿ hæretici* blaſphemantes ipſum habuiſſe corpus phantaſticum; quomodò eos redarguit *S. P. Aug. pluribus in libris*; ſed operationes ſenſitiuæ conueniunt homini, & nullam habent repugnantiam cum vnione hipoſtatica, ſicut ei non repugnant operationes vegetatiuę; ergo idem.

11 Ad fundamentum oppoſitum neg; quòd eſſet fruſtraneus intellectus agens; nam vt diximus *tom. 3. de Ang. quæſt. 4. art. 4. §. 1*; principale munus intellectus agentis eſt illuminare potentiam intellectiuam, & ſpecies intelligibiles in illa exiſtentes; & manifeſtare obiecta naturalia; ſed ſecundùm hoc munus eſt etiam in Angelis, quibus nō eſt denegandum lumen rationis, ſicut eis non denegatur cognitio naturalis; in hominibus autem habet etiam irradiare phantaſmata materialia, & hoc dupliciter. 1. Vt illis mediantibus excitentur ſpecies intelligibiles exiſtentes in memoria intellectuali, quæ ſemper non ſunt in proſpectu mentis, quia non ſemper intellectus actu intelligit omnia obiecta, quorum ſpecies actu habet; cùm enim intellectus pro hoc ſtatu operetur dependenter à corpore; ideo non poteſt operari per ſpecies intellectuales, quæ ſunt merè ſpirituales, niſi tales ſpecies excitentur à phantaſmatibus corporis; & ſecūdùm hoc munus etiam intellectus agens fuit in Chriſto. 2. Vt ad præſentiam illorum ſpecies intelligibiles educantur de potentia paſſiua intellectus poſſibilis; etenim phantaſmata materialia irradiata ab intellectu agente eleuantur, tanquam inſtrumenta, quibus mediantibus ſpecies intelligibiles educuntur de potentia paſſiua intellectus; & ſecundùm hoc munus non fuit in Chriſto; quia ſpecies iam exiſtebant actu à Deo concreatæ in eius intellectu, qui ſi fuiſſet creatus ſine illis, fuiſſet imperfectus, caruiſſet enim ſuis perfectionibus, ad quas fuiſſet in potentia paſſiua. Hoc munus tamen non conuenit formaliter intellectui agenti, ſed tantùm materialiter, quatenus coniungitur cum intellectu poſſibili imperfecto, de quo habet educere ſpecies; nam etiam in nobis, in quibus eſt intellectus imperfectus, & merè nudus, ac potentialis, cùm iam eductæ ſunt ſpecies, intellectus agens non exercet hoc munus. Non tamen propter hoc dicitur fruſtraneus, & otioſus, quia exercet alia munera, vt diximus, quæ illi magis propriè conueniunt. Ad arg. in forma diſt. ma. Modus connaturalis poſt peccatum, conc; in ſtatu innocentiæ, neg. Ad prob. neg. ma; nam ſi *Adam* ſtetiſſet, communicaſſet poſteris dona ſupernaturalia, & ideo multò magis naturalia. Ad prob. inſert. dicitur diſparitatem eſſe; nam corpora debuerunt propagari per generationem naturalem, quæ fit per deciſionem ſubſtantiæ gignētis receptam in parua caſula matricis ipſius fęminæ; cùm autem implicet decidi partem æqualem toti, à quo deciditur, & recipi in loco minori, quàm ſit quantitas corporis recepti; ideo in propagatione corporū factam per generationē naturalē neceſſe fuit incipere à paruitate ſubſtantiæ eo etiā, quia cùm talis portio decidēda ſit à ſubſtantia gignentis, ſi eſſet magna, nimiū pateretur gignens detrimentum in ſubſtantia, & ſic citò interiret. Igitur neceſſe fuit à paruitate incipere; nec hoc præiudicaſſet ſtatui innocentiæ, ſi duraſſet; nam perfectio, & fœlicitas illius ſtatus ſumebatur principaliter à dotibus animæ, quæ fuiſſent æqualiter in omnibus poſteris; & minùs principaliter à valetudine corporis, alijſque dotibus, quæ pariter fuiſſent in omnibus; non autem ſumebatur à ma-

à magnitudine quantitatis; ideo carentia magnitudinis in posteris nihil præiudicasset eorũ fęlicitati,& perfectioni illius status. Fuit autem creatus *Adam* etiam in statu perfecto corporis, quia fuit creatus extra ventrẽ mulieris, vbi debuisset nutriri, & crescere, si in paruitate, sicut eius posteri, fuisset creatus. Tum quia voluit Deus ostendere, quòd causa creata non adiuuat Deum in agendo, quasi Deus se solo non posset producere effectum ęquè perfectum, ac producit simul cum creatura; ideo ad demonstrandam eius omnipotentiam voluit, vt primus homo à se solo productus esset in statu perfecto nedum animæ, sed etiam corporis; sic enim ostendit, quòd *Dei perfecta sunt opera.* At verò in propagatione, in qua creatura coagit Deo agenti, à paruitate corporis imperfecti incipiendum esse decreuit; vt agnosceretur, quòd creatura non adiuuat Deum, quasi imbecillum, sed potiùs actionem illius imperficit; & si non adiuuaretur à Deo per simultaneum concursum, nihil omnino produceret. At cùm propagatio scientiarum, aliarumque animæ dotium non fiat per decisionem partis scientiæ ipsius gignentis, qui deperderet semper in qualibet productione partem scientiæ, sicut deperdit partem substantiæ; nec fiat per occupationem quantitatiuam loci; nec per instructionem, & disciplinam; sed per solam communicationem naturę gignentis, ad quam Deus infunderet scientias naturales in statu perfecto; sicuti infunderet iustitiam originalem, & alia dona supernaturalia, quæ exigebat necessariò perfectio illius fęlicissimi status; ideo etiam scientia naturalis fuisset infusa; magna enim miseria fuisset in posteris carere sciẽtia naturali; sicut est magna, imò tota felicitas naturalis, vt inquit *Phil*; illam habere. Quoniam igitur status ille fęlicissimus debebat ad omnes posteros æqualiter transire, si nullum fuisset peccatum, per quod solùm illo statu priuari potuimus, & miserias incurrere, quæ sunt effectus peccati, quod est summa miseria, & omnium miseriarum origo; ideo debuit infundi etiam scientia naturalis, sine qua vel non esset ille status, vel non esset ita perfectus. Ad prob. mi. dicitur, quòd Christus assumpsit, quidquid Deus plantauit in natura humana, non quidquid plantauit peccatum; quia assumpsit solas pœnalitates corporis, non vulnera animæ, vt dictum est; modus autem acquirendi scientias sensuum ministerio per acquisitionem specierum intelligibilium mediantibus phantasmatibus non fuit plantatus à Deo in natura humana, quia *Adam*, in quo fuit natura humana à Deo creata, illas non acquisiuit hoc modo, vt constat; ergo iste modus fuit plantatus per peccatum, quod, cùm priuauerit nos omni scientia, & ignorantiam induxerit, coegit, vt proprio labore, & industria illas acquireremus; quod rectè in illa pœna *Adæ* à Deo inflicta: *In sudore vultus tui &c*; potest intelligi. Tandem ad vltimum dicitur, quòd potiùs probat oppositum; sicut enim quia Christus venit, vt Caput supremum in ordine supernaturali, debuit habere in se ipso, & transfundere in omnes alios habitus supernaturales; atque omnes alij à Christo non potuerunt proprijs actibus illos acquirere; ita quia *Adam* cõstitutus fuit à Deo caput naturale omnium hominum, debuit transfundere in posteros omnes habitus, & perfectiones naturales, nisi in pœnam peccati illarum carentia fuisset inflicta.

12 Obijc. 1. Si Christus debuisset assumere intellectum perfectum speciebus, debuisset etiam assumere potentias sensitiuas perfectas suis speciebus; & ideo nedum in intellectu Christi, seu in memoria intellectiua fuissent infusæ omnes species intelligibiles, sed etiam in potentijs sensitiuis, seu in memoria sensitiua fuissent concreatæ omnes species materiales; eadem enim ratio probat de vtrisque; sed conſ. est falsum; aliter nec scientiam experimentalem acquisiuisset, quæ non acquiritur, nisi per acquisitionem specierum materialium; ergo falsum est ant.

Resp. neg. ma; & disparitas est; quia cùm potentiæ sensitiuæ non operentur, nisi præsentibus suis obiectis; quanuis enim abstrahant à materia, non tamen abstrahunt à conditionibus materiæ, quæ sunt *hic*, *& nunc*; idèst præsentialitas loci, & temporis; oculus enim non potest videre obiectum, quod semel vidit, & non est præsens, & cuius species existit in memoria sensitiua; & quanuis sensus interni possint aliqualiter agnoscere obiectum, quod fuit, & non est præsens, quia habent maiorem abstractionem à materia, quàm sensus externi; hæc tamen sensatio non est euidens, & perfecta, sed omnino imperfecta, & ineuidens propria quasi solis dormientibus; ideo potentiæ sensitiuæ ex sua natura, & ratione essentiali petunt acquirere suas species ex obiectis præsentibus; & per consequens non debent produci cum suis perfectionibus, quia non debent produci omnia earum obiecta, à quibus simul hauriant omnes species, quas possunt habere. At intellectus, cùm abstrahat à materia, & à conditionibus materiæ, potest intelligere etiam obiecta non præsentia, idèst non existentia à parte rei; ideo potest habere omnem suam perfectionem simul, vt intelligat quodlibet obiectum, & per consequens intellectus Christi, qui fuit perfectissimus, debuit habere congenitam omnem speciem, quæ est perfectio determinans ad intelligẽdum quodlibet contentum intra latitudinem sui obiecti.

13 Obijc. 2. cont. 2. part. Christus non exercuit actus omnium artium; ergo non habuit

buit scientiam experimentalem illarum.

Resp. *noster Gibb.* dist. ant. Non exercuit actus internos omnium artium, neg; externos, conceditur.

14 Collig. 1. ex dictis non dari in Christo duplicem scientiam naturalem, nempe vnam infusam per se, & aliam infusam per accidens; nam illæ duæ scientiæ non differrent specie, quia haberent idem obiectum specificatiuum formale; sed solo numero; implicat autem duo accidentia solo numero diuersa esse in eodem subiecto. *Vid. to. 4. de Virt. q. 3. art. 8.*

15 Collig. 2. nomine scientiæ naturalis genericè intelligi omnes species omniũ scientiarum naturalium, omnes enim fuerunt perfectiones intellectus animæ Christi; & ideo omnes in eo fuerunt.

16 Collig. 3. Christum nihil didicisse non solùm ab hominibus, sed nec etiam ab Angelis. *Ita Fund. Doct. hîc dist. 15. p. 2. q. 1; D. Tho. hîc art. 3; & 4; & omnes alÿ communit er.* Prob. Christus est vnus omnium Magister, & Dominus hominum, & Angelorum; vt dicitur *Matth. 23. Vnus est Magister vester*; nam habuit maiorem scientiam, quàm habent Angeli, & homines; ergo nihil didicit ab aliquo Angelo.


17 Dices. Christus fuit confortatus ab Angelo; sed confortatio importat instructionem; ergo Christus fuit instructus ab Angelo.

Resp. *Fund. Doct.* Angelum confortasse Christum famulando & obsequendo, non autem instruendo ipsum de rebus, quæ euenturæ erant. Neg. igitur mi. vniuersaliter; licèt enim confortatio possit esse cum instructione, vel per instructionem; quia quando instruimur in aliqua angustia, confortamur; attamen hoc non est de essentia confortationis.

18 Collig. 5. Christum non habuisse Angelum custodem sui. Ita *Ita Fund. Doct. vbi s.* nam Angelus custos datur tantùm puris viatoribus, vt reducat eos ad visionem beatam, & illos defendat à Dœmonibus insidiatoribus, qui eos conantur auertere à Deo, & in damnationem detrudere; sed Christus fuit simul viator, & beatus, & non potuit peccare, nec amittere beatitudinem, ac damnationem incurrere; ergo non habuit Angelum custodem. Tum quia Angelus custos instruit eum, cuius custodiæ est deputatus; sed Christus non potuit instrui ab Angelis; fuit enim Magister Angelorum etiam in via; ergo idem.

19 Dices. *D. Dion. 4. de Ang. Hier.* videtur asserere Christum subdi paternis traditionibus mediantibus Angelis; ergo habuit Angelum custodem. 2. Minor à maiori custoditur; sed Christus, vt homo, fuit minoratus ab Angelis; vt dicitur *ps. 8*; ergo idem.

Resp. ad 1. Christum subdi paternis traditionibus mediantibus Angelis famulantibus, non custodientibus; loquitur enim *D. Dion.* in plurali; & ideo rectè intelligitur de Angelis ministrantibus, qui sunt plures; non de Angelo custode, qui est vnus. Ad 2. dist. Fuit minoratus quantùm ad naturam humanam, non quantùm ad imperfectiones naturæ.



QVAE-

QVÆST. X.

De impeccabilitate, & libertate; præcepto, & obedientia, & potentia Christi.



PERACTIS ijs, quæ pertinent ad Christi intellectum, ea, quæ spectant ad eius voluntatem, declaranda sequuntur. Quanuis autem videatur ratione ordinis hæc quæstio præmittenda fuisse ad illam, in qua egimus de merito, & satisfactione, cùm actus liber, & obedientia sint actus eliciti, vel imperati à voluntate, à qua ratio meriti sumitur; attamen quia meritum, & satisfactionem considerauimus, vt gratia actualis est; de qua pertractare rectus ordo postulabat post tractatum de gratia habituali; ideo secundùm hanc rationem illam huic præmisimus.

ART. I.

An, & quomodò Christus sit impeccabilis?

1 EST dogma fidei Christum de facto nullum habuisse peccatum; vt habetur *Isaia* 53; *& 1. Pet. 2. Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius*; nec illud habere potuisse de potentia ordinaria tradunt *omnes DD*; imò suppositis omnibus donis supernaturalibus, quæ de facto fuerunt in Christo, nec de potentia absoluta potuisse peccare; vt habetur *in VI. Syn. act.*8; vbi dicitur: *Habuit humanam voluntatem impeccabilem*; *& Flor. post sess. vlt. in instruct. Armenor*; *& in Conc. Francoford. ep. Adriani*; & est communis doctrina *SS. PP*; *& DD*; nam Christus de facto habuit visionem beatam, & summam sanctitatem, ac puritatem, cum quibus est incompossibile peccatum, quod est summa miseria. Difficultas igitur est; an hæc impeccabilitas oriatur formaliter ex vnione hipostatica; vel ex donis supernaturalibus vnioni superadditis ita, vt præcisis his donis natura humana vnita Verbo habuisset potentiam proximam peccandi, quę posset ad actum secundum reduci.

2 Prima sententia vult Christi impeccabilitatem formaliter proximè oriri tantùm ex visione beata, radicaliter verò remotè ex vnione hipostatica, quæ veluti connaturaliter, & de congruo exigit visionem beatam; quia tamen non repugnat de potentia absoluta Christum fuisse sine visione beata; & sine alijs donis in puris naturalibus, ideo de potentia Dei absoluta potuit Christus peccare etiam perseuerante vnione; & ideo potentia proxima peccandi non repugnat Christo attenta sola vnione hipostatica; sed solùm repugnat ratione beatitudinis. *Ita Scot. in 3. dist. 2. q. 1. §. Ad arg. principalia*; *& dist. 12. q. 1*; quem sequitur *Mastr. hic disp. 2. q. 2*; apud quem *Rada, Fab; Vulp; Gall; Centin; Ponc; Bellut*; vnico excepto *Aretino*; *ex alijs* verò *Dur. dist. 12. q. 2*; *Heruaus dist. 1. q. 1*; *Marf. q. 9. art. 2.*

3 Secunda vult, quòd licèt perseuerante vnione Christus non potuerit peccare; attamen secundùm alium ordinem alterius prouidentiæ potuisset peccare ita, vt in instanti peccati dissolueretur vnio hipostatica. *Ita quidam Neoterici.*

4 Nostra docet Christum nullo modo peccare potuisse nedum ex vi visionis beatæ, sed etiam ex vi vnionis hipostaticæ, nedum perseuerante, sed etiam dissoluta vnione hipostatica in instanti peccati; atque in eo non potuisse potentiam proximam peccandi reperiri secundùm quancunque potentiam. Collig. *ex Fund. Doct. in ep. ad Rom. c. 8. lect. 24*; *& hìc dist. 3. p. 4. q. 4. dub. 6. lit*; *Mag. dist. 12*; *D. Tho*; *D. Bon*; *Capr*; *& omnes alij communissimè.*

5 Conueniunt *DD.* in natura humana Christi fuisse potentiam radicalem remotam peccandi; quia in eo fuit liberum arbitrium creatum, seu voluntas libera humana, vt statuit *VI. Syn. cont. Monothelitas* asserentes in Christo fuisse tantùm vnam voluntatem, & vnicam operationem. Cùm autem voluntas humana fuerit à Deo creata ex nihilo, ideo ex sua natura est defectibilis, quia in nihilum potest reduci; quod autem potest in nihilum tendere, potest patrare peccatum, quod nihil est, vt dicitur *Io. 1*; ex eo enim, quòd voluntas humana possit physicè deficere, bene arguitur, quòd possit etiam moraliter, quòd est *peccare*; quia moralitas supra esse physicum fundatur; tum quia operationes tam physicæ, quàm morales sequũtur ad esse, & naturam illius; adeoque si esse cuiuscunque rei creatæ est defectibile, etiam operationes ab eo procedentes possunt deficere. Hæc tamen potentia radicalis remota peccandi nunquam reducitur ad actum, nisi fiat proximè potens peccare, seu nisi ei superaddatur potentia proxima peccandi. At *plerique* non explicant, in quo consistat hæc potentia proxima; & *aliqui* non rectè illam explicant; ex quo deriuatur in hac quæstione obscuritas, & confusio non modica.

6 *Aliqui* explicant potentiam proximam peccandi ita, vt importet liberum arbitrium defe-

defectibile cum concursu Dei parato ad illam actionem; censent enim sic vltimò disponi nostram voluntatem ad eliciendam actionem peccaminosam. *Alij* verò asserunt importare entitatem liberi arbitrij connotando in obliquo carentiam sanctitatis; vt videre est *apud nostrum Gibb. hic*.

Sed cont. 1. est 1. Impium est dicere, quòd concursus Dei vltimò, & proximè disponat ad peccatum; ergo potentia proxima peccandi non constituitur per Dei concursum. 2. Potentia proxima ad agendum constituitur per vltimam dispositionem, qua voluntas vltimò disponitur ad hoc, vt nullo alio expectato possit in peccatum prorumpere; sed dispositio importat essentialiter qualitatem intrinsecè receptam in subiecto disposito; & concursus Dei non est huiusmodi, vt constat; ergo potentia proxima peccandi non importat Dei concursum, per quem formaliter constituatur. 3. Potentia proxima dicit potentiam in actu primo potentem agere; quandiu enim potentia non est in actu primo non potest prorumpere in actum secundum; & ideo non est vltimò, & proximè disposita ad operationem, quæ est actus secundus; sed concursus Dei nequit esse actus primus peccati; quia actus primus, & secundus sunt eiusdem speciei; & ideo sicut actus secundus est peccatum; ita actus primus peccatum esset; & sic Deus, qui est causa concursus, esset causa peccati; ergo idem. Cont. 2. est. Carentia sanctitatis non habetur formaliter, nisi per peccatum in actu secundo exercito; quia forma tollitur formaliter per priuationem, non autem per dispositiones etiam vltimas ad priuationem; sed quandiu voluntas est in potentia proxima ad peccandum, non est peccatum in actu secundo exercito; aliter non esset in potentia ad illud, quia esse in potentia ad actum dicit non esse ipsius actus; ergo potentia proxima peccandi non constituitur per carentiam sanctitatis in obliquo connotatam. 2. Potentia proxima peccandi debet constitui per aliquod, quod respicit in recto, non connotatiuè; quamuis enim aliquod constitutum vltra constitutiuum, quod respicit in recto, possit respicere aliud de connotato, & in obliquo; vt cœna, quæ in recto respicit comestionem, à qua constituitur, respicit etiam de connotato tempus vespertinum; attamen implicat, quòd aliquod constitutum respiciat aliquod de connotato, & in obliquo, & non respiciat aliquod in recto; aliter illud non esset connotatum, & obliquum, sed rectum; quia connotatum, & obliquum essentialiter supponit rectum; atqui rectum, quod primariò respicit potentia proxima peccandi, prout contradistinguitur à potentia radicali remota, nequit esse entitas liberi arbitrij defectibilis, quia hæc constituit potentiam radicalem remotam; & ideo formaliter non distingueretur ab illa; ergo insufficienter assignatur constitutiuum potentiæ proximæ ad peccandum. 3. Potentia proxima ad peccandum *hic* sumitur, prout contradistinguitur, & separatur ab ipso peccato; sed per peccatum habetur formaliter carentia sanctitatis, cùm sit illius priuatio; ergo potentia proxima peccandi non constituitur formaliter per carentiam sanctitatis.

7 Dicendum ergo nomine potentiæ proximæ ad peccandum significari actum primum, quo potentia radicalis vltimò, & proximè disponitur ad peccandum ita, vt potentia nullo alio attento possit se determinare ad peccandum. Sicuti potentia proxima ad calefaciendum est calor; ex eo enim, quòd ignis habeat in se calorem, dicitur in actu primo proximè potens calefacere. Causatur autem actus primus in voluntate hoc modo. Primò intellectus apprehendit obiectum peccaminosum, & illud repræsentat voluntati, quæ, cùm sit potentia cæca, nequit tendere in aliquod, quod non sit sibi manifestatum ab intellectu; qui propterea suadet voluntati, vt tendat in illud, tanquam in obiectum delectabile; vnde necesse est, vt cogitatio turpis in intellectu præcedat actum malum in voluntate. Deinde si voluntas non respuat tale obiectum, quod potest præstare, quia libera, & domina est; tunc tale obiectum causat in voluntate actum, qui, vt qualitas est, reddit voluntatem ponderosam, & inclinatam in tale obiectum; & iste est actus primus in voluntate, per quem redditur proximè potens tendere in tale obiectum determinatum; cùm enim voluntas secundùm se ipsam sit indifferens ad tendendum in quodlibet obiectum repræsentatum, vt bonum, & ab indifferenti, vt indifferens est, nequeat elici actio determinata; ideo per actum, vt qualitas est, productum ab hoc obiecto debet determinari ad tendendum potiùs in hoc obiectum, quàm in aliud. Nec per hoc læditur eius libertas, quia adhuc determinata ad tale obiectum potest tendere in illud affirmatiuè consentiendo suasioni intellectus; & negatiuè per modum fugæ dissentiendo; & potest præcipere intellectui, vt alia sibi obiecta proponat; adeoque manet eius libertas nedum contradictionis, quæ respicit tendentiam, & non tendentiam in tale obiectum; sed etiam contrarietatis, quæ respicit hoc, vel illud obiectum. *Vid. to. 1. q. 1. proœm. art. 6. nu. 4; & de Inuisib. Dei q. 1. art. 6. à nu. 1;* quod sæpe *alijs in libris* necesse fuit repetere. Igitur in tantùm potuisset esse potentia proxima peccandi in Christo; in quantùm eius intellectus potuisset elicere cogitationem turpem, & falsam, qua suasisset eius voluntati tendentiam in obiectum delectabile dissonum legi, à quo causatus fuisset actus primus, per quem voluntas constituta fuisset vltimò,

vltimò, & proximè potens tendere in actum secundum. *Hoc supp.*

8 Vnica concl. Christus ratione solius vnionis hipostaticæ præcisis quibuscunque alijs donis non potuit peccare etiam de potentia Dei absoluta siue retenta, siue dissoluta vnione, siue secundùm ordinem huius, siue alterius prouidentiæ ita, vt quanuis admittatur potentia radicalis remota peccandi in voluntate humana; nullo modo tamen potuit esse potentia formalis proxima vltimò ad peccandum disposita.

Prob. 1. *ex Io. 1. Verbum caro factum est &c; plenum gratia, & veritatis.* Super quod S. P. *Aug. in Enchir. c.* 40. loquens de vnione hipostatica naturæ humanæ cum Verbo inquit: *Vt in natura humanæ susceptione fieret quodammodò ipsa gratia homini naturalis, quæ nullum posset peccatum admittere; & superiùs c. 36.* loquens de eadem gratia vnionis, quam asserit nullum meritum præcessisse; quia natura humana, priusquam assumeretur in vnitatem personæ Diuinæ, nihil egit, nihil meruit, ait per hanc *factum est, vt homo Christus nullum habere posset peccatum;* ex quo infert *cont. Pelagium* etiam nos iustificari à peccatis, & vitare peccata per gratiam nobis sine meritis concessam; ergo ratione solius vnionis hipostaticæ Christus non potuit peccare. Deinde *eodem c.* 40. insinuat rationem; quia per talem vnionem *Verbo Dei copulatus est homo in tantam personæ vnitatem, vt idem ipse esset Filius Dei, qui filius hominis; & filius hominis, qui Filius Dei.* Ex quo sic. Implicat per quancunque potentiam, & ordinem, quòd Filius Dei possit peccare; quia Filius Dei Deus est; & implicat Deum posse peccare; sed Christus, vt homo, est Filius Dei; non enim Christus, vt homo, est alia persona distincta à Filio Dei, seu à persona Diuina, quæ est Filius Dei, vt statutum est *cont. Nestorium;* ergo implicat per quancunque potentiam, & ordinem, quòd Christus, vt homo, possit peccare.

9 Prob. 2. Suppositum Diuinum esse principium *quod* actiuè eliciens peccatum implicat secundùm quancunque potentiam, & ordinem cuiusuis prouidentiæ, siue retenta, siue dissoluta vnione; sed si Christus haberet potentiam proximam, qua actu peccaret; suppositum Diuinum esset principium *quod* actiuè eliciens peccatum; ergo Christum habere potentiam proximam, qua actu peccaret, implicat secundùm quancunque potentiam, & ordinem cuiusuis prouidentiæ, siue retenta, siue dissoluta vnione. Ma. constat, quia suppositum Diuinum nequit esse causa peccati, cùm nequeat auertere à se ipso, & tendere in nihilum; illud enim solùm potest auertere à Deo, quòd non est Deus, & non est regula tendendi in Deum; cùm nihil possit auertere à se ipso, si sit summè bonum sine vlla malitia; quod est obiectum conuersionis, non auersionis; & quod extractum est à nihilo, potest tendere in nihil; sed suppositum Diuinum est summè bonum sine vlla malitia, & non est ex nihilo; ergo idem. Prob. mi. ex illo axiomate: *Actiones sunt suppositorum;* quod esse intelligendum actiuè elicitiuè, non verò tantùm denominatiuè, vt aiunt *Aduersarij, ab alijs* communiter asseritur; & prob. *ex Flor. sess.* 10. asserente: *Dixi Filium ex Patre, & ex Patris substantia generari ita tamen, vt persona sit producens, & generans; principium autem, quo ipsa persona generat, sit id solùm, quod communicabile est;* ex quibus sic. Quælibet actio egrediens à qualibet natura est à supposito illius naturæ actiuè elicitiuè, vt à principio *quod;* vera enim est hæc propositio; *Persona Patris æterni actiuè elicitiuè generat Filium;* non autem solùm denominatiuè, & penes nomen, non verò per actionem; sed natura humana Christi non habet, nisi suppositum Diuinum; ergo actio peccaminosa egrediens à nostra humana Christi esset à supposito Diuino actiuè elicitiuè, vt à principio *quod.* Tum quia actiones elici à supposito, vt à principio *quod,* est vox *omnium Philosophorũ,* vt testatur *idem Conc. sess.* 19; ergo asserere actiones conuenire suppositis solùm denominatiuè communi consensu reprobatur. Tum quia passiuè produci, vt *quod,* conuenit soli supposito, non enim sola natura producitur; ergo actiuè producere, vt principium *quod,* soli supposito conuenit; terminus enim productus debet correspondere principio producenti. Tum quia actio, prout fundat relationem ad terminum, elicitiuè conuenit tantùm ei, quod distinguitur realiter à termino; relatio enim distinctionem realem importat; sed solùm suppositum producens distinguitur realiter à termino producto, natura enim est communis vtrique; ergo actio elicitiuè conuenit tantùm supposito. Tum quia *agere sequitur ad esse;* ergo per se agere ad per se esse; sed soli supposito conuenit per se esse; quia natura habet esse in supposito; suppositum autem habet esse in se, & per se ipsum; ergo soli supposito conuenit per se agere. Atqui agens tantùm denominatiuè, non elicitiuè, non agit per se, dicitur enim agere per ordinem ad aliud, cum quo coniungitur; vt cùm dicitur: *Musicus ædificat;* denominatur per ordinem ad artem ædificatoriam, cum qua musica in eodem supposito coniungitur; ergo idem. Sed secundùm ordinem alterius prouidentiæ esset idem suppositum Diuinum in natura humana Christi; aliter non esset idem Christus, & sic esset quæstio de subiecto non supponente; & quanuis dissolueretur vnio, attamen illa actio peccaminosa esset elicita à supposito Christi; ergo eodem modo implicat, quo de facto repugnat.

10 Conf.

10 Conf. Actiones meritoriæ Christi Domini sunt elicitiuè à supposito Diuino; in tantùm enim sunt infiniti valoris, in quantùm eliciuntur à supposito Diuino; ergo & actiones peccaminosæ; nulla enim est assignabilis ratio, ob quam suppositum concurrat ad aliquas, & non ad omnes actiones.

11 Prob. 3. rationibus allatis *q. 7. art. 1*; etenim natura humana per vnionem hipostaticam sanctificatur substantialiter; ergo repugnat ipsam peccare; nam si repugnat naturam accidentaliter sanctam reduplicatiuè, vt talem, peccare; multò magis repugnat naturam substantialiter sanctam peccare; cùm sanctitas substantialis sit maior, quàm accidentalis; propterea Christus dicitur *Sanctus Sanctorum* eo, quia est maximè sanctus, cùm sit sanctus nedum sanctitate accidentali, sed etiam substantiali, qua maior dari non potest. *Vid. vbis.* Tum quia ex eo, quòd natura creata vniatur Deo per operationem beatam redditur impeccabilis; ergo multò magis ex eo, quòd vniatur per esse suppositale; quia maior vnio est substantialis, quæ habetur per esse substantiale in supposito, quàm vnio per operationem, quæ est accidentalis.

12 Præterea Christus non potuit damnari; quia Christus etiam secundùm naturam humanam ratione solius vnionis hipostaticæ est Filius Dei; vt diximus *q. 6. ex Conc. Francoford*; repugnat autem Filium Dei esse filium Diaboli, perditionis, & iræ, vt est damnatus; ergo non potuit peccare ratione solius vnionis hipostaticæ; quia ob quodlibet peccatum potest homo à Deo iustè damnari. Sic afferri possunt omnia alia inconuenientia, & absurdæ sequelæ, ob quas sententia contraria multis censuris notari solet.

13 Insuper impeccabilitas non minùs conuenit personalitati, quàm naturæ Diuinæ; non enim minùs sancta, & indefectibilis est persona, quàm natura; ratione autem sanctitatis, & indefectibilitatis nequit ei cõuenire peccabilitas, seu potentia peccandi; sed si natura Diuina posset vniri supposito creato, illud suppositum, quanuis ex se defectibile, ratione naturæ Diuinæ non posset peccare; quia implicat naturam Diuinam esse principium formale peccandi; ergo ex eo, quòd suppositum Diuinum præcisè vniatur naturæ defectibili, talis natura non potest peccare eo, quia tale suppositum, quod agit per talem naturam, nequit peccare.

14 Similiter ex eo, quòd voluntas ex sua natura defectibilis coniungatur cum voluntate ex sua natura indefectibili, ex vi talis vnionis redditur indefectibilis; ideo Christus *Luc. 22.* inquit: *Non mea voluntas, sed tua fiat*; & ratio est; quia quoties aliquod inferius eleuatur ad esse alicuius superioris, tunc illud inferius induit modum superioris, non è contra; v. g. ex eo, quòd corpus vniatur animæ, redditur animatum; non tamen anima redditur corporea; voluntas autem indefectibilis est superior voluntate defectibili; ideo communicat ei modum suæ indefectibilitatis; sed in Christo ex vi solius vnionis esset voluntas humana defectibilis vnita voluntati Diuinæ indefectibili simpliciter; ergo idem.

15 Tandem ad esse indefectibile simpliciter in esse moris nequit sequi, nisi actio indefectibilis moraliter; sicut enim ad esse, *vt sic*, sequitur operari, *vt sic*; sic ad tale esse sequitur tale operari; sed Christus habet esse indefectibile simpliciter in esse moris; quia habet esse suppositi Diuini; vt diximus *q. 5. art. 3. §. 4*; ergo Christus nequit habere, nisi actionem moraliter indefectibilem; & ideo nequit habere peccatum. Nec est paritas de defectibilitate physica; quia licèt Deus sit causa entitatis physicæ, quæ est physicè defectibilis, nequit tamen esse causa peccati, quod est defectus moralis, vt docet fides;

16 Obijc. 1. *Mastr.* Impeccabilitas creaturæ nequit æquari impeccabilitati Dei; quia impeccabilitas Dei est per naturam; impeccabilitas verò creaturæ est per gratiam; vt docent SS. PP; inter quos *S. P. August. lib. 3. cont. Maximin. c. 12.* asserens: *Cuicunque creaturæ rationali præstatur, vt peccare non possit, non est hoc naturæ, sed gratiæ*; & ratio est; quia creatura est ex nihilo, ideo ex se ad nihilum tendit, quod est peccatum; sed sola impeccabilitas Dei est simpliciter, & absoluta; ergo Christus nequit dici simpliciter, & absolutè impeccabilis, sed tantùm secundùm quid, & ex gratia. 2. *Apost Hebr. 7.* ait: *Talis decebat, vt nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus &c*; sed verbum *decet* facit sensum de congruo, quod contradistinguitur à necessitate absoluta, & simpliciter; ergo simpliciter, & absolutè potuisset peccare. 3. Vel hoc esset; quia vnio hipostatica est forma sanctificans formaliter; & hoc non; quia Verbum potuisset assumere naturam humanam tantùm in naturalibus, & sic non sanctificaret; sicut non sanctificaret, si assumeret naturam irrationalem; vel quia habet annexam indispensabiliter beatitudinem, quæ necessariò excludit peccatum; & hoc non propter eandem rationem; & quia vnio hipostatica est prior visione beata, quia illa ordinatur ad esse, hæc ad operari, quod est posterius esse, ad quod sequitur; prius autem potest haberi sine posteriori; ergo præcisa visione beata proximè posset peccare.

Ad 1. de modo loquendi resp; quòd licèt Christus, vt homo, non excludat potentiam radicalem remotam peccandi; quia non excludit liberum arbitrium creatum, quod est radicaliter defectibile, vtpotè creatum; & non

non sit dicendus simpliciter, idèst secundùm omnem modum, & quancunque rationem impeccabilis, sicut dicitur impeccabilis Deus; attamen dicendus est absolutè, & simpliciter, idèst sine addito impeccabilis; sicut licèt beati non excludant liberum arbitrium creatum defectibile radicaliter; attamen absolutè dicuntur impeccabiles, & simpliciter, idèst sine addito; non tamen simpliciter, idèst secundùm omnem rationem, & modum; quia non sunt impeccabiles secundùm naturam, sed solùm secundùm gratiam; vnde illud aduerbium *simpliciter* ad æquiuocationem detorquetur; nempe prout significat *secundùm omnem rationem, & modum*; & prout significat *sine addito*. Sic Angeli absolutè, & simpliciter, idèst sine addito dicuntur intellectuales; quanuis non sint intellectuales eo modo, quo Deus est intellectualis; quia Deus comprehensiuè infinitè, Angeli verò intuitiuè finitè. Vnde dist. mi. Solus Deus est impeccabilis absolutè, & simpliciter, idèst secundùm omnem rationem, & modum, conc; & in hoc sensu Christus non dicitur simpliciter impeccabilis; absolutè, & simpliciter, idèst sine addito, neg. mi; & cons; sufficit enim ad hoc, vt aliquis hoc modo dicatur impeccabilis, quòd excludat potentiam proximam peccandi, quæ determinatè respicit peccatum; quod propriè excludit impeccabilitas; nam potentia remota, & radicalis peccandi est indifferens, & indeterminata ad peccandum, & non peccandum; quia importat præcisè liberum arbitrium, quod potest peccare, & non peccare. Præterea quidquid sit de modo loquendi, dicitur quæstionem esse de potentia proxima, non remota; ideo arg. ductum *ex SS. PP.* nihil concludit. Ad 2. dicitur *Apost.* explicare congruentiam incarnationis Verbi Diuini; congruum enim fuit, vt talis esset Pontifex, qui non potest habere peccatum, vt nos reconciliaret à peccatis; non autem explicare congruentiam non peccandi supposita existentia incarnationis Verbi; sic enim fuit necessitas, non congruitas; in tantùm nanque fuit congruum Verbum incarnari, quia potuit homo redimi absque incarnatione; non tamen fuit congruum Verbum incarnatum esse sanctum, quasi potuerit habere peccatum; tunc enim non posset esse Redemptor, sed esset redemptus, vel redimendus à suo peccato. Decuit ergo Verbum incarnari, quia necesse fuit Redemptorem à peccato esse sine peccato; quod expresśè habet *Apost. ibid*; asserens alios Sacerdotes constitutos in lege ante Christum habuisse infirmitatem, quia poterant peccare; Christum autem post legem constitutum fuisse Sacerdotem perfectum, idèst sine infirmitate, quæ est potentia proxima ad peccandum: *Lex enim* (inquit) *homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes; sermo autem iuris iurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.* Ad 3. diximus *q.7. art.1. n.6; & 19.* Dicitur ergo ad ant. Christum dici impeccabilem ratione vnionis hipostaticæ, & ratione beatitudinis. Ad improb. dist. Vnio hipostatica ad filiationem Dei naturalem non sanctificat, neg; ad esse merè naturale, conc. Sed de facto Verbum assumpsit naturam humanam ad filiationem Dei naturalem, ideo de facto sanctificat; & ratione talis vnionis excludit potentiam proximam ad peccandum. Si autem assumpsisset ad esse tantùm naturale tunc non exclusisset potentiam proximam peccandi eo, quia talis vnio esset forma sanctificans; sed quia talis vnio esset facta ad suppositum Diuinum, quod nequit esse causa peccati; vnde potentia proxima peccandi excluditur nedũ per sanctificationem humanitatis, sed etiam per vnionem ad suppositum Diuinum, cui nullo modo potest competere posse proximè peccare; & ratione visionis beatæ subsequenter ob incompossibilitatem, quam habet cum peccato; qua tamen adhuc præcisa non posset peccare ob alias antecedentes rationes non peccandi.

17 Obijc. 2. *idem*. Voluntas Christi est eiusdem rationis cum nostra voluntate; ergo nisi determinetur ad rectè agendum per aliquid aliud, potest proximè peccare; sed tale determinans non est assignabile; quia non est ipsa vnio; nam vnio non potest determinare voluntatem ad non peccandum; nisi vel quia est incompossibilis cum peccato; & hoc non; quia vnio subiectatur in natura, peccatum verò in voluntate; quæ autem habent diuersa subiecta, non sunt incompossibilia, vel quia causaret in volũtate aliquem actum, per quem determinaretur voluntas; & hoc non; quia vnio non subiectatur in voluntate; vel quia habet annexum aliquod incompatibile cum peccato, v. g. visionem beatam; & hoc non; quia posset assumi natura non fruens Deo; ergo idem. 2. Sententia negatiua non habet fundamentum firmum in ratione; quia in assignanda ratione est dissensus; *Vasq.* enim ait rationem ductam ex causalitate suppositi non concludere; neque in auctoritate *SS. PP*; omnes enim, qui citantur, scripserunt *cont. Apollinarem* negantem mentem humanam in humanitate; cùm enim mens humana sit vertibilis ad malum, timebat hæreticus, ne admitteret peccatum in Christo; ad quem errorem eliminandum dixerunt *SS. PP.* ex vnione humanitatis ad Verbum eximi à potestate peccandi; quod bene potest intelligi de potentia ordinaria, non absoluta; & de causalitate mediata, scilicet mediante visione; non immediatè ratione sui; ergo idem. 3. Datur de facto potentia remota ad peccandum; ergo de possibili potest dari etiam potentia proxima; nam in tantùm datur potentia remota, in quantùm voluntas creata est

est finita, & limitata; finitas autem, & limitatio nequit tolli, nisi voluntas creata destruatur; ergo supposito concursu parato ex parte Dei ad vtrunlibet resultaret potentia proxima, quæ modo est remota, quia non adest talis concursus. 4. Potentia proxima ad peccandum non est culpabilis; quia non est peccatum; stat enim simul cum gratia; ergo potest stare simul etiam cum vnione hipostatica. 5. In tantùm Christus nequit peccare, quia peccatum nequit stare simul cum vnione hipostatica; sed si in instanti peccati dissolueretur vnio, peccatum non esset simul cum vnione, quæ tolleretur; ergo saltem posset peccare dissoluta vnione.

Resp. ad 1. neg. mi. subsumptam; & ad prob. insert. dicitur, quòd etiam visio beata subiectatur in intellectu, non in voluntate, & tamen reddit voluntatem impeccabilem. Sufficit ergo, quòd subiectetur in eodem subiecto remoto, scilicet in eodem homine; quia impossibile est, quòd idem homo sit simul Filius Dei naturalis per vnionem hipostaticam, & filius Diaboli per peccatum. Ad 2. neg. ant; nam ad infirmandam aliquam rationem non sufficit negari ab aliquo non bene illam intelligente, vt illam intelligit *Vasq.* in casu; aliter etiam *Scoti* sententia esset abijcienda propter hoc; nam *Aretinus*, *& alij* illam diuersimodè explicant, & negant in sensu, quo illam *Mastr.* admittit, scilicet quòd Christus possit peccare permanente vnione. Nec verum est, quòd *SS. PP.* negauerint solùm Christum posse peccare agentes *cont. Apollinarem*; nam *S. P. August. in Enchir.* non agit contra hunc hæreticum, sed *cont. Pelagianos* asserentes gratiam ex meritis dari, & viribus naturæ posse vitari peccata; & ad hæc reprobanda ait naturam humanam nihil meruisse, vt ad gratiam vnionis perueniret, per quam gratiam facta est impeccabilis. Quòd autem nequeant intelligi tantùm de potentia ordinaria, *superiùs* dictum est. Ad 3. neg. conf. Ad prob. insert. neg. conf; nam potentia proxima non constituitur ex concursu Dei parato, sed ex actu primo peccaminoso causato in voluntate ab obiecto peccaminoso ei præsentato ab intellectu, vt *sup.* diximus. Ad 4. dist. ant. Potentia proxima peccandi non est culpabilis inchoatiuè, neg; est enim inchoatio peccati; nam actus primus est inchoatiuus actus secundi; completiuè, conc; implicat autem peccatum esse in Christo quocunque modo; quia implicat suppositum Diuinum elicere actionem inchoatiuam peccati; & ideo elicere cogitationem suadētem voluntatem ad peccatum, & repræsentantem ipsi obiectum peccaminosum prosequendum; per quod solùm voluntas cōstituitur proximè potens peccare; quia *nihil volitum, quin praecognitum*. Ad 5. dicitur Christum non posse peccare nedum, quia repugnat peccatum esse simul cum vnione hipostatica; sed etiam quia implicat actionem peccaminosam elici à supposito Diuino; sed in casu, quo dissolueretur vnio, adhuc illa actio esset elicita à supposito Diuino, vt à principio *quod*; quia non esset elicita à supposito humano, aliter non esset elicita à Christo, qui essentialiter importat suppositum Diuinum: nec esset elicita à sola natura humana; quia sicuti repugnat oculum videre sine anima, quæ videt per oculum; ita repugnat naturam agere sine supposito, quod agit per naturam. Præterea dicitur, quòd licèt peccatum in actu secundo non esset simul cum vnione; attamen in actu primo esset simul cum illa; quia actus primus debuit esse conceptus à Christo, vt dicit suppositum; aliter non Christus, sed sola natura humana peccaret, quod est extra quæstionem; repugnat autem actum primum peccati esse simul cum vnione hipostatica, quæ importat summam sanctitatem, qua excluditur peccatum in actu primo, & secundo; & sic eluuntur omnia ista adminicula.

18 Obijc. 3. Christus *Matth. 26.* inquit: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste*; quod dixisse per voluntatem humanam constat ex verbis sequentibus: *Veruntamen non quod ego volo, sed quod tu*; seu vt habetur *Luc. 22. Non mea voluntas, sed tua fiat*; ergo habuit voluntatem humanam proximè dispositam ad transgrediendum præceptum mortis, & ideo ad peccandum. 2. Aliter non habuisset libertatem.

Resp. S.P. *Aug. ep. 121. ad Probam cap. 14*; quòd hoc dixit ex persona hominum *humanam in se volūtatem ex hominis susceptione transformans*; non autem ex persona propria; sicut cùm *ps. 21.* inquit: *Longè à salute mea verba delictorum meorum*; idèst delictorum hominum, quæ, vt mea, suscepi delenda. Neg. igitur cons. Ad 2. *inf. art. 3.*

19 Obijc. 4. *Dur.* In casu humanitas Christi non haberet dona supernaturalia, nec existentiam Diuinam, sed propriam; ergo nihil haberet, quo impediretur peccare. 2. Quanuis Deus sit summa vita, potuit mori; ergo quanuis sit summa sanctitas, potuit peccare. 3. Licèt voluntas humana Christi peccaret, non tamen peccaret voluntas Diuina; sicut licèt voluntas humana mereatur, non tamen meretur voluntas Diuina; ergo peccatum non refunderetur in Deum. 4. Voluntas Diuina tantùm permitteret peccatum in voluntate humana; sed permittere peccatum non repugnat Deo; ergo idem. 5. Potuit Verbum assumere humanam naturam iam existentem in supposito creato, & in illo infectam peccatis; ergo post vnionem haberet illa peccata; & valeret dicere: *Hic homo peccauit*; tum quia potuisset assume-

assumere naturam humanam in eo instanti, in quo intellectus practicus dictaret voluntati aliquod peccatum practicè; sed tunc voluntas non potuisset non consentire; ergo simul fuisset peccatum cum vnione.

Resp. ad 1. neg. 2. part. ant; vt diximus *q.5.ar.3.§.2*; sed etiã transmisso neg.cons; quia impediens esset vnio, vt diximus, quæ summè sanctificaret naturam. Ad 2. dicitur, quòd nimis probat; euincit enim de facto potuisse esse peccatum etiam suppositis omnibus donis; sicut de facto fuit mors. Neg. autem cons; quia mors est malum pœnæ, quod potest esse volitum à Deo; peccatum verò est malum culpæ, quod Deo repugnat. Ad 3. dicitur, quòd licèt voluntas Diuina non peccaret, peccaret tamen suppositum Diuinum; sicut licèt voluntas Diuina non mereatur; idèst non sit principium *quo* merendi; attamen suppositũ Diuinum meretur, quia est principium *quod* meriti tribuens actioni valorem infinitum; repugnat autem nedum voluntatẽ, sed etiam suppositum Diuinum peccare. Præterea suppositum Verbi non agit per naturam humanam, vt principium *quo*, nisi vt mouens per voluntatem Diuinam; & ideo etiam voluntas Diuina moueret ad peccatum; quapropter voluntas humana in Christo subdebatur perfectè voluntati Diuinæ in omnibus suis actionibus; & per hoc ad 4. neg. ma; voluntas enim Diuina actiuè, non tantùm permissiuè mouebat voluntatem humanam. Vel dicitur, quòd licèt voluntas Diuina tantùm permitteret, suppositum tamen Diuinum actiuè eliceret peccatum, quod repugnat. Ad 5. dist. ant. Potuit Verbum assumere naturam infectam peccatis illam non mundando à peccatis, neg; ipsa enim assumptio est sanctificatio naturæ, quæ nequit esse simul cum infectione peccati. Illam mundando à peccatis, transeat. Ad 1. prob. insert. neg; quòd valeret: *Hic homo peccauit*; nam *hic homo* importat hoc suppositum, quod non esset idem. Valeret ergo: *Hæc natura sub alio supposito* peccauit; non tamen valeret: *Hic homo peccauit*; quia *hic homo* dicit Christum, qui importat suppositum Diuinum, cui repugnat peccare. Ad aliam dicitur, quòd in instanti assumptionis destrueretur iudicium practicum erroneum intellectus, & poneretur iudicium practicum oppositum; ideo voluntas non peccaret.

20 Collig. ex dictis in Christo non fuisse, nec potuisse esse fomitem peccati. Est *cont. Dur. in 3. dist. 3. quæst. 1.* putantem fomitem peccati nihil aliud esse, quàm appetitum sensitiuum; *& cont. Vasq; Lug; Arriag;* asserentes potuisse esse de potentia absoluta. Prob. tamen *ex V. Syn. ar. 8. can. 12*; vbi damnatur *Theodorus Mopsuestien.* asserẽs Christum carnis molestias passum fuisse; quod non potuisset esse, nisi per fomitem peccati, qui est concupiscentia carnis aduersus spiritum, vt eum definit *Apost.* Idem docet S. P. *Aug. in suppl. cont. Iul. lib. 1. cap. 70*; vbi ait nullam concupiscentiam, aut libidinem fuisse *in Adamo* in statu innocentiæ; *& lib. 4. cap. 48; & seqq.* vbi inquit Christum habuisse sensus, non tamen cupiditatem vitiorum; & ideo fomite caruisse, qui importat inclinationem naturæ vitiatæ ad peccatum; & rationem assignat; quia non assumpsit carnem peccati, idèst peccatis infectam, sed tantùm *in similitudinem carnis peccati*, vt docet *Apost*; quatenus assumpsit carnem mortalem, quæ est similis carni peccati, quæ per peccatum mortalis effecta est; ergo in illo non fuit, nec potuit esse fomes peccati, qui est effectus ortus ex peccato, & ad peccatum inclinat, vt docet *Trident. cum eod. S. P. August.*

21 Dices 1. Christus in omnibus fuit tentatus, vt habetur *Hebr. 2*; sed tentatio interna est per fomitem; ergo in ipso fuit fomes. 2. Habuit motum contrarium voluntati Diuinæ, quando voluit mortem fugere: *Matth. 26. Transeat à me calix iste*; ergo idem. 3. Fomes peccati non est peccatum; ergo idem.

Resp. Christum tentatum fuisse tentationibus merè externis, quæ non proueniunt ex sensuum rebellione, à qua solum ortus est fomes peccati; & ideo illæ tentationes non fuerunt effectus fomitis. Ad 2. iam dictum est *ex S. P. Aug.* illa verba dicta esse in persona hominum, non ex persona propria. Ad 3. diximus non esse peccatum, sed esse effectum peccati, quod non fuit, nec potuit esse in Christo; & ad peccatum inclinare, quod Christo repugnat.

22 Quæres, per quid extinctus fuerit fomes in Christo?

Resp. fomitem propriè non posse dici extinctum in Christo, quia nunquam fuit in ipso. Fuit autem impeditus, ne resultaret à sanctificatione substantiali, & accidentali, vt colligitur *ex Fund. Doct. dist. 3. par. 1. art. 4*; & à virtutibus moralibus in gradu heroico illi inditis, quæ habent reddere appetitum perfectè subditum rationi, vt habet *Diu. Thom. hic artic. 2.*

ART. II.

An Christo fuerit impositum præceptum propriè sumptum subeundi mortem?

1 EX difficultate concordandi Christi libertatem cum necessitate obedientiæ, seu impletionis præcepti orta ex eius impeccabilitate, occasionem excitandi hanc quæstionem, & abeundi in diuersas sententias sumpserunt Theologi.

2 Prima

2 Prima vult Christo non fuisse impositum præceptum propriè, & strictè sumptum. *Ita Lorc.hic q.19.disp.73*; vbi refert *Albertum, Dion. Carthus; Paludan; & alios*.

3 Secunda vult, quòd ei fuit impositum præceptum subeundi mortem quoad substantiam passionis, non quoad circunstantias, scilicet intensionem passionis, locum, tempus, motiuum, & finem; hæ enim circunstantiæ erant in libera potestate Christi. *Ita Vasq. hic disp.74.cap.5; Val.q.15.punct.2; Less. de prædest. Christi sect.3; Fons; Montesin; Gran; Becc; & alÿ apud nostrum Gibb.*

4 Tertia vult Christo fuisse impositum præceptum absolutum de subeunda morte, tamen relictā fuisse illi facultatē petendi pro singulis instantibus, & impetrandi dispensationē illius, qua obtenta præceptum euanesceret; & tunc posset velle non mori. *Ita Lug. disput.26. sect.8; & alÿ apud nostrum Gibb.*

5 Nostra tandem docet fuisse impositum præceptum propriè nedum quoad substātiam, sed etiam quoad circunstantias, filiale tamen, & liberale, non seruile, & coactiuum. *Ita noster Gibb. disp.20. dub.1; & omnes alÿ communiter*; qui asserunt hanc sententiam esse conformem *sacris Scripturis, & SS. PP*; vt videbimus.

6 Not, quòd præceptum rigorosè loquendo est *actus superioris inducens in subditum obligationem exequendi id, quod præcipitur; ac propterea habens pro termino correlatiuo obedientiam rigorosè sumptam*. Superior autem potest esse vel Dominus; & subditus seruus, qui potest esse vel seruus legalis emptitius, & coactus; adeoque pręceptum seruo hoc modo acceptum impositum dicitur merè seruile, ac coactiuum; quia seruus illud exequitur inuoluntariè, & coactè; vel potest esse seruus merè naturalis, qui dependet à Domino in esse, & conseruari, voluntariè tamen exequitur ipsius mandata; quanuis enim strictè teneatur illi obedire, attamen ex charitate, qua Dominum diligit, præcepta illius adimplet ita, vt si tale non esset præceptum, adhuc illa opera faceret, quia scit esse Domini voluntati conformia; & in hoc sensu præceptum dicitur voluntarium; quia illius executio voluntariè ponitur, cùm voluntas, quæ est libera ad reluctandum, reluctanterque, ac inuitò obediendum, summè voluntariè obedientiæ consentiat. Vel superior potest esse pater, qui sit maior filio, vt in humanis, in quibus pater est maior filio, & filius minor patre; ac proinde filius subiectus est patri; quia in esse, & in conseruari à patre dependet; ideoque tenetur ei obedire; quia tamen filius ex amore, quo diligit patrem, magis, quam ex motiuo obligationis, qua adstringitur, implet illius præcepta; ideo præceptum dicitur filiale, aut paternum, non inuoluntarium, & coactiuum. Tandem superior potest esse tantùm moralis præpositus, vel laicus, vel ecclesiasticus; & idem dicitur, quod de patre naturali; nam superior moralis *pater* quoque appellatur. Præterea præceptum dicitur liberale, quia imponitur libero, qui nequit per inobedientiam fieri seruus peccati; tunc verò dicitur seruile, quando imponitur ei, qui potest per transgressionem seruire peccato; de qua seruitute, & libertate dicitur *Io.8. Omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati; seruus autem non manet in domo in æternum; Filius autem manet in æternum. Si ergo Filius vos liberauerit, verè liberi eritis*. Præceptum igitur tunc dicitur merè seruile, & coactiuum, quando seruus, vel filius, aut subditus merè inuoluntariè, reluctanter, & coactè illud exequitur, aut transgreditur, & fit seruus peccati; at quando maximè voluntariè, amanter, idèst ex amoris motiuo ita illud exequitur, vt etiamsi nullum esset præceptum, eodem modo operaretur, si ei constaret talem esse Domini, aut patris, vel superioris voluntatem, contra quam nullo modo potest peccare; tunc præceptum dicitur liberale, idèst impositum libero à peccatis, voluntarium, & filiale; quia est impositum filio, *qui manet in æternum* in dilectione Patris, quia nequit peccare in Patrem, & fieri seruus peccati, & esse extra domum Patris. Non tamen ex eo sequitur non esse verum, & rigorosum pręceptum; quia datur vera subiectio voluntatis obedientis, & superioritas voluntatis præcipientis; & si per impossibile poneretur transgressio, sequeretur offensa, quæ iram Patris demereretur.

7 Sed multò magis præceptum dici debet voluntarium, quando in eadem persona vnitur voluntas præcipiens, & voluntas obediens, vt in Christo, in quo est duplex natura, & ideo duplex voluntas; tunc enim eadem est persona, quæ præcipit, & quæ obsequitur; & sicut ille dicitur liberè exequi, quæ liberè decreuit ipsemet agere; ita liberè dicitur obedire secundùm voluntatem subiectam, quæ secundùm alteram voluntatem superiorem, cuius potestati subiacet voluntas inferior, idem pręcepit.

8 Ad præceptum itaque rigorosè sumptū sufficit potestas in præcipiēte, & subiectio potestati præcipientis in eo, cui præceptum imponitur; hinc Dominus potest imponere seruo rigorosum præceptum, pater filio, & quilibet superior inferiori, non è contra; quia seruus est sub potestate Domini, filius sub potestate patris, & subditus sub potestate superioris, non è contra; quanuis seruus, filius, & subiectus agens ex motiuo summi amoris in Dominum, patrem, & superiorem dicatur liberaliter, & voluntariè obedire; & si sit perfecta obedientia, quæ semper actu duret, non possit contra præceptum delinquere, quia nequit actum

actum inobedientiæ componere. *Hoc not.*

9 Vnica concl. Christo fuit impositum rigorosum, & proprium præceptum subeundi mortem nedum quoad substantiam, sed etiam circunstantias passionis; non tamen fuit præceptum seruile, & coactiuum, sed paternum, liberale, ac voluntarium ex parte Christi obedientis; quanuis non fuerit in eius facultate petendi dispensationem.

Prob. 1. pars concl. *ex Deut.* 18. *Loquetur, quæ præcepero ei*; *& psal.* 19. *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam*; quibus in locis sermonem esse de Christo testantur *Interpretes*; *& Io.* 10. *Hoc mandatum accepi à Patre meo*; *&* 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*; *&* 15. *Ego Patris mei præcepta seruaui*; *& ex omnibus alijs textibus*, in quibus habetur Christum obedijsse Patri; obedientia enim supponit essentialiter præceptum; ex quibus sic. 1. *Textus sacræ Scripturæ* debent accipi in sensu stricto, rigoroso, & literali, nisi obstent alij oppositi, & nisi sequatur aliquod inconueniens; tunc enim mysticè interpretari illos debemus, vt docet *S.P. Aug*; aliter omnis sensus proprius, & literalis posset negari; & sicut posset dici in allegatis *textibus* sermonem esse de præcepto impropriè sumpto; ita in illis, in quibus agitur de morte Christi, posset dici sermonem esse de morte allegoricè sumpta, quod fidem euerteret; sed *in Scripturis* habentur *textus*, in quibus dicitur Christo fuisse impositum præceptum de subeunda morte, & nõ habentur *textus* oppositi, nec sequitur aliquod inconueniens; non enim inconuenit, sed maximè conuenit Christo, vt homini, esse Dei potestati subiectum, & esse Deo inferiorem, vt habetur *in Symb. D. Athan*; ergo Christo, vt homini, fuit impositum rigorosum præceptum, de subeunda mortem. 2. Redarguitur *Aduersariorum* doctrina. In tantùm Christo non fuisset impositum rigorosum præceptum, in quantùm erat in illius libertate mori, & nõ mori; vt colligitur *Io.* 10; vbi Christus ait se habuisse potestatem ponendi animam suam, & iterum sumendi eam; *Potestatem habeo ponendi eam; & potestatem habeo iterum sumendi eam*; super quod S. P. *Aug. tract.* 119. *in Io.* inquit: *Quis ita dormit, quando voluerit; sicut Iesus mortuus est, quando voluit*; quod autem positum fuit in libertate Christi, non fuit ipsi præceptum propriè loquendo; aliter eius transgressio fuisset in eius potestate, & sic potuisset peccare; sed hæc ratio oppositum concludit; cùm enim ait *Scriptura* mortem fuisse in potestate libera Christi, procul dubio intelligenda est de Christo, vt Deus est; sub cuius potestate erat decernere, & non decernere Christi mortem, & resurrectionem; vt exponit *S. P. Aug. tract.* 48. asserens: *Nemo ergo titubet, quando audit Dominum dixisse: Pono animam meam, & iterum sumo eam: Ponit eam caro, sed ex potestate Verbi*; *sumit eam caro, sed ex potestate Verbi*; sicut enim non est in potestate hominis resurgere à mortuis, ita nec in eius erat potestate mori, & non mori, cùm vellet; quod autem est in potestate Dei, & vt sic fiat, homini imponitur, à Deo rigorosè præcipitur; præceptum nanque importat tantùm potestatem in præcipiente, & subiectionem in eo, cui imponitur, vt dictum est; ergo *ex hoc textu* colligitur expressè fuisse Christo impositum rigorosum præceptum. 3. *Adæ* inobedientia fuit contra rigorosum præceptum; aliter non fuisset peccatum, quod est transgressio præcepti rigorosè sumpti, transgressio enim consilij non est peccatum; sed Christi obedientia fuit totaliter opposita *Adæ* inobedientiæ; quia illa hanc sustulit, *quodlibet* autem *tollitur per suum oppositum*; & nihil totaliter tollitur, nisi per totaliter oppositum; hinc *S.P. Aug. serm.* 25. *de temp.* loquens *cum Adam* ait: *Tu in latissimo fructuosorum nemorum prædio te perdidisti obedientiam negligendo*; *ille obediens in angustissimum diuersorium mortalis venit, vt mortuum quæreret moriendo*; ergo Christi obedientia fuit iuxta rigorosum præceptum; nam obedientia, quæ est iuxta consilium, non opponitur inobedientiæ, quæ est contra rigorosum præceptum; propositiones enim oppositæ debent habere idem subiectum, & prædicatum, quia debent esse de eodem, vt docent *Logiculi*. 4. Vbi datur vera filiatio, ibi datur vera paternitas; quia filiatio est correlatiuum paternitatis; & relatiua sunt simul; sed vera obedientia est correlatiuum veri præcepti, vt dictum est; inquit enim *S.P. Aug. lib.* 14. *de Ciu. Dei cap.* 12. *Obedientia commendata est in præcepto*; ergo vbi datur vera obedientia, ibi datur verum præceptum. At in Christo fuit vera obedientia, vt docet fides *cum Apost. Philipp.* 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem*; aliter nec fuisset in ipso vera humilitas, quæ per obedientiam habetur, & sic tolleretur meritum ipsius; ergo ipsi fuit impositum rigorosum præceptum. 5. Obseruantia præcepti rigorosè sumpti est signum dilectionis Dei; dicitur enim *Io.* 15. *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea*; super quod *S.P. Aug. tract.* 82. ait, quòd cùm Christus protulit hæc verba; *Ostendit, non vnde dilectio generatur, sed vnde monstretur &c; hoc est hinc apparebit, quòd in dilectione mea manebitis, si præcepta mea seruaueritis*; sed in Christo fuit summa Dei dilectio, quia in eo fuit plenitudo charitatis; ergo fuit obseruantia præcepti rigorosè sumpti. 6. Præceptum à Patre impositum Christo fuit eiusdem rationis cum præceptis à Christo nobis impositis; habetur enim *ibid. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea*; *sicut ergo Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione*; & ideo sicut ad hoc,

hoc, vt Christus maneret in dilectione, qua diligebatur à Patre, ei necesse fuit seruare illius præcepta; ita ad hoc, vt nos diligamur ab eo, necesse est illius præcepta seruare; sed præcepta nobis imposita sunt rigorosè accipienda, aliter eorum transgressio nos non priuaret gratia, & amicitia Dei, non enim esset peccatum; ergo & præceptum impositum Christo; aliter obseruantia illius non fuisset necessaria ad hoc, vt permanenter diligeretur à Patre; sicut est necessaria, vt nos perseueranter diligamur ab ipso; & sic nulla esset paritas adducta *in hoc textu*; ergo sicuti sunt rigorosa præcepta nobis imposita, quia illorum obseruantia est effectus dilectionis Dei; & inobseruantia amicitiam Dei rescindit; ita fuit rigorosum Christi præceptum, quia obseruantia illius fuit effectus amoris Patris; & si per impossibile illud fuisset transgressum, Patris amisisset amorem.

10 Prob. 2. pars concl. *ex Philipp. 2. Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis; & Luc. 22. Filius hominis, sicut definitum est, vadit; & Io. 7. Nondum venit hora eius*; sed crux, locus, & tempus sunt circunstantiæ mortis Christi; ergo Christo fuit impositum præceptum rigorosum quoad substantiam, & circunstantias mortis; fuit enim ei præceptum, vt obediret in omnibus statutis, & definitis à Patre; sed substantia, & circunstantiæ mortis fuerunt statutæ, & definitæ à Patre; vt colligitur ex allatis *textibus*; ergo substantia, & circunstantiæ mortis fuerunt ei præceptæ. 2. Si circunstantiæ non fuissent Christo præceptæ, quoad illas non fuisset obediens; obedientia enim correspondet præcepto, vt diximus; sed consé est falsum; ergo & ant. 3. Præceptum non tollit libertatem, sed perficit; nam vt dictum est, præceptum paternum, quod cum summo amore adimpletur, maximè voluntariè executioni mandatur; quantò enim magis amanter aliquod fit, magis voluntariè fit; quia amor est actus voluntatis, qui voluntarietatem importat; ergo præcepta fuit mors etiam quoad circunstantias; in tantùm enim negatur *ad Aduersarijs*, in quantùm falsò putant præceptum libertatem adimere; *sed de hoc in seq. art.* Tandem Christus meruit nedum quoad circunstantias, sed etiam quoad substantiam mortis; sed meruit adimplendo præceptum; ergo idem.

11 Præterea reijcitur *Lug.* Dispensatio præcepti iam actu existentis est irreducibilis ad actum; quia Deus nequit mutari de volitione in nolitionem etiam de potentia absoluta; ergo facultas petendi dispensationem omnino otiosa fuisset in Christo. 2. *Matth. 26. Pater, si possibile est, transeat à me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*; ex quo deducitur Christum habuisse voluntatem humanam prorsus addictam voluntati Diuinæ; sed voluntas cum facultate petendi dispensationem non est prorsus addicta voluntati præcipienti impletionem, non dispensationem; ergo non habuit hanc facultatem. 3. Christus non potuit rogare, vt tolleretur ab eius voluntate actus obedientiæ infusus in primo instanti suæ conceptionis, & durans vsque ad mortem; priuatio enim illius actus esset magna imperfectio in Christo, quia esset carentia summæ perfectionis, quā debet habere quælibet voluntas Deo perfectè subiecta; sed dispensatio à præcepto mortis necessariò exigit carentiam obedientiæ impletionis præcepti; aliter simul voluisset, & noluisset obedire; ergo non potuit rogare dispensationem. Tandem libertas optimè cohæret cum præcepto, vt *in seq. art*; ergo frustra recurritur ad aliud.

12 Prob. 3. pars concl. *ex S. P. Aug. in sent. decerpt. sent. 257. Mandatum Dei, si timore potiùs pœna, quàm amore iustitiæ fit, seruiliter, non liberaliter fit, & ideo non fit*. Ex quo sic. Præceptum coactiuum, & seruile imponitur tantùm seruo legali potenti non obedire etiam supposito præcepto; præceptum verò liberale, & paternum imponitur filio amanti obedire, & implere Patris mandata; & ideo non potenti nolle obedire, quia non potest simul coniungere velle, & nolle obedientiam; sed Christus non fuit seruus legalis potens non obedire supposito præcepto, quia habuit constantissimum actū obedientiæ à primo instanti vsque ad vltimum vitæ; & ideo fuit Filius amans obedire Patris mandatis; ergo præceptum ei impositum non fuit coactiuum, & seruile, sed liberale, & paternum; atque adeo ipsi summè voluntarium. 2. Christus, vt homo, voluit ea, quæ voluit, vt Deus; quia voluntas humana fuit omnino conformis in volendo voluntati Diuinæ; vt patet ex illo: *Oblatus est, quia ipse voluit*; sed præceptum mortis fuit Deo voluntarium; ergo & Christo, vt homini.

13 Obijc. 1. Præceptum *in Scriptura* aliquando sumitur pro permissione, vt 1. *Reg. 16. Dominus enim præcepit ei, vt malediceret*; aliquando pro consilio; *vt Matt. 19. Cùm iussisset turbam discumbere*; ergo nō semper rigorosè est accipiendum. 2. *SS. PP.* expresè negant præceptum fuisse impositum Christo; vt *Chrisost. hom. 59. in Io; & hom. 75; Basil. lib. de Spiritu Sancto c. 8; Cyrill. lib. 10. in Io. c. 20; Anselm. de mediatione redemptionis c. 3; & 4; Theophylact. in Io. 14; Euthym. in Io. 20. & alij*; ergo non fuit rigorosum præceptum. 3. Si Christus habuisset præceptum rigorosum moriendi determinatum etiam quoad circunstantiam temporis, non potuisset mori, quando voluit; sed consé est *cont. S. P. Aug. vbisi*; ergo & ant.

Resp. ad 1. neg. cons; quamuis enim præceptum aliquando significet permissionem, vt *in textu* allato, qui nequit intelligi de præcepto rigo-

rigoroso, quia præceptum rigorosum est actus, quo Deus vult positiuè aliquid, non potest autem positiuè velle maledictionem, quæ est mala moraliter, ideo necessariò accipiendum est *præcipit* pro *permisit*; & aliquando significet consilium; attamen in præsenti nequit sic accipi; quia mortem pati propter iustitiam non est malum moraliter; sed bonum, & meritorium; & ideo circa ipsum nō cadit permissio; nec est opus supererogationis ad id, quod debebat offerre Patri pro hominum redemptione, sed est pretium necessariò soluendum, sine quo homines non essent liberati à captiuitate peccati secundùm præsens decretum, quo voluit Deus hominem redimi per mortem Christi, vt docent *Scripturæ*; & ideo circa illud non cadit consilium, sed præceptum strictè sumptum. Licèt ergo aliquando cogamur sumere aliqua verba *Scripturæ* in sensu allegorico, ne admittamus aliquod inconueniens, quod sequeretur in sensu proprio, & rigoroso; attamen admittere cogimur sensum proprium, & rigorosum, quando nullum sequitur inconueniens, imò ex illius negatione sequerentur multa inconuenientia; vt in casu, in quo sequeretur etiam mortem, obedientiam, humilitatem strictè intelligenda non esse, quod est contra fidem. Tandem sumi possunt *textus* in sensu tantùm improprio; quando *Scriptura* non exprimit sensum literalem; in casu autem sensus literalis apertè colligitur *ex Scriptura*, vt diximus. Ad 2. dicitur *aliquos SS. PP.* nihil aliud velle, quàm Christo, vt est Verbum Diuinum, non fuisse impositum præceptum; quia Verbum Diuinum non est inferius Patre, sed est præcipiens vnà cum Patre; non autem non fuisse ei impositum, vt homo est; quia sic est Patre minor, & ei subiectus. *Alij* verò nihil aliud intendunt, quàm Christo non fuisse impositum præceptum seruile, & coactiuum à Christo inuitè adimpletum; summè enim amanter, & liberè mori voluit, vt docet *S. P. vbis.* Ad 3. neg. mai. præceptum enim inspirans actum obedientiæ non cogit voluntatem, sed facit ex nolente volentem liberè, vt *in seq. art.* dicemus. Præterea dicimus Christum mortuum fuisse, quando voluit per voluntatem Diuinam, sicut à mortuis surrexit per eandem voluntatem; quia tamen voluntas humana fuit semper conformis voluntati Diuinæ, & ideo voluntas humana voluit, quidquid voluit Diuina; dici potest, quòd mortuus est, quando voluit etiam per voluntatem humanam, quæ approbauit, quidquid voluit voluntas Diuina, iuxta illud: *Non mea voluntas, sed tua fiat*; & ideo voluit, approbatio enim est volitio.

14 Obijc. 2. Perfectior obedientia est, quando quis cognita voluntate superioris illam adimplet nullo expectato præcepto; quàm quæ supponit præceptum; ideo opera consilij sunt perfectiora, quàm opera præcepti; sed in Christo est ponenda perfecta obedientia; ergo nullum est concedendum rigorosum præceptū. 2. Christus non fuit capax voti, quia habuit voluntatem firmatam in bono; ergo neque præcepti. 3. In casu vel Christus potuisset transgredi tale preceptum, & sic non fuisset impeccabilis; vel læderetur libertas, & sic tolleretur meritum; ergo idem.

Resp. ad 1. non esse propriè obedientiam, vbi non adest verum præceptum; sicut non est vera filiatio, quæ non respicit veram paternitatem. Præterea dicitur opus bonum factum sine præcepto tunc esse perfectius, quàm opus factum ex præcepto; quando voluntas eliciens illud opus ita expectat præceptum, vt si non ponatur, illud non eliciat, quamuis ei constet tale opus esse iuxta voluntatem superioris; non autem quando voluntas nequit cognoscere voluntatem *superioris, nisi per præceptum*; & supposito præcepto ita vult obedire, vt si ei posset innotescere voluntas superioris etiam ante præceptum, illud eliceret; sic autem fuit voluntas in Christo; in qua debuit esse actus obedientiæ, quo formaliter caruisset, si non fuisset præceptum; & habuisset solùm actum reuerentiæ, quo præueniret præceptum; adeoque in Christo, in quo fuit omnis actus meritorius, debuit esse actus reuerentiæ, quo voluit implere voluntatem Diuinam etiam præscindendo à præcepto; & actus obedientiæ, quo impleuit præceptum; actus autem, qui inuoluit duplicem bonitatem, est perfectior, quàm qui vna tantùm bonitate honestatur; & ideo oppositum concluditur. Ad 2. *Sua* negat ant; nam illud *psal.* 21. *Vota mea Domino reddam*; *Glos.* exponit de Christo; & nullum videtur inconueniens, propter quod sit negandum Christo non potuisse mouere. At *D. Tho.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 4. *ad* 3. concedit ant; nam Christus, vt homo, habuit voluntatem firmatam in bono, ideo non potuit vouere; quia vouere habet pro obiecto firmationem voluntatis in bono; implicat autem dari actum sine obiecto. At præceptum habet pro obiecto obedientiam, quæ cùm Christo non repugnet, ideo non incongruit ei præceptum. Ad 3. dicitur, quòd non potuit transgredi, nec læsa fuit eius libertas, quia præceptum infudit actum perfectissimum obedientiæ, cum quo non potuit transgressionem componere, quia non potuit omissionem coniungere, per quam solùm transgredi potest præceptum; nec actus obedientiæ lædit libertatem, quia est actus inueniens voluntatem in sua pura indifferentia, illamque determinans, & perficiens; vt *in seq. art.*

15 Quæres; an præceptum subeundi mortem fuerit naturale, vel positiuum?

Respondent *Vvading*; *& alij* fuisse positiuum, & dispensabile, quòd etiam tenetur assererere

rere *Lug.* Noster tamen *Bernardin; Gibb; Sua; & alij* volunt fuisse naturale, & indispensabile eo, quia lege charitatis tenebatur Christus offerre suam vitam corporalem pro salute spirituali totius generis humani, quæ aliter reparari non poterat supposito Diuino decreto, quo Deus voluit, vt per mortem illius satisfieret Diuinæ iustitiæ.

16 Dices 1. Vita temporalis Christi propter vnionem ad Verbum erat bonum excellentioris ordinis, quàm salus totius generis humani;sed lege naturali prohibemur postponere bona excellentiora inferioribus; ergo hoc præceptum non fuit naturale. 2. Lege charitatis nemo tenetur exponere se morti, aut periculo mortis, imò nec etiam mutilationi alicuius membri propter salutem spiritualem alterius; ergo ratio ruit.

Resp. ad 1. dist. ma. Erat bonum aliquando finiendum, vel per mortem, vel per translationem, conc; nunquam finiendum, neg. Non dicitur autem anteponi salus hominum vitę temporali Christi eo, quia Christus voluit vitam morte finire, vt hominibus salutem acquireret, sed tantùm illam obtulisse, tanquam pretium superexcellens; & ideo tanquam bonum excellentius illam obtulit, & prætulit. Ad 2. neg. cons; nam mors vnius puri hominis non est remedium institutum pro salute spirituali alterius; at mors Christi fuit præcepta, vt remedium vnicum salutis; charitas autem præcipit, vt offeratur remedium; ideo non est paritas.

ART. III.

An cum impeccabilitate concordat libertas?

1 HÆc difficultas, quam insuperabilem, & insolubilem *aliqui* vocant, nullius ferè ponderis est, si rectè explicetur iuxta ea, quæ diximus *to. 2. de Scient. Dei q. 4. art. 1. §. 2; 3; & 4; & de Præd. q. 2. art. 4; & to. 4. de Grat. q. 2. art. 2. §. 2; & alibi;* aliter autem explicata in sententias parum consonas veritati coegit abire.

2 Omissis sententijs *Vasq; & Lugo*, quas reiecimus *in sup. art; alij* dixerunt Christum habuisse tantùm libertatem à coactione, non verò à necessitate. Sed hoc reiecimus *to. 2. de Vol. Dei q. 2. art. 1. §. 1. à nu. 10;* nam talem libertatem habent Pater, & Filius spirantes Spiritum Sanctum, & Beati amantes Deum; & tamen amor Dei, & Beatorum non est meritorius; ergo hæc libertas non sufficit ad meritum; sed in Christo est constituenda libertas, quæ sufficiat ad meritum, quia summè meruit obediendo Patris præcepto; ergo vltra libertatem à coactione est admittenda libertas à necessitate. *Vid. vbis.*

Mag. Frideric. Nic. Gauardi Tom. 5.

3 *Alij* dixerunt necessitatem præcepti componi cum libertate, quia talis necessitas non fuit antecedens, sed consequens libertatem eo; quia Christus liberè postulauit à Patre sibi imponi tale præceptum, & liberè illud acceptauit. *Ita Cabr; & alij.*

4 Sed quanuis verum sit necessitatem adimpletionis præcepti esse consequentem; hic modus tamen explicandi consequentiam necessitatis est ineptus. 1. Quia non colligitur *ex Scripturis,* sed potiùs habetur oppositum; nam *Luc. 22.* dicitur: *Non mea voluntas, sed tua fiat; & Matth. 26. Non sicut ego volo, sed sicut tu;* Si autem Christus postulasset præceptum moriendi per voluntatem humanam, per eandem non potuisset velle illud auferri dicens: *Transeat à me calix iste;* quia eius voluntas fuit semper in bono firmata; & actus, quo postulasset, semper durasset; cum quo tamen erat incompossibilis actus volendi executionem præcepti; aliter simul voluisset, & noluisset; simul postulasset imponi, & non imponi præceptum; vel saltem postquam postulasset, vt imponeretur, postulasset, vt auferretur; & sic per secundum actum postulatiuum retractasset primum; quod est inconueniens. 2. *Io. 3. Sic Deus dilexit Mundum, vt Filium suum vnigenitum daret;* ex quo sic. Quod est effectus solius summi amoris, quo Deus dilexit homines, non supponit aliquam postulationem precatoriam; aliter non esset effectus solius amoris, sed etiam precum id postulantium; sed præceptum moriendi in Christo est effectus solius summi amoris, quo Deus dilexit homines, vt habetur *ex textu* allato; ergo non supponit postulationem precatoriam; aliter non esset effectus solius amoris Diuini, quo Deus diligit homines, sed etiam amoris creati, quo Christus per voluntatem creatam postulasset sibi imponi præceptum moriendi pro hominum salute. 3. In eo signo, in quo Deus decreuit Verbum incarnari, habuit actum præcepti, quo ei præscripsit mortem pro salute omnium hominum; voluntas enim Diuina non potuit manere suspensa ab aliquo actu, vt illum poneret in tempore; aliter ille actus esset temporaneus, non æternus, quod implicat; vt diximus *to. 2. de Vol. Dei q. 2. art 4;* ergo actum præcepti non potuit pręcedere actus creatus voluntatis humanæ Christi, qui non potuit esse nisi in tempore, quia Christus solùm in tempore extitit, & eius voluntas non potuit existere, antequam existeret ipse; aliter creatum, & temporaneum præcederet increatum æternum, quod repugnat. Atqui postulatio Christi est actus voluntatis creatæ; quia solùm, vt homo, non vt Deus, potuit postulare, & orare; ergo Christus non potuit postulare præceptum. 4. Christus nedum fuit liber per ordinem ad obediendum præcepto mortis, sed etiam per ordinem ad seruan-

seruanda præcepta naturalia; sed ad saluandam libertatem per ordinem ad præcepta naturalia cum eius impeccabilitate non fuit necesse, vt illa postularet; illud enim solùm postulatur, quod liberè fit, præcepta autem naturalia necessariò sunt imposita, non liberè; ergo neque ad saluandam libertatem per ordinem ad mortis præceptum est necesse recurrere ad postulationem præuiam ad ipsum præceptum.

5 *Gonet hic disp.* 21. *art.* 3. §. 3. ait, *quòd adhoc, vt Christus non obstante sua impeccabilitate liberè dicatur mortuus, non est necesse, imò implicat facta suppositione ipsius omnimoda impeccabilitatis, quòd potuerit coniungere negationem mortis, siue hoc, quod est velle non mori, cum præcepto obligante ad mortem; sed sufficit, quòd volendo actualiter mortem sibi præceptam, habuerit simul, & retinuerit potentiam ad negationem mortis diuisim à præcepto ponendam*. Hanc sententiam ait esse communem *Thomistis*. Eam sequitur *noster Gibb; & plurimi alij*.

6 At quanuis doctrina de sensu diuiso, & composito rectè saluet licertatem cum impeccabilitate; iste tamen modus illam explicandi insufficiens videtur. 1. Incompossibilitas, quę habetur in sensu composito, & compossibilitas, quæ habetur in sensu diuiso, non attenditur præcisè pęnes compositionem non mortis cum præcepto, aut pęnes diuisionem præcepti à non morte; præceptum enim secundùm se pręcisè non est incompossibile cum negatione actus præcepti; aliter nullus posset peccare contra præceptum, quod est manifestè falsum; nos enim quotidie contra Dei præcepta peccamus; & ratio est, quia actus præcepti est in voluntate Dei præcipientis; nolitio verò obedientiæ est in voluntate creata, ad quam ordinatur præceptum; respectu autem diuersorum subiectorum nec potest esse oppositio, quę debet esse de eodem respectu eiusdem; nec incompossibilitas, quæ dicit non positionem duorum simul in eodem subiecto, vt constat; ergo incompossibilitas, quæ attenditur pęnes sensum compositum, non potest explicari per ordinem ad compositionem præcepti præcisè, & secundùm se sumpti cum negatione actus præcepti; & ideo nisi aliquod superaddatur præcepto, per quod fiat incompossibilis negatio actus præcepti, nulla poterit haberi incompossibilitas. 2. Præceptum, quod antecedenter ad actum determinat voluntatem ad actum obedientiæ irresistibiliter, est coactiuum libertatis; infert enim necessitatem antecedentem, quæ dicitur antecedens eo, quia præcedit ipsum actum, cuius solius est determinare libertatem absque læsione, sed cum perfectione ipsius; at præceptum secundùm se præciso actu obedientiæ antecedit ipsum actum obedientię; ergo inferēdo necessitatem obedientię cogeret libertatem. Relicto igitur hoc modo explicādi.

7 Nostra sententia docet ineuitabilitatem præcepti componi cum libertate Christi; nam Christus non potuit velle non mori in sensu composito eo, quia præceptum inspirauit ipsum actum obedientiæ in eius voluntatem in primo instanti suæ conceptionis, qui durauit vsque ad vltimum suæ vitæ instans, fuit enim actus perfectissimæ obedientiæ, de cuius ratione est semper durare; nam actus, qui statim euolat, est imperfectissimus ob suam inconsistentiam in esse, à quo sumitur perfectio; quoniam autem cum actu incompossibilis est priuatio actus, quia esse, & non esse priuatiuè opponuntur; ideo in sensu composito non potuit Christus velle non mori; potuit tamen in sensu diuiso, quia si Christus actum perfectissimum obedientiæ non habuisset, non fuisset præceptum inferens efficaciter actum, & ideo potuisset velle non mori; illa tamen volitio non fuisset peccatum, *quia non esset contra præceptum*. Non potuit ergo Christus nolle mori; quia supposito præcepto inferente efficaciter actum habuit actum perfectissimæ obedientiæ, qui non lædit libertatem, sed perficit, quia inuenit voluntatem in sua pura indifferentia, & determinat ad obediendum; determinatio autem, quæ habetur ab actu, non lædit libertatem, vt est per se notum, aliter nullus daretur actus liber. Nec perfectio actus, quæ facit non posse ponere oppositum actu, lædit libertatem; quia posse proximè peccare non est perfectio, sed defectus libertatis, est enim posse deficere ab actu bono; vt docet *Fund. Doct. in* 2. *dist.* 25. *art.* 6. *dub.* 8. *lit*; peccare etenim importat formaliter seruire peccato, seruitus autem libertati opponitur; vt colligitur *ex Io.* 8. *Si vos Filius liberauerit, tunc verè liberi eritis*; & *Rom.* 6. *Cùm essetis serui peccati, liberi facti fuistis iustitiæ*. Hanc sententiam docent *omnes nostri*, & quos citauimus *to.* 2. *vbis.*

8 Vnica concl. Cum impeccabilitate, & præcepto Christi rectè componitur eius libertas ex eo, quòd ineuitabilitas actus ab ipso actu libero obedientiæ perfectæ proueniat.

Prob. 1. *ex Philipp.* 2. *Formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo; humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem*. Ex quibus verbis manifestè habetur, quòd in instanti incarnationis, in quo Verbum factum est homo, fuit factum obediens, & ideo habuit infusum actum obedientiæ, qui durauit vsque ad mortem, quia fuit perfectissimus, cum quo fuit incompossibilis transgressio præcepti. Hinc *S.P. Aug. de præd. SS. c.* 15. loquens de Christo ait: *An ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tantò magis, quantò magis non poterat seruire peccato?* Subdit autem *Fund. Doct. in* 2. *vbis*; quòd posse amittere actum liberum bonum, quem de facto habet libertas, prouenit ex imperfectione,

ne, non ex perfectione voluntatis; quia posse amittere actum est posse amittere perfectionẽ, cùm actus sit perfectio potentiæ, vt constat; posse autem amittere perfectionem est magna imperfectio, sicut illam acquirere perfectio est. Arguitur autem sic. Necessitas, & determinatio voluntatis, quæ prouenit ab actu libero informante ipsam voluntatem, non tollit, sed componitur cum libertate eiusdem voluntatis; sed impeccabilitas Christi, seu ineuitabilitas præcepti proximè oritur ex necessitate, & determinatione voluntatis, quæ prouenit ab actu libero infuso obedientiæ informante ipsam voluntatem; ergo impeccabilitas Christi, seu ineuitabilitas præcepti non tollit, sed componitur cum libertate. Ma. est per se nota; nam si determinatio, & necessitas, quæ prouenit actu, læderet libertatem, nullus esset actus liber; quia *res ex eo, quòd actu est, necesse est esse*; vt habet *Phil*; ideo actus liber ex eo, quòd actu est, induit necessitatem; & si hæc necessitas læderet libertatem, nullus esset actus liber; quia omnis actus esset necessarius; & sic actus liber, qui est perfectio potentię liberæ, ipsam nõ perficeret, sed destrueret. Mi prob. In tantùm Christus non potuit esse inobediens præcepto; quia in primo instanti suæ conceptionis, in quo sumpsit carnem, *fuit factus obediens vsque ad mortem*, vt docet *Apost*; quod non esset verum, si actus obedientiæ non durasset à primo vsque ad vltimum vitæ instans; cum actu autem obedientiæ non potuit coniungere actum inobedientiæ, & peccare; impossibilis enim simpliciter est simultanea priuationis, & formæ existentia, vt notum est; ergo impeccabilitas Christi orta est proximè ex necessitate actus liberi, quo voluit obedire præcepto.

9 Conf. Sola necessitas consequens cum libertate componitur, vt *communiter* dicitur; sed sola ineuitabilitas, quæ sumitur ex necessitate actus liberi, importat necessitatem consequentem; quia necessitas, quæ non sumitur ex ipso actu, antecedit actum, adeoque est antecedens, non consequens; ergo sola ineuitabilitas, quæ sumitur ex necessitate actus, cum libertate componitur; ergo impeccabilitas proxima Christi, quia oritur ex actu libero obedientiæ perfectæ, tantùm cum eius libertate componitur.

10 Deinde actus liber obedientiæ reddit ipsam voluntatem impeccabilem contra præceptum pro eo tempore, quo est in voluntate; quia voluntas non potest simul ponere actum obedientiæ, & inobedientiæ, cùm priuatiuè opponantur; ergo continuatio, seu duratio actus à primo instanti vsque ad vltimum vitæ reddit voluntatem proximè impeccabilem pro toto tempore vitæ; duratio enim actus importat existentiam actus, cum qua nequit componi illius priuatio. Atqui duratio, seu continuatio actus est perfectio eiusdem; nam quo magis intensus est actus, eo magis durat, vt patet de calore; actus autem intensissimus semper durat, & ideo est perfectissimus; quia maior intensio maiorem perfectionem significat, cùm sit magis radicatus; maior autem perfectio actus liberi non tollit essentiam illius, sed magis perfectam reddit; ergo duratio, seu cõtinuatio actus liberi à primo vsque ad vltimum vitæ instans cum libertate componitur.

11 Præterea posse desistere ab actu, quem voluntas semel liberè elegit, est defectus, non perfectio libertatis; nam vt arguit *S.P. August. lib. 22. de Ciu. Dei c. 30.* asserens: *Certè Deus ipse, nunquid quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est*; & ex eo *Fund. Doct. in 2. vbi s.* si posse desistere ab actu, quem semel elicuit, esset perfectio, non defectus libertatis; sequeretur, quòd in Deo, qui nequit retractare actum liberum, quem semel elicuit, quia nequit velle, quod noluit, esset defectuosa, non perfecta libertas; maxima autem blasphæmia est ponere in Deo defectũ, & tollere ab eo perfectionem; ideo dicendum, quòd posse desistere ab actu, quem voluntas semel elegit, est defectus, non perfectio libertatis; ergo non posse desistere, sed semper durare, & sistere in actu bono, quem voluntas liberè semel elegit, est perfectio, non defectus libertatis; quia non amittere perfectionem, quam habet, perfectio est; sicut illa spoliari, est imperfectio; est enim carere perfectione, quod est imperfectionem recipere. Atqui cum duratione, & consistentia actus obedientię est incompossibilis actus inobedientiæ, qui obedientiæ priuatiuè opponitur; & per consequẽs est incompossibilis potentia proxima peccandi contra præceptum, ex qua incompossibilitate impeccabilitas proxima cõsurgit, ergo impeccabilitas optimè cũ libertate componitur; quia impeccabilitas dicit solam incompossibilitatem actus inobedientiæ cum actu obedientiæ continuatam pro toto tempore vitæ; hæc autem incompossibilitas non tollit, sed componitur cum libertate, vt constat. *Vid. to. 2. vbi s.*

12 Obijc. 1. *Lug.* illud *Matth. 26. An putas, quia non possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum? & Isaiæ 53. Oblatus est, quia ipse voluit; & Io. 10. Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso*; ergo in ipsius erat liberrate rogare dispensationem à præcepto.

Resp. ad 1. Christum habuisse potentiam rogandi Patrem, vt legiones Angelorum eius defensioni exhiberet, non tamen actu efficaciter potuisse rogare eo, quia habebat actum obedientiæ, cùm quo erat incompossibilis talis postulatio efficax; quod apertè declarant verba sequentia: *Quomodò ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri*? Idẽst quomodò implebitur

bitur voluntas Patris *in Scripturis* expressa, qua Pater pręcepit sic fieri immutabiliter, cui voluntati factus sum obediens à principio incarnationis vsque ad mortem? Etenim cùm quis liberè vult aliquod actu, habet vtique potentiam ad volendum oppositum; quia ex eo, quòd voluntas per actum determinetur ad vnum, non destruitur potentia ad oppositum, aliter destrueretur libertas, quæ essentialiter constituitur per esse ad hoc, & ad oppositum; non tamen potest voluntas ponere simul oppositum, quia forma, & priuatio simul esse non possunt. Vel dicitur, quòd sicuti cùm dixit: *Transeat à me calix iste*; loquebatur ex persona hominis infirmi, quam in se ipso transformauerat, vt *cum S. P. August.* diximus *art.* 1. *n.* 18; subiecit tamen: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*; ad ostendendum, quòd licèt voluntas humana secundùm se fugeret passiones; attamen conformanda est cum voluntate Diuina, quæ vult homines patiendo gloriam acquirere; ita cùm dixit: *Non possum rogare Patrem &c.* loquebatur ex persona hominum, qui optant à pœnis liberari; attamen subiunxit: *Quomodò implebuntur Scripturæ &c.* vt hominibus ostenderet, quòd licèt possint Deum rogare, vt eos à pœnis eripiat, debere tamen se conformare voluntati Dei, quæ vult eos pati, & *ita intrare in gloriam suam*. Ad alios *duos textus*, vel dicitur *cum S. P. Aug. in sup. art. n.* 9. intelligi debere de voluntate Verbi, seu de voluntate Diuina, quia in eius potestate solùm erat iterum sumere animam. Vel dicitur intelligi de voluntate humana, quæ maximè liberè, & voluntariè, ac amanter voluit obedire voluntati Diuinæ; quia tamen talis volitio, vtpotè perfectissima, durauit vsq; ad mortem; ideo simul cum illa non potuit ponere nolitionem oppositam.

13 Obijc. 2. *Gibb.* Quamuis puri homines possint coniungere actum inobedientiæ cum præcepto, quia habent potentiam proximam peccandi; attamen Christus, qui ratione vnionis hipostaticæ, & ratione visionis beatæ fuit impeccabilis, vt diximus *art.* 1; non potuit coniungere inobedientiam cum præcepto; ergo incompossibilitas sumitur nedum respectu actus cum non actu, sed etiam respectu non actus cum præcepto. 2. Si Christus non habuisset actum obedientiæ infusum in primo instanti, adhuc non potuisset componere inobedientiam cum præcepto; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. 2. part. ant. Non potuit coniungere inobedientiam cum præcepto ratione ipsius præcepti pręcisè sumpti, neg; ratione vnionis hipostaticæ, vel visionis beatæ, conc. Si enim præceptum ex sua ratione formali esset incompossibile cum inobedientia, nec purus homo posset contra illud peccare, vt dicebamus; ex eo autem, quòd vnio hipostatica, & visio beata sint incompossibiles cum peccato, quòd non esset, nisi posito pręcepto; arguitur solùm, quòd peccatum sit incompossibile cùm præcepto tantùm materialiter; inquantùm scilicet est impositum naturæ hipostaticè vnitæ, & beatificatæ; & hoc modo potest dici incompossibile nedum cum pręcepto, sed etiam cum intellectu, voluntate, imò & cum appetitu sensitiuo ipsius Christi, qui ratione vnionis hipostaticæ non potuit admittere actionem peccaminosam. Si quis autem sic explicaret sensum compositum, loqueretur ineptè, quia nimis materialiter discurreret; ita à pari. Ad 2. dicitur, quòd sicuti impossibile fuit naturam humanam perfectè non subijci naturę Diuinæ illam mouenti; ita impossibile fuit voluntatem humanam perfectè non subijci voluntati Diuinę ipsam dirigenti, adeoque impossibile fuit non habere actum perfectę obedientię; attamen hoc non obstante non fuit lęsa libertas, quia actus libertatem non lędit, sed perficit, vt dictum est. Gratis tamen omisso ant. neg. cons; nam voluntas Christi non potuisset in illo casu transgredi pręceptum, non quidem ratione pręcepti pręcisè sumpti, vt dictum est; nec ratione incompossibilitatis actus cum non actu, quia actus non esset in voluntate, sed ratione subiectionis perfectę, quam debuisset habere voluntas humana ad voluntatem Diuinam; cum qua subiectione non potuisset componi rebellio eiusdem voluntatis humanę per peccatum deficientis à voluntate Diuina. Perfecta tamen subiectio habetur per actum; ideo indispensabiliter actum obedientię debuit habere; per quod falsitas in antecedente supposita magis apparet.

14 Obijc. 3. Christus non potuit non obedire Patri, quia non potuit peccare; sicut enim actu non obedire est actu peccare; ita posse non obedire est posse peccare; ergo eius obedientia non fuit libera; quia libertas est ad posse obedire, & non obedire. 2. Necessitas antecedens actum tollit potentiam ad oppositum; sed vnio hipostatica sanctificans substantialiter naturam humanam necessitauit voluntatem Christi ad obediendum; ergo sustulit potentiam ad non obediendum; & ideo actus obedientię non fuit liber. 3. Nulla datur potentia ad id, quod est impossibile; sed supposito pręcepto actus inobedientię est impossibilis, quia talis actus esset peccatum, quod est impossibile in Christo, qui est impeccabilis; ergo idem.

Resp. ad 1. omisso ant. neg. cons; & ad prob. insertam dist. Libertas potentiæ est ad posse obedire, & non obedire, conc; libertas actus, neg; est enim determinata tantùm ad obedientiam. Omisimus ant; cui variè respõdent Theologi, & varias inducunt difficultates, quas non soluunt nisi prolixis speculationibus.

nibus. Negauimus autem conſ; ſicut enim non valet: *Petrus amans non poteſt non amare; ergo amor Petri amantis non eſt liber*; non valet, inquam; quia *res, dum eſt, neceſſe eſt eſſe*, vt ait *Phil*; & tamen hæc neceſſitas libertatem non tollit; ita non valet: *Chriſtus non potuit non obedire Patri; ergo eius obedientia non fuit libera*; eſt enim idem, ac dicere: *Chriſtus obediens non potuit non obedire; ergo &c*; quia Chriſtus in primo inſtanti fuit factus obediens, & durauit obediens vſque ad mortem, vt compertiſſimè habetur *ex Apoſt*; & ſic faciliter ſoluitur hoc argumentum, quod inſolubile vocant. Ad 2. eadem facilitate diſt. mi. Vnio hipoſtatica ſanctificando naturam humanam neceſſitauit voluntatem Chriſti ad obediendum per infuſionem actus obedientiæ, qui non tollit, ſed perficit libertatem, conc; neceſſitauit per aliquod antecedens actum poſitum formaliter in voluntate, neg. Ad 3. eodem modo. Suppoſito præcepto actus inobedientiæ eſt impoſſibilis ratione ipſius præcepti præciſè, neg; ratione actus obedientiæ per præceptum inſpirati, conc.

15 Inſt. Vel præceptum inſpirauit actum ſimpliciter, & abſolutè neceſſarium; vel inſpirauit actum abſolutè, & ſimpliciter liberum? Si primum; ergo ille actus non fuit liber. Si ſecundum; ergo voluntas Chriſti potuit illum abijcere, & peccare; quod non eſt dicendum.

Reſp. inſpiraſſe actum ſimpliciter liberum, ſecundùm quid neceſſarium. Ad improb. neg. conſ; ſicut enim actus, quo Deus voluit Mundum, eſt liber ſimpliciter, & tamen voluntas Diuina nequit illum abijcere; ita actus obedientiæ in Chriſto fuit liber, quamuis ratione ſuæ perfectionis non potuerit abijci.

Replic. Quamuis in voluntatem *Beati* fuerit infuſus actus viſionis beatæ, qui potuit non infundi, liberè enim Deus illum infudit; attamen eſt neceſſarius ſimpliciter reſpectu viſionis beatæ, quia voluntas Beati nequit illum abijcere; ergo à pari.

Reſp. neg. cauſalem 2. part. ant; non enim actus viſionis eſt neceſſarius ſimpliciter, quia voluntas beati nequit illum abijcere; ſed quia eſt circa ſummum bonum clarè viſum, de cuius ratione eſt neceſſitare voluntatem. Sicut actus, quo Deus amat ſe ipſum, eſt neceſſarius, quia habet pro obiecto ſummum bonum, circa quod non eſt indifferentia iudicij; actus verò, quo amat creaturas, eſt liber, quia creatura non eſt ſummum bonum, ſed cadit ſub indifferentia iudicij; nam potuit Deus iudicare illas non amare, & ſic non fuiſſet in eius voluntate actus amoris. Quamuis actus amoris Dei, & creaturarum ſemel poſitus ob ſui perfectionem non potuerit eijci. Sic actus obedientiæ habens pro obiecto mortem, quæ non eſt ſummum, & omne bonum; nam non mors ſecundùm alium ordinem præcepta fuiſſet aliquod bonum, quod eſſet oppoſitum bono mortis; & ideo non fuiſſet bonum mortis, ac propterea bonum mortis non eſt omne bonum; ergo bonum mortis cadit ſub indifferentia iudicij; & ideo liberè fuit volitum, quamuis ſemel volitum non potuerit retractari.

16 Obijc. 4. Quod eſt impoſſibile cum omiſſione actus, & non poteſt à voluntate amoueri, tollit potentiam ad ponendam omiſſionem actus; ſed ſanctitas ſubſtantialis, & præceptum ſunt impoſſibilia cum omiſſione actus obedientiæ, & non poſſunt à voluntate humana amoueri; ergo tollunt potentiam ad omittendum, & ideo tollunt libertatem, quæ eſſentialiter importat potentiam ad committẽdum, & omittendum. 2. Hæc propoſitio: *Chriſtus potuit omittere actum præceptum*; abſolutè eſt falſa; ergo non habuit potentiam ad omittendum neque in ſenſu diuiſo, neq; in ſenſu compoſito; & ideo non habuit libertatem, ad quam requiritur potentia in ſenſu diuiſo.

Reſp. ad 1. neg. ma; nam voluntas nequit amouere actum pro eo tempore, quo ipſum habet; aliter ſimul cum haberet, & non haberet; & tamen cum actu incompoſſibilis eſt eiuſdem actus omiſſio. Diſt. autem mi. Sanctitas ſubſtantialis, & præceptum ſunt incompoſſibilia cum omiſſione actus, quia infundunt in voluntatem aliquod prænium ad actum cogens voluntatem, neg; ſunt incompoſſibilia, quia infundunt ipſum actum determinantem perfectè, & ſtabiliter potentiam, quæ propterea non cogitur; quia libertas per actum ſuum perficitur, non cogitur, aut deſtruitur, conc. Ad 2. eodem modo, quo *ſupra*, neg. conſ; Chriſtus enim, qui ſemper fuit obediens, non potuit omittere; aliter ſimul fuiſſet obediens, & inobediens; ad quod voluntas non habet potentiam, quia licèt voluntas habeat potentiam ad obediendum, vel non obediendum diuiſiuè; non tamen habet potentiam ad obediendum, & non obediendum coniunctiuè; nequit enim ſimul duo oppoſita ponere.

17 Obijc. 5. Chriſtus, vt homo, in inſtanti ſuæ conceptionis fuit beatus; ſed amor, quo fuit beatus, infert neceſſitatem ad ſeruandum præceptum; quia inobedientia præcepti eſt incompoſſibilis cum beatitudine; & ex alia parte amor beatus efficaciter influit obſeruantiam præcepti; ergo tollit libertatem.

Omiſſis reſponſis *aliorum* iuxta varias ſententias allatas *q.* 8. *ar.* 1. §. 2. diſt. ma. Fuit beatus ſecundùm partem ſuperiorem, conc; ſecundùm partem inferiorem, neg; & neg. mi; amor enim beatificus intulit ſolùm neceſſitatem ſecundùm partem ſuperiorem præciſè ſumptam, quia ſic fuit neceſſarius; non autem ſecundùm partem ſuperiorem, prout operaba-

rabatur secundùm partem sensitiuam, secundùm quam debebat mortem subire, & mortem subeundo implere præceptum; sic enim ille actus fuit liber; non implicat nanque eundem actum secūdùm diuersas potentias, actus, & obiecta esse simul necessarium, & liberum; vt diximus *loc. cit; & to. 2. de Præd. vbis.*

18 Quæres; an Christus nedum fuerit liber in adimplendo præceptum subeundi mortem, sed etiam in adimplendis præceptis negatiuis, vt sunt *non occides, non furaberis &c.*

Resp. affirmatiuè *cont. Sua. disp. 73. sect. 2. §. Tertio argumento; Gran. hic tract. 15. disp. 3. sect. vlt; Heriz. disp. 24. nu. 44; Lug. disp. 16. nu. 55; & alios apud nostrum Gibb. hic disp. 20. dub. 3.* asserentes Christi humanitatem in adimplendis præceptis negatiuis nullam habuisse libertatem, quia ipsi fuit negatus Diuinus concursus ad eliciendos actus prohibitos. Traditur tamen *à nostro Bernardin; Gibb; & omnibus alijs Theologis.* Prob. *ex Io. 15. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea; sicut ergo Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione*; vbi loquitur indefinitè de omnibus præceptis; propositio autem indefinita in materia necessaria æquiualet vniuersali; necessarium autem fuit seruare præcepta ad manendum in dilectione Dei, qua Christus priuari non poterat. Ratio est. 1. Christus habuit omne meritum, & præmium correspondens omni merito, quod potuit communicari omni creaturæ; sed aliæ creaturæ meruerunt seruando præcepta negatiua; ergo & Christus; atqui meritum importat essentialiter libertatem; ergo Christus fuit liber in seruandis præceptis negatiuis. 2. Ad libertatem actus obedientiæ præcepto mortis non requiritur potentia proxima ad transgrediendum præceptum, nec quòd transgressio repræsentetur, vt possibilis; ergo neque ad libertatem actus obedientiæ præceptis negatiuis. Ant. patet ex dictis; & conf. optimè infertur paritate rationis. 3. Si Deus negaret concursum ad entitatem physicam actuum prohibitorum, negaret etiam concursum ad entitatem physicam actuum præceptorum; quia per eandem entitatem physicam volitionis, qua volumus transgredi præceptum, possumus velle obedire præcepto; illa enim entitas est indifferens ad bonitatem, & malitiam moralem; & Deus non concurrit, nisi ad entitatem physicam, non autem ad malitiam; vt diximus *to. 2. de Vol. Dei q. 5. art. 4; & to. 4. de pecc. q. 4. art. 6. à nu. 22; & sæpè alibi*; sed conf. est falsum; ergo & ant.

19 Dices. 1. Quanuis impedimentum ex parte subiecti non possit impedire omissionem actus, potest tamen impedire actum positiuum incompossibilem, qui illi opponitur; ergo quanuis sanctitas substantialis non possit impedire omissionem obedientiæ, potest tamen impedire actum mendacij, qui pugnat cum sanctitate. Prob. ant. In tantùm non potest impedire omissionem, in quantùm omissioni accidit malitia; sed actui positiuo non accidit malitia, quia est illi intrinseca; ergo impedit actum. 2. Christus cognouit actus prohibitos esse illi impossibiles; ergo non fuit liber ad illos eliciendos; quia ad libertatem requiritur indifferentia iudicij. 3. Deus non habet paratum concursum ad mendacium; quia nequit etiam sub conditione velle producere chimæram; coniungere autem mendacium cum humanitate Christi est chimæra; ergo idem.

Resp. hæc dilui ex dictis *locis cit*; fundantur enim in praua intelligentia entitatis physicę, & malitiæ moralis peccati, & per consequens in non recta acceptione concursus Diuini. Ad 1. neg. ant; & suppositum; nam actus malus non opponitur actui bono secūdùm entitatem physicam, quia eadem entitas physica potest esse bona, & mala moraliter, sed opponitur tantùm secundùm priuationem rectitudinis debitæ, quia peccatum consistit solùm in priuatione; vnde cùm hæc priuatio reperiatur nedum in actu commissionis, sed etiam in omissione, ideo eodem modo repugnat humanitati Christi. Ad prob. neg. ma; & mi. Ad 2. dicitur, quòd Christus etiam cognouit inobedientiam præcepto mortis esse illi impossibilem, & tamen liberè voluit mori; ergo à pari. Neg. igitur conf. Ad prob. infert. dicitur ad actum liberum requiri indifferentiam iudicij speculatiuam, qua cognoscatur illum actum esse apparenter bonum; & possibile esse, quòd voluntas humana secundùm se ipsam præcisè possit illum elicere, deflectendo à rectitudine debita, conc; indifferentiam practicam dictantem talem actum esse prosequendum contra Dei præceptum etiam ab humanitate rectificata, & sanctificata per assumptionem ad personalitatem Diuinam, neg; sic enim nec fuisset liber Christus in adimpletione præcepti mortis; quia hanc indifferentiam non habuit. Vel dicitur indifferentiam iudicij requiri, cùm potentia est indifferens ad actum præceptum, & transgressionem illius; nō autem quando creatur simul cum actu bono infuso in instanti suæ conceptionis; tunc enim producitur, vt determinata, non vt indifferens. Cùm igitur voluntas Christi Domini fuerit facta obediens omnibus præceptis Patris, ideo non habuit indifferentiam, quæ est propria solius creaturæ, quæ proximè potest peccare. Ad 3. dist. ant. Non habet paratum concursum ad entitatem physicam, neg; nam concurrit ad entitatem physicam veritatis, quæ potuisset substerni mendacio; ad malitiam moralem, conc; sed ad hanc non concurrit Deus nedum cum Christo, sed nec etiam cum alijs creaturis.

ART.

A R T. IV.

An in Christo fuerit potentia physica patrandi miracula?

1 SErmo est de Christo, vt homine; certum enim est Christum, vt Deum, esse omnipotentem, ideoque habere potentiam physicam patratiuam miraculorum.

2 *Vbiquistæ* dixerunt Christum, vt hominem, esse omnipotentem æquè, ac immensum; adeoque esse vbique, & operari, vt causam principalem omnia opera supernaturalia. Hoc probabant *ex Io.3. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius; Matth. 21. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo; & vlt. Data est mihi omnis potestas in Cęlo, & in terra.*

Sed hic error reijcitur *à Fund. Doct. hic dist.14. par.2. quæst.1. art.1*; quia omnipotentia est virtus simpliciter infinita; sed virtus infinita est actus purus nullam habens admixtam potentialitatem passiuam; non enim agit, vt passiuè mota ab alia virtute superiori, & ideo non est in potentia passiua ad moueri ab alio agente superiori; sed est primum mouens omnia alia à se; repugnat autem naturæ creatæ non esse in potentia passiua ad moueri à Deo; sicut ei repugnat non esse in potentia passiua per ordinem ad recipiendũ esse à Deo; & ideo ei repugnat non inniti virtuti superiori ipsam mouenti; ac per consequens ei repugnat virtus infinita, quæ omnia mouet, & à nullo mouetur; si enim ab alio moueretur, non omnia posset, quia indigeret ab alio moueri, vt posset agere; ergo omnipotentia repugnat naturæ creatæ; atqui Christus, vt homo, dicit naturam creatam; ergo Christus, vt homo, non est omnipotens. Explic. magis. Cui repugnat esse actu omne esse, repugnat esse posse omnia agere, & per consequens repugnat omnipotentia, quæ dicitur à posse omnia agere; nam *agens in tantùm agit, in quantùm actu est secundùm illam formam, secundùm quam agit*, vt constat; sed naturæ humanæ repugnat esse actu omne esse; quia ei repugnat esse actum purissimum excludentem omnem potentialitatem passiuam, quæ non excluditur, nisi per esse actuale; ergo ei repugnat posse omnia agere, & per consequens omnipotentia. Habetur expresse *ex Apost.2.Cor.13. Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei; & S.P.Aug. serm.58. de Verb. Dom.* loquens de duplici natura Christi Domini ait: *Quapropter vnicuique substantiæ propria vtique aptanda sunt; idest infirmitates humanitati, quæ creata est; signa verò, vel mirabilia Diuinitati, quæ creauit.* Ex quibus sic. Infirmitas, & omnipotentia nequeunt esse in eodem subiecto proximo, & immediato; quamuis enim possint esse in eodem supposito, à quo possunt substentari duæ naturæ, quarum vni competat omnipotentia, & alteri infirmitas; non tamen possunt esse immediatè in eadem natura; quia infirmitas dicit defectum potentiæ, & omnipotentia excludit omnem defectum; sed in natura humana Christi est infirmitas, quia passus est, & crucifixus; ideo enim secundùm naturam Diuinam fuit impassibilis, quia in ipsa est omnipotentia, quæ est ratio agendi, & non patiendi; ergo in natura humana non fuit omnipotentia; & ideo in Christo, vt homine, non fuit potentia principaliter patratiua miraculorum, quæ est sola omnipotentia. *Vid. to. 1. de Omnipot. Dei art. 6.*

3 Ad auctoritates autem in contrarium allatas resp. *S. P. Aug. tract. 14. in Io. Quid est omnia? Vt tantus sit Filius, quantus est Pater; ad æqualitatem enim sibi genuit eum.* Dedit ergo omnia in manu eius, in quantùm est Deus; non in quantùm est homo. Sic intelligendi sunt *alij textus*, qui idem significant. Vel si libeat eos intelligere de Christo homine, vsurpandi sunt concretè, prout homo importat suppositum Verbi Diuini, cui à Patre in æterna generatione communicata fuit omnipotentia. Tandem si contendatur accipiendos esse de Christo, vt homine, abstractè, prout contradistinguitur à Christo, vt Deo, intelligendi sunt meritoriè, supplicatoriè, & exaudienter eo, quia Christus nihil petijt à Patre vires exigens omnipotenriæ, quòd non fuerit semper ab ipso exauditus, vt habetur *Io.11. Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me; ego autem sciebam, quia semper me audis; & Hebr. 5. Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia.*

4 *Alij* ex aduerso negauerunt Christo potentiam faciendi miracula, vel arti Dęmonum ea tribuentes; vt *Iudæi Luc. 11. In Beelzebub principe Dęmoniorum eijcit dæmonia*. Quos redarguit idem Christus: *Omne Regnum in seipsum diuisum desolabitur. Si autem Satanas in se ipsum diuisus est, quomodò stabit Regnum eius?* Vel ea referentes in corporis temperamẽtum; quod quia optimè æquilibratum fuit in Christo, dicebant, quod potuit super aquas incedere, in quouis elemento se collocare, claudos erigere, cęcos illuminare &c; vt refert *Michael Med. lib.2. de recta in Deum fide cap. 7.* Sed hæc dementia est; quamuis enim corpus gloriosum aliqua ex his possit præstare; attamen corpus corruptibile, vt tunc erat corpus Christi, ponderosum, & graue hanc virtutem non habuisse conuincitur ex eo, quòd graue quacunq; affectum temperie tendit deorsum, vt est per se notum; tum quia natura quantumuis perfecta non potest à priuatione ad habitum

tum regressum inducere; tum quia corpus virtutem non habet in spiritus, qualem Christus exercuit in Dęmones. Quibus reijciuntur *alij*, vt *Auicennas*, qui Christi miracula tribuerunt fortis imaginationis virtuti. *Alij* tandem dixerunt Christi miracula tantùm in sensu mystico esse accipienda; vt refert *Luc. Tuden. lib. 3. cont. Albigen. cap. 2.* Sed refelluntur *Io. 2. Videntes signa eius, quæ faciebat; & 3. Nemo enim potest hęc signa facere; & 4. Nisi signa, & prodigia videritis; & 11. Hic homo multa signa facit;* sensus autem mysticus nō poterat oculis corporis, de quibus *hìc* sermo est, videri; & quando *Iudęi Matth. 12; Marc. 8; Luc. 11; & Io. 4.* quærebant videre aliquod signum factum à Christo, non quærebant signū spirituale, quod non valebant percipere; spiritaliter enim illuminati non erant, aliter Christum nouissent, & credidissent in ipsum; sed signum corporale petebant, cùm audissent plura ab ipso iam fuisse patrata, quorum *tot Scripturæ, & Scriptores*, imò totus Mundus est testis. Itaque Christi miracula nedum mysticè, sed etiam literaliter sunt admittenda docente *S. P. Aug. tract. 44. in Io. Quæ fecit Dominus noster Iesus Christus stupenda, atque miranda, & opera, & verba sunt; opera, quia facta sunt; verba, quia signa sunt.* Hisce igitur blasphęmis eiectis.

5 Certum est apud Catholicos Christum, vt hominem, non fuisse causam principalem miraculorum; causa nanque principalis agit per virtutem propriam non innixam virtuti alterius, quomodò solus Deus est causa. Difficultas igitur est, an fuerit etiam causa instrumentalis physica; nam quòd fuerit causa meritoria, exemplaris, & finalis nostræ prædestinationis, gratiæ sanctificantis, & aliorum donorum supernaturalium, diximus *tom. 2. de Præd. q. 3. art. 3.*

6 Prima sententia vult in humanitate Christi fuisse tantùm potentiam instrumentalem moralem productiuam gratiæ sanctificantis, & aliorum donorum, nec non patratiuam miraculorum. *Ita Alen; D. Bon; Scot; Dur; Mol; Vasq; Becc; omnes Scotistæ apud Mastr. hìc disp. 2. quæst. 8;* & alij. *Becc.* tamen ait Christum fuisse causam moralem principalem, quia vt causa moralis, nulli alteri causæ morali subordinatur.

7 Nostra docet Christum habuisse potentiam instrumentalem physicam indirectè productiuam gratiæ, & miraculorum. *Ita Fund. Doct. loc. cit. to. 3. de Creat. q. 2. art. 4; & inf. to. 6. de Sacram;* vbi quæremus, an sacramenta causent physicè gratiam? Hanc sententiam, quamuis non in his terminis, sequuntur *noster Put; Capr; Caiet; Ferrar; Sot; Med; Val; Albertin; Sua; & omnes Thomistæ communiter*, inter quos *Io. à S. Thom. hìc quæst. 11. disput. 15. art. 2; Gonet; & alij; & ex Scotistis Vulp. apud Mastr. vbi s.*

8 Resolutio huius difficultatis pendet ex declaratione influxus, quem habet instrumentum in effectum causæ principalis, quam declarationem ferè *omnes* omittunt, adeoque non habetur clara huius rei decisio. Omissis itaque varijs modis dicendi, qui traduntur *in Physicis*, dicimus ad rationem instrumenti requiri, quòd ex coniunctione, quam habet ad agens principale, deferre debet in passum actionem eiusdem principalis agentis productiuam effectus principalis. Deferre autem actionem principalis agentis non est, vt imaginantur *aliqui*, agens influere aliquam virtutem in instrumentum, per quam instrumentum influat directè in effectum principalis agentis; ipsum nanq; instrumentum est virtus agentis principalis, & sic agens virtutem in virtutem influeret; & substantia immediatè sine virtute operaretur. Neque est principale agens influere actionem productiuam effectus principalis in ipsum instrumentum; cùm enim actio causatiua substantiæ sit ipsum esse substantiale in fieri, & in via, vt probatum est fusè *tom. 3. de creat. q. 2. art. 2;* sequeretur, quòd dum substantia ignis eleuat calorem ad producendum ignem, substantia ignis reciperetur in accidente, tanquam in subiecto, quod inuertit rerum essentias. Est igitur causare aliquod in passo contentum intra latitudinem sui obiecti, cum quo sit coniunctus effectus principalis agentis, qui est supra sphæram ipsius instrumenti; sicuti enim ipsum instrumentum est coniunctum cum principali agente; ita effectus ipsius instrumenti cum effectu principalis agentis coniungitur, & ad illum disponit. Nam calor, vt octo, qui est instrumentum formæ ignis, quia cum ipsa coniūgitur; ideo etiam calor, vt octo, productus in ligno cum forma ignis coniungitur, & ad illam disponit; atque adeo indirectè dicitur producere formā ignis, quatenus producit calorem, vt octo, cui coniungitur forma ignis, quę ad illum naturali sequela consequitur. Ratione igitur talis coniunctionis instrumentum dicitur eleuari ad agendum extra suam sphæram producendo effectum principalis agentis.

9 Differt autem instrumentum physicum ab instrumento morali; quòd instrumentum physicum per contactum physicum causat aliquod physicum in passo, in quod debet induci effectus principalis agentis; instrumentum autem morale nec contactum physicum habet, nec aliquod physicum causat; sed solùm moraliter mouet agens principale vel orando, vel impetrando, vel merendo, quo censetur mouere æquè, ac si causaret physicè per contactum physicum aliquod physicum in ipso passo, per quod induceretur effectus principalis agentis. *Sed de his fusiùs in Physicis. Vid. to. 3. vbi sup.*

10 Ex

10 Ex his deducitur *cont. Capr. apud Med.* humanitatem Christi, antequam poneretur in rerum natura per Verbi incarnationem, fuisse tàntùm causam meritoriam, non physicam gratiæ, & donorum *antiquis PP.* collatorum; nam actiones Christi meritoriæ sunt infiniti valoris, ideo potuerunt extendi ad omnes differentias temporis, & meritoriè causare in antiquis iustis virtutem patratiuam miraculorũ; vt docet *S.P. Aug. in prol. ps.90. Miracula enim & nondum natus de Maria fecit. Quis enim vsquam facit, nisi ipse, de quo scriptum est psal.71. Qui facit mirabilia magna solus? In ipsius enim virtute, & antea, qui fecerunt, potuerunt aliquid facere. In virtute Christi Elias mortuum suscitauit.* At eius actiones physicè sumptæ finitæ sunt; adeoque non potuerunt extendi ad tempus, quo non erant; humanitas enim Christi, antequam assumeretur à Verbo, nihil potuit physicè operari; quia *agens in tantùm agit, in quantùm actu est*; & ideo non existentis humanitatis nulla potuit esse operatio physica; vt docet *S.P. Aug. in Enchir. cap. 36; & de præd. S. cap. 15.* Inquiritur ergo de humanitate Christi post incarnationem, siue dum in terris degebat, siue dum nunc regnat in Cęlis.

11 Vnica concl. Humanitas Christi fuit causa instrumentalis physica indirecta gratiæ, & miraculorum.

Prob. 1. ex *Io.15. Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere*; super quod *S.P. Aug. tract. 81.* inquit: *Quanuis Christus vitis non esset, nisi homo esset; tamen istam gratiam palmitibus non præberet, nisi etiam Deus esset*; sic. 1. Ita se habet natura humana in Christo respectu gratiæ sanctificantis, & miraculorum hominibus collatæ; sicut vitis respectu vitæ vegetatiuæ palmitibus in ea existentibus communicatæ; vt apertè colligitur *ex textu* allato; sed vitis per operationem physicam communicat palmitibus vitam, quam haurit à terra; ergo Christus, vt homo, communicat gratiã hominibus, quàm à Deo principaliter agente recipit. 2. Quotiescunq; aliqua potentia physicè coniungitur principali agenti, & per actionem physicam producit effectum sibi proprium, ad quem sequitur productio effectus principalis elicita à principali agente; tunc illa potẽtia instrumentaliter physicè producit effectum principalem, vt diximus de calore; non enim calor elicit actionem substantialem ignefactiuam formaliter, quia hoc est impossibile, & simpliciter repugnans ipsi calori, quod est accidens; sed sufficit, quòd calor producat physicè calorem in ligno, qui defert secum actionem ignefactiuam substantialem elicitam à substantia ignis; nam propter coniunctionem, quam habet calor cum forma ignis in igne, habet etiam coniunctionem calor productus in ligno cum igne producto in illo; effectus enim correspondent suis causis; & sic causa instrumentalis dicitur deferre actionem causæ principalis, & ad illam eleuari, vt *sup.* monstrauimus; sed humanitas in Christo coniungitur cum Deitate; quæ est causa principalis effectiua gratiæ, & miraculorum; & per actionem physicam producit effectum sibi proprium; quia Christus, vt homo, habuit actiones humanas, ad quas Deitas existens in Christo produxit physicè gratiam, & miracula; vt patet de vocibus ab humanitate prolatis *Io. 11. Lazare, veni foras; & Luc. 8.* cùm vestium contactu mulierem sanguinis fluxu laborantem sanauit; & cùm alia multa suæ carnis contactu patrauit; ergo humanitas in Christo fuit causa instrumentalis physica miraculorum. Hanc rationem manifestè tradidit *Conc. Ephes. 1. cap. 11.* dicens: *Caro Christi est viuificatrix propter vnionem ad Verbum*. Nec valet, quòd resp. *Mastr*; scilicet sensum *Concilij* esse carnem Christi esse carnem viuificantis, non puri hominis. Non valet, inquam; nam *Concilium* docet esse viuificatricem; *quia facta est propria Verbi cuncta viuificare valentis*: sed quotiescunque aliquod agit, quia factum est instrumentum proprium alicuius agentis principalis physici, est verum instrumentum physicum; calor enim est instrumentum physicum ignis, quia est proprius ignis, qui est agens principale ignitionis; ergo si caro Christi facta est viuificatrix, quia facta est propria Verbi, quod principaliter physicè vitam producit, apertè sequitur esse instrumentum physicum, non morale.

12 Prob. 2. euertendo rationem *Aduersariorum*. In tantùm humanitas non est instrumentum physicum gratiæ, & miraculorum, in quantùm non influit in ipsam gratiam, & miracula; sed hoc non obstat; quia, vt dicebamus *to. 3. vbis. ex S.P. Aug*; quanuis coloni non influant humorem vitalem in segetes, & plantas, sed solùm per operationem, & applicationem physicam terræ subministranti humorem committant semina, & arbusta; & licèt medici non participent suam sanitatem ægroto, sed tantùm applicent medicamina, quibus tolluntur morbi, & redit sanitas; attamen nullus diceret agricolas, & medicos esse tantùm instrumenta moralia, non physica; ergo quanuis humanitas per actiuum influxum non producat gratiam, & miracula; attamen quia per operationes physicas aliquo modo ministrat ad productionem gratiæ, & miraculorum, dicenda est instrumentum physicum, non morale. *Vide vbis.*

13 Sic euertitur alia ratio. Sacramenta nouæ legis causant gratiam physicè, vt *tom. 6.* dicemus, quia ponunt effectum physicum, ad

quem sequitur gratiæ productio; in hoc enim distinguuntur à sacramentis veteris legis, vt docet *Trid. cum S. P. Aug*; quòd illa *erant vasa vacua, & egena*, quia non continebant gratiam, quam tantùm significabant; hæc verò sunt vasa plena, quia continent id, quod significant; & ideo ex opere operato gratiam producunt, quam continent, instrumentaliter physicè ponendo aliquod physicum, quod cum gratia in passo coniungitur; ergo multò magis humanitas Christi, quæ cum sanctitate increata, & creata coniungitur, est physicum instrumentum productiuum gratiæ, & miraculorum. *Sed de hoc suo loco.*

14 Præterea Christus patrauit miracula, vt instrumentum totius Trinitatis; habetur enim *Luc.* 11. *Si in digito Dei eycio Dæmonia*; Deus autem est nomen commune toti Trinitati; sed instrumentum morale nequit esse instrumentum totius Trinitatis; quia tota Trinitas non est causa principalis meritoria, satisfactiua, & ideo nec moraliter operans, cùm hoc sit proprium solius personæ Filij; vt terminantis, & operantis per naturam humanam; ergo Christus non patrauit miracula per humanitatem, tanquam per instrumentum morale, sed physicum.

15 Obijc. 1. *SS. PP.* expresè docent humanitatem concurrisse physicè ad id solùm, quod erat ei proprium, scilicet ad motum externum, corporis contactum, verborum prolationem; non verò ad actionem propriam Diuinitatis, scilicet sanationem ægroti, suscitationem mortui &c; ergo *ex SS. PP.* habetur humanitatem non concurrisse, vt instrumentum physicum, ad facienda miracula; aliter hanc actionem non tribuissent soli Diuinitati. 2. *S. P. Aug. lib.* 22. *de Ciu. Dei c.* 9. ait: *Vt, quæ per martyres fidei dicuntur, eis orantibus tantùm, & impetrantibus, nō etiam operantibus fiant*; sed quod fit oratione, & impetratione, fit tantùm moraliter; ergo à fortiori idem dicendum est de Christo.

Resp. ad 1. neg. cons; ex eo enim, quòd *SS. PP.* docuerint humanitatem concurrisse ad actionem physicam sibi propriam, ad quam subsequebatur actio miraculosa posita à Diuinitate, apertè indicarunt humanitatem concurrisse ad actionem miraculosam instrumentaliter physicè; quia hoc tantùm requiritur ad rationem instrumenti physici, vt diximus de calore; ignitio nanque est actio propria formæ ignis, & calefactio caloris; quia tamen ad calefactionem sequitur ignitio, ideo calor dicitur eleuari, vt instrumentum ad producendum ignem; ita à pari. Ad prob. insert. dicitur non fuisse necesse tribuere humanitati actionem propriam Diuinitatis ad hoc, vt ostenderent humanitatem esse instrumentum physicum miraculorum; sicut non est necesse tribuere ignitionem calori, vt ostendatur ipsum esse instrumentum ignis; sed sufficit asserere, quòd ad actionem propriam caloris sequitur actio propria formæ ignis; sic nanque indicatur ratio instrumenti; quod cùm præstent *SS. PP.* asserentes ad actionem propriam humanitatis sequi actionem propriam Diuinitatis, satis fuit ad demonstrandum humanitatem physicum instrumentum fuisse. Ad 2. dicitur, quòd *in eodem cap. S. P.* ait: *Siue enim Deus ipse per seipsum miro modo, quo res operatur æternus; siue per suos ministros ista faciat; & c.* 10. *seq. Faciunt autem ista martyres, vel potiùs Deus, vel orantibus* (idèst moraliter) *aut cooperantibus eis* (idèst physicè) ex quibus manifestè deducitur *S. Patrem* docere vtrunque modum faciendi miracula, scilicet moraliter, & physicè esse possibilem.

16 Obijc. 2. *Trid. sess.* 6. *c.* 7. docet: *Causa efficiens* (supple iustificationis) *est misericors Deus, meritoria autem Dominus noster Iesus Christus*; & ratio est; quia Christus fuit causa nostræ iustificationis sua morte; ergo non fuit causa physica; quia implicat effectum physicè poni non existente causa physica. 2. Causa physica agit per contactum physicum; sed causa, quando non est, non potest tangere; ergo idem. 3. Multa miracula fecit Christus in magna distantia; vt cùm sanauit puerum *Centurionis*, & cùm suscitauit animam *Lazari*; ergo idem. 4. Christus non potuit contingere animas, circa quas operatus est gratiam, & alia dona; nam Christus secundùm vnam partem est corporeus, anima autem est spiritualis; corporeum autem nequit agere in spiritum; ergo idem.

Resp. ad 1. *Conc.* loqui de causa principali, non de instrumentali. Ad 1. rationem neg. cons. Ad prob. insert. dicitur effectum produci non existente causa actualiter, existente tamen causa virtualiter; vt si animal post decisionem seminis moriatur, adueniente tempore animationis fętus ponitur animal genitum, quanuis causa non existat actualiter, sed tantùm virtualiter in semine; sic mors Christi manet in Sacramentis, quæ applicata causant gratiam. Ad 2. dist. ma. Agit per contactum physicum vel formalem, vel virtualem, vt patet de Sole, qui tantùm virtualiter tangit terram, non formaliter secundùm suam substantiam, conc; tantùm formalem, neg. Sic dicitur ad minorem causam manere virtualiter in suis effectibus, nempe in Sacramentis, non in se ipsa. Ad 3. dist. ant. In magna distantia improportionata suæ virtuti, neg; proportionata, conc. Sol agit in maiori distantia, & quis negaret ipsum esse causam physicam? Aut quis assereret Solem habere maiorem virtutem, quàm Christum? Ad 4. neg. ant; nam corporale indirectè agit in spirituale; vt patet de Sacramentis,

quæ

quæ instrumentaliter physicè producunt gratiam in anima; & de igne torquente animas.

17 Obijc. 3. Aliqua miracula fecit Christus, quæ fuerunt patrata per creationem; vt columba, quæ descendit super eum *in Iordane*, fuit creata; sic etiam gratia creatur; sed natura creata non potest assumi, vt instrumentum creationis; ergo idem. 2. In Christo non fuit aliqua virtus productiua miraculorum; nam vel hæc virtus esset corporea; & hoc non; quia non posset producere res spirituales. Vel spiritualis; & hoc non; quia non posset recipi in corpore. Vel hæc virtus esset quidam motus transiens pro singulis occasionibus humanitati Christi impressus; vt aiunt *aliqui*; & hoc non; quia motus nullum aliud officium habet, quàm adducere agens ad passum; ideo supponit virtutem in agente. Vel est vnio hipostatica; & hæc non; quia hæc non est, nisi quædam relatio, quæ nullius est actiuitatis. Vel est potentia obedientialis; & hæc non; quia hæc est tantùm passiua, non actiua; est enim capacitas recipiendi aliquam virtutem supra, vel præter suam naturam per ordinem ad producendum aliquem effectum supra, vel extra suas vires; ergo non fuit hæc virtus in Christo, quia non est assignabilis.

Resp. hæc oriri ex praua intelligentia, vel potiùs nescientia instrumenti physici indirecti, & eius causalitatis. Instrumentum igitur directè influens est illud, quod elicit actionem immediatè attingentem effectum, vel obiectum principalis agentis; vt oculus dicitur instrumentum animæ, quia elicit visionem, qua anima videt obiectum; adeoque instrumentum directum elicit eandem actionem, quam producit causa principalis. Instrumentum autem indirectum elicit actionem sibi propriam, non autem elicit actionem propriam principalis agentis; vt diximus de calore. Itaq; dist. mi. Natura creata nequit assumi, vt instrumentum indirectum creationis, neg; directum, conc. *Vid. to. 3. vbi s.* vnde siue illa columba fuerit creata, siue producta ex præiacente materia, potuit instrumentaliter indirectè esse à Christo Domino. Ad 2. neg. ant. Ad prob. insert. dicitur, quòd hæc virtus miraculorum non est, nisi virtus propria Christi, prout coniuncta cum Diuinitate; etenim sicuti hæc virtus coniungitur cum Diuinitate, quæ est causa principalis gratiæ, & miraculorum; ita effectus huius virtutis coniungitur cum effectu Diuinitatis, qui est gratia, & miracula; & in hoc sensu dicitur causare instrumentaliter physicè gratiam, & miracula indirectè; vt constat de calore.

18 Inst. Ex hoc sequeretur, quòd Christus in omni actione semper patrasset miraculum, quia semper habuit Diuinitatem vnitam; sed cons. est falsum; nam falsum est dicere, quòd bibendo, manducando &c. fecisset miraculum, ergo falsum est ant.

Resp. neg. seq; nam Diuinitas non semper operatur miracula, quia vt plurimùm agit secundùm leges naturæ à se institutas; & non nisi raró operatur secundùm rationes extraordinarias, prout oportere iudicauerit; ideo tunc solùm Christus fecit miracula, quando iudicauit illa expedire; & per tale iudicium determinauit se ad illa patranda.

19 Obijc. 4. *Vasq.* Nullus ordo potest reperiri inter effectum supernaturalem, & operationem Christi; ergo hæc non fuit actio instrumentalis ad illum; quia inter causam instrumentalem, & effectum principalis agentis debet dari ordo. Prob. ant. Si effectus miraculosus referretur ad Christi humanitatem, vel esset ex natura humanitatis; & hoc non; aliter humanitas non eleuaretur supra suam naturam, & sic non esset instrumentum; vel esset media aliqua mutatione; & hoc non; quia vel hæc mutatio facta fuisset per impressionem alicuius qualitatis permanentis, vel transeuntis; & sic humanitas esset causa principalis, quia illa qualitas esset sufficiens ad producendum effectum; aliter si non esset sufficiens, ad nihil inseruiret, & humanitas non posset agere; vel mutatio facta fuisset solùm in effectu; & sic humanitas non posset referri ad effectum principalis agentis; & ideo nõ esset instrumentum. 2. Quando Christus sanauit filium *Centurionis*, nihil impressit in illum; nec in animam *Lazar.*; nec in Dæmonem eiectum; nec in aquas, quando super eas ambulauit; nam illa deambulatio vel fuit; quia corpori Christi fuit concessa dos agilitatis; vel Diuina virtute sustentatum fuit corpus super aquas; vel Deus negauit cõcursum aquis, ne compressæ difluerent. Si primum, iam fuisset causa principalis, vt dictum est. Si secundum; vel fuit, quia Deus negauit concursum, ne graue tenderet deorsum; ad talem autem negationem non concurrit Christus physicè, vt patet; vel quia impressit impetum in corpus Christi; sicut proijciens lapidem sursum; & ad talem impetum pariter nihil cooperatus est Christus. Si tertium; constat ad puram negationem non dari concursum physicum; ergo idem.

Resp. ex dictis patere has esse vanas speculationes, non enim pertinent ad rationem instrumenti indirecti. Ad 1. neg. ant. Ad prob. dicitur non esse neque ex natura sua, neque media aliqua mutatione; sed solùm ratione connexionis effectus proprij ipsius humanitatis, & effectus Diuinitatis; & ratione vnionis humanitatis cum Diuinitate; vt constare potest de calore, & forma ignis. Ad 2. pariter constat procedere de instrumento directè influente, non de instrumento indirectè concurrente. Ad filium *Centurionis* dicitur operationem physi-

physicam Christi fuisse locutionem *cum Centurione*, cum qua coniungebatur restitutio sanitatis, quæ est operatio Diuinitatis. Sic *ad Lazarum* fuit prolatio illorum verborum: *Lazare, veni foras*. Sic ad Dæmonum: *Obmutesce, & exi ab homine*. Ad ambulationẽ super aquas dicitur illum motum physicum fuisse actionem propriam Christi, cum qua se coniunxit vel dos agilitatis, vel miraculosa aquarum resistentia, vel aliquod aliud.

20 Obijc. 5. *Mastr.* Si Christus concurrisset instrumentaliter physicè ad miracula, maximè, quia hoc spectaret ad maiorem dignitatem humanitatis Christi; sed hoc est falsum; quia, vt inquit *Arriaga*, non auget dignitatem Regis, qui potestate morali iubens conditionem alicuius Vrbis eleuetur physicè ad portandos lapides, miscendum calcem &c, tum quia esse instrumentum physicum miraculorum potest communicari omnibus creaturis, vt arguit *Amicus*; ideo non spectat ad specialem dignitatem humanitatis Christi; ergo falsum est ant.

Resp. neg. mi. Ad 1. prob. dicitur nimis probare, probat enim Deum non concurrere physicè ad productionem omnium creaturarum; & sic incidit in opinionem *Algazelis* putantis Deum omnia creasse per primum Angelum; quod reprobat fides. Dicitur ergo, quòd portare lapides non arguit maiorem dignitatem in Rege, quia ab hac actione distraheretur, & impediretur ab alijs actionibus, quæ sunt maioris rationis. Si autem Rex posset se solo ordinare, & condere Vrbem sine labore, aut vexatione, aut distractione; quis negaret talem Regem non esse singularem? Ad 2. dist. Esse instrumentum physicum per coniunctionem ad Diuinitatem potest communicari omnibus creaturis puris, neg; alio modo, conc. Dignitas ergo humanitatis in agendis effectibus miraculosis arguitur ex coniunctione humanitatis ad *Diuinam personam*, quæ soli Christo potest conuenire.



QVAE-

QVÆST. XI.

De Sacerdotio, oratione, & Regno Christi.



POSTQVAM egimus de potentia physica Christi, superest declarare ea, quæ spectant ad potestatem spiritualem, quæ est Sacerdotalis, cuius officium est oratio; & tandem de potestate ciuili, qua dominatur in Reges, & Regna, sermonem habere.

ART. I.

Quomodò Christus secundùm ordinem Melchisedech sit Sacerdos in æternum?

1 SAcerdotium triplex fuit; aliud naturale; aliud legale; & aliud Euangelicum. Naturale est illud, quod fuit in lege naturæ ex institutione humana, & etiam tempore legis scriptæ, quousque non fuit ex præcepto Dei institutũ sacerdotium *apud Hebræos*; quanuis *apud Gentiles*, quibus non erat imposita *Hebraica* lex, sacerdotium naturale, quod à Mundi primordio inchoauit, vsque ad Christum durauerit. Dicitur autem sacerdotium naturale fuisse ex institutione humana, quatenus lex naturalis scripta à Deo in cordibus hominum dictauit, & dictat Deum esse colendum, quod maximè oblationibus, sacrificijs, precibusque præstatur; oblationes autem, sacrificia, & preces offerre Deo ad munus attinet sacerdotis. Hinc sicuti lex naturalis dictans Deo exhibendum esse debitum cultum; ita sacerdotium naturale, quo cultus debitus maximè Deo exhibetur, à Deo fuisse dicendũ est, mediante tamen homine; & ideo dici debet fuisse ex institutione humana naturali, quatenus fuit ab homine; & ex institutione Diuina naturali, quatenus fuit à Deo. Primogeniti ergo sacerdotes instituebantur; quia patres eis munus imponebant offerendi Deo terræ primitias, & etiam alijs minoribus vel sponte, vel ex patris præcepto offerentibus; vt constat *de Cain, & Abel*; quanuis sacerdotis appellatione non vocarentur. Sacerdotium legale fuit illud, quod ex institutione Diuina certis ritibus, & ceremonijs in lege fuit à Deo præscriptum; & primus, qui sacerdotio legali fuit initiatus, fuit *Aaron*, & eius filij; vt habetur *Exod.*28; vbi Deus præcepit *Moysi*: *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filijs suis in medio filiorum Israel, vt sacerdotio fungantur mihi*; & ritum ornamentorum, vnctionis, & consecrationis sacerdotalis indixit. Primus itaque, qui in lege veteri fuit vnctus oleo visibili in Sacerdotem, fuit *Aaron*; propterea sacerdotium legale dicitur etiam sacerdotium *Aaronicum*; & quanuis vocetur etiam *Leuiticum*; attamen dictum fuit, non quia *Leui* fuerit verè sacerdos legalis, sed quia eius Tribus à Deo fuit electa, vt sacerdotio legali fungeretur; *Aaron* enim de tribu *Leui* fuit ortus. Et quanuis etiam aliqui sacerdotes in lege naturæ fuerint vncti oleo inuisibili gratiæ, qua internè mouebantur à Deo sacrificandum; vt habet *Glos. in ep. ad Hebr. cap.*7; vt patet *de Melchisedech, Abraham, Isaac, & Iacob*; qui fuerunt sacerdotes in lege naturæ; attamen nullus fuit vnctus oleo visibili, sicut fuerunt vncti omnes sacerdotes legales. Ex quo habetur duplex discrimen inter sacerdotium naturale, & legale. 1. Quia naturale erat ex institutione naturæ; legale verò tantùm ex institutione Diuina. 2. Quia illud non fuit per vnctionem visibilem; sicut istud. Tandem sacerdotium Christi, quod dicitur etiam Euangelicum, & gratiæ est illud, quod est ex institutione Diuina, non ministerio alicuius hominis, aut secundùm ritum visibilis, & externæ vnctionis, sed immediatè ab ipso Deo vngente Christum plenitudine inuisibilis gratiæ; de quo dicitur *ps.*44. *Diffusa est gratia in labijs tuis; propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*; & *Dan.*7. *Et vngatur sanctus sanctorum*; & *Actor.*10. *Quoniam vnxit eum Deus Spiritu Sancto*, super quod *S. P. Aug. lib.*15. *de Trinit. c.*26. ait: *Ista mystica, & inuisibili vnctione tunc intelligendus est vnctus, quando Verbum Dei caro factum est*; vt dicitur *Ioan.*1; vbi statim subditur: *Plenum gratiæ, & veritatis*; quibus apertè indicatur hanc sacrosanctam vnctionem factam fuisse per omnis gratiæ plenitudinem eo modo, quo diximus *q.*7. *art.*1.

2 Sacerdos autem alius est simpliciter talis, qui à sacrificando, vel sanctificando dicitur; & mediator inter Deum, & populum populo tradit Diuina, eumque offerendo, orando, & docendo in Deum reducit. Alius est sacerdos magnus, qui communi nomine vocatur Pontifex, *quasi pontem se faciens* (inquit *D. Bern.*) *inter Deum, & homines*; nec differt à sacerdotibus paruis, nisi quia excellentiam super eos importat; vnde Pontifex *Princeps Sacerdotum à D. Isid. lib. ethimol.* vocatur. Item Pontifex alius est summus; vt fuit *Aaron*, & eius successores in lege veteri; & Pontifices Romani in lege Euãgelica; alius subordinatus,

vt

vt Episcopi. Certum est autem Christum fuisse Summum Sacerdotem, & Pontificem; quia omnes alij Pontifices, & Sacerdotes ei fuerunt subiecti, & per ipsum vncti, & consecrati.

3 Differt autem Sacerdotium Christi à Sacerdotio legali. 1. Quòd Sacerdotes legales non solùm pro se, sed etiam pro alijs indigebant offerre; *quoniam & ipse circundati erant infirmitate*; vt inquit *Apost. Hebr.* 5; Christus verò tantùm pro alijs se obtulit; quia fuit *innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus &c.* 2. Quia illud erat carnale; istud verò spirituale. 3. Quia illud fuit istius figura; propterea cessauit adueniente isto, quoniam figura esse desinit adueniente figurato; istud verò fuit figuratum ab illo. 4. Quia illud fuit temporale ob rationem allatam; istud verò æternum; quia *Christus manet in æternum*.

4 Vnica concl. Christus fuit Sacerdos secundùm ordinem *Melchisedech*, non secundùm ordinem *Aaron*; & eius Sacerdotium fuit æternum ex parte personæ offerentis, rei oblatæ, effectuum oblationis, & ratione intransferibilitatis, siue insuccessionis.

Prob. 1. pars concl. *ex psal.* 109. *Tu es Sacerdos in æternum secũdùm ordinem Melchisedech*; quod repetit *Apost. Hebr.* 5; & 11; cuius rei rationem reddit *S. P. Aug. lib.* 83. *quæst. q.* 61; nam Christus debebat euacuare sacrificia, quę secundùm ordinem *Aaron* fiebant in Sacerdotio *Leuitico*, seu legali; ne mundatio peccatorum, quæ per Sacerdotium Christi facienda erat, videretur pertinere ad tribum *Leui*, & ad Sacerdotium *Aaronicum*, quod Sacerdotij Christi vmbra temporaliter erat; ergo debebat esse Sacerdos secundùm ordinem *Melchisedech*, non secundùm ordinem *Aaronis*; & ideo nasci debebat ex tribu *Iuda*, vt simul esset Rex, & Sacerdos. Verba eius sunt hæc; *Oportebat enim, vt euacuaturus sacrificia, quæ secundùm ordinem Aaron in Leuitico Sacerdotio fiebant, non esset de tribu Leui; ne ad ipsam tribum, & ad ipsum Sacerdotium, quod temporaliter vmbra erat futuri, pertinere videretur mundatio peccatorum, quam Dominus oblatione holocausti sui, quod in veteri Sacerdotio figurabatur, impleuit; & holocausti eius imaginem ad memoriàm passionis suæ in Ecclesia celebrandam dedit, vt esset Sacerdos in æternum, non secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech.* Alias quinque rationes affert *Fund. Doct. Aeg. hic dist.* 20. *p.* 2. *q.* 1. *ar.* 1. *§. Aduertendum.* 1. Quia *Melchisedech* fuit simul *Rex Salem*, & Sacerdos *Dei Altissimi*; sed Christus fuit simul Rex, & Sacerdos; ergo fuit secundùm ordinem *Melchisedech*, non secundùm ordinem *Aaron*, qui non fuit Rex, sed Sacerdos. 2. Sacerdotium *Leuiticum* fuit desumptum à Sacerdotio *Melchisedech*; ait enim *Glos.* quòd *Iudæi* sumpserunt Sacerdotium *à Gentibus*, non autem *Gentes à Iudæis*; sed à Sacerdotio Christi fuit desumptum Sacerdotium *Leuiticum*; quia figura sumitur à figurato, non è contra; ergo Sacerdotium Christi fuit secundùm ordinem *Melchisedech*, non secundùm ordinem *Aaron*. 3. Sacerdotium *Melchisedech* fuit per vnctionem inuisibilem gratiæ, non per vnctionem olei visibilis; vt diximus; Sacerdotium autem *Leuiticum* fuit per vnctionem visibilem; sed Sacerdotium Christi fuit per vnctionem inuisibilem, non visibilem; ergo idem. 4. Sacerdotium *Melchisedech* obtulit panem, & vinum; Sacerdotium verò *Leuiticum* obtulit animalia; sed Sacerdotium Christi obtulit ipsum Christum sub specie panis, & vini; ergo idem. 5. Per ordinem ad illud sumi debet Sacerdotium Christi, quod magis Christo assimilatur; simile enim refertur, & ordinatur ad simile; sed Christus Sacerdos magis assimilatur *Melchisedech*, quàm *Aaroni*; quia, vt habet *Apost. Hebr.* 7. *Melchisedech Rex Salem, quod est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens assimilatus est Filio manet Sacerdos in æternum*; quanuis enim *Melchisedech* habuerit re vera patrem, & matrem; attamen non habuit secundùm commemorationem, quia illos *Scriptura* non commemorat; sic Christus dictus est *Rex iustitiæ*, vt sonat hoc nomen *Melchisedech*; *Princeps pacis*, vt interpretatur *Rex Salem*; fuit vnctus Sacerdos à Deo; sicut *Melchisedech* dictus est *Sacerdos Dei altissimi*; fuit sine patre, vt homo; sine matre, vt Deus; sine genealogia, quia filios non habuit secundùm carnem; fuit sine initio, & sine fine, vt Deus; & sine fine, vt homo; ex quo deducit *Glos.* quòd quanuis *Summi Sacerdotes Leuitici*, ac omnes Prophetæ, & Patriarchæ fuerint Christi figuræ; nullus tamen specialiùs, ac similiùs ipsum expressit, quàm *Melchisedech*; ergo rectissimè dicitur Sacerdos secundùm ordinem *Melchisedech*, non secundùm ordinem *Aaron*.

5 Prob. altera pars concl. *ijsdem textibus*: *Tu es Sacerdos in æternum*; & *neque initium dierum, neque finem vitæ habens &c. Manet Sacerdos in æternum.* Deinde probantur singula. Persona Christi est æterna; in ipso enim non fuit personalitas creata, sed tantùm personalitas Verbi, quæ est æterna, & increata; sed offerens, & res oblata in Sacerdotio Christi est persona Christi; *obtulit enim se ipsum immaculatum Deo*; vt ait *Apost. vbi s.* ergo persona offerens, & res oblata in Sacerdotio Christi est æterna; & ideo Sacerdotium Christi quoad personam offerentem, & quoad rem oblatam rectissimè dicitur æternum; in quo distinguitur à Sacerdotio *Leuitico*, quod offerebant personæ mortales, & offerebantur res corruptibiles, & temporales. Deinde ex parte effectuum oblationis; nam effectus oblationis fuit remedium saluandorum; sed nullus potuit saluari nec

nec ante, nec post Christi aduentum, nisi in fide meritorum Christi, vt diximus *to. 4. de fide q. 2. art. 3*; vt habetur *Actor. 4. Non est aliud nomen sub Cœlo, sub quo oporteat nos saluos fieri, nisi Christus*; ergo Sacerdotium Christi est æternum. Æternitas autem *hic* non sumitur eodem modo à parte ante, & à parte post; nam à parte ante sumitur negatiuè ita, vt nullum tempus fuerit, quo Christi Sacerdotium non fuerit in remedium hominibus; verùm à parte post sumitur positiuè, quia vita æterna, & gratia, quæ per tale remedium hominibus est restituta, semper erit, & nunquam finietur. Tandem ratione intransferibilitatis, seu insuccessionis tripliciter dicitur æternum. 1. Quia Sacerdotio Christi non successit aliud Sacerdotium; non enim Sacerdotium Christi fuit translatum, aut erit transferendum; sicut Sacerdotio *Leuitico* successit Sacerdotium Christi. Sacerdotium nanque *Leuiticum* fuit translatum, vt habet *Apost. Hebr. 7. Translato Sacerdotio &c*; & rationem reddit *Apostolus*: *Alij quidem sine iureiurando Sacerdotes effecti sunt; hic autem cum iureiurando, & per eum, qui dixit ad illum: Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum*; iusiurandum autem, & non pęnitentia significant Sacerdotij Christi æternitatem. Quanuis autem etiam de Sacerdotio *Aaron Leuit.* 28. dixerit Deus: *Legitimum sempiternum erit Aaron, & semini eius post eum*; hoc tamen, inquit *S. P. Aug. in qq. sup. Exod. lib. 2. q. 124*; intelligendum est quoad rem figuratam, quæ est æterna; figurabat enim Sacerdotium Christi, quod est æternum; non quoad ipsam figuram, quæ cessauit adueniente figurato. 2. Nedum ex parte ipsius Sacerdotij, sed etiam ex parte Sacerdotis Sacerdotij Christi probatur æternitas. Nam quanuis Sacerdotium *Aaronicum* fuerit vnum, quia fuit vnus, & idem ritus, oblatio, & modus offerendi; attamen fuerunt plures Sacerdotes; quia inquit *Apost. vbi s. Aly quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere*; mortales enim erant, & ideo vnus non potuit viuere, vsquedum volueretur tempus, quo durare debebat Sacerdotij *Leuitici* tempus; ac propterea ne deesset, qui Sacerdotio fungeretur, plures Sacerdotes instituere fuit necesse; at verò Christus eo, quia *manet in æternum, sempiternum habet Sacerdotium*; adeoque ei non succedit alter Sacerdos; & quanuis homines Sacerdotes ordinẽtur, Christus tamen est ille, qui consecrat; in persona enim Christi asserunt: *Hoc est corpus meum*. 3. Eadem ratione probatur Sacerdotium Christi esse æternum ex parte oblationis; nam in Sacerdotio *Leuitico* vna oblatio succedebat alteri oblationi, quia res oblata erat diuersa; at verò in Sacerdotio Christi est semper eadem res oblata; quia semper offertur idem corpus, & sanguis Christi. Ex his autem tribus sic arguitur. Illud, quod nullo modo admittit successionem, est æternum; in hoc enim æternitas distinguitur à tempore, quòd tempus est successiuum, æternitas verò sine successione; sed Sacerdotium Christi fuit sine successione ex parte ipsius Sacerdotij, quod nunquam erit translatum, nec ex parte ipsius Sacerdotis, cui non succedet alter Sacerdos, quia Christus viuit in æternum; nec ex parte rei oblatæ, quia eadem semper erit res oblata; ergo Sacerdotium Christi est æternum. Ex quo deducitur, quantùm superemineat Sacerdotium Christi Sacerdotio *Leuitico*, quod fuit temporale, quia fuit translatũ; & eius translatio apertè *1. Reg. 2.* comminata fuit *Heli*, cui dixit Propheta, cuius nomen tacet *Scriptura*: *Domus tua, & domus patris tui transibunt coram me in æternum*; quæ prophetia adimplenda erat in Christo; inquit enim *S. P. Aug. lib. 17. de Ciu. Dei cap. 5*; quòd quanuis Sacerdotium fuerit translatum *in Samuelem*, sicut & iudicium populi; qui non erat ex familia *Aaron*, cuius progenies tantùm deputata erat, vt Sacerdotio fungeretur, sed erat ex familia *Leuitica* descendens à *Leui*; attamen talis prophetia *in Samuele* non fuit completa eò, quòd talis translatio non mansit in æternum; nam *post Samuelem* fuerunt Sacerdotes ex familia *Aaron*, quia regnante *Dauid* fuerunt *Sadoch, & Abiathar*, & alij deinceps; ergo hæc prophetia solùm in Christo fuit impleta, à quo Sacerdotium non transferetur in æternum.

6 Sed *hic* magna oritur quæstio *inter Interpretes*; *an Samuel* verè fuerit Sacerdos; vel tantùm fuerit propheta, & Populi Iudex?

Ferè omnes substinent *Samuelem* etiam mortuo *Heli* fuisse tantùm prophetam, & populi iudicem; & hoc fusè prob. *ex S. P. Aug. in qq. ex Vet. Testam. q. 46*; quia Sacerdotes nascebantur, non fiebant; ergo si *Samuel* fuisset Sacerdos, etiam *Helcana* eius pater, ex quo natus fuit, Sacerdos fuisset; sed conf. est falsum; quia *Helcana* duas habuit vxores, scilicet *Phenennam, & Annam*; quod Sacerdotibus vetitum erat; tum quia si fuisset Sacerdos, non venisset *ad Heli*, vt Sacrificium Domino offerret; sed ipse per semetipsum obtulisset; ergo nec *Samuel* fuit Sacerdos. 2. *Psal. 98.* dicitur: *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius; & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius*; ex quo manifestè colligitur *Moysen, & Aaron* fuisse Sacerdotes, *Samuelem* verò prophetam, cuius erat officium nomen Dei inuocare. 3. *1. Reg. 3.* apertè dicitur fuisse prophetam: *Et innotuit omni populo, quoniam fidelis est Samuel propheta Domino*. 4. Mortuo *Heli* fuerunt Sacerdotes qui reuocata arca ab allophylis baiulis leuitis viris *Bethsamitis* obtulerunt sacrificia absente *Samuele*, vt habetur *1. Reg. 6*; & Rege facto *Saule* fuit

fuit *Achimaas*, seu *Achimelech* pronepos *Heli*. Nec valet dicere; quòd licèt *Samuel* non fuerit Sacerdos, functus tamen est vice Sacerdotis; *Samuel* enim fuit vir Sanctus, Deo charus, & Dei testimonio commendatus; qui propterea non egit, quod erat à Deo prohibitum; aliter factus fuisset Dei inimicus, & tanquam præsumptor præsumptionis vindictam subijsset. *Chore* nanque *Num.* 16; cùm non esset ex semine *Aaron*, & voluisset super altare imponere incensum, hiatu terræ cum socijs suis fuit absorptus; & *Osias* Rex 1. *Par.* 26. ex tribu *Iuda*, cùm præsumpsisset Sacerdotium peragere, stans ante altare lepra in fronte percussus interijt. Ergo cùm *Samuel* nec fuerit *de Aaron* familia, nec præsumptor censendus sit, Sacerdos non fuit. Prophetia ergo de mutando Sacerdotio, & eligendo æmulo ipsius *Heli* fuit impleta, cùm *Saul* occidit *Achimelech*, & alios Sacerdotes iussit occidi; non autem statim post interitum *Heli*.

7 Sed contrarium docet *idem S. P. Aug. lib.* 17. *de Ciu. Dei c.* 4. asserens: *Nam Heli Sacerdote reprobato substitutus est in Dei ministerium Samuel simul officio functus Sacerdotis, & iudicis; & lib.* 12. *cont. Faust. c.* 33. *Nonne ab ipso exordio commutatum est Sacerdotium in Samuelem reprobato Heli, & commutatum Regnum in Dauid reprobato Saule clamat prænunciari nouum Sacerdotium, nouumque Regnum reprobato vetere, quod vmbra erat futuri in Domino nostro Iesu Christo venturum? Nonne ipse Dauid, cùm panes propositionis manducauit, quos non licebat manducare, nisi Solis Sacerdotibus, in vna persona vtrunque futurum, idest in vno Domino Iesu Christo, Regnum, & Sacerdotium figurauit? & in psal.* 98. *Factus est Samuel Sacerdos magnus, Sacerdos sanctus.* Quibus verbis expresse docet, quòd licèt non fuerit de lege communi Sacerdos, nisi natus *ex Aaron*, & non licuerit, nisi eius filijs Sacerdotis vices implere; & cùm nihil figurandum occurrit; attamen secus dicendum de lege speciali, secundùm quam solùm licuit *Dauid*, eiusque pueris panes propositionis comedere; qui hoc facto figurauit Sacerdotium esse transferendum cum Regno simul in Christum; sicut quanuis absolutè non licuerit *Iacob* se *Esau* primogenitum dicere; attamen ad figurandum Christum, qui fuit secundus *Adam*, potuit se *Esau* appellare, vt primogenituræ translationem, quæ implenda erat per Christum, innueret. Ergo quanuis *Samuel* non fuerit natus Sacerdos, nec Sacerdotis vices de lege communi implere potuerit absolutè loquẽdo; attamen de lege speciali, & ad significandam translationem Sacerdotij *Leuitici*, quod erat transferendum in Christum, potuit appellari Sacerdos, & vices Sacerdotis obire. Præterea certum est *Samuelem* per se ipsum sacrificasse, cùm iuisset *in Bethlehem* ad vngendum *Dauid* in Regem; inquit enim 1. *Reg.* 16. *Ad immolandum Domino veni, sanctificamini, & venite mecum, vt immolem.* Nec dici potest immolasse per alium; sicut dicitur *Saul, Dauid, & Salomon* obtulisse Domino per Sacerdotem, nullus enim commemoratur Sacerdos *in Bethlehem* fuisse, sicut dicitur *de Saul, Dauid, & alijs*, qui dicuntur sacrificasse, quatenus munera sacrificanda Sacerdoti obtulerunt; non sic autem *de Samuele* dici potest; sed sacrificare est proprium munus sacerdotis; ergo fuit propriè Sacerdos. Tum quia translatio Sacerdotij in Christum facienda non poterat significari per alium Sacerdotem post Sacerdotum excidium *de Saulis* mandato executum; quanuis ille Sacerdos non *de Aaronis*, *sed de Ithamar* familia fuisset; quia translatio Sacerdotij in Christum esse debebat simul cum Regno; sed *in solo Samuele* fuit simul Sacerdotium, & Regnum, quia fuit populi Iudex, antequam populus alium Regem expeteret; Sacerdotes autem, qui fuerunt post ipsum, non fuerunt Reges, vt constat, quia *post Saulem*, quem vnxit *Samuel*, postquam populus eum abiecerat, ne super eos regnaret, continuò alij Reges vncti fuerunt; ergo translatio Sacerdotij in Christum facienda non potuit figurari per alios Sacerdotes, sed *per ipsum Samuelem*, qui propterea Sacerdos, & iudex necessariò est nuncupandus.

8 Ad auctoritatem, & rationes *S. P. Aug.* in oppositum scimus illas quæstiones ab eius librorum censoribus inter apocryphas reijci; sed quoniam eorum censura non verificatur in omnibus, & ab omnibus æquè non recipitur; dicimus illic loqui de lege communi, & absolutè; non autem de lege speciali, & figuratiuè; ostendit enim, quòd *Samuel* non præsumpsit sacrificare, aliter fuisset punitus à Deo, nec potuit sacrificare, vt Sacerdos natus, quia non fuit ex Filijs *Aaron*; neque potuit ad hoc absolutè aspirare, quia sciebat Deum esse immutabilem; non tamen ait non potuisse figuratiuè hoc obtinere; quod tamen docet alijs *in locis sup.* laudatis. Ad 1. rationem dicitur procedere de Sacerdotio absoluto, non de figuratiuo. Ad 2. eodem modo dicitur fuisse prophetam absolutè, & de lege communi, Sacerdotem vero figuratiuè, & de lege speciali; & sic ad 3. Ad 4. dicitur vel illos Sacerdotes fuisse minores; vel dispensatum fuisse à Deo, vt simul fuerint plures Summi Sacerdotes, vt constat *de Moyse, & Aaron. Chore autem, & alij* puniti fuerunt, quia præsumpserunt sacrificare, quod non egit *Samuel*, qui à Deo fuit deputatus ad figurandam Sacerdotij translationem in Christum.

9 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. Christus fuit Sacerdos per ordinem ad illud Sacerdotium, quod fuit perfectius; sed Sacerdotium *Aaronis* fuit perfectius, quàm Sacerdotium *Mel-*

Melchisedech; ergo est dicendus potiùs Sacerdos secundùm ordinem *Aaron*, quàm *Melchisedech*.

Resp.dist. ma. Quod fuit perfectius quantùm ad expressionem figurati, conc; sed neg. mi; quantùm ad ceremonias, neg; ceremoniæ nanque sunt accidentia; & expressio figurati est substantia, seu essentia; denominatio autem sumi debet potiùs per ordinem ad substantiam, quàm per ordinem ad accidentia.

10 Obijc. 2. cont.2. part. Christus, vt homo, fuit mortalis, non æternus; sed non est Sacerdos, nisi vt homo; ergo non fuit Sacerdos in æternum. 2. Christo Sacerdoti succedunt plures homines Sacerdotes; ergo Christus non manet Sacerdos in æternum; quia successio æternitati repugnat. 3. Christus in cruce non interfecit se ipsum; ergo non fuit propriè Sacerdos, cuius munus fuit victimam interficere.

Resp. ad 1. *cum Fund. Doct. art. 2. ad 2.* Christum, quanuis mortalem, æternum dici propter communicationem idiomatum. Vel dici æternum, quia parum *pro nihilo reputatur*; adeoque cùm tempus mortis fuerit modicum, reputatur semper viuus. Vel dici æternum, quantùm ad interpellandum pro nobis, & offerendum se ipsum in expiationem peccatorum; quod potuit etiam præstare post mortem; non tamen alij Sacerdotes hoc potuerunt efficere. Ad 2. resp. *idem art. 3. ad 1*; quòd omnes Sacerdotes offerunt in persona vnius Christi Sacerdotis; quilibet enim ait: *Hoc est corpus meum*; quod nequit intelligi, nisi de corpore Christi; aliter non fieret Sacramentum; & sic censentur vnus Sacerdos. Ad 3. neg. cons; nam *Melchisedech* fuit verus Sacerdos, & tamen nihil interfecit, cùm panem, & vinum obtulit; ideo de ratione essentiali Sacerdotis non est interficere hostiam, sed illam offerre; interficere autem tantùm accidentaliter conueniebat, quando offerenda erant animalia, quorum interfectio peccaminosa non est; at interficere se ipsum peccatum est, ideo inconuenit Sacerdoti, cui conuenit offerre pro peccatis, non verò noua peccata committere. Christus igitur verè sacrificauit, quia propria voluntate obtulit, & tradidit spiritum pro nobis; vt dicitur *Io. 10. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso*; super quod *vid. S.P.Aug. in Io.*

11 Collig. ex dictis Christum non obtulisse se ipsum pro se ipso; quia sacrificium institutum fuit pro peccato expiando; vt habet *Apost. ad Hebr. c.5*; sed in Christo non fuit peccatum; igitur non obtulit sacrificium pro se ipso; sed tantùm pro nobis. Habetur expressè *in Concil. Alex; & Ephes. cap. 14.*

§. I.

Pro quibus Christus orauerit?

12 DE fide est, & à nemine in dubium vocatur Christum, vt hominem, orasse pro nobis, & pro se; habetur enim *Luc.6. Exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei; & Marc.14. Procidit super terram, & orabat, vt, si fieri posset, transiret ab eo hora; & Io. 17. Pater, clarifica Filium tuum*; ex quibus manifestè apparet orasse pro se ipso. Præterea *Io. 14. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis; & 17. Pro eis rogo*; ex quibus deducitur orasse pro nobis. Solùm difficultas est; an Christus nedum orauerit in via, sed etiam oret in patria; nam *Med; Vasq; Becc; Lug; & alij* aiunt orare tantùm interpretatiuè, quatenus exhibet suas orationes fusas in hac vita, & sollicitat Deum ad elargiendum id, quod petierunt. Communis tamen sententia docet Christum in Cęlo verè, & propriè orare pro nobis.

13 Vnica concl. Christus nedum existens in terra, sed etiam post Ascensionem existens in Cęlo, sedensque ad dexteram Patris verè, & propriè, vt homo, orat pro nobis.

Prob. 1. ex illo *Io. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*, quod dixit in futuro innuens se pro nobis oraturum in Cęlo, de quo solùm, postquam ascendit, certum est misisse spiritum Sanctum; & *psal. 85. Saluum fac seruum tuum, Deus meus, sperantem in te* &c. *Quoniam ad te clamaui tota die*; super quod *S.P. August.* in hunc locum inquit: *Non vna die, tota die, omni tempore intellige*; & mox: *Caput autem nostrum ad dexteram Patris interpellat pro nobis; & in prolog. eiusdem psal. In principio Dominus noster Iesus Christus Filius Dei, qui, & oret pro nobis, & oret in nobis, & oretur à nobis. Orat pro nobis, vt Sacerdos noster, orat in nobis, vt Caput nostum, oratur à nobis, vt Deus noster*; habetur etiam *Rom.8. Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis; & Hebr.7. Semper viuens ad interpellandum pro nobis; interpellare* autem *à SS. PP.* sumitur *pro orare*, vt *à D.Greg. in psal. pænitent; & à S.P. vbis.* Ratio autem deducitur ex dictis in *sup. art*; nam Christus in Cęlo manet Pontifex in æternum; sed orare pro populo est proprium munus Pontificis; ergo Christus in Cęlo orat pro nobis, qui eius populus sumus. 2. Oratio ex *S.P. Aug. ep. 107. ad Vital.* in hoc distinguitur à gratiarnm actione, quòd illa est de beneficio obtinendo, hæc de beneficio iam accepto; sed multa sunt beneficia, quæ nos non accepimus à Deo, & obtinere speramus; ergo Christus orat pro nobis Deum, vt nobis conferat beneficia, quæ nos speramus. 3. Status patriæ non impedit orationem,

tionem, quæ ipsi maximè congruit, vt ostendatur Dei maiestas, & creaturæ subiectio; habetur enim *in Apoc.* orationes Sanctorum continuò in Cælo ad Deum deferri; sed Christus, vt homo, est Deo subiectus, & inferior; ergo etiam in Cęlo ei conuenit orare pro hominibus.

14 Dices 1. *Oratio est assensio mentis in Deum ex D. Dam. lib.4. de Fide c.*24; sed Christus ab instanti suæ conceptionis fuit mente summè Deo vnitus; ergo non potuit ascendere, nec orare. 2. Nemo postulat id, quod noscit esse futurum; sed Christus nouit omnia futura; ergo illa non postulat, nec orat; quia orare est postulare. 3. Oratio includit carentiam plenæ potestatis ad efficiendum id, quod oratur; sed Christus habuit plenam potestatem; ergo idem. 4. Christus in Cęlo nequit mereri; ergo nec orare, quia oratio exaudiri meretur. Tum quia nos non possumus orare Christum, vt oret pro nobis, sicuti Sanctos oramus; ergo idem.

Resp. ad 1. orationem esse assensionem mentis in Deum per actum elicitum à virtute religionis, non per ipsam visionem beatam; & quanuis mens Christi fuerit semper vnita, non tamen sequitur, quòd non orauerit, & non oret, sed potiùs, quòd semper oret, quia semper manet in assensione in Deum. Ad 2. neg. ma; & præcipuè cùm quis noscit, quòd illud futurum est concedendum orationi, quæ est medium ad illud obtinendum, vt est in Christo. Ad 3. dist.mi. Christus, vt homo, habet plenitudinem potestatis ministerialis, conc; principalis, neg. Ad 4. neg. cons; quia ad meritum requiritur status viæ, vt diximus *tom.* 4. *de Grat. q.*5. *art.*1. Ad aliud dicitur non licere rogare Christum, vt oret pro nobis; quia non licet separare humanitatem à Diuinitate in actibus practicis, sicut ob infirmitatem intellectus licet eam separare in actibus speculatiuis ad illum distinctiùs cognoscendum; tum quia oratio dirigitur ad personam, non ad naturam præcisiuè; persona autem Christi est Deus, cui repugnat orare. An autem Christus orauerit pro omnibus etiam impijs, dictum est *to.*2. *de vol. Dei q.*4. *art* 1; *& de Præd. q.*3. *art.*3.

ART. II.

An Christus verè fuerit Rex?

1 Etiam *hic* loquimur de Christo, vt homine; certum enim est Christum, vt est Deus, esse omnium creaturarum Regem, vt habetur 1. *ad Tim.*1. *Regi sæculorum immortali, & inuisibili.* Inquiritur autem, an Christus fuerit Rex *Iudæorum* tantummodò; an verò omnium creaturarum; & ratione cuius Regia potestas ei conueniat? Occasione autem explicandi illud *Luc.*23; in quo *Iudæi* Christum accusabant Pilato: *Hunc inuenimus subuertentem &c; & dicentem se Christum Regem esse*; & titulum illusorium, quem cruci superimposuit *Pilatus Io.*19. *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*; hæc quæstio instituta est *à DD.*

Non defuerunt, qui dixerunt Christum fuisse subditum Principibus sæcularibus; atque adeo tributum ex debito, & necessitate soluisse. *Ita Marsi. Patauin; & Io. de Ianduno*; quos tamen damnauit *Io.* XXII; vt refert *Turrecr. lib.*4. *Sum. par.* 2. *cap.* 37; repugnat enim verbis Christi *Matth.*17. dicentis *Petro*: *Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, vel censum? A filijs suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Iesus. Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies statęrem; illum sumens da eis pro me, & te.* Quibus verbis apertè significauit se liberum fuisse à solutione tributi eo, quòd sit Filius Dei, qui est Rex omnium, sed vt scandalum vitaret, illud soluisse.

2 *Alij* dixerunt Christum titulo successionis habuisse ius temporale in Regnum *Iudæorum*, quia erat *ex Dauid* familia. *Ita Armacan. lib.*4. *qq. Armen. cap.*16; *Baccon. q.*1. *prol. art.*2. *concl.*2; *& qu.*11. *art.*3; quibus fauet *Abulen. in c.*21. *Matth. q.*30.

Sed quanuis verum sit, quòd, vt asserunt communiter *SS. PP; & DD*; ad ostendendum Christum simul fuisse Sacerdotem, & Regem, *Matthæus* B.V.Marię genealogiam *per Nathan*, & *Lucas* genealogiā *S. Ioseph per Salomonem descripserit*; attamen ex hoc non deducitur titulo successionis, & hæreditatis Regnum Christo debitum fuisse; non enim constat successionem Regni fuisse per fęminas, nec *Mariam* fuisse *Iudęorum* Reginam, quanuis ex Regibus ortam, cui postea succederet Christus; & sic dicendum *de Ioseph*, quem constat non fuisse Regem, sed fabrum; at etiamsi fuisset Rex; attamen Christus non potuisset eius Regnum titulo hæreditatis obtinere, quia fuit filius illius tantùm putatiuus, non naturalis, adoptio autem non dat ius ad successionem in præiudiciū filiorum naturalium, vt constat; ergo nequit dici, quòd Christo obuenerit Regnum titulo successionis, & hæreditatis, quanuis ex familia Regum descenderit. 2. Si Christus habuisset Regnum titulo successionis, non posset dici translatum fuisse Regnum, & Sacerdotium in Christum; translatio enim propriè erat de familia in familiam, vel de tribu in tribum; vnde deductio Regni de patre in filium non dicitur *in Scriptura* translatio, sed tantùm quando Regnum de vna ad aliam familiam fuit trans-

translatum; & sic de Sacerdotio; sed Regnum dicitur translatum in Christum fuisse; nam vt dicebamus *in sup. art. num. 7. cum S.P. August*; translatio Regni *de Saule in Dauidem* fuit figura translationis eiusdem Regni in Christum; ergo non habuit Regnum titulo successionis,& hæreditatis. 3. Christus nedum fuit Rex *Iudaeorum*, sed etiam *Gentium*; sed Rex Gentium nequit dici titulo hæreditatis; ergo nec *Rex Iudaeorum*. Nec officit id, quod dicitur *Luc.1*; vbi habetur,quòd Christus habuerit *sedem Dauid patris eius, & regnauerit in aeternum*; Non obstat, inquam; nam *ibid.* dicitur: *Dabit ei sedem Dauid*; quibus indicatur non titulo hæreditatis,sed Dei largitate ei Regnum fuisse concessum; quanuis hoc sit intelligendum de Regno æterno, non temporali; quia dicitur: *Et regnabit in aeternum*.

3 *Alij* dixerunt Christum fuisse Regem spiritualem, non temporalem. *Dried. lib. 3. de dogmat. Sacrae Scripturae tract. 2. cap. 10. par. 1*; *Victoria*; *& Bartholom. Med. Vasq.* verò *disp. 87. cap. 2.* ait fuisse Regem etiam temporalem, non tamen,vt hominem, habuisse dominium temporale singularum rerum. Tandem *Lug. disput. 30. sect. 1.* ait habuisse Regnum in actu primo, non in actu secundo.

4 Nostra seutentia docet Christum fuisse inunctum verum Regem totius mundi vnctione inuisibili in primo instanti suæ conceptionis, & verum dominium habuisse in omnes res æternas, & temporales ad nutũ; quanuis vsum dominij temporalis per se ipsum exercere noluerit, sed alijs inuisibiliter commiserit, vel permiserit eo modo, quo Rex temporalis per suos ministros deputatos, vel etiam permissos suum Regnum gubernat. *Ita Fund. Doct*; *& alij cit. to. 4. de Fide q. 4. art. 6.*

5 Regnum aliud est particulare,aliud vniuersale. Particulare est communitas plurium prouinciarum subiecta potestati vnius tantùm, à quo regitur, & gubernatur; & in hoc differt Regnum à Republica, quæ subditur potestati plurium, non vnius. Regnum vniuersale est communitas totius Orbis subdita vnius potestati, à quo regitur. Sicut autem in quolibet Regno particulari dantur plures Principes,qui subijciuntur potestati Regis; ita in Regno vniuersali dantur plures Reges particulares, qui subduntur potestati Regnantis vniuersaliter in toto Orbe; qui vocatur *Rex Regum, & Dominus Dominantium*; quemadmodum Rex particularis dicitur Rex Principum, & Dominus Principantium. Quanuis autem Rex Dominetur in omni parte,& ciuitate sui Regni; attamen vt plurimùm eius denominatio sumitur à Metropoli, seu à parte principaliori, in qua dominatur immediatè; non autem à principatibus, in quibus Principes, qui ei subduntur, dominantur; vt dicitur *Rex Neapolis* à ciuitate Neapolis, quę est principalior in illo Regno; *Rex Vngariae* à prouincia principaliori, quæ est in illo Regno; quanuis in illo sint plures aliæ ciuitates, & in isto plures prouinciæ. Insuper quanuis Rex habeat potestatem, & dominium Regium in totum suum Regnum; attamen in ditiones Principum intra limites sui Regni conclusas, quas vel gratiosè eis concessit in præmium, vel permisit in pœnam suorum subditorum, dicitur quidem habere potestatem, & dominium quoad nutum, quia potest illos Principes suis Principatibus expoliare, & priuare, eosque in alios transferre; non autem dicitur in eas habere vsum potestatis,& dominij, quia vsus concessus est Principibus sibi subditis, quibus contulit earum gubernium. Quod diximus de Rege particulari per ordinem ad Principes, dicẽdum est de Rege vniuersali per ordinẽ ad Reges particulares sibi subiectos. Cùm inquirimus;an Christus fuerit Rex;non loquimur de Rege,aut Regno particulari, sed de Rege,& Regno vniuersali; an scilicet fuerit Rex omnium creaturarum cælestium, & terrestrium.

6 Vnica concl. Christus in instanti suæ conceptionis fuit inuisibiliter vnctus Rex vniuersalis habens ad vsum potestatem, & dominium Regni cælestis, & ad nutum Regnorum terrestrium; quapropter rectissimè dicitur Rex Gloriæ, seu Regni Cælorum, & Rex Regum terræ, ac Dominus dominantium in terra.

Prob. 1. *à S. P. Aug. de altercat. Eccl; & Synag. ex ps. 71. Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam Filio Regis*; *& psal. 72. Deus autem Rex noster operatus est salutem in medio terrae*; *& psal. 2. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius*; *& Malach. 1. Rex magnus sum ego, dicit Dominus, & nomen meum illustrabo apud Gentes*; *et psal. 44. Dico ego opera mea Regi*. Quòd autem etiam sit Dominus, habetur *ps. 96. Dominus regnauit*; *et ps. 67. Dominus nomen illi*; ex quibus concludit *S. P. Aug. Habes ergo & Deum, & Dominum, & Regem*; *& Io. 18. Pilato* interroganti: *Ergo Rex es tu?* Respondit Christus: *Tu dicis,quia Rex ego sum*. Et quòd sit Dominus,habetur *Io. 13. Vos vocatis me, Magister, & Domine*; *& bene dicitis*; *sum etenim*; *& Apoc. 19. Habet in femore: Rex Regum, & Dominus dominantium*; *& Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas in cęlo, & in terra*.

7 Resp. *Vasq.* hæc facilè explicari de Regno, & potestate spirituali.

Sed contra est; nam si Christus non haberet potestatem etiam sæcularem, iam non haberet omnem potestatem; sicut qui habet solam potestatem temporalem, non dicitur habere omnem potestatem, quia non habet etiam spiritualem; sed hoc est directè contra *textum Matth. Data est mihi omnis potestas*.

2. Chri-

2. Christus habet potestatem spiritualem, quatenus Sacerdos; ergo quatenus Rex intelligitur habere potestatem sæcularem; atqui in Scripturis dicitur *Rex*, *& Sacerdos*; ergo ex ipsis ineluctabiliter colligitur vtranque potestatem habere; nam sicuti sacerdotium propriè significat potestatem spiritualem; ita Regnum propriè significat potestatem sæcularẽ, nisi velimus abuti vocabulis; ergo sicuti ex eo, quòd Christus *in Scripturis* appellatur Sacerdos, non licet ei negare potestatem spiritualem; ita ex eo, quòd appellatur Rex, non licet ei denegare potestatem regnatiuam sæcularem.

8 Præterea figura debet correspondere figurato; aliter ipsum non repræsentaret; sed *Melchisedech*, *& Moyses*, qui fuerunt Christi figura (ille quidem in lege naturæ, hic verò in lege scripta) fuerunt Reges habentes verum dominium temporale; ille nanque fuit Rex *Salem*, & iste *populi Hebraici*; ergo Christus fuit Rex habens verum dominium temporale. 2. Rex gloriæ habet dominium spirituale, & sæculare vniuersæ terræ; sed Christus est Rex gloriæ; vt dicitur *in ps.* 23; ergo habet dominium spirituale, & sæculare vniuersæ terræ. Prob. ma. Rex gloriæ habet dominium spirituale, & sęculare omnium, qui ordinantur ad gloriam, & qui aliquo modo spectant ad illam; *Moyses* enim, qui erat Christi figura, habuit tale dominium omnium, qui erant ordinati ad terram promissionis, quamuis ad illam non peruenerint; sed omnes homines vniuersæ terræ sunt ordinati ad gloriam, quia *Deus vult omnes homines saluos fieri*; & Christus pro omnibus mortuus est; ergo Rex gloriæ habet dominium spirituale, & sæculare vniuersæ terræ. 3. Filius Dei naturalis est Rex, & Dominus vniuersæ terræ; illi enim subijciuntur omnes creaturæ; sed Christus, vt homo, per gratiam vnionis factus est Filius Dei naturalis, vt diximus *q.6. art.2*; ergo per gratiam vnionis factus est Rex, & Dominus vniuersæ terræ. 4. Christus habet potestatem puniendi, & præmiandi æternis, & temporibus pœnis in hac, & in alia vita; aliter eius potestas esset minor potestate Prælati Regularis; ergo est Rex, & Dominus vniuersæ terræ. Tandem expresse habetur *in 1. Vesp. Natiuit. Magnificatus est Rex pacificus super omnes Reges vniuersæ terræ*; ergo aduersa sententia, vt parum tuta, vtpotè opposita *tot Scripturis*, *& Ecclesiæ*, est abijcienda.

9 Obijc. 1. *Io.* 18. interroganti *Pilato*, an esset Rex *Iudæorum* respondit Christus: *Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis; nunc autem Regnum meum non est hinc*. Quibus verbis negauit se regnare in hoc mundo; & *Luc.* 12. cuidam de turba dicenti: *Magister, dic fratri meo, vt mecum diuidat hæreditatem*; respondit: *Quis me constituit Iudicem, aut diuisorem inter vos?* Et *Io.6.* cùm vellent *Iudæi* ipsum eligere in Regem, fugit in montem. Tandem *Io.19.* fuit declaratus à *Pilato Rex Iudęorum* tantùm in titulo cruci affixo; quod fecisse *Pilatum* ex Diuina inspiratione testatur *S. P. August. tract.* 107. *in Io.* dicens: *O ineffabilem vim Diuinæ inspirationis etiam in cordibus ignorantium! Nonne occulta vox quędam Pilato intus quodam (si dici potest) clamoso silentio personabat?* Propterea cùm Pontifices Iudæorum instarent: *Noli scribere Rex Iudęorum; sed quia ipse dixit: Rex sum Iudęorum*; Respondit *Pilatus*: *Quod scripsi, scripsi*; nolens delere inscriptionem iam factam; vt impleretur, *quod tanto ante in psalmorum literis* (inquit S.P. *Aug.*) *prophetatum est*; ergo Christus non est Rex vniuersalis.

Resp. ad 1. fuisse solutum *to.4. de Fide q.4. art.6. num.24.* Regnum Christi non esse de hoc mundo, idêst non acceptum ab hominibus huius mundi, sed à Patre, à quo fuit ei communicata potestas omnium creaturarum. Ita explicat *S.P. Aug. tract.* 105. *in Io.* asserens Christum non dixisse: *Regnum meum non est in hoc mundo*; nam ipse in hoc mundo regnauit; sed dixit: *Non est de hoc mundo*. Sicut *Io.* 15. dixit Discipulis: *De mundo non estis; sed ego vos elegi de mundo*. Non tamen his verbis significauit eos non esse in hoc mundo. Sic quamuis Regnum eius non esset de hoc mundo; attamen non sequitur, quòd Regnum eius non sit in hoc mundo. Ait ergo *S. P. Vnde & hic non ait: Regnum meum non est in hoc mundo; sed non est de hoc mundo &c. Non ait: Nunc autem Regnum meum non est hic; sed non est hinc. Hic est enim Regnum eius vsq; in sæculum habens inter se commixta zizania vsque ad messem; messis enim finis est sæculi, quando messores venient, idêst Angeli, & colligent de Regno eius omnia scandala; quod vtique non fieret, si Regnum eius non esset hic; sed tamen non est hinc, quia peregrinatur in mundo*. Si autem dicatur S.*Patrem* loqui de Regno spirituali, non temporali; resp. etiam verba Christi, quæ explicat, intelligẽda esse de Regno spirituali; ac propterea ex illis verbis non deduci Christum non habuisse dominium temporale, vt intendunt *Aduersarij*. Cęterùm intelligenda sunt & spiritualiter, & temporaliter; *Pilatus* enim loquebatur de Regno temporali; cui non respondisset, si tãtùm spiritualiter locutus fuisset. Vel dicitur, quòd, vt *sup.* notauimus, denominatio sumitur à nobiliori, & principaliori parte ipsius Regni, ideo Christus dicitur *Rex Cęlorum, seu gloriæ*. Vel quòd non est Rex huius terræ quoad vsum, sed tantùm quòad nutum. Vel quòd ad ostendendum hæc Regna temporalia non esse vera Regna, sed exilia, quia sunt in motu, & non in quiete; ipse au-

tem erat verus Rex veri Regni, quo probaret se superiorem omnibus Regibus terræ, dixit suum Regnum non esse de hoc mundo, sed superius ad omnia Regna mundi; & ideo esse Regnum Regnorum, & ipsum esse Regem Regum huius mundi; vt asserunt *Scripturæ*, quibus contradicere non poterat. Ad 2. *textum* dicitur officium *Iudicis*, *& Diuisoris* esse inferius potestate Regis, committitur enim ministris, vt constat; & ideo potuit Christus negare se esse *Iudicem*, *aut Diuisorem* absque eo, quòd se esse Regem negaret. Ad 3. dicitur, quòd Christus electus Rex ex Patris potestate debebat fugere, ne eligeretur Rex ex populi consensu, ne illius potestati subderetur. Ad 4. resp. *S.P.Aug. ibid. Sed Iudęorum tantùm Rex est Christus; an & Gentium? Imò & gentium: cùm enim dixisset in prophetia: Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius prædicans præceptum eius; ne propter montem Sion solis Iudæis eum Regem quisquam diceret constitutum, continuò subiunxit: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu; ego hodie genui te: Postula à me; & tibi dabo Gentes hęreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: vnde & ipse iam per os propriũ loquens apud Iudęos: Habeo* (inquit *Io.* 10.) *alias oues, quæ non sunt ex hoc ouili; oportet me & ipsas adducere, & fiet vnum ouile, & vnus Pastor*; quibus clarissimè ostenditur ipsum fuisse institutum Regem à Patre vniuersæ terræ, & possessionem accepisse huius Regni.

10 Obijc. 2. Christus non habuit titulo hæreditatis, nec ex populi consensu, nec ex Dei concessione Regnum; ergo non fuit Rex. 2. Frustra fuisset in Christo talis potestas, & dominium, quod nunquam redigeretur ad actũ; ergo idem. 3. Sequeretur Summum Pontificem esse Regem; ergo idem. 4. Sequeretur omnes Reges ab instanti conceptionis Christi fuisse tyrannos, vel Christi Vicarios.

Resp. ad 1. dist. ant. Non habuit titulo hæreditatis maternæ, transeat; hæreditatis Paternæ, neg; nam vt Filius Dei, debuit ad omnia bona Patris admitti. Ad 2. neg. ant; non enim frustra ponitur in Imperatore potestas quoad nutum, quam habet supra Reges, etsi nũquam actu redigatur ad vsum. Ad 3. dicitur Summum Põtificem habere potestatem quoad nutũ super Reges, vt diximus *to. 4. vbi s.* Ad 4. neg. seq; ex eo enim, quòd Imperator habeat potestatem quoad nutum super Reges, non sequitur Reges esse tyrannos, vel intrusos, vel Vicarios, sed tantùm subiectos esse Imperatori; ita à pari.

11 Obijc. 3. *Vasq. Extra. Inter nonnullos; & Extra. Quia quorumdam de Religiosis domibus* dicit *Io.* XXII. Christum habuisse dominium aliquarum rerum; ergo supponit Pontifex non habuisse dominium omnium rerum. 2. *Ex si vt certò* §. *Si duobus ff. commodati, vel contra* dicitur duos non posse simul esse Dominos in solidum eiusdem rei; quia Dominus à nemine impediri potest circa vsum rei suæ; posset autem impediri ab alio Domino; ergo Christus non habuit dominium horum temporalium, quæ constat fuisse sub dominio aliorum. 3. Sequeretur nos peccare contra iustitiam vtendo aliqua re contra voluntatem Christi. 4. Illud *data est mihi omnis potestas* dictũ fuit post Christi mortem; ergo non fuit Rex ante mortem.

Resp. ad 1. habuisse dominium aliquarum rerum quoad vsum, & omnium quoad nutum. Ad 2. dicitur non posse dari duos Dominos æquales non subordinatos, bene tamen inæquales, & subordinatos; aliter res existentes sub dominio creaturæ non existerent sub dominio Dei. Ad 3. neg. seq; peccatum enim furti committitur solùm contra illum, qui habet vsum illius rei, quæ surripitur. Ad 4. dicitur, quòd Christus post mortem acquisiuit potestatem in Cęlis quoad vsum, quam prius habebat quoad nutum. Quanuis autem illud dictum sit post mortem, quia tamen dicitur in præterito, non sequitur ei datam fuisse potestatem solùm post mortem.



QVAE-

QVÆST. XII.

De adoratione Christi.



DE cultu, qui summæ Christi Maiestati à creaturis omnibus est exhibendus, postremò est discurrendum. Occasionaliter autem de cultu Sanctorum, imaginum, ac reliquiarum breuiter agemus, quo tota huius libri absoluetur materia.

ARTI. I.

An Christo, vt homini, debeatur adoratio latriæ?

1 ADoratio, vt diximus *to.4. de Virt. q.4. art.2.num.22*; triplex est, scilicet latria, dulia, & iperdulia. Hæc nomina *à Græcis* accepta significant seruitutem; latria enim sumitur *à latero*, quod est idem, ac *seruio*; & dulia sumitur à *dulio*, quod pariter idē sonat, ac *seruio*: *iper* autem sonat idem, ac *super*; vnde *iperdulia* idem est, ac seruitus debita excellentissimo Domino. Quamuis autem hæc duo nomina latria, & dulia seruitutem significent; attamen discriminantur in hoc, quòd latria *à Diuinarum Scripturarum tractatoribus* sumitur tantùm pro seruitute, qua creatura est Deo serua; vnde latria significat cultum, quem creatura, tanquam serua, exhibet Deo, tanquam Domino; dulia verò sumitur pro seruitute, qua vna creatura est serua alteri creaturæ; & ideo significat cultum debitum alteri creaturæ; iperdulia verò significat cultum debitum excellentissimæ creaturæ. *Ita S. P. lib. 10. de Ciu. Dei cap.1.* asserens: *Latriam quippe nostri, vbicunque sanctarum Scripturarum positum est, interpretati sunt seruitutem. Sed ea seruitus, quæ debetur hominibus, secundùm quam præcipit Apost. Ephes.6. Seruos Dominis suis subditos esse debere, nomine Grecè* (scilicet dulia) *nuncupari solet. Latria verò secundum consuetudinem, qua locuti sunt, qui nobis Diuina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, vt pene semper, ea dicitur seruitus, quæ pertinet ad colendum Deum.* Ratio autem est; quia latria dicitur *à latreyo*, quod significat idem, ac seruio, vt dictum est; componitur autem ex particula *la*, quæ intensionem significat; & *treyo*, quod idem est, ac *tremo*; vnde latria propriè significat cultum seruientis cum summo tremore, ac timore; solus autem Deus est summè timendus, quia solus Deus potest perdere corpus, & animam; homines verò solùm corpus possunt occidere; vt habetur *Matth.10*; ergo latria propriè significat cultum soli debitum Deo. Aliam ethimologiam dat *noster Argent.* asserens, quòd latria idem est, ac *laus trina*; propterea soli Deo, qui trinus est in personis, defertur. Vocari etiam solet *Eusebia, Theosebia, & Thriskia*, seu Religio; vt notat *S. P. vbis; & Fund. Doct. hic distinct. 9. par. 1. quæst. 1. artic. 1. §. Tertio modo*; sed quoniam *Eusebia*, seu pietas, etiam erga parentes exercetur; ideo dicta est *Theosebia*, idest pietas erga Deum eo, quia ex speciali motione, affectu, & deuotione mouemur ad colendum Deum. Dicitur autem *religio*, quia ligati sumus ad Deum colendum. Quæritur ergo, an Christo, vt homini, debeatur cultus latriæ, qui soli Deo debetur.

2 Latriam autem esse virtutem specialem formaliter, & generalem materialiter reducibilem quodammodò ad virtutem Cardinalem iustitiæ ostendit *Fund.Doct.vbi sup. 1. par.* per totam. Primum probat *art.1.* tripliciter. 1. Habitus, cuius opera sunt laudabilia, est virtus; sicut habitus, cuius opera sunt vituperio digna, est vitium; sed latria habet actus laudabiles; si enim laudabile est reddere vnicuique, quod suum est; maximè laudabile est, reddere cultum Deo, qui ei debetur; ergo est virtus. 2. Habitus, cuius actus præcipiuntur à lege, est virtus; finis enim legis est retrahere homines à vitijs, & ad virtutes inducere; sed actus latriæ præcipiuntur à lege naturæ; ergo idem. 3. Virtus est dispositio perfecti ad optimum; sed latria est ad Deū, qui solus optimus est; ergo idem. Secundum probat *art.2.* Quia ratio formalis specificatiua latriæ est distincta formaliter à ratione formali specificatiua aliarum virtutum, tendit enim in Deum, quatenus est colendus, offerendo sacrificia &c; & opponitur vitio speciali, quod est idololatria; ergo est virtus specialis. Materialiter autem dicitur generalis quadrupliciter. 1. Ratione actuum; quia potest actus omnium virtutum ex voto, quo se adstrinxit, elicere per ordinem ad exhibendum cultum debitum Deo. 2. Quia connectitur cum alijs virtutibus; & ideo ad illas extenditur. 3. Quia potest concurrere ad actus omnium virtutum, quatenus illos potest elicere intentione colendi Deum. 4. Quia potest alijs virtutibus imperare, vt eliciant suos actus, intentione colendi Deum. Tertium probat *art.3; & 4.* Non enim latria est virtus Theologica, quæ habet

pro

pro obiecto immediato, & fine Deum; cùm latria habeat pro obiecto sacrificia, & has res exteriores, quas offerimus Deo in recognitionem propriæ seruitutis; ergo reducitur ad virtutes cardinales, quia vltra Theologicas non dantur, nisi cardinales. Atqui nequit reduci, nisi ad iustitiam quodammodò; quanuis enim inter Deum, & creaturas nequeat dari propria, & stricta iustitia, quæ propriè nequit dari inter seruum, & Dominum; patrem, & filium; vt diximus *to.* 4; attamen potest dari quædam iustitia latè sumpta, quia creatura reddit Deo id, quod debet; & quanuis non reddat totum, quod debet; reddit tamen, quod potest,

3 Referuntur *Palud; Cordub; Alen; & alij* sentientes Christi humanitatem non adorari latria perfecta, sed latria imperfectiori. Sententia tamen communis docet adorari eadem adoratione, qua adoratur Verbum. *Fund. Doct. vbi s. p. 2. q. 2. art.* 1; *Argent. ibid.* asserunt principaliter adorari Verbum, & ex consequenti humanitatem ei vnitam; quia Verbum est ratio formalis adorandi sic humanitatem; quod docent *omnes alij*.

Vnica concl. Christus, vt homo, adoratione latriæ est colendus.

4 Prob. 1. *ex psal.* 98. *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Super quod S. P. *Aug. ibid.* ait nomine *Scabelli* intelligi terram, de qua dicitur *Isaiæ 66. Terra autem scabellum pedum meorum*. Terra ergo adoranda, quoniam sancta est, & caro Christi animata, seu humanitas, quam Verbum assumpsit, & assumendo sanctificauit sanctitate increata, ob quam digna effecta est ea adoratione, qua Deus ipse adoratur. *Suscepit enim* (inquit S. P.) *de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis ad manducandum ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adorauerit, inuentum est, quemadmodum adoratur scabellum pedum Domini, & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Paulò post subdit non esse adorandam propter se ipsam, sed propter ipsum Verbum, quod est ratio ipsam adorandi: *Non quasi terram intuearis, sed illum sanctum, cuius pedum Scabellum est, quod adoras, propter ipsum enim adoras; & serm.* 58. *de Verbi Domini: Ego Dominicam carnem, imò perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quòd à Diuinitate suscepta, atque Deitati vnita est, vt non alium, atque alium, sed vnum, eundemque Deum, & hominem Dei Filium confitear. Denique si hominem separaueris à Deo, vt Photinus, vel Paulus Samosatenus, illi ego nunquam credo, nec seruio. Velut si quis nostrum aut purpuram, aut diadema Regale iacens inueniat, nunquid ea conabitur adorare? Cùm verò ea Rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si ea simul cum Rege quis adorare contempserit.* Idem habet *Conc. Alex; & Ephes. c.* 8; vbi dicitur, quòd Christus, *vt Deus homo, vna adoratione adoratur.* Ratio est. 1. Adoratio primariò respicit personam terminantem naturam, seu prout componitur ex subsistentia personali, & natura; sicut iniuria infligitur primariò personæ; sed personæ, quam importat Christus, vt homo, debetur adoratio latriæ, quia est persona Diuina; ergo Christus, vt homo, est adorandus adoratione latriæ. 2. Eadem adoratione adoratur Rex, qua adoratur purpura, aut diadema indutum à Rege; sicut eandem pœnam incurrit iniuriam infligens Regi, ac purpuræ, aut diademati induto à Rege; ergo à fortiori eadem adoratione est adorandum Verbum, ac humanitas, quam induit eo, quia humanitas transit in vnitatem personæ Diuinæ; purpura autem non transit in vnitatem personæ Regis. Ex quo magis. Adoratio, quæ defertur naturæ assumptæ, transit in personam, in cuius vnitatem assumpta est illa natura; sicut enim ipsa natura transit, ita omnis actio ad naturam directa transit in personam; sed persona adoratur latria; ergo & natura.

5 Dicit *Lug.* hoc exemplum non valere; quia humanitas adoratur absolutè, tanquam pars; vestis autem tantùm respectiuè.

Resp. hoc exemplum sumi *ab Apost. Habitu inuentus, vt homo*; valere autem à fortiori, vt diximus *cum Fund. Doct.* Falsum autem est, quòd pars sit quid absolutum, dicit enim relationem ad compartem, vel ad totum ipsam terminans præsertim, cùm totum est ratio illam adorandi, vt docet S. P. *Aug.*

6 Præterea *cum S. S. P. serm.* 58. *vbi supra* Christus, vt homo, est Filius Dei naturalis; sed Filius Dei naturalis adorandus est adoratione latriæ; ergo & Christus, vt homo. Item Christus, vt homo, est sanctus sanctitate increata; ergo idem.

7 8 Obijc. 1. *D. Dam. or.* 1. *de Imaginib.* ait *carnem Christi non adorari, vt Deum.* 2. *Glos. sup. psal.* 98. ait *non adorari ea adoratione, quæ latria dicitur, quæ soli Deo debetur; sed illa, quæ dulia dignior est*; idèst iperdulia. 3. Humanitas Christi non amatur eodem amore, quo amatur personalitas; quia hæc amatur super omnia, non illa; ergo à pari. 4. Natura humana nequit æqualiter adorari, ac natura Diuina; quia sicut natura humana est inæqualis naturæ Diuinæ; ita dicendum de adoratione ei debita; ergo idem. 5. Adoratio conuenit Deo ratione creationis; sed creare nequit competere naturæ humanæ; ergo idem.

Resp. ad 1. carnem non adorari, vt Deum; quia Deus adoratur ratione sui, & caro ratione Dei, non ratione sui. Ad 2. *Glosam* explicandam esse de adoratione carnis secundùm se acceptæ, non verò prout assumptæ à Verbo.

Ad 3. eodem modo neg. conf; quia humanitas amatur ratione sui, adoratur autem non ratione sui, sed ratione personalitatis; ideo non amatur eodem modo, quo adoratur. Ad 4. eodem modo dicitur naturam humanam non adorari æqualiter, ac Diuinam; quia Diuina adoratur ratione sui, humana verò ratione naturæ Diuinæ. Ad 5. dist. mi. Creare nequit competere naturæ humanæ ratione sui, conc; ratione suppositi Diuini terminantis naturam humanam, neg; ex quo patet omnes obiectiones vnica responsione dissolui.

8 Inst. Si humanitas adoraretur ratione personalitatis Diuinę, adoraretur per accidens, vt voluit *Dur*; sed conf. est falsum; aliter etiã natura Diuina per accidens adoraretur, quia adoratur ratione suppositi; ergo falsum est ant. 2. Si humanitati deberetur latria, sacrificium offerretur etiam Christo, vt homini; sed conf. est falsum; docet enim *S.P. Aug. lib.* 10. *de Ciu. Dei c.* 20. *Cùm in forma Dei sacrificium cum Patre sumat; tamen in forma serui sacrificium maluit esse, quàm sumere, ne vel hac occasione quisque existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ*; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. ma; sicut enim natura humana existens ratione suppositi non dicitur existere per accidens; ita à pari. Ad 2. neg. ma; nam offerre sacrificium est actus ipsius Christi Summi Sacerdotis offerrentis per se, vel per suos ministros; nemo autem potest sibi offerre sacrificium, quia oblatio est actus iustitiæ, quæ essentialiter est ad alterum. At adoratio est actus procedens à nobis, qui sumus creaturæ ipsius, ideo ab ipso distinguimur, atque adeo saluatur, quòd actus adorationis sit ad alterum.

9 Dices. Humanitas separata vel realiter, vel per intellectum non est adorabilis adoratione latriæ; ergo nec coniuncta.

Resp. *Fund. Doct. ad* 1. neg. conf; nam si humanitas separaretur realiter, terminaretur à supposito creato, cui repugnat latria; & si præscinderetur per intellectum à Verbo, præscinderetur à ratione formali adorationis latriæ. At coniuncta habet rationem formalem talis adorationis.

§. I.

Qua adoratione coli debeant B. Virgo, & alij Sancti.

10 ADorationem Sanctorum negarunt *Manichæi, vt inf. ex S. P. Aug.* ostendemus. Hos secuti sunt *Leo Isauricus, & Constantinus Copronymus*, qui publico edicto cultum, & inuocationem eorum populo interdixerunt; vt referunt *Cedrenus in vitis ipsorum, & Nicephor. lib.* 18. *in fine ex Suida*. Eundem errorem secuti sunt *Vvicleffistæ*, vt ait *Vualden. to.* 3. *c.* 118. *nu.* 2; *Cathari, Vualdenses, Caluin. lib.* 1. *inst. c.* 11; *&* 12; *& Centuriatores centur.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4; *Luther; Confessio Heluetica c.* 23; *Brent. in Apolog. Confessionis Vvitembergen; Beza*, qui cultum Sanctorum idolatriam vocant, & in Sanctos multas, grauesque euomunt blasphæmias.

11 Doctrina tamen fidei est, quam fatentur omnes catholici, B. Virginem, & Sanctos esse adorandos; non quidem adoratione, quæ est propria Dei, & soli Deo debetur, sed adoratione, quæ creaturis sanctitate fulgentibus potest congruere. *Ita Fund. Doct. vbis. p.* 2. *q.* 2. *art.* 4; *&* 5; *& communiter omnes.*

12 Vnica concl. Beatissimę Virgini Mariæ adoratio iperduliæ, tanquam excellentissimæ creaturæ super omnes alias exaltatæ, & alijs Sanctis cultus duliæ est exhibendus.

Prob 1. ex illis *Scripturæ* locis, in quibus dicitur Angelos, & homines fuisse adoratos; vt *Iosue c.* 5. adorauit Angelum; *Balaam Nu.* 22. idẽ præstitit; *Abdias* 3. *Reg.* 18. adorauit *Eliam*; *& Filij Prophetarũ* 4. *Reg.* 2. adorarunt *Eliseum*; nec tamen ob hoc reprehensi fuerunt; quod *Scriptura* non omisisset, sicut non omisit reprehendere eos, qui in idololatriam ceciderunt. 2. Ex continua traditione Ecclesiæ, quæ docuit semper, & tenuit adorationem, & inuocationem Sanctorum, vt videre est *apud SS. PP*; qui communi consensu hoc nobis tradiderunt. Tandem definita fuit hæc veritas *in VII. Syn. act.* 2; 3; *&* 4; *& in Trid. sess.* 25; ergo Sancti à nobis sunt adorandi. Atqui non ea adoratione, quæ soli Deo debetur; inquit enim *S. P. Aug. lib.* 20. *cont. Faust. c.* 21. *Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis &c. At eo cultu, qui Græcè latria dicitur, latinè vno verbo dici non potest, cùm sit quædam propria Diuinitati debita seruitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi vnum Deum*; ergo adoratione propria creaturis sunt adorandi. Sed adoratio conueniens excellentissimæ creaturæ, quæ est Beatissima Virgo, est iperdulia, quæ significat cultum debitum creaturæ super omnes alias creaturas; & adoratio conueniens Sanctis est dulia, quæ inferioribus creaturis est debita; ergo cultus iperduliæ Beatissimæ Virgini, & adoratio duliæ alijs Sanctis est exhibendus.

13 Conf. A seruitute sumitur adoratio, vt *sup.* diximus; sed *ex Apost. Hebr.* 6. creaturę inferiores seruitutem exhibere debeãt creaturis sublimioribus diuersam tamen à seruitute, qua omnes creaturæ Deo deseruiunt; ergo creaturæ inferiores, vt sumus nos viatores, exhibere debent adorationem creaturis sublimioribus, vt sunt Sancti existentes in Cęlo, diuersam tamen ab adoratione, quæ soli Deo ab ominibus creaturis est exhibenda. Atqui iper-

iper dulia, & dulia est diuersa à latria, quæ soli Deo debetur; ergo iperdulia Beatissimæ Virgini, & dulia alijs Sanctis est exhibenda.

14 Tandem ex eo, quòd natura humana in Christo fuerit assumpta ad sanctitatem increatam adoranda est adoratione latriæ, vt diximus *in sup. art*; ergo ex eo, quòd B. Virgo fuerit electa ad summam sanctitatem creatam super omnes creaturas, adoranda est suprema dulia, quæ idem est, ac iperdulia; & ex eo, quòd Sancti fuerint sanctitate stabiliter dotati, sunt adorandi adoratione duliæ. Tum quia maiestatem Regis maximè decet, vt honorentur eius familiares, & eo magis filij adoptiui, quanuis non æquali honore, ac honoratur Rex; sicuti enim cedit in dedecus Regis, si dehonorentur eius serui, & filij adoptiui; ita in decus ipsius redundat, quòd honore illis congruente afficiantur; ergo summam Dei decet maiestatem, quòd eius Mater summa dulia, & Sancti, qui sunt eius filij adoptiui, dulia inferiori honorentur.

15 Obijciunt Hæretici plura *Scripturæ* loca, quibus interdicitur adoratio Sanctorum; vt *Deut. 6. Dominum tuum adorabis, & illi soli seruies*; & 1. *ad Tim.* 1. *Soli Deo honor, & gloria*; & *ad Gal.* 4. *Iis, qui natura non sunt Dÿ, seruiebatis*; & *Act.* 4. *Paulus, & Barnabas à Lycaonibus* adorari noluerunt; & *Act.* 10. *Petrus* noluit adorari *à Cornelio*; & *Apoc.* 19. Angelus noluit adorari *à Ioanne*; & *Esth.* 3. *Mardochæus* noluit genuflectere *coram Aman*; & *Conc. Laodicense* anathematizat eos, qui exercent idololatriam coram Angelis; & *Adrian. ep. ad Constant*; & *Iren.* ait cultum Sanctorum esse talem, qualem mutuò exhibemus inter nos cum salutatione. 2. Non est de fide talem hominem esse Sanctum, & esse in Cęlis; ergo non est de fide eum esse adorandum.

Resp. *allata loca Scripturæ* intelligenda esse de adoratione latriæ, vt explicat *S. P. Aug. vbi s*; & sic *Adrian.* hanc excludere voluit. Ad rationem omittitur ant; petit enim, an Papa possit errare in quæstionibus facti, sicuti est canonizatio. Neg. autem cons; quia *hìc* tantùm dicitur eos, qui verè sunt in Cęlo, & sancti sunt, esse adorandos; quod non improbat ant; nam solùm probat aliquos posse putari sanctos, & sanctos non esse; de quo non est *hìc* sermo.

16 Quæres 1; an adoratio sit actus internus, vel externus?

Resp. esse actum internum formaliter, & externum consummatiuè, quia opere externo consummatur. Quanuis aliquando possit esse actus purè internus, vt quando solo affectu nos submittimus Deo, & sanctis.

17 Quæres 2; an actus duliæ eliciatur ab eodem habitu, à quo elicitur actus latriæ?

Resp. eodem modo dicendum, quo diximus de habitu, quo amatur Deus, & proximus. *Vid. to.* 4. *de Char. q.* 3. *art.* 2. *Aliqui* tamen dicunt actum latriæ esse actum religionis; actum verò duliæ esse actum obseruantiæ.

18 Quæres 3; an B. Virgo, quatenus Mater Dei, quæ Christum portauit, & tetigit, possit adorari adoratione latriæ; sicut dicimus de cruce &c?

Resp. *Fund. Doct. art.* 4. negatiuè; crux enim aliquo modo repræsentat Christum, & ideo adoratur, vt imago ipsius, cui debetur idem cultus, qui debetur Prototypo; at B. Virgo non adoratur, vt imago Christi, sed solùm vt Mater, quæ est persona distincta à Christo, vna autem persona nequit assumi, vt imago alterius, vt constat; ideo adoratur solùm adoratione iperduliæ, non latriæ; quanuis Christum genuerit.

19 Collig. ex dictis altaria, Ecclesias, quæ dedicantur Sanctis, sicut & sacrificia, quæ offeruntur in memoriam, & honorem alicuius Sancti, offerri Deo in memoriam illius Sancti; quia tales oblationes sunt actus latriæ, quæ soli Deo debetur. Ideo Sacerdos celebrans Missam *de S. Petro* non ait: *Offerimus tibi Petre &c. Vid. S. P. Augustinum vbis.*

ART. II.

De cultu imaginum, & reliquiarum.

1 QVanuis *omnes*, qui negarunt adorationem, & inuocationem Sanctorum, negauerint consequenter cultum imaginum, & reliquiarum; attamen non è conuerso *omnes*, qui negarunt cultum imaginum, & reliquiarum, negarunt adorationem, & inuocationem Sanctorum. Qui autem negarunt cultum imaginum, negarunt etiam cultum reliquiarum irrisoriè vocantes catholicos *incineratores* eo, quia sacros cineres Sanctorum venerantur. De istis igitur postremò est agendum.

2 Quoad imagines, inter quas numerantur crux, claui, & cætera instrumenta passionis Christi Domini, quæ habent ipsum menti repræsentare, adeoque rationem imaginis sortiuntur, de cuius conceptu est repræsentare aliud à se; refert *Sander. lib.* 1. *de Imaginib. c. vlt.* primos impugnatores imaginum fuisse *Marcionistas, Manichæos*, de quibus loquitur *S. P. Aug. lib.* 20. *cont. Faust. c.* 3; & *VII. Syn. art.* 5; vbi etiam refert *Euthychianos, Theopaschitas*, quorum caput fuit *Petrus Fullo*, quem secutus est *Seuerus*, & *alÿ*. Idem sensere *Philippicus*, vt refert *Paul. Diac*; *Constantin. Copronym*; vt scribunt *Paul*; & *Zonar*; *Leo Armen*; vt testantur *Cedren*; & *Zonar*. Item *Claud. Ep. Taurinen*; *Bogomili, Albigen*; *Hier. de Praga, Carolus Stadius, Zuingliani, Caluin. lib.* 1. *inst. c.* 11; & horum

rum asseclæ, quorum hæresis viget etiam hac tempestate.

3 Quoad reliquias *Vigilantius*, cui se opposuit *S. Hier*; *& Eunomius*, vt refert *S. P. Aug*; seu *Auctor libri de Eccl. Dogmatib. c.72*; *& omnes alij* reijcientes imagines cultum reliquiarum negarunt.

4 Omnes tamen catholici fatentur esse fidei dogma imagines quoquo modo repræsentantes Christum, & Sanctos, ac reliquias eodem adorationis genere esse colendas, quo adorantur Christus, & Sancti. *Ita Fund. Doct. loc. cit. in sup. S*; *& omnes alij DD. communiter.*

5 Notat *Fund. Doct. hic dist. 9. p. 2. q. 2. ar. 4.* imagines posset considerari præcisè, vt imagines, & vt res quædam sunt, quæ per contactum fuerunt sanctificatæ, & ideo ratione contactus adoratione sunt dignæ. V. g. si loquamur de cruce, cui Christus fuit affixus, non solùm adorari debet, quia repræsentat Christum bracchia extendentem in morte, sed etiam quia contactu corporis, & sanguinis Christi fuit sanctificata; idem dicendum de vultu sancto. Si autem loquamur de alijs crucibus, quę non tetigerunt corpus Christi, illæ tantum adorandæ sunt, vt imagines, non vt res quædam sunt. Ex hoc oritur, quòd crux, quæ tetigit Christi corpus, si scindatur in partes, etiam est adoranda ratione contactus; at verò aliæ cruces, si secentur in partes, quia non retinent ampliùs rationem imaginis, & aliunde non sunt adorabiles ratione contactus, nulla adoratione sunt dignæ; quia prout res quædam sunt, sunt ligna, metalla &c; & puræ res creatæ, quibus nulla adoratio debetur. Præterea obseruat aliud discrimen inter crucem, quæ tetigit corpus Christi, prout habet rationem imaginis, & prout est res quædam creata sanctificata ratione contactus; quòd cruci primo modo consideratæ debetur sola adoratio iperduliæ, quia sic est res creata, cui latria repugnat; & ideo B. Virgo, S. Ioseph, & cetera, quæ tetigerunt Christum, quia non habent rationem imaginis, adorandæ sunt tantùm adoratione iperduliæ; at verò crux, vt est imago Christi, adorari debet latria; & sic loquendum de ceteris instrumentis passionis.

6 Vnica concl. Imagines, & reliquiæ adorari debent eadem adorationis specie, qua coluntur prototypi.

Prob. 1. pars concl. 1. *ex Can. Apost*; de quo *fusè Turrian. lib. 1. pro ep. canonicis cap. 25.* Hic *canon* conditus fuit ab Apostolis, non quidem *in Conc. Hierosol*; sed *in Antiocheno contra idololatras, & Iudaeos. De hoc Conc.* mentionem facit *Innoc. ep.* 18. agens *de Ecclesia Antiochena*; *& VII. Syn. act.* 1. dicens: *In Antiochena Synodo SS. Apostolorum dictum est, saluatos non debere &c*; quibus accedit *Pamphyli Martyris* testimonium, quibus manifestè concluditur veritas *huius Concilij* celebrati anno Domini 57. *apud Coriol. in summa*. Habetur itaque *can.* 8. *Ne decipiantur saluati ob idola, sed pingant ex opposito Diuinam, humanamque manufactam impermixtam effigiem Dei veri, ac Saluatoris nostri Iesu Christi, ipsiusque Seruorum contra idola, & Iudaos; neque errent in Idolis, neque similes fiant Iudæis.* Item *ex VI. Syn. can.* 82; qui *canon* fuit semper ab Ecclesia receptus, vt testatur *Coriolan. vbi s.* Deinde *ex Syn. Romana* Episcoporum ferè mille *sub Greg. III. pro imaginibus* celebrata anno Domini 733. *iuxta Segebert*; & *ex Syn. Gentiliacen.* anno 766; & altera *Romana sub Stephano III.* anno 768. ob eandem causam coactis; & *ex Syn. Nic. I*; *& II*; quæ fuit *VII. Syn. & Syn. VIII. act. vlt. can.* 3; *& Trid. sess.* 25. Habetur enim expressè *in Scripturis*; vt *psal.* 98; de quo diximus *in sup. art. nu.* 4; *& psal.* 131. *Adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius*; de quibus *vid. S. P. Aug. in sup. art.* Deinde prob. *ex Traditionibus*, & perpetuo vsu in Ecclesia; nam etiã Christo viuente eius imago *Panneade* iussu mulieris *Syrophaenissa* ex ære fuit conflata, quæ durauit vsque ad tempora *Iuliani apostatæ*; vt *ex Sozom. lib. 5. cap. 20*; *Niceph. lib. 10. c. 30*; *& Baron. anno Christi 57. à nu.* 111. colligitur. Item plures imagines depictæ, & sculptæ *à S. Luca, & Nicodemo* continuata consuetudine adorantur. Deinde refert *VII. Syn. act. 4. Iudaos in Syria* in ciuitate *Beriti* circa tempora *Irene, & Constantini* Christi imaginem crucifixisse, & eius latus transuerberasse; ex quo magna fluxit sanguinis copia, qui applicatus ægrotos plures sanauit. Ratio autem sumitur *ex S. P. Aug. locis cit. in sup. art.* Idem cultus, qui debetur prototypo, debetur imagini; quia cultus non debetur imagini, nisi propter prototypum; sicuti enim eandem pœnam incurrit contemnens imaginem Regis, quam incurrit contemnens personam; ita eodem cultu coli debet imago, quo colitur persona, quam imago illa repræsentat; *oppositorum* nanque *est eadem ratio*; ergo imagines Christi, & Sanctorum eadem adoratione coli debent, qua coluntur earum prototypi. *Vid. art. 1. vbi s.*

7 Prob. 2. pars concl. *à S. Hier.* asserente corpus *Moysis* fuisse sepultum ab Angelis, & absconditum hominibus, vt innuitur *Deut.* 34; dicitur etiam, quòd *Noe* asportauit in arcam corpus *Adæ*, & de illa egrediens ossa eius filijs suis distribuit; & *de Ioseph Eccl.* 49. *Ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetauerunt*; & 4. *Reg.* 3. *Elisei* cadauer mortuum suscitauit; & *Act.* 19. dicitur *de Paulo*, quòd *super languidos deferrentur à corpore eius sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Accedit perpetua Ecclesiæ traditio, de qua *S. P. Aug. lib. 22. de Ciu. Dei cap. 8.* asserit reliquias *S. Protomart. Stephani ad aquas Tibilitanas* multa patrasse miracula.

Hinc

Hinc fuit definita hæc veritas *in Concil. Gangren. cap.* 5; *VII. Syn. act.*7; *in Concil. Aphric. V. cap.* 14; *Bracchar. III. can.* 5; *Epannen. can.* 25; *Mogunt. cap.* 61; *Lat. sub Innoc. III. cap.* 62; *&* *Trid. sess.* 25. Ratio est. Partes eadem adoratione coli debent, qua colitur totum; quia totum nihil aliud est, nisi partes vnitæ; sed reliquiæ sunt partes corporum Sanctorum; ergo eadem adoratione coli debent, qua Sancti coluntur. Tum quia eandem pœnam incurreret contemnens Regis cadauer, quam Regem viuum iniurians; ergo à pari. Tum quia immediatiùs se habent reliquiæ ad Sanctos, cùm sint aliquid illorum, quàm imagines; sed istis debetur eadem adoratio; ergo & illis. Tandem reliquiæ patrant plura, & continua miracula, in illis habitauit Spiritus Sanctus, fuerunt organa meritorum &c; ergo idem.

8 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. *Exod.* 20; *& Deut.* 4. prohibetur fieri imaginem Dei; quod habetur etiã *Isaiæ* 40; *&* 46; *& Act.* 17. 2. *Conc. Eliberitanum cap.* 36. vetuit imagines depingi in parietibus Ecclesiarum. 3. *Conc. Francoford.* damnauit doctrinam *Conc. Nic. II. de imaginum adoratione*. 4. *Epiphan. ep. ad Io. Hierosol.* ait se lacerasse velum, in quo Christi, vel sancti imago erat depicta, ne penderet imago hominis in Ecclesia Dei. 5. *Plures alij SS. PP.* prohibent imagines Dei. 6. *Adrian. Imp.* teste *Aelio Lampridio in vita Alex. Imp.* extruxit templa Christianis sine vlla prorsus imagine. 7. Adorare res inanimes est idololatria; ergo idem. 8. Si imagines essent colendæ propter contactum, etiam os *Iudæ* coli deberet.

Resp. ad 1. talem prohibitionem fuisse factam *Iudæis*, quia nimis erant ad idololatriam propensi. Ad 2. dicitur *Conc.* vetuisse imagines pingi in parietibus, ne *à Gentilibus*, alijsq; infidelibus deturparentur; non autem vetuit simpliciter pingi. Ad 3. dicitur *Francoford.* damnasse doctrinam *Conciliabuli Constantinop. VII; non Nic. II; seu VII. Syn.* Ad 4. dicitur illam imaginem fuisse hominis prophani, non sancti, vt ait *Vasq.* Ad 5. dicitur *SS. PP.* solùm asserere non posse fieri imaginem Dei, vt est in se ipso, cùm sit simpliciter incorporeus. Ad 6. dicitur fecisse templa sine idolis *Gentilium*, non tamen sine imaginibus Sanctorum; vt explicat *Alan. Copus dialog.* 4. *cap.* 2. Ad 7. dist. ant. Adorare res inanimes propter se ipsas, conc; propter id, quod repræsentant, neg. Ad 8. dicitur imagines propter contactum esse colendas, quia illo contactu sanctificatæ, seu consecratæ fuerunt; at verò os *Iudæ* non potuit sanctificari ob impietatem ipsius *Iudæ*, cuius est pars; flagella autem, claui &c. fuerunt mera instrumenta, non partes intrinsecę *Iudęorum*, ideo potuerunt ex contactu consecrari.

9 Obijc. 2. cont. 2. part. *Luc.* 11. reprehenduntur *Scribæ* eò, quòd ædificent sepulcra Sanctorum. 2. *Ep. Iudæ Michael* restitit *Sathanæ* eo, quia volebat detegere corpus *Moysis*. 3. *Conc. Eliberit. cap.* 34. prohibet accendi cereos, ne inquietentur Spiritus Sanctorum; & *S. Hier. post ep.* 53. *cont. Vigilant. nu.* 17. ait cereos accendi ad depellendas tenebras noctis, non ad honorandos Martyres. 4. *Conc. Brachar. III. c.* 5. reprehendit Episcopos, quia gestabant reliquias Martyrum collo suspensas. 5. Reliquię Martyrum non retinent, nisi materiam primam, transierunt enim ad formam cadauericam; ergo non sunt adorandæ.

Resp. ad 1. reprehendi hipocrisim, & simulatam pietatem *Scribarum*, qui animo approbabant necem Prophetarum, quanuis fictè ostenderent illam non approbare. Ad 2. dicitur, quòd *Michael* impediuit detectionem corporis *Moysis*, ne adoraretur adoratione latriæ *à Iudæis*. Ad 3. dicitur *Conc. Eliberit.* prohibere superstitiosos ritus erga corpora Sanctorum. Ad *D. Hier.* dicitur, quòd licèt putauerit cereos non pertinere ad adorationem duliæ, non tamen illam absolutè negauit, sed expresse probauit *contra Vigilant.* Ad 4. dicitur reprehendi gestationem reliquiarum in pectore, ne videretur adoratio tribui ipsis Episcopis. Ad 5. reliquias existentes sub forma cadauerica adorari, quia adhuc sub illa forma sunt partes cadaueris, seu corporis mortui ipsorum; si autem transirent ad formam viuentis, ampliùs non colerentur, quia nec essent corpus, nec cadauer eorum.

10 Obijc. 3. Corpus Christi in Eucharistia adoratur genuflexione, imago autem sic non adoratur, vt patet ex vsu; ergo eadem adoratione non adoratur imago, & exemplar.

Resp. neg. cons; datur enim latitudo in eadem specie, quæ suscipit magis, & minus; vnde quia species Sacramentales continent corpus Christi realiter, imago verò tantùm repræsentatiuè, ideo ad demonstrandam hanc diuersitatem diuersum signum externum fuit positum.

11 Quæres 1; an possit adorari imago non adorato exemplari in recto?

Resp. quæstionem esse *inter Vasq; & Sua*; hic enim putat exemplar adorari in obliquo, quia adoratio directè, & immediatè fertur ad imaginem, & mediatè ad exemplar; ille verò ait non posse per actum externum adorari imaginem, nisi actus internus submissionis immediatè feratur in exemplar. Sed facilis est discussio huius dubij; quanuis enim voluntas immediatè feratur in media, & ijs mediantibus in finem; attamen non dicitur in obliquo ferri in finem; quia immediatè tendit in finem in intentione, quanuis in executione non tendat in illum, nisi per media; ita à pari.

12 Quæres 2; an adoratio imaginis, & exemplaris sit partialis?

Resp.

Resp. negatiuè; quando enim duo ita se habent, vt vnum sit propter aliud, tunc non se habent partialiter, sed totaliter subordinatè; vt patet de medio, & fine.

13 Queres 3; an omnes res Mundi possint adorari?

Resp. affirmatiuè, quia omnes possunt sanctificari, & consecrari, & repræsentare Deum, & Sanctos.

14 Quæres 4; qua adoratione colendę sint species sacramentales, & hostiæ sanguine miraculoso conspersæ?

Resp. colendas esse adoratione latriæ, repræsentant enim corpus, & sanguinem Christi, cui debetur adoratio latriæ; quamuis illud actu non contineant.

15 Quæres 5; an species sacramentales adorandæ sint sub conditione, quòd sint consecratæ?

Resp. neg; sunt enim institutæ ad repræsentandum Christum, ideo debent absolutè adorari, quamuis non contineant corpus Christi realiter, sed tantùm repræsentatiuè, vt imago. Quæ, & alia omnia, quæ scripsimus, infallibili Sanctæ Matris Ecclesiæ iudicio subijcimus; cuius honorem, & gloriam tantùmmodò inquirimus.

INDEX

INDEX
TEXTVVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,
Qui in hoc libro exponuntur.

Quo plures numeri errati corriguntur; nonnulli tamen textus alijs verbis notantur secundùm aliam versionem, quam sequitur S. P. AVGVSTINVS, ex cuius libris desumpti sunt.

EX PROVERBIIS.

EX CANTICIS.

EX SAPIENTIA.

EX ECCLESIASTICO.

EX ESAIA.

5. 5. *Nunc*

EX HIEREMIA.

EX EZECHIELE.

EX DANIELE.

EX OSEA.

EX IOELE.

EX AMOS.

EX ABDIA.

EX IONA.

EX HABACVC.

EX ZACHARIA.

EX MALACHIA.

Index textuum Sacræ Scripturæ.

EX MATTHAEO.

EX MARCO.

EX LVCA.

2. 49. *Quid*

EX IOANNE.

EX ACTIBVS APOSTOLORVM.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

9. Chri-

EX I. AD CORINTHIOS.

15. 22. Si-

et ipsum

SYLLA-

SYLLABVS RERVM.

Beati

habuit

Fuit

Effe-

Gratia

Iustitia

Materia

Per

fuit

Subsi-

Asseruit

Neque

Est

FINIS.

